-425-

425-J-11

1.477

S. ANSELMI,

ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS,

ORDINIS S. BENEDICTI,

ANGLIÆ PRIMATIS,

AC DOCTORIS CLARISSIMI,

TOMVS SECVNDVS

SCHOLIJS, AC COMMENTARIJS ILLUSTRATUS.

TRACTATUS

De ſumma Trinitate, de voluntate Dei, eiuſque viſione beata Scholaſticis diſputationibus amplectens.

AD ILLUSTRISSIMUM, ET EMINENTISSIMVM

S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcopum Toletanum, & Hiſpaniæ Primatem

D. D. LUDOVICUM PORTOCARRERO,

AVTHORE

RR. P. M. Fr. IOANNE BAPTISTA LARDITO,

Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Generali Magiſtro, in Salmanticenſi Academia Laureato Doctore, & in Sacra Theologia eiuſdem Vniverſitatis Profeſſore Primario.

SALMANTICÆ, CUM PRIVILEGIO REGIO,

Ex Typographia Eugenij Antonij Garcia. Anno 1700.

[redacted]

Es ad Vsuz de fr. Bernardo Gaittero Carmelita Calzado

EMINENTISSIMO,

AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. D. LUDOVICO PORTOCARRERO,

S. R. E. CARDINALI,

Episcopo Prænestino, Protectori Hispaniarum, & Primati, Archipræsuli Toletano, à Consilijs Status Maiestatis Catholicæ, &c.

BIBLIOTECA PROVINCIAL ... PROPIEDAD INTELECTUAL

COmentaria in S. Anselmum, Archiepiscopum Cantuariensem (Eminentissime Princeps) ex clarissimi tui nominis fastigio, vel vt ex colendiisimi templi tholo, voti reus suspendo, in obsequentis animi argumentum. Sed quem alium Patronum ambirent Archiepiscopi, & Primatis comentaria, quam Archiepiscopum, & Primatem? Quem alium ampliorem, vel præstantiorem Mecœnatem eligerent, nisi in quem conspirant Archiepiscopalis dignitatis infulæ, Cardinalitiæ purpuræ splendor, Primatus Hispaniarum decus, antiquissimi generis nobilissimum stemma, & quod apud me maius momentum habet, earum omnium virtutum, quæ Cardinalem, quæ vigilantissimum decent Pastorem, singulare fastigium? Te igitur ambiunt (Cardinalis amplissime) hæc nostri Anselmi scholia, non vt litterarius nostræ fatigationis discursus à detrahentium calumnia se reddere possit immunis (cum censoria insipientium virga, sit merito despicienda, sicut & sapientum correctio eodem Anselmo teste ampletenda) sed vt propensam veræ gratitudinis voluntatem, perpetuo monumento testarer. *In Prob. ad Monol.*

Nollem obolo solvere mutuatum talentum, sed necessitate compulsus pro copiosissimo auro Regis Tyri, parva, & ignobilia rependo, quibus tamen me eximere nolo, ab ingenti beneficiorum onere, quod accepisse palàm profiteor; nec silentio obvolvam potentissimum nostrum Hispaniarum Regem Carolum Secundum, Primaria, ac Vespertina Cathedra, in clarissimo moderanda litteratum emporio, sive Salmantina Vniversitate, te protegente, fovente, & favente, Benedictinam Familiam illustrasse: quare in aliquale, licet impar, quod fateor, gratitudinis argumentum, hæc in nostrum Anselmum Commentaria, ex tunc iure protectionis iam tua, modo ad primam lucis vsuram suopte pondere, ante aram celsitudinis tuæ se sistunt; quia iuxta Iurisperiti sententiam: *Res Domino suo fructificat*: dignumque est, vt *vnde exeunt flumina revertantur.*

Est & alia ratio (Princeps Eminentissime) ne vllam aliam aspexerim Cynosuram in Ducem, regimen, & tutelam, quam Toletanum Primatem, immò totius Ecclesiastici orbis fulgentissimum solem, cuius lumine opus nostrum illustratum, lumen aspiceret; quoniam ab antiquioribus sæculis hæc primaria hesperij orbis lampas Benedictinam

Familiam quaſi germanam lucem ſibi vnitam habere indecorum non iudicavit. Teſtem advoco clariſsimum S. Facundi Cœnobium, eiuſque Abbatem Bernardum, primumque Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum,& Primatem à virtute, à zelo, à ſcientia, à regiminis decore, à facili expeditione rerum, maximè commendandum, qui quanto ardore, tyramnico Agarenorum iugo à Regali Vrbe depulſo, Chriſtianam Religionem ſeminaverit, propagaverit, totamque Eccleſiaſticam Remp. gubernaverit, ac Toletanam Eccleſiam cum Benedicti Patris familia amico fœdere copulaverit, noſtrum non eſt impreſentiarùm exponere.

Maxim. anno 612.

Iulian. anno 906.

Edmeus in Hiſt. Novor. vide M. Yepes, A.C. 762.

Illud tamen non prætereundum ſilentio per quatuor ſæcula, & vltra ad clavum huius primariæ navis ſediſſe ſolos Antiſtites ex eadem Benedictina Familia aſſumptos, omnes ſanctitate celebres, integritate morum, ac doctrinæ gloria inſignes, in quo Cantuarienſem Eccleſiam quam Anſelmus noſter regebat, Toletanam imitaſſe videtur; floruerat enim Angliæ Inſula, & Chriſtiana, & Benedictina Religio, dum Anſelmo ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, ac totius Britaniæ primatum, totiſque viribus dignitatem recuſante, nullis precibus freto, nullis deterrito argumentis, tandem cor ſuum emolire tentarunt ea ducti ratione, quod per quatuor ſæcula, nimirum à naſcentis illius Eccleſiæ primordijs, ſoli Benedictini Monachi Cantuarienſem Eccleſiam, & totius Britaniæ navim gubernaverint oculari teſte Edmero. Teſtes tandem advoco ſex illos Eccleſiæ Pontifices Summos, omneſque Benedicti Patriarchæ alumnos, Vrbanum, Paſchalem, Gelaſium, & Caliſtum, hoc nomine ſecundos, Eugenium tertium, & Adrianum quartum, qui omnes diplomatibus ſuis Toletanæ Eccleſiæ primatum, & firmarunt, & confirmarunt.

D. Didacus Caſtejon de Primatu Tol. Eccl. in princ.

Emin. Aguirre in collat. Concil. t. 2.

Sed etſi alia ornamenta deeſſent, à me maiorem exigebat commendationem ſumma illa in oneribus paſtoralibus diligentia, qua præmia mirà æquitate diſtribuis, qua Eccleſiam Toletanam Miniſtris præſtantiſsimis illuſtras, qua digniſsimos Paſtores ad ampliſsimæ Diœceſis Eccleſias regendas ſemper eligis, qua in reformandis moribus ad Eccleſiaſticam vitam conſervandam, inſudas. Non ſolum inter cæteros Paſtores, & Antiſtites dignitate eminens; ſed ſimul bonos cæterorum Paſtorum, & Antiſtitum mores tibi ſubijciens Synodum congregaſti, vt elapſam diſciplinam erigeres, vt probatos mores foveres, improbos eijceres, ac dignis legibus Rempublicam Eccleſiaſticam gubernares, omnia eà animi conſtantia diſponens, eo animarum zelo, vigilantia, & prudentia, quæ ſummum decet Hyerarcham.

Inveniſti tandem modum, quo creſceret Eminentia tua, cum vix poſsit, nimirùm te largiter communicando pauperibus, & egenis; pupillis, & viduis ingenti eleemoſynarum copia, & ſpeciali amnonæ ſubſidio præſertim graſſante ſterilitatis morbo; totus ſemper factus Argos, vt miſeriam videas; totus Biareus, vt largiatis indigentibus. In ſinu pauperis ita ſubſidium reponis, vt nec proventus Regales ſufficere videantur; ſed ingenioſa arca cordis tui modum invenit, quo numquam exhauſta, manus numquam vacuæ exiſterent iuxtà monitum Magni mei

S. Greg.

Greg. *Numquam vacua eſt manus ab opere, cum arca cordis repleta eſt bona voluntate.*

Hæc tandem theologica dogmata ex aureis Anſelmi ſcriptis deſumpta tibi omni iure debebantur (Eminentiſs. Card.) quoniam te tuis imitandum operibus Sanctiſsimum Doctorem, & Antiſtitem aſſumpſiſſe clariſsimè deprehendo: etenim Anſelmum noſtrum vix, aut nè vix quidem adoleſcentiæ metas præter greſſum, ſed iam ad Prælaturam vel invitum, vel relutantem, electum nemo dibitat: te ſimiliter adhuc æta-

te

te iuvenem, ſed prudentia,& maturitate virum Catholicà Maieſtas Granatenſi præfecit Eccleſiæ. Magna ſanè laus, in eà ætate tàm multis præeſſe, & prodeſſe poſſe; tecum profectò loquebatur Magnus Fœlix in vita Epiphanij,dum dixit: *Cana conſilia in annis puerilibus meditabaris; vernabat in te præ cæteris bonorum operum Mater verecundia. Te quicumqxe vidit, cum & dum aliquod dignitatis limen intraſſes, omnia tranſiſſe credidit, quæ ſequebantur inſignia.* *Fœlix in vita Epiph.*

Summa animi modeſtia, ac mente à mundi honoribus fluxis abſtractà, quaſi alter Anſelmus Archiepiſcopales inſulas recuſaſti, te alienum oſtendens ab his, qui dignitatum *ſacra fame* Eccleſiæ faſtigium ambiunt, *Epiſcopatum ipſum*(inquit Cyprianus loquens deCornelio Papa) *nec poſtulavit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ, & ſuperbiæ tumor inflat, invaſit. Sed quietus, & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humalitatis ingenitæ ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum ſuſciperet.* Solon apud Stobæum lege ſanxit, ne quis admodum iuvenis ad Magiſtratum,& conſultationes, admitteretur, quamvis prudentiſſimus videretur: verùm aliter decreviſſet, ſi in te adhuc iuvene deprehendiſſet *ſuper ſenes intendiſſe moribus aies, antiquorum tempora præveniſſe meritis, & quod deerat ætatis, virtutibus compenſaſſe,* vt meus inquit Bernardus. *Cypr. de Corn. Papa lib. 4. Epiſt. 2.* *Sol. Serm. 112.* *S. Bern. Epiſt. ad Theobald. Milit.*

Taceo clariſsimam tuæ Familiæ nobilitatem, longa enim mihi pugna reſtaret cum modeſtia tua, quam tarde vincerem, ſed potius victus cederem. Magnum fuiſſe ab ortu D.D.Emanuelem Portocarrero, & ab oriente ſolaribus illuxiſſe radijs, & ſplendore hæreditarij luminis, nemo eſt qui neſciat,vel ſi nomen audierit. Genealogicum,aut Panegyriſtem agerem, dum Theologus videri volo, ſi vel breviter in generis tui claritate expatiari liceret. Quam grandis, & inacceſſus appareas inter Hiſpaniæ Proceres, & Magnates; quantum in omni ſtatu, & ſede emineas.

Nec ventura ſilebunt
Sæcula, nec ignota, rapiet ſub nube vetuſtas.

Etenim elogijs noſtris incrementa gloriæ ſubire non potes, qui ſumma attigiſti,cum *nullius laudibus Carthago creſcat*,nec latius digredi patiuntur epiſtolares anguſtiæ. Vale Hiſpani Cœli luminare maius,&c. *Saluſt.*

Eminentiſsimæ D. tuæ.

Humilis ſervus, & cliens.

Fr. Ioannes Baptiſta Larditus.

Censura RR. P. M. Fr. Michaelis Perez, in Salmanticensi Academia candidato Doctore, post alias Cathedras Primario Sacræ Scripturæ Interprete, semel, & iterum Magni Basilij in Hispania Provincialis dignissimi, & Concionatoris Regij.

DE mandato Illustrissimi D. D. Francisci Calderon de la Barca, Salmantini Episcopi, vidi alterum Tomum, in quo D. Anselmi Doctoris præclarissimi littera liquidò exhibetur, & super eam enodantur difficultates disceptari solitæ in tractatibus de Trinitate, de Voluntate Dei, ac de Visione Beata, Authore RR. P. M. Fr. Ioanne Baptista Lardito, Benedictinæ familiæ fausta sobole, insignis D. Vincentij Musæi infulato quondam Præsule, & in Salmanticensi Academia primariæ Theologorum Cathedræ meritissimo Præfecto. Quid de illo dicam aliud non habeo, nisi quod Germanissimus est priori tomo iam edito ab eodem Authore, vbi de Verbo Incarnato parisime disputat, ideſt, plenè, & succulente. Id tanè admirationi, non modò laudi, satis esset. Sed in primis illud censorij mei muneris esto, nihil prorsus hic esse fidei, aut sanæ doctrinæ, nihil probis moribus adversum: apagè nævos istos à tali scripto, & scriptore. Placita sunt Anselmianæ menti conformia cum Thomisticis perpetuo cohærentia: hinc totum opus vndique solidum, & veluti *tunica tectum adamantina*, aut sicut *columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas*, candore quippe, ac robore præstat instar marmoris, vtpote fundatum in aureis Anselmi dictis. Non nullos interdum videas, quibus in ore Antiquitas, & Patres, cum tamẽ aliud offendas in operculo, aliud in pixide. Hic mirabili, & inverso plagio non aliena pro suis vt solent, sed sua pro alienis venditat, recentia pro vetustis: quorum basis *aurum est profectò, sed comicum*, & quod aiebat olim Maximus Tyrius dissert. 15. *Nihil præter Sibilos contendentium sophistarum audias.* At non sic fidus noster Interpres. Asserit Doctorem suum, non deserit, hoc est commentatur, non comminiscitur. Stat in acie nusquam ab orbita recedens Doctoris sui, &

Cant. 5.

Plaut. Pœnul. ac. 3.

Scutum scuto hæret, galea galea, atque viro vir,

Hodiernus Benidictinus veteri inhæret, frater fratri, atque vt sibi dictum piè accipit, quod atroci Sarcasmo alius olim: *Fratrem nè defere frater.* Sed aptius è sacro paræmiographo: *frater qui adiuvatur à fratre, quasi Civitas firma.* Hac autem fibula connectit Augustini aliorumque Sanctorum Patrum Theosophicam cum Angelico Thoma, quorum alteri succedit alteri præit Anselmianum Sydus vt tempore, sic doctrinæ radijs. Quos omnes,

Prov. 18. 19.

——————Collato pectore mixtos
iungit inabruptâ concordia longa catenâ,

& hæc ad fundum ipsum, ac veluti corpus doctrinæ pertinere videntur.

Quid verò forma, & (vt sic loquar) anima ipsius? Brevitas, & perspicuitas, alioqui pœne infœderabiles, hoc ferculum simul temperant: quibus adhuc infœderabilior se comitem addit profunditas, qua totos recessus rimatur,

Nec tantùm levitèr suppernatat instar olivi,

& placi nexu tres istæ charites copulantur. Quò non invitum veniat Appij Claudij iudicium, apud Livium: *Labor voluptasque dissimillima naturâ, societate quadam inter se naturali sunt innexa*: in hoc enim scripto, claritatem, ac brevitatẽ cum profunditatis succo copulatas, quasi quodã naturali glutino invenio, etsi alioquin valde naturâ dispares; & triplici hoc scitamẽto condit istas sapientiæ dapes. Nec verò dixerim, *materiam*

Ex abvrbe condita.

super-

ſuperabat opus, ſed illud potiùs Comici, *probam materiam probum fortitam eſſe fabrum*, pariaque facere formam, & materiam. Neque verò in Authorem noſtrum cadit, quod Tyrius ille Platonicus obſervavit, *plerumque*, inquiens, *id venit homini, vt quò fœcundiore ſit ingenio, eò minus valeat iudicio.* Vtrumque in noſtro, & quidem haud nimis eſt mirandum, quod Author (iuſtus videlicet hæres veterum ſapientum) familiam ſuam ſapiat vndè non Anſelmus modo, ſed tot Scriptorum centur. æ prodierunt in certaminis ſcamna pro fide, & Eccleſia pro moribus. *Neq[ue] enim, mirare velim ſi poëſi gaudet, & cum ea verſatur, quando eſt Homeri Civis*, aiebat ille, quod ego ad Scriptorem huius operis transfero, ſi poeſim ingraviora ſtudere convertas. Spondeo, laborem adeò elimatum à ſtudioſis excipiendum avidis vlnis, nec fore palatum quanvis teneræ ſalivæ cui valdè non probetur. Ita ſentio, & ſubſcribo in hoc S. P. N. Baſilij Magni Collegio, die octava Maij. Anno 1700.

Max. Ty[b].

Lucianus in Imaginibus.

Fr. Michael Perez.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS El Doctor Don Ioſeph Iubero, Proviſor, y Vicario general de la Ciudad de Salamanca, y ſu Obiſpado, por ſu Señoria Iluſtriſsima Don Franciſco Calderon de la Barca, Obiſpo de la dicha Ciudad, y Obiſpado, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente damos licencia, para que precediendo la del Real Conſejo, pueda qualquier Impreſſor imprimir el ſegundo tomo de los Conmentarios *in Sanctum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopam*, compueſto por el Rmo. P. M. Fr. Juan Bautiſta Lardiro, Cathedratico de Prima en la Vniverſidad de eſta Ciudad, no llevando mas de lo acoſtumbrado, y taſſado por dichos Señores del Conſejo, y lo cumplan aſsi, pena de excomunion mayor, atento à que de nueſtra orden eſtà viſto, y examinado, y no tiene coſa alguna contra nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Dada en Salamanca à diez y ocho de Junio de mil y ſetecientos años.

El Doctor Iubero.

Por mandado del ſeñor Proviſor.

Iuan Mozino.

Cenſura RR.P.M.Fr.Sebaſtiani Pinto, Almæ Ciſtercienſis Congregationis Generalis Magiſtri, ſemel, & iterum Collegij S. Bernardi Salmantinæ Vrbis Abbatis, totius Religionis Definitoris generalis, Vniverſitatis Salmanticenſis Laureati Doctoris, & Philoſophiæ iam olim Cathedrarij digniſsimi.

IVSSV Regij, ac Supremi Caſtellæ Senatus diligens legi, maxima cum delectatione, & vtilitate, librum hunc de Proceſsione Spiritus Sancti, & voluntate Dei, quem ad mentem P. & Doctoris Anſelmi, Canturienſis Archiepiſcopi, laborioſis, atque vtilibus commentarijs illuſtratum, in lucem publicam parat Sapientiſsimus, ac Rmus. P. M. Fr. Ioannes Baptiſta Lardito, Sacræ Benedictinæ Familiæ Magiſter generalis, in Salmantina Academia Sacræ Theologiæ laurea inſignitus, ipſiuſque Moderator Primarius; attentuſque obſervavi eſſe fidelem ſui Authoris indicem. Ex fœcundo, lucido, & præcellenti ingenio, quam, niſi claram procedere prolem putemus? Et licet alij partus Parentem tantum probent, nullus tamen exprimit magis. Refert Parentis non vultum, ſed animum, vt qui hunc perlegerit librum, facilè in Authore dignoſcat iudicij gravitatem, nobilitatem genij, ingenij acumen, dotis claritatem, reliquaque Doctoris ornamenta, quæ latis omnium iudicio vulgata prædicantur. Fœlix otium, quod Religionis honos, D. Anſelmi lux, Scholæ decus, Authoris gloria, & aliorum æmulatio eſt. Diverſa ſcriptionis ſpecies, ſed mens eadem, clarior tamen, & niſi poſterior illa.

Non pro ingenij arbitrio liberè ſuos exprimit ſenſus, ſed ſui Doctoris doctrinæ, & veſtigijs ſemper inſiſtens, vel vt ei reddat, quod ſuum eſt, vel vt ſecurius procedat Macrobij ſequens conſilium: *Cum à veteribus dicta referimus, ipſorum Authorum dignitate defendimus.* Inſpicias fundamenta, & non niſi ex Sanctorum Patrum ſcriptis (quæ læpè ſedulò legiſſe, & ſapienter intellexiſſe, latis vbique oſtendit) vel ex profundiſſimis rationum, & argumentorum venis maxima cum dexteritate, & acumine eruta, iactaque reperies. Attendas doctrinæ ſtructuram; non niſi miraberis modum, methodumque docendi; eſt enim in indagando diligens, indiſquirendo profundus, in explicando perſpicuus, in diſputando acer, in diſcurrendo novus, in opinando antiquus, in loquendo gravis, in iudicando ſecurus. Perfectum demùm celebrabis Doctorem.

Macrob. 2. Saul. cap. 1.

Plura quidem in operis, Authoriſque commendationem volens, libenſque dicerem, ſed vetat timor, ne ſcilicèt ſupervacanei officij notam incurram, meriti enim proprij conſcius (vt ſcitè olim Symmachus protulit) *Suſpiciones gratiæ fugit, & in examen alterius veniens non vult ſui commendationem teſti magis debere, quam iudici.* Itaque ne limites mandati muneris ineptus laudator exiliam, ſyncero animo aſſero nihil eſſe in hoc libro correctione dignum; *nec enim fieri poterat* (verba ſunt Caſiodori) *vt quem tantus Author, familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Nihil ſanè, quod Sacræ Theoligiæ ſtudioſis non vtile ſit, imò & neceſſarium. Fruantur omnes, proficiantque; omnia enim fidei ortodoxæ valde conſonant. Hoc meum iudicium eſt. Salmanticæ in P. Bernardi Collegio, die 14. menſis Iunij, anno à Verbo incarnato 1700.

Lib. 9. Epiſt. 22.

Fr. Sebaſtianus Pinto.

EL

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro Fr. Iuan Bautista Lardito, de la Orden de S. Benito, Cathedratico de Prima en la Vniversidad de Salamanca, se nos hizo relacion aviades compuesto el segundo tomo de los Comentarios *in Theologiam Sancti Anselmi, Archiepiscopi Canturiensis, ac Doctoris clarissimi*, del qual con licencia del Ordinario, y de vuestro Superior, haziades presentacion, suplicandonos fuessemos servido de concederos licencia, para poderlo imprimir, y Privilegio por diez años, con las calidades, y prevenciones necessarias; y visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que dispone la Pragmatica vltimamente hecha sobre la impression de los libros, se acordò dar esta nuestra cedula, por la qual os concedemos licencia, y Privilegio, para que por tiempo de diez años, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha desta nuestra Cedula, vos, ò la persona que vuestro poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir, y vender el dicho libro, de que và hecha mencion, por los originales, que en el nuestro Consejo se vieron, que vàn rubricados, y firmados de D. Thomàs de Zuazo y Aresti, nuestro Escrivano de Camara, de los que residen en èl; con que antes que se venda, lo traigais ante los dèl, juntamente con los dichos originales; para que se vea si la dicha impression està conforme à èl, trayendo assimismo fee en publica forma, como por el Corrector por Nos nombrado, se viò, y corrigiò la dicha impression por el original, para que se tasse el precio à que se ha de vender: y mandamos al Impressor, que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego de cada vno, ni entregue mas que vn solo libro con su original à vos, ò persona à cuya costa se imprimiere, para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta licencia, y aprobacion, tassa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las Pragmaticas, y Leyes destos Reynos: y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, y sea la tercia parte de ello para la nuestra Camara, la otra tercia para el Iuez que lo sentenciò, y la otra para el denunciador. Y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidente, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, y Alguaciles de nuestra Casa, y Corte, Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assientes Governadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iusticias, qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares destos nuestros Reynos, y Señorios, y à cada vno, y qualesquier de ellos en su jurisdicion, vean, guarden, cumplan, y executen, y hagan guardar, y cumplir, y executar esta nuestra Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la nuestra merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid à 1. dia del mes de de Iunio de 1699.

YO EL REY.

Por mandado del Rey N. Señor,
Manuel de Vadillo y Velasco.

CEN-

Censura Rmi. P. M. Fr. Ignatij Ponzè Baca, Salmantinæ Vniversitatis Laureati Doctoris, Philosophiæ Moderatoris Primarij, Synodalis Examinatoris, ac in S. Andreæ antiquæ Observantiæ Carmelitano Emporio semèl, & iterùm Prioris emeriti, &c.

Martinus de Roa, lib. 2. singular. c. 5.

SIcut Iamblicus apud Roa tetulit, quidquid in Ægypto luci donabatur, quod ad sacram interpretationem spectaret, Mercurio Trimegistro tribuebatur, qui (vir plane doctissimus, Sacerdos magnus, & religiosus, fama celebertima perennavit) inter tenebras etiam gentilitatis effulsit adeò, vt Santissimæ Trinitatis Mysterium, & agnoverit, & docuerit verbis illis: *Monas genuit Monadem, & in se refluxit amorem*, vndè merito *Trimegistus*, ideſt *ter maximus* dictus est, iure *Trimegesti* Christiani debetur nomen huic sapientissimo, atque religiosissimo Patri, & Magistro Fr. Ioanne Baptista Lardito, qui postquam *cur Deus homo* factus fuerit, nova luce ex Divi Anselmi mutuata, quibus vtique congruentius Martialis illud decantari potuit.

Non hic Centauros, nec Gorgonas, Harpyasque
Invenies: hominem pagina nostra sapit.

Mart. lib. 10. Epigr. 4.

Luculentissimè explicuit: nunc alijs illustrissimis in D. Anselmum commentarijs (quæ non vt Censor, aliàs requisitus, sed vt altioris addiscendæ, atque ebibendæ doctrinæ sitibundus hydrops, suscepi) sic Sanctissimæ Trinitatis arcana perlustrat, vt ea quantum mortalium fas est, intellectui referata redeat, & visibilitatem invisibilis Dei Trini fere clare videndam cum his, quæ ad eam, ac voluntatem eiusdem Dei O. M. spectant, offerat. Hic ergo nihil Deo non gratum, nihil hominibus non vtilimum, sed doctis mirum, addiscentibus proficuum, ipsique Trinitati Sanctissimæ, probatum adest, quin neque sciptum aliquid invita Minerva reperitur; cum nedum solida singula sint, sed subtilia, ingeniove vndique claro, sinè prolixitate fulgentia.

Nec fabulosam nunc Abaris sagittam per æterea ad cœlum volitantem, secumque Abarim ipsum ferentem, pleni intuemur stupore, sed veram, sacram, subtilimamque sagittam secum animos rapientem ingeniosissimi, atque solidissimi Scriptoris demiramur, cui consonat illud.

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Gerop. lib. 8. orig.

Abaris sagitta etenim *solis* interpretatur radius à Philosophis, ab Apoline, videlicet datus, cuius vi summa quævis, & intelligebat facilè, & promptè perficiebat: vndè rectè geropius Abarim eum esse censet, qui puram, sinceramque sapientiam habet, & eam alijs tradit: cuius ergo quicumque sinceræ sapientiæ Doctores in Scytia stiterunt Abarides dicebantur omnes. Certius igitur eius, sive appologi, sive symboli veritatem cernimus, dum volumen hoc sapientissimi, ac RR. P. M. Fr. Ioannis Baptistæ Lardito (vti Sancti Ioannis Baptistæ, genitor Zacharias sic aiebat similiter: *Ecce ego video volumen volans*) per orbem volitare videmus, à terraque in cœlum, ab homine in Deum, huncque vt trinum, & vnum attollere pennam, & quidem velut sagittam pernici cursu altiora penetrantem, quod & de Sanctissimo Præcursore Ioanne Baptista (cuius noster Interpers insignitur nomine, & agnomine pariter, sic scriptatum invenimus: *posuit me quasi sagittam electam*) doctrina siquidem eius velut sagitta selectior summo gaudet subtilitatis acumine,

Zacar. c. 5.

Isai. c. 49.

ne, rectitudine inceſſus, efficacitate motus, penetrationis vigore, linguæ diſſertæ forma, brevitatiſque ſumma, qua multa diſtinctè percurrere, vel ocitate docet. Sic Sapientiſsimum M. Ioannem Baptiſtam Larditum ſecum raptum ad cœlum, vſque admirantibus cunctis oſtendit hoc ve lut ſagitta volumen volans, de quo me Hercule, ipſe, ſalvo pudore, au t ſi maxima eius modeſtia non obſtaret, illud Naſonis canere poſſet:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet illa dies, quæ nihil, niſi corporis huius,
Ius habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi.
Parte tamen meliorè mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum,
Quaque patet domitis Romana potentia terris.
Ore legar populis, perque omnia ſæcula fama,
Si quid habent veri vatum præſagia, vivam.

Ovid. lib. Metam.

Ita ſentio in hoc Carmelitarum de Obſervantia Salmantino Collegio, die ſeptima Iunij, anno Domini 1700.

Fr. Ignatius Ponze Vaca.

RR. P. M Fr. Ioannis de Montalvan, Ordinis Prædicatorum Alumni, & Magiſtri, ac in Salmantina Vniverſitate Veſpertine Cathedræ Moderatoris digniſsimi.

SVMMO, incredibilique animi gaudio volumen aureum à RR. P. M. Fr. Ioanne Baptiſta Lardito, divino nedum ſcriptum calamo, ſed parem non habens (ſi amor non fallit) niſi primum, attentis oculis legi in quo ſimul, & ars commendat materiam, & materia commendat artem; argumenti dignitas, Authoris commendat facundiam, & Authoris facundia ipſum argumentum. Quid igitur prius mirer? An cultiſsimi operis elegantiam, quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis? An ſummum doctrinæ pondus, nitorem eloquij, eruditionis copiam, & ſententiarum frequentiam? An quanto rationum pondere Cœleſtis in Eccleſia Dei radiantis ſideris D. inquam Anſelmi, ſtabiliarur doctrina, colligens quaſi in vnam coronam germen floridum, quod per tot Anſelmi librorum campos erat antea diſperſum, ita vt vere cum Lucretio poſsim dicere:

Floribus vt Apes in falſibus omnia libant,
Nos cuncta Anſelmi depaſcimus aurea dicta.

An etiam mirer tot præſtantiſsimas animi dotes, quas amor ſilet ne modeſtiæ videatur parum æquus, quarum ſplendore hæ Theologicæ diſputationes colluſtraræ quamvis ſint illæ quidem per ſe illuſtres, ac nitidæ, eo tamen videntur ſplendore præditæ, qui nullis vnquam poſsit temporibus extingi:

Quod non Imber edax, non Aquilo impotenſque perennius
Poſsint diruere, aut innumerabiles
Annorum ſeriſe, & fuga temporum.

Vtrum-

Vtrumque ergo minor: & quamvis ad Authoris laudes nulla vnquam possit fieri accessio, cum tamen carere non desinam carmine illo:

Digna legi scribis, facis & dignissima legis,
Scripta probant Doctum, te tua facta probum.

Sic amor iudicat, & sic iudicium amat. In hoc Salmantino D. Stephani Collegio. Die 27. Iulij, anni 1700.

Fr. Ioannis de Montalvan.

FACULTAS ORDINIS.

NOS Mag. Fr. Anselmus à Peña, Congregationis S. Benedicti Hispaniarum, & Angliæ Generalis, &c. Facultatem concedimus, quantum ad nos attinet, vt typis mandentur *Commentaria S. Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis, ac Doctoris clarissimi*, elaborata à R. A. P. M. Fr. Ioanne Baptista Lardito, Congregationis nostræ Generali Magistro, ac Salmantinæ Academiæ in Sacra Theologia Primario Professore, quoniam à gravis, ac doctis Viris iussu nostro, visa, & probata sunt. In quorum fidem has litteras sigillo nostro, & subscriptione munitas dedimus, in Monasterio, ac Colegio nostro S. Vincentij Vrbis Salmantinæ. Die 30. mensis Maij, anno 1700.

M. Fr. Anselmus à Peña.
Generalis S. Benedicti.

Iussu Reverendissimi P. N. Generalis
M. Fr. Ioannes Sepulveda.
Secretarius.

ERRA-

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	colum.	linea.	errata.	correctio.
7.	1.	20.	quia hoc quod ipſo	quia hoc ipſo, quod.
13.	1.	2.	ex conſeq.	& conſeq.
28.	2.	43.	ſplendor calor	ſplendor, & calor.
158.	2.	1.	fita	ſita.
176.	2.	13.	Deus non poteſt	Deus poteſt.
252.	2.	25.	ad humano	ab humano.
276.	2.	11.	definientibus	deficientibus.
303.	1.	16.	regreditur	regeritur.

Hic Liber inſcriptus: *Comentaria in Sanctum Anſelmum, &c.* demptis his mendis ſuo exemplari correſpondet. Matriti, die 30. menſis Auguſti, anno 1700.

D. Joſeph del Rio.
Corrector gener.

TASSA

TASSA

DON Eſtevan Campo, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor, certifico, que aviendoſe viſto por los Señores del Conſejo, vn Libro intitulado *Commentaria in S. Anſelmum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, tom. 2.* compueſto por el R R.P.M.Fr. Juan Bautiſta Lardito, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Salamanca, de la Religion del Gran Patriarca San Benito, que con licencia de dichos Señores ſe ha impreſſo, taſſaron à ocho maravedis cada pliego, y à eſte precio, y no mas mandaron ſe vendieſſe; y que eſta certificacion ſe ponga al principio del Libro. Madrid, 7. y Septiembre 2. de 1700.

Don Eſtevan Campo.

IN.

INDEX DVBIORVM;

quę in hoc opere examinantur.

TRACTATVS PRIMUS:

DE COGNOSCIBILITATE, ET VERITATE MYSTERIj TRINITATIS.

DUBIUM I.

AN Trinitas perſonarum lumine naturæ cognoſci poſsit? pag. 61.

§. I. Proponitur multiplex cognitio. Opinio Raymundi Lulij excluditur: tùm, quia ratione omnibus futili ſuadetur, tùm etiam, quia damnata à Gregorio XI. quia aſſerit Trinitatem poſſe naturali ratione evidẽter demonſtrari poſſe. Alię proponuntur ſententiæ. pag. 62.

§. II. Sola natura duce Trinitas perſonarum non poteſt demonſtrari. Suadetur authoritate Sacræ Pag. Anſel. & Thomæ. Ratione probatur: quia cognitio naturalis eſt ex effectibus naturalibus, qui cũ Deo vt Trino nullatenús cõnectuntur. Impugnatur ex eo quod Chriſtus Dom. cognovit Myſterium Trinitatis per relationem dependentiæ, quam dicunt creaturæ; & etiam quia Trinitas cognoſcitur per lumen glorię. Reſp. vtramq; cognitionẽ eſſe ſupernaturalẽ, cũ tamẽ ſolũ de naturali ſit ſermo. Alia opponuntur, & diſſolvuntur, pag. 64.

§. III. Adhuc poſita illuſtratione Fidei Trinitas perſonarum naturali ratione demonſtrari nequit exhibetur ratio, videlicet, quia adhuc ipſa poſita nulla datur cõnexio in rebus naturalibus cum ipſa Trinitate; cum illuſtratio fidei talem connexionem, quam non ſupponebat, non ponat. pag. 64. Opponitur, quod lumine fidei illuſtratur natura, ſicut doctrina Magiſtri diſcipulus; vndé poterit ex lumine fidei excitari ad inquirenda media apta ad cognitionem Trinitatis. Reſp. excitari quidem ad inquirenda media; ſed quę ſunt in effectu naturali (cum alia inveniri nequeant) quæ non ducunt in cognitionem Trinitatis, quia cum illa non cõnectuntur, p. 65.

§. IV. Trinitas cognoſci non poteſt adhuc ſub ratione poſsibilis lumine naturæ. Probatur ratione. Nam vbi nullum eſt medium cognitionis, impoſsibilis eſt cognitio; in tota autẽ natura nullum eſt medium connexum cum tanto Myſterio. pag. 65. Impugnationes aliquæ factæ, & reſolutæ. pag. 65.

§. V. Arguitur 1. ex eo quod omnis effectus naturalis connectitur cũ Trinitate, cũ connectatur cum omnipotentia, quę eſt eſſentialiter cũ Trinitate connexa. Reſp. Omnipotentiam connecti materialiter cũ Trinitate per ordinem ad effectum naturalem. pag. 66. Impugnationes aliæ enodatæ, pag. 67.

DUBIVM II.

An in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ. pag. 68.

§. I. Referuntur varij errores hæreticorũ circa Trinitatẽ perſonarum: illorũ optima deſcriptio facta à Vigilio Epiſcopo, & Mart. recenſetur Mahumentes inter delirantes circa hoc Myſterium, vtpotè qui venenum bibit ex Sabellio, & Arrio. pag. 68.

§. II. Indubitata fide tenendum dari in Deo tres perſonas realitèr diſtinctas, & etiam perſonalitèr, nimirũ, Patrem, & Filium, & Spiritum. S. varijs ſuadetur teſtimonijs Sacræ Pag. ex quibus ita deducitur ratio contra hęreticos, & Judæos, quia ſi Spiritus S. cõveniret in eadem perſona cum Patre, non diceretur alius à Patre: cõtra Mahumetenos, quia Mahumetes fatetur Chriſtũ eſſe Prophetã, ex quo ſequitur nõ poſſe falſa nũciare, vndè Trinitas ab ipſo prędicata datur. Evaſiones aliquę præclusę. p. 69.

impugnationes aliæ ex authoritate, & ratione enervatæ, pag. 70.

DUBIUM III.

An quælibet ex tribus perſonis realiter diſtinctis ſit verus Deus? ibid.

§. I. Statuitur controverſia, non dubitando, ſed veritatem catholicam oſtendendo. Procedit contra Arrianos, & Macedonianos, quorum priores filio, poſteriores Spiritui S. Divinitatem negabant. ibid.

§. II. Pater eſt verus Deus, authoritate, & ratione ſuadetur. Quædam impugnatio diſſolvitur, pag. 71.

§. III. Filius eſt verus Deus. Suadetur ratione deducta ex teſtimonio Sactę Pag. Evaſiones Arrianorũ prędudũtur. p. 72.

§. IV. Deitas Spiritus S. affirmatur, affirmaturque ex Symbolo Athanaſij, alijſq; authoritatibus Sãctorum Patrũ improbatur duplex ſenſus erroris Macedonij, pag. 73. Excluduntur aliæ oppoſitiones. pag. 74.

DVBIVM IV.

An tres perſonæ realiter diſtinctæ ſint vnus Deus? ibid.

§. I. Proponitur ratio dubitandi: error Gilberti impugnatur: duplex principiũ diſtinctionis realis proponitur, nimirũ, limitatio, & oppoſitio relativa, p. 75.

§. II. Axioma illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, locũ habet, nec dum in creatis, verum etiam in divinis: cum quo compatitur diſtinctio realis relationum, quamquàm cum eſſentia identificentur. Suadetur quoad primam partem, quia principium illud eſt lumine naturæ notum, Trinitas autem nõ eſt contra naturam, licèt ſupra illam ſit. Secunda pars ſuadetur, tùm authoritate, túm ratione, pag. 76.

TRACTATVS. II.

De Divinis proceſsionibus.

DUBIUM I.

An ſint proceſsiones in Deo? pag. 79.

§. I. Duplex acceptio proceſsionis proponitur, nimirùm, motus localis, & emanatio vnius ab alio. Hæc dividitur in tranſeuntem, & immanentẽ, & de illa prout immanenti, tàm formaliter, quã formaliter ſtatuitur cõtroverſia, p. 79.

§. II. Concluſio eſt affirmativa duplicẽ aſſignans proceſsionẽ, Filij ſcilicet, & Spiritus S. vtraq; ſuadetur varijs Sacræ Pag. teſtimonijs, & etiam ratione, quia nimirũm non poſſunt dari per [illegible] proceſsione. Aliquæ ſoluti[illegible] dũtur, & impugnantur. p. 80. [illegible]II probatur ex eo quod Deus e[illegible] ſummè intellectivæ, quæ Uerbum debet producere, & nõ accidentale. Eadẽ que ratio militat in Spiritu S. p. 81.

§. III. Arguitur 1. ex eo quod Verbum Divinum eſt primũ principium, vndè ab olio procedere nequit: eademq; ratio militat in Spiritu S. duplici reſolvitur ſolutione hoc argumentum, alijſque fit ſatis, pag. 82.

DVBIVM II.

An divinæ proceſsiones ſint immediatè à natura? pag. 83.

§. I. Recenſetur diverſitas opinandi. Aliqua proponuntur circa opinionem Durandi, ibid.

§. II. Aſſeritur Proceſsiones divinas non eſſe immediatè à natura ſtabilitur varijs Sacræ Pag. locis, quibus filius dicitur Uerbũ, & Spiritus S. amor. Suadetur prætereà ex ratione diverſitatis proceſſionum, & quia proceſsiones ſunt actiones vitales naturæ intellectualis, p. 84.

§. III. Primũ argum. deſumptum ex Anſ. reſolvitur. Secundo fit ſatis, & in Durandum retorquetur, ſimulque tertium exarmatur. pag. 85.

DUBIVM III.

In quo conſiſtant divinæ proceſsiones? ibid.

§. I. Statuitur differentia actuum eſſentialium, tàm intellectus, quàm voluntatis à notionalibus, ibid.

§. II. Proceſsiones divinæ nõ conſiſtunt in relatione producentis; vndé generatio Uerbi Divini ſita non eſt in relatione paternitatis: nec ſpiratio activa in relatione ſpiratoris. Suadetur ex Anſelmo, & Thoma, & ſimiliter ratione, quia nimirũm generatio activa Verbi præcedit origine Uerbum ipſum, & pro illo priori non datur relatio. Reſponſio Durandi impugnata, & ſoluta, p. 86.

§. III. Proceſsiones Divinas nõ eſſe motus diſtinctos ab intellectionene, & volitione, ſed potius in ipſis vt modificatis relationibus conſiſtere, propugnatur. Stabilitur authoritate, & ratione confirmata, & explicata, quia nimirùm proceſsio Uerbi divini eſt dictio, & locutio, & proceſsio Spiritus S. ſpiratio.

tio. p. 87. Evasiones aliquę solutę. p. 88.
§. IV. Principium quo remotũ divinarum processionũ est essentia modificata relationibus; proximum verò intellectus, & volũtas, eisdẽ relationibus cõnotatis. Suadetur ex authoritatibus Anselmi, & Thomę. ibid. Ratio pro prima parte proponitur, quia nimirũ principium remotũ est id, in quo radicatur principiũ proximũ; & hoc radicatur in essentia, seu natura, nã intellectus, & voluntas in natura radicantur, & ab eis tanquàm â principio proximo procedunt Filius, & Spiritus S. aliàs Uerbũ non esset terminus potẽtię intellectivę, nec Spiritus S. volũtatis, nec salvaretur ordo inter divinas processiones, p. 89. Secũda convincitur ex eo quod intellectus, & volũtas si sumatur absolutè, sunt cõmunes toti Trinitati, cum tamen vt sunt principiũ proximũ non sint communes. ib.
§. V. Arguitur 1. authoritate D. Tho. eaq; admittitur, & dissolvitur, varijs Doctorũ omissis solutionibus. Secundũ, & tertiũ argumẽtum pariter dissolvuntur p. 90. Quartum argumentũ dissolutũ ex doctrina D. Tho. explicatur in quo consistat falsitas harum propositionũ, *intellectus generat: essentia generat.* Instatur Durandus p. 91. Quintum argumentũ proponitur in omnium sententia instatur, ac tandem dissolvitur. ibid. Sextum argumẽtum proponitur, multipliciter roboratur, & tandem dissolvitur, pag. 92.

DVBIVM IV.

Quot sint processiones in communi? pag. 92
§. I. Ostenditur quam difficiles sint explicantur divinæ processiones, præsertim circa secundã dignoscitur specialis inodatio, nec dum in substantia rei, verũm etiã ipsis vocibus. Errores Arrij, Sabellij, ac Macedonij recensentur, ibid.
§. II. Duplex in divinis stabilitur processio quia duæ tantum sunt actiones immanentes, nimirũ velle, & intelligere: vndẽ duę tantũ sunt processiones activę, quibus aliæ duę passivę correspõdent, p. 93
§. III. Primum argumentũ desumptum ex eo quod nõ omne intelligens producit Uerbum; vnde licet Pater Æternus sit intelligens non sequitur dari processionem Verbi. Suadetur assumptũ in Angelo si cognoscente in visione beata, & denique in ipso Uerbo, & Spiritu S. te cognoscentibus, quin Uerbum producant. pag. 94. Variæ solutiones propositæ, & impugnatæ, pag. 94. Uera solutio argumenti, & confirmationum, simulq; authoritatis D. Tho. p. 95. Secundum argumentum propositum, & dissolutum, pag. 95.

DUBIUM V.

Vtrùm processio Verbi sit generatio? pag. 96
§. I. Generatio Uerbi Divini inaccessibilis dignoscitur, & quæ diffinitio ei conveniat, pag. 96.
§. II. Conclusio est affirmativa, eaque de fide certa. Constat ex omnibus Sacræ Script. locis, in quibus Uerbũ dicitur Filius, & genitus, ac Pater, Parer, & genitor ratione etiam eruta ex Anscl. quia videlicet est origo viventis à principio vivente coniuncto in similitudinem naturæ; quæ definitio quoad omnes particulas expenditur, atque ex eodem S. Doctore confirmatur, ibid.
§. III. Primum argumentum desumptũ ex eo quod processioni Verbi non convenit conceptus generationis communiter dictæ, quæ est mutatio de non esse ad esse; & consequenter nec illi convenit generatio viventium. Adaptatur ei solutio doctrina D. Tho. confirmata. argum. aliud instatur, & vrgetur, p. 97.

DUBIUM VI.

Vtrùm processio amoris sit generatio? p. 98.
§. I. Supponitur tanquàm fide certum id ipsum, cuius ratio investigatur: ostenditur nihilominus laudabilem esse laborem in quærendo discrimen vtriusq; processionis, cur nimirùm processio Uerbi sit generatio, non verò processio Spiritus S. difficultas rei dignoscitur cum Magistro Sententiarum, August. & Bernardo. Ratio dubitandi proponitur desumpta ex ipsa definitione generationis, quæ est origo viventis á principio vivente coniuncto in similitudinem naturæ: quæ convenit videtur processioni Spiritus S. ibid. Varij modi respondendi referuntur, & refelluntur, p. 100
§. II. Dicendũ eo processionẽ Verbi à processione Spirit. S. maximè distingui, vnãque esse generationẽ, & processionem alteram, quia prima est à principio cõiuncto in similitudinem naturæ, non ita secunda, proponitur resolutio vt aperta sequela consensus omnium, quibus certũ est primam processionẽ esse per intellectum, secundam verò per voluntatem. Discrimen in modo operandi inter vtramque potentiam ex D. Tho. dedu-

deductũ proponitur. pag. 101. Suadetur reſolutio ratione, quia videlicet ſolùm primæ, non verò ſecundę proceſſioni convenit conceptus generationis, cũ ſolùm prima, vtpotè quæ eſt ab intellectu, ſit à principio coniuncto, quia ſolùm modus producẽdi intellectus eſt per coniunctionẽ termini, vt contenti in ſpecie intelligibili. pag. 101. Suadetur prætereà multiplici Anſel. authoritate, ac alia D. Th. necnõ alia ratione ex ipſo Ang. Mag. deducta fulcitur. p. 102.

§. III. Arguitur primò, ſecunda proceſsio eſt à principio cõiuncto in ſimilitudinẽ naturæ, ſicut prima, quia nulla maior coniunctio, quàm coniunctio per identitatẽ, quæ datur in ſecunda proceſsione, ſicut in prima cũ communicetur eadẽ natura. Undè vel vtraque, vel neutra erit generatio, & inſtauratur evertendo ſecundam rationem; quoniam nulla conformitas perfectior naturæ, quam identitas in illa, quæ datur in proceſsione Spiritus S. pag. 102. Reſp. argumentũ procedere de coniunctione principij cum termino cum ratio facta procedat de cõiunctione ex parte principij, nimirùm de coniunctione eſſentię divinę per modũ ſpeciei intelligibilis fęcundantem intellectum Patris ad generationem. pag. 103. Secundum, & tertium argumentum proponuntur, & diſolvuntur. pag. 104. Quartum argumentum propoſitum, & confirmatum, pariterque diſſolutum. pag. 105.

TRACTATUS III.

De Divinis relationibus.

DUBIUM I.

An in Deo ſint relationes reales? pag. 106.

§. I. Diverſæ dignoſcuntur relationes, quarum aliæ ad extra, nempe Dei ad creaturas, alię ad intra, ſunt primę à cõceptu realium ex cõmuni conſenſu ſecluduntur; de ſecundis autem dubitatur cæque dividuntur in communes, & perſonales. pag. 106.

§. II. Aliquas eſſe relationes reales in Deo, aſſeritur ſtabilitur ex omnibus locis, Sacræ Pag. quibus in Deo tres perſonæ diſtinctę numerantur. Similiter ex Concilio Toletano XI. & ex Anſelmo, atque Bernardo. p. 106. Ratione etiã ſuadetur, quia in Deo ſunt perſonę realiter diſtinctæ, & non per aliquid rationis, nec per aliquid commune, ſive abſolutum: ergo per aliquid relativum reale; vndè relationes reales dantur in Deo. ibid. Quædam reſponſio diſolvitur, ex Anſel. & D. Thoma, & in adverſam ſententiam regeritur. pag. 107.

§. III. Quatuor relationes reales ſolùm in divinis recenſentur, videlicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſsiva ex eo deduditur ratio, quod in divinis duplex datur proceſsio; vndè ſequitur duplicẽ eſſe relationẽ ex parte principij, aliamque duplicem ex parte terminorũ procedentium. ibid. Oſtenditur ex hoc non ſequi quatuor eſſe perſonas, quia ſpiratio activa eſt cõmunis Patri, & Filio cuidam obiectioni ſolutio adhibita, & ex Anſelmo confirmata. pag. 108.

DVBIVM II.

An ſpiratio activa diſtinguatur modaliter à paternitate, & filiatione. ibid.

§. I. Proponitur qualiter Dutando viſum fuerit non poſſe eſſe in divinis quatuor relationes, niſi paternitas, & filiatio realiter, modaliter á ſpiratione activa diſtinguitur. ibid.

§. II. Statuitur ſpirationẽ activam, re ipſa diſtingui non poſſe à paternitate, & filiatione, probatur ex Concilijs Latet. ſub Innocent. III. & Florent. ſeſſ. 25. aſſerentes in Deo ſolummodo Trinitatẽ, non quaternitatem eſſe. ibid. Duplex Durandi ſolutio multipliciter impugnata. pag. 108. & 109.

§. III. Diſtinctio realis modalis ſpirationis activæ, tùm ab eſſentia, tùm à paternitate, ex Cõcilijs improbata vlterius expreſſa Anſelmi doctrina reijcitur; nam eius doctrina eſt, *omnia in divinis eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*; & oppoſitio non datur inter ſpirationẽ activam, & paternitatẽ. Scundò, quia omnis realis diſtinctio in divinis, vel provenit ab oppoſitione, vel à limitatione quarum neutra datur inter paternitatẽ, & ſpirationem activam. Reſp. doctrinã iſtã verã eſſe de identitate ſuppoſiti; vndè oppoſitio relationis tantùm erit neceſſaria, ad diſtinguẽda ſuppoſita, nõ verò alias perfectiones, quę in eodẽ ſuppoſito fæderantur, pag. 110. Impugnatur multiplicitèr ſolutio, pag. 110.

§. IV. Arguitur primó, eo quod paternitas, & filiatio realiter inter ſe diſtinguuntur, vndè, cum illis non poteſt ſpiratio activa identificari; quæ ratio confirmatur, ex eo quod relatio producentis,

tis, qualis eſt ſpiratio activa, realitèr diſtinguitur á relatione producti, qualis eſt filiatio, & etiam quia ſpiratio activa, realitèr identificatur cum paternitate per nos: ergo nequit cum filiatione identificari. Reſpond. quod ſicut paternitas, & filiatio, realitèr diſtinctæ cum eſſentia identificantur, ita etiam cum ſpiratione activa, pag. 111. Aliud argumentum cum ſuis confirmationibus diſolutum, pag. 112.

DUBIUM III.

An in divinis, relationes ſimilitudinis, & æqualitatis ſint reales? pag. 112.

§.I. Specialis dubitandi ratio circa has relationes dignoſcitur; ſententia Scoti, cum ſuis affirmativa, communiſque negativa proponuntur, pag. 112.

§.II. Concluſio eſt negativa, eaque conſtat ex dubio antecedenti proximo, in quo ex communi Sanctorum PP. ac Theologorum ſententia, quatuor tantũ reales relationes in divinis eſſe affirmatur; quod quidem falſum eſſet ſi relationes ſimilitudinis, & æqualitatis reales forent. Solutio Bartholomæi Durãd viginti duas relationes, concedens in divinis impugnata, pag. 113. Evaſionis aliæ Scotiſt. explosæ pag. 114.

§.III. Arguitur primó, ex eo quod perſonæ divinæ ſunt æquales, & ſimiles independẽter á fictione intellectus; ergo per relationes reales ſimilitudinis, & æqualitatis. Reſpõd. aliud eſſe fundamẽtum harum relationũ, quod eſt eſſentia divina, aliud verò relationes, quæ, quid rationis ſunt; quot multiplici exemplo roboratur, pag. 115. Impugnationes aliquæ contra ſolutionem propoſitæ, & enervatæ, pag. 116. Secundum argumentum deſumptum ex identitate, quam perſonæ divinæ dicunt in natura, & tertiũ, ex eo quod ralatio imaginis in Verbo eſt realis ſoluti, pag. 117.

DVBIVM IV.

An divinæ relationes addant perfectionem aliquam relativam ad eſſentiam? pag. 117.

§.I. Ut certũ omnibus ſupponitur relationes divinas eſſe ſummè perfectas, dubitatur tamen; an talis, perfectio ſit relativa, an abſoluta, duplex ſententia oppoſita cum ſuis patronis recenſetur, pag. 118.

§.II. Negativa pars tuetur, ſuadetur ratione deducta, ex Concilijs, & Patribus, quæ ſic procedit: ſi divinæ relationes ex proprio conceptu relativam perfectionẽ dicerent non forent æquales divinæ perſonæ, in perfectione. Quę ratio ex eo confirmatur, quia eſſent in Deo perfectiones diſtinctæ, quod eſt repugnans, pag. 118. Solutio Patris Suarez, ſuadens æqualitatem perfectionis, quia paternitas, eſt in Filio eminenter, cũ inillo ſit eſſentia, quæ paternitatem continet exploditur, pag. 118. Aliæ ſolutiones multiplici ratione precluſæ, pag. 119. & 120.

§.III. Alia ratio aſſertionis deſumpta ex Anſelmo, docente perfectionem ſimpliciter ſimplicem eſſe illam, quæ *eſt melior ipſa, quam non ipſa*, ideſt quam omnis alia incompoſsibilis cum ipſa. Ex quo deducitur paternitatem, v. g. non poſſe eſt perfectionem, cum melior non ſit filiatione, cum ipſa incompoſsibili, pag. 121. Reſpond. Suarez perfectionem relativam non eſſe ſimplicitèr ſimplicem, & hoc non ex imperfectione, aut limitatione, ſed ex oppoſitione. Impugnatur, eo quod omnis perfectio reperta formaliter in Deo eſt ſimpliciter ſimplex; & paternitas formaliter in Deo reperitur ſecundo, quia implicat eſſe perfectionem divinam, & non eſſe infinitam, ſive aliam excludere; tertiò, quia ſi relationes perfectiones eſſent, darentur plura infinita realiter diſtincta, pag. 121.

§.IV. Primum argumentum deſumitur ex eo quod Miſteriũ Trinitatis eſt perfectiſsimũ, vndè relationes, per quas conſtituitur propriã perfectionẽ importabunt confirmatur, quia naturam divinã eſſe in tribus perſonis exprimit perfectionem, & non abſolutã, alia confirmatio proponitur, pag. 122. Enervatur argumentũ cum ſuis confirmationibus, quarum ſecunda, in adverſarios recidit. Simulque cuidam replicæ fit ſatis pag. 122. & 123. cętera argumenta propoſita, & reſoluta, pag. 124. & 125.

DUBIUM V.

Quænam prædicata, admittant pluralitatem in Deo? pag. 125.

§.I. Statuitur in Deo alia eſſe prædicata, quæ perſonis conveniunt ratione eſſentiæ, alia ratione perſonalitatis, & alia vtroque modo, & qualiter omnia prædicentur, pag. 125.

§.II. Dicendum rem, ſive realitatem, entitatem, vnitatem, & alia tranſcedentia, prædicari poſſe in divinis tam ſingularitèr, quam pluralitèr; abſolnta autem ſingularitèr tantum, & relativa ſolũ pluralitèr prædicari poſſe. Suadetur quoad primam partem ex Anſelmo, & ratione, quia res, ſivè realitas denominatur ab eo quod re ipſa, eſt, & non ſolum eſſentia, ſed etiam perſonalitates ſunt, quæ ratio firmatur, ex Anſelmo, & Div. Thom. pag. 126. Probatur quoad ſecũdam partem, & quædam ex dictis deducuntur quarum ratio ex Auguſtino traditur, pag. 126. Quædam ratio deſumpta ex D. Thom. proponitur, & ratio dubitandi ex mente ipſius, conciliatur: controverſia de veritate deciditur, pag. 127.

TRACTATUS. IV.
De divinis perſonis in communi.

DUBIUM I.
An ratio perſonæ verè, & propriè reperiatur in divinis? pag. 118.

§.I. Præmittitur qualitèr Eccleſia Deum trinum, non ſemper, perſonarum nomine expreſsit; vſque dum orta fuit Sabelliana hæreſis; controverſia inter Græcos, & Latinos, circa nomina Græcis vocibus reſpondentia, pag. 128. Varia Sanctorum Patrum doctrina, ad hoc ipſum ſpectans traditur, & quid ſit perſona diffinitur, pag. 129. Aliqua notantur pro diffinitione perſonæ, pag. 130.

§.II. Dicendum verè, & propriè reperiri in Deo conceptũ perſonæ. Suadetur ex Simbolo Athanaſij aiente, alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus S. & ratione; quia Pater, (idem de Filio, & Spiritu Sancto) eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſtantia; quæ eſt definitio perſonæ quædam obiectio ſoluta, pag. 130.

DVBIUM II.
An perſonalitas ſit aliquid diſtinctum à natura? pag. 130.

§.I. Præſuppoſita ex dubio præcedenti ſignificatione vocum inquiritur quid addat perſonalitas naturæ, pag. 130. Referuntur ſententiæ ſimulque: earum rum patroni, pag. 131.

§.II. Dicendum perſonalitatem eſſe quid diſtinctum à natura, aut realitèr, vt contigit in creatis, aut virtualitèr, vt in divinis contingit. Communi, & efficaci ratione ſuadetur, quia nimirum perſonalitas ſepari poteſt á natuta creata, cum de facto ſeparata fuerit à natura humana Chriſti vt Concilium Ephæſinum ſtatuit contra Neſtorium, ergo ab illa realitèr diſtinguitur evaſio quædam aſſerens ſeparari quoad denominationem, nõ vero quoad entitatem præcluſa, & impugnata; pag. 131. Alia ſolutio Henrici, & Durandi aſſerens manere realitatem ſubſiſtentiæ non vt terminans, ſed vt terminata varijs reiecta impunationibus, pag. 132. Alia Scoti ſolutio reiecta, & impugnata pag. 132.

§.III. Primum argumentum ex authoritate D. Thom. 1. par. quæſt. 3. art. 3. ad aſſumptum deſolvitur, ex ente ipſius Angelici Præceptoris, pag. 133. Arguitur ſecundó, ſi natura ſubſiſteret per perſonalitatem poſitivè diſtinctam, ad illam haberet naturalem inclinationem, ex quo ſequitur violentam eſſe natnram humanam Chriſti, pag. 133. Inſtatur, & tandem diſolvitur, eo quod appetitus naturalis eſt in propriam perfectionem, ſivè formalitèr, ſivè æquivalenter talem, pag. 134. Tertium, & quartum argumentum diluuntur, pag. 134. Quintum argumentum evincere pergit, quod ſi ſubſiſtentia diſtincta eſt à natura, erit perfectio natururæ vndè Chriſtus illam aſſumpſiſſet, quia aſſumpſit naturam humanam perfectam, vt probatur Conciliorum, at Patrũ teſtimonij. Sed re geritur in ſententiam oppoſitam, & diſolvitur, quia Verbum aſſumpſit naturam cum omnibus perfectionibus de linea naturæ, non vero de lineahipoſtaſis quædam cõfirmatio brevitèr diſolvitur, pa. 135.

DVBIUM. III.
An in Deo ſit vna ſubſiſtentia abſoluta, & tres relativæ, pag. 135.

§.I. Diverſitas opinandi præfixa; quædamque provocum diſsidio vitando ſuponuntur, pag. 135.

§. II.

§. II. In Deo darì ſubſiſtentiam abſolutam, quæ conſtituit naturam divinam in ſe, & per ſe ſubſiſtentem independenter ab alio termino ſtatuitur. Suadeturque ex Parente Anſelmo, & Auguſt. & ſimul quædam Uazquij ſolutio præcluditur. pag. 136. Ratione ſuadetur, quia Deus habet eſſe per ſe ſubſiſtens in linea abſoluta, cum in linea abſolnta ſit principium intelligendi, & amandi eſſentialiter: ergo per ſubſiſtentiam ubſolutam, quędam eiuſdem rationis confirmatio, & cuiuſdam evaſionis pręcluſio. pag. 137.

§. III. Dicendum ſecundo præter ſubſiſtentiam abſolutam ponendas eſſe in Deo tres ſubſiſtentias perſonales, & relativas. Quædam pro controverſia dirimenda notantur. pag. 137. Suadetur, eo quod dantur in divinis tres perſonalitates, tres conſtituentes perſonas, quæ re ipſa ſunt, at denominari debent ſubſiſtentiæ, vt varijs Conciliorum, & Patruum teſtimonijs ſit apertum. pag. 138. Reſponſio contrariorum multipliciter impugnata, & excluſa. pag. 139.

§. IV. Suadetur ratione eo videlicet, quia in divinis dantur tres modi exiſtendi incommunicabiliter, cum dentur tres modi exiſtendi per modum ſuppoſiti, quod importat exiſtere per ſe incommunicabiliter, vnde ſequitur dari tres ſubſiſtentias relativas. pag. 139. Alia ratio deſumpta ex communi Theologorum ſtilo, iuxta quos ſubſiſtentia Verbi ſupplet in humanitate aſſumpta defectum ſubſiſtentiæ creatæ, ex quo ſequitur Verbum habere propriam, & ſpecialem ſubſiſtentiam. Alia rurſus ratione, quia ſicut Deus indiget ſubſiſtentia abſoluta, vt ſit principiu operationũ eſſentialium, ita notionali ſubſiſtentia indiget, vt operationum notionalium ſit principium. pag. 140.

§. V. Arguitur primò, ſubſiſtentia eſt conſtitutiva perſonæ, cum à Concilijs, & Patribus pro eodem vſurpetur ſubſiſtentia ac perſonalitas, perſonalitas autem eſt conſtitutiva perſonæ. Reſpondetur ſubſiſtentiam relativam eſſe conſtitutivam perſonæ, non abſolutam; & quod perſonalitas, & ſubſiſtentia pro eodem vſurpetur, eſt quia in creatis nullo pacto diſtinguntur, cum in creatis non ſit niſi vnica ſubſiſtentia, eaque abſoluta, quia perſona creata ob ſuam limitationem eſt alteri incommunicabilis. Secus autem in divinis, vbi tota incommunicabilitas á relatione, non autem â limitatione eſt. p. 140. Cætera argumenta, quæ eo tendunt vt convincant præſtari poſſe á ſubſiſtentia abſoluta, quidquid á relativa præſtatur, eo quod poſita abſoluta, relativa repugnat, ſimiliter quod relationes divinæ ex mente D. Thomæ non ſunt ratio ſubſiſtendi, & quod relationes non ſunt perfectiones vt eſt ſubſiſtentia proponuntur, & diſſolvuntur. p. 141 & 149.

DVBIUM IV.

An Divinæ Perſonæ conſtituantur per aliquid abſolutum, vel relativum. pag. 142

§. I. Ut fide ſanctum ſtatuitur, in Deo eſſe perſonas; deindé præſupponitur eſſe in Deo formam aliquam conſtitutivam perſonæ, dubitatur tamen an perſonæ conſtituantur proprietatibus relativis, an verò per aliquid abſolutum pręmittuntur Authorum placita, & duplex acceptio originis proponitur. p. 143.

§. II. Dicendum primó, perſonas divinas nullo pacto conſtitui, nec diſtingui per aliquid abſolutum, ſed proprietatibus relativis; quia fide ſanctum eſt in divinis plures eſſe perſonas, quæ pluralitas ab abſoluto provenire nequit. p. 143. Suadetur varijs Sanctorum Patrum, & Conciliorum teſtimonijs, & evaſio facta ab Illuſtriſ. Moneda præcluditur. pag. 144. & 145.

§. III. Suadetur alia ratione; eo videlicet quod perſonæ conſtitui debent per aliquid proprium, & ſpeciale, cum multiplicentur; vndè per ſolam relationem conſtitui poſſunt, cum in divinis omnia ſui vnum vbi non obviat relationis oppoſitio. pag. 145. Confirmatur, ex eo quod Pater non conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per aliquid abſolutum; ergo nulla perſona. Reſpondent perſonas divinas eſſe diſtinctas adiectivè, non ſubſtantivè. pag. 146 Impugnatur ſolutio, & alia ex doctrina Scoti traditur, ibid. Solutiones aliæ propoſitæ, & enervatæ, pag. 148.

§. IV. Dicendum ſecundo Perſonas divinas

nas non origine, nec alia proprietate notionali, ſed ſolis relationibus conſtitui. Suadetur ex Concilio Florentino, & D. Thoma ſuadetur præterea ratione, quia perſona eſt quid conſtitutum in facto eſſe, & in eſſe permanenti, & origo ſe habet per modum viæ, & in fieri. pag. 148. Confirmatur multiplicitèr eadem ratio. ibid.

§. V. Arguitur primo, prima perſona, nõ conſtituitur per relationem, cum propriori ad generationem ſupponatur conſtituta, vt illius principium; ergo nulla perſona per relationem conſtituitur. Secundó: prius eſt fundamentum proximum, quam relatio fundata; cum autem omnis relatio fundetur in proceſsione, & aliàs proceſsio ſupponat perſonam, nequit relatio illam conſtituere. Tertiò: prius eſt perſona operativa, quàm operatio; cum autem relatio ſubſequatur operationem, erit poſterior perſona conſtituta. Quartò: quia ſi paternitas, generationem antecederet, veluti patris conſtitutiva, conſtitueretur pater in eſſe talis, quanquàm per impoſsibile non generaret; & denique filius in divinis generationem antecederet. pag. 149. Variæ Doctorum ſolutiones adhibitæ, & denique propria ſolutio ex D. Thoma traditur, quæ aſſerit perſonas divinas conſtitui per relationem, ſecundùm conceptum formæ ſubſiſtentis, quæ roboratur, eo quod relatio divina, non tantùm eſt relatio, ſed ſubſiſtentia. pag. 150. Confirmationibus argumenti fit ſatis. ibid. Variæ contra ſolutionem obiectiones enodantur. pag. 151. Secundum, & tertium argumentum proponuntur, & diluuntur. pag. 152.

TRACTATVS. V.

De Perſona Patris, diviniſque notionibus.

DVBIVM I.

An ſint, & quot ſint notiones in divinis. pag. 153.

§. I. Aliqua pro explicatione notionis traduntur; eius diffinitio, & conditiones ad notionem neceſſariæ. pag. 153.

§. II. Aſſeritur in Deo ponendas eſſe notiones, quia perſonæ divinæ, ſicut in pluribus conveniunt, ita in pluribus diſcriminantur, & hæc oportet aliquibus ſignis, & notionibus manifeſtari. ibid.

§. III. Statuitur ſecundò, quinque eſſe ponendas notiones in Deo videlicet innaſcibilitatem, & paternitatem in patre; filiationem in filio, ſpirationem in vtroque, & proceſsionem in Spiritu Sancto. Probatur, quia notio eſt, quo dignoſcitur, & ſecernitur vna perſona ab alia, pater autem per paternitatem, & innaſcibilitatem, filius per filiationem, & vterque vt vnus ſpirator per ſpirationem dignoſcitur, ſicut Spiritus S. per ſpirationem paſsivam, quæ dicitur proceſsio. pag. 154. Cuidam obiectioni ex Magno Parente Anſelmo deducta, reſpondetur, & ſtatuitur differentia inter proprietates perſonales relationes, & notiones. ibid.

§. IV. Arguitur primò. In Patre eſt ratio genitoris fontalis principij, & radix totius fœcunditatis, in filio ratio Verbi imaginis, & characteris, & in Spiritu Sancto ratio amoris, doni, & mutui nexus; ergo plures ſunt notiones. Reſp. omnia ea eſſe conceptus inadæquatos, ad notiones, tanquam ad proprietates adæquatas pertinẽtes. p. 155. Arguitur ſecundò. Notio eſt quid reale; ergo ſi quinque ſunt notiones, erũt quinque res, quod improbatur à Concilio Lateranenſe, ſub Innoc. III. Reſpondetur quod innaſcibilitas nihil poſitivũ addit paternitati, nec ſpiratio activa realitèr diſtinguitur à paternitate, & filiatione, vndé ſolùm ponuntur tres res realitèr diſtinctæ, quod non impedit, quatuor relationes, & quinque notiones. ibid. Tertium argumentum propoſitum, & ſolutum. pag. 155.

DUBIUM II.

Qualiter innaſcibilitas ſit notio propria Patris. pag. 156.

§. I. Supponitur ex dubio antecedenti innaſcibilitatem eſſe notionem propriam patris, & illius multiplex acceptio traditur, ac tandẽm proferuntur Doctorum placita. pag. 156.

§. II. Dicendum primò innaſcibilitatẽ eſſe notionẽ propriam perſonæ Patris, quatenús

tenus importat omnem negationem eſſendi ab alio probatur ratione; ea eſt notio propria Patris, quæ eſt diſcretiva Patris à cæteris omnibus; at innaſcibilitas dicta eſt diſcretiva Patris à cæteris omnibus: ergo eſt notio propria Patris, pag. 156. Opponit. Scotus prima perſona eſt per dimanationem ab eſſentia: ergo innaſcibilitas, vt importat negationem eſſendi ab alio omni modo, non erit notio propria Patris. Reſpond. primam perſonam includere neceſſario eſſentiam, & ſic ab illa non dimanare, ibidem.

§. III. Dicendum ſecundo. Innaſcibilitatem eſſe notionem propriam Patris, non ratione alicuius poſitivi, ſed ratione negationis, ab alia. Firmatur ex Magno Parente Anſelmo, & Divo Thoma, & etiam ratione, eo videlicet quod notio eſt illa, quæ notificat aliquit proprium perſonæ, ad dignitatem ſpectans. Totum autem hoc ſignificatur nomine ingeniti. Vlterius, quia ſi innaſcibilitas eſſet notio, ratione alicuius poſitivi, maximè ratione paternitatis in quo fundatur; hoc autem eſſe nequit, quia innaſcibilitas eſt notio diſtincta á paternitate, pag. 157. Quædam ſolutiones præcluſæ, pag. 158.

TRACTATUS. VI.

De Perſona Filij.

DUBIUM I.

An Verbum Divinum procedat per ſe ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo? pag. 160.

§. I. Referuntur Authorum dictamina, & notatur in ſententia Scoti verbum procedere per actum dictivum, pag. 160.

§. II. Concluſio eſt affirmativa. Suadetur ex Anſelmo, Auguſtino, Divo Thoma. Ac præterea ratione, quia ſcilicet Verbum procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ ab ipſo repræſentantur; & à Verbo repræſentantur omnia, quæ ſunt formaliter in Deo; cum procedat vt perfecta ſimilitudo Patris, pag. 161. Confirmatur: Verbum Divinum procedit, ex cognitione beatifica Patris; ergo ex cognitione intuitiva totius tritatis. Dices eam cognitionem non eſſe intuitivam cum non ſit relationum in ſe ipſis, nec in eſſentia, in qua eminenter non continetur. Reſpond. Verbum procedere ex cognitione perſonarum in ſe ipſis, tum ratione facta, tum etiam quia negari non poteſt Patrem cognoſcere intuitive, & comprehenſive perſonas in ſe ipſis, pag. 162.

§. III. Suadetur alia ratione, eo nimirum quia Verbum Divinum procedit vt perfecta ſimilitudo, & imago Patris. Undè debet paternitatem includere alias perfecta imago non eſſet, pag. 163. Ex hoc oppoſitum ſequi nam Verbum eſt imago Patris in eſſentia non in paternitate cum in illa, & non in hac aſſimiletur. Reſp. Verbum eſſe imaginem incluſa paternitate cum ſolum ratione illius Pater á Verbo diſtinguatur, ibidem.

§. IV. Arguitur primò. Cognitio, ex qua procedit Verbum non ſupponit Verbum, & Spiritum Sanctum exiſtentes; ergo nequit eſſe ipſorum intuitiva, vndè Verbum non procedit ex cognitione omnium, quæ ſum formaliter in Deo, pag. 164. Reſpond. (alijs Doctorum ſolutionibus in ſua probabilitate relictis) cognitionem intuitivam ſupponere obiectum exiſtens in ipſo cognitionis inſtanti cum hoc ſufficiat ad ipſius obiecti præſentiam. Rurſuſque ipſam cognitionem eſſe priorem tantum prioritate ordinis, non verò vlla alia prioritate, pag. 164. Traditur ad cognitionem intuitivam ſufficere præſentiam negativam obiecti quæſita eſt in eo quod obiectum, nec ſit futurum, nec abſens. Aliquæ contra ſolutionem obiectiones præcluduntur, pag. 165. Opponit. ſecundò. Verbum non poteſt procedere ex cognitione ſui quia alias eſſet cognitum antecedenter ad ſui generationem, quod repugnat Verbo Divino excludente omnem potentialitatem, includenteque ſummam neceſsitatem eſſendi. Ulterius, quia pro illo ſigno Pater conciperetur perfectior filio cum pro illo priori eſſet cognoſcens, & amans quod non haberet filius ſi ex cognitione perſonarum procederet, pag. 166. Regeditur

ar-

argumentum in ſuum Authorem. Reſp. Patrem generare per ipſam cognitionem, vndè in ipſo inſtanti, nec Verbum eſt in potentia adeſſe nec includet potentialitatem cum eſſet in eodem inſtanti, nec Pater eſſet perfectior filio, quia dum cognoſcit filium cognoſcit illum, vt cognoſcentem, & amantem, pag. 166. Cætera argumenta proponuntur, & exarmantur, pag. 167. & 168.

DVBIUM. II.

An Verbum Divinum procedat ex cognitione creatum poſsibilium, pag. 168.

§. I. Proponitur prima ſententia negativa cum ſuis tutoribus ex Schola Scoti, aliquique ſocietatis, & ſecunda negativa, cuius patroni Thomiſtæ, cum Doctoribus primæ notæ Societatis recenſentur, pag. 168.

§. II. Sententiæ affirmativæ ſubſcribit concluſio eaque ſuadetur ex Anſelmo noſtro, qui in Monol. cap. 33. docet Patrẽ Verbo dicere, ſe & creaturas, quia quæcumque dicit, Verbo dicit, & non creato, pag. 168. Aliud ex eodem Sancto Doctore teſtimonium expenditur pro aſſertione noſtra, quædam Vazquij evaſio præcluditur, pag. 169.

§. III. Probatur ratione, quia Verbum Divinum procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ ab ipſo repræſentantur, quia omnem repræſentationem, & expreſsionem, quam habet Verbum, habet ex vi ſuæ generationis, & in illo repræſentantur omnia poſsibilia, cum Deus ea cognoſcat, & non in Verbo creaturæ, pag. 170. Vlterius ex eo quod Verbum Divinũ procedit ex cognitione perfectiſsima, quæ talis eſſe nequit quin cognoſcat poſsibilia, præſertim cum ſit comprehenſiva infinitè. Ibid. Opponit Carrier. Verbum non procedere ex cognitione perfectiſsima extenſivè. Impugnatur, & diſsolvitur ſolutio ex præiactis, & ſimul alia eiuſdem Authoris, ex eo quod cognitio notionalis Patris debet eſſe perfectiſſima, pag. 171. Alia Maſtrij ſolutio multipliciter impugnata, & extricata. pag. 171. & 172.

§. IV. Argumentum primum deſumptum ex Parente noſtro Anſelmo, qui cap. 32. Monologij docet neceſſariam, & coæternã Patri eſſe exiſtentiam Verbi, etiam ſi nihil, per illud fiat, vndè independenter, ab omni creatura, neceſsè eſt Verbum eſſe, & ſimilitèr docet non eſſe Verbum creaturarum, cuius oppoſitum verum eſſet, ſi ex creaturarum cognitione per ſe procederet, pag. 173. Adhibitur ſolutio ex eodem Sancto Doctore, ibid.

§. V. Arguitur ſecundò: & ſi creatura, Lapis, v. g. redderetur impoſsibilis; Verbum Divinum ſubſiſteret, niſi dicatur Verbum Divinum indigere creaturarum poſsibilitate, & ab illa pendere; ergo cognitio lapidis non eſt per ſe exacta ad cognitionem. Verbi. Præterea, quia poſsibilitas lapidis non eſt ſummè neceſſaria, ſicut exiſtentia Verbi. Vlterius, quia creaturæ poſsibiles non ſunt ita neceſſariæ, ſicut Verbum, nec ita connexæ cum omnipotentia, cum Verbum ſit connexum per modum primi entis, & primi cauſæ, ſecus autem creaturæ. Denique, quia creaturæ eſſent primum ens, cum prius Verbo haberent ſuum eſſe, & Verbum ab illis penderet, non è contra, pag. 174. Reſpond. Nullam probari dependentiam Verbi à poſsibilibus licet ipſis deficientibus, Verbum deficeret, nec indigentiam; quia licèt ſine eis eſſe non poſsit, non eſt vi cauſalitatis, & ſubordinationis, ſed vi connexionis, & ſigni, ibid. Confirmationibus Reſp. ex neceſsitate poſsibilium, non probari dependentiam, quã vis eſſet ſumma, vt apertum ſit in attributis, & perſonis, ſumma neceſsitate exiſtentibus, quin propterea Verbum ex ipſorum cognitione procedens, in ſententia Maſtrij ab eis ſit dependens. Secundæ reſp. poſsibilia tam neceſſaria eſſe ſicut Verbum, quoad neceſsitatem eſſentialem, & obiectivam, cum vtraque ſit eſſentialis, quæ non ſuſcipit magis, & minus, non veró, quoad ſubiectivam, & alia cum vna ſit poſsibilitatis, & connexionis negativæ, alia verò ſumæ actualitatis ad tertiam fatemur poſsibilia cognoſci prius Verbo prioritate originis, quæ non deſtruit ſummam ſimultatem, pag. 175. Quibuſdam obiectionibus contra datã ſolutionem propoſitis occurritur, pag. 176. §. VI.

§. VI. Tertium argumentum ait Uerbum non procedere ex cognitione posſibilium, licèt talis cognitio ſit beata, quia beatitudo Patris à creaturis non pendet, & quartum, quod ſi Verbum procedit ex cognitione poſsibilium, pariter Spiritus S. debet ex ipſorum amore procedere; quibus tamem breviter reſp. eam cognitionem non eſſe vt eumque beatam, ſed infinitam, & ſimiliter creaturas poſsibiles, non eſſe amabiles, vel eſſe neceſſarió. pag. 177.

DUBIVM III.

An Verbum divinum procedat ex cognitione futurorum? pag. 178.

§. I. Ratio dubitandi, & Doctorum placita proponuntur, ibid.

§. II. Dicendum primo Uerbum divinum ſecundùm perfectionem neceſſariam, eſſentialem, & perſonalem, non procedere ex cognitione futurorum, ſuadetur expreſſa Sancti Anſelmi authoritate, ac præterea ratione eo, videlicet, quod ſcientia futurorum in Patre, & eorum repræſentatio in Uerbo, eſt libera, & contingens, cum Verbum ſit ſummè neceſſarium, ibid.

§. III. Dicendum ſecundo, Uerbum divinum, vt repręſentans futura per ſe procedere ex eorundem cognitione. Suadetur ratione ex Magno Parente Anſelmo deducta, qui cap. 33. Monol. ait: *Idcirco cum ipſe Summus Spiritus dicit ſe ipſum, dicit omninò quæ facta ſunt*, quod eſſe nequit quin Pater ſua cognitione attingat ſe ipſum, & quæ facta ſunt; vnde Uerbum divinum non ſolùm procedit ex cognitione Patris, ſed futurorum; vnde ſicut vt repræſentat Patrem per ſe procedit ex illius cognitione, ſicut futura repræſentat ex illorum cognitione procedit, pag. 180. Secundo, quia Uerbum per ſe procedit ex cognitione eorum, quæ per ſe repræſentat, & ex ſuppoſitione decreti per ſe repræſentat futura. ibidem. Aliquæ evaſiones præcluduntur, pag. 181.

§. IV. Opponit 1. Doctiſsimus Silva D. Thomam aientem 1. p. quæſt. 34. a. 1. ad 3. *Pater intelligendo ſe, & filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura*: ergo Verbum per ſe procedit ex cognitione omniũ creaturarum. Prætereá, quia Verbum per ſe exigit procedere ex cognitione cõprehenſiva, & infinita, quæ quia talis exigit cognoſcere futura. Reſp. Uerbum per ſe procedere ex cognitione futurorum ſecundùm repræſentationẽ liberam, & ſimiliter per ſe procedere ex cognitione comprehenſiva, & infinita, quæ talis foret etiam ſi futura non cognoſceret, dummodo non ſupponeret decretum. pag. 182. Arguitur ſecundo in Patre pro priori originis ad filium nulla ſupponitur ſcientia futurorum, cum ſit libera, & omne liberum in divinis ſupponit neceſſarium, qualis eſt generatio Verbi: vnde Verbum ex ſcientia futurorum non procedit. Secundo, quia ſcientia libera innititur decreto, in Patre autem pro priori originis ad Filium nullum ſupponitur decretum, quia decreta ſunt immediatè ab omnibus perſonis. Præſertim, quia ſi pro priori originis ad cæteras perſonas ſupponeretur in Patre decretum nil illis decernendum maneret, nec illis talia decreta eſſent libera. ibid. Reſp. generationem Filij; eſſe priorem ſcientia libera, quoad eſſentialia, & perſonalia, non verò quoad repræſentationem liberam. Ad ſecundum; in Patre pro priori originis, nullum ſupponi decretum activè, benè tamen obiectivè, per quod alijs occurritur, pag. 183. Quædam contra ſolutionem obiectiones extricantur, ibi. Tertium argumentum proponitur, & diſſolvitur, pag. 184.

TRACTATUS. VII.

De Perſona Spiritus Sancti.

DVBIVM I.

Cur nomine Spiritus Sancti, & amoris ſignificetur tertia infinitæ perſona? p. 184.

§. I. Oſtenditur circa perſonam, & proceſsionem Spiritus S. etiam vocibus ipſis humanam rationem maxima difficultate laborare, bifaria nominis Spiritus S. acceptio proponitur, pag. 185.

Spi-

Spiritum Sanctum complexè acceptum à ſpiritualitate dici, traditur; incomplexè vero acceptum, oſtenditur dici, á *ſpirari*. pag. 186.

§.II. Docetur amorem poſſe ſummè eſſentialiter, & notionaliter; præterea, quod ſicut per actum intellectus producitur Verbum manens, & non accidentale, ita per actum voluntatis producitur in ipſo amante amor, & non accidentalis. Cum Deus non poſsit producedere amorē ſibi inæqualem, pag. 186. Oppon. ex hac doctrina ſequi Spiritum Sanctum producere alium amorem, cum amet Patrem, & Filium æquali amore, ac ab ipſis amatur, ibid. Reſpondetur non producere aliumSpiritum Sanctum, quia amat eſſentialiter non notionaliter, & ob defectum connati, pag. 187.

DVBIUM II.

An Spiritus S. de Filio procedat? pag. 187.

§.I. Oſtenditur eo tendere totum librum Anſelmi de proceſsione Spiritus S. vt demonſtret eum procedere, à Filio; error Theodoreti circa hanc proceſsionem, eiuſque reconciliatio in Chalcedonenſi Concilio traditur, necnon qualiter eum Photius ab orco revocarit pluresque Græcorum ad ſuam ſententiam traxerit, p. 187. Qualiter Anſelmus in Barenſi Concilio eos expugnavit, & vicit, ibidem.

§.II. Concluſio eſt affirmativa. Suadeturq; variis Sancti Anſelmi rationibus ex Sacris Litteris depromptis. Prima deſumitur ex Ioanne 15. V. 26. vbi Chriſtus ait: *Cum autem venirit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ex quo ſequitur Spiritum Sanctum procedere à Filio, quia ab eo procedit à quo mittitur, pag. 187. Reſpondent Græci, hic tantum ſignificari Spiritum Sanctum eſſe miſſum à Patre ſub nomine Filij. Ibidem. Præcluditur ſolutio ab Anſelmo. Multiplicitèr ibidem. Variæ ipſorum evaſiones præcluduntur, ab Anſelmo, & ex eius ratione iterum probatur concluſio pag. 188.

§.III. Suadetur ratione; quia Spiritus S. diſtingnitur realiter á Filio vndè, vel ipſe à Filio procedit, vel Filius ab illo, eum omnis diſtinctio in divinis proveniat ab oppoſitione, quæ in proceſsione fundatur, pag. 189. Confirmatur, quia ſi Spiritus Sanct. non eſt de Filio ſequitur neceſſe, aut non eſſe Deū, aut habere divinitatē diſtinctā, quia eatenus perſonæ divinæ ſunt vnum in divinitate, quatenus vna habet divinitatem cōmunicatam ab altera per identitatē, velper identitatem alteri communicat, ibidem confirmatur ex Ioanne 16. *Ille me clariſicabit, quia de meo accipiet*, ex quo ſequitur ab æterno accepiſſe à Filio quod habet; quia non accipiet á Filio quaſi prius, non habens, aliás eſſe indigens, & mutabilis, pag. 190. Suadetur alia ratione, deducta ex principijs Græcorum, videlicet, eo quod iuxta ipſos Spiritus Sanct. eſt Spiritus Filij, & non poſſeſsione, quia inferret maioritatem in Filio, & in Spiritu Sancto minoritatem. Vndè erit proceſsione ibidem VariæGræcorum evaſiones impugnatæ, & ex ſolutæ, pag. 191.

§.IV. Opponunt Græci, primo quod ſi SpiritusSanct. á Filio procederet, Scriptura id affirmaret, de ea proceſsione loquens, quod non affirmat, ſed potius oppoſitum vt patet ex illo Ioan. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Confirmatur, ex eo quod in primis Concilijs Generalibus tantum definiturSpiritum Sanctum à Patre procere, ac in prima Synodo Epheſina prohibetur aliam fidem profiteri præter eam, quæ in Synodo Nizæna tradita erat, vbi ſolum dicitur: *Credimus, & in Spiritum S. à Patre procedentem*, pag. 192. Regeritur in adverſarios argumentum, nam plura ab ipſis certa fide creduntur, quę expreſſe Sacra Pagina non tradit, vt patet in deſcenſu ad inferos, & alijs exemplis Græcis notiſsimis, pag. 192. Aliæ Græcorum obiectiones, ex doctrina Anſelmi, & Thomæ reſolutæ, pag. 193.

DUBIUM III.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, & quomodo? Pag. 194.

§.I. Proponitur, vt Fidei Dogma virtutem ſpirativam Patris, & Filj vnam,

& eandem esse, & dubitatur, an hæc vnitas sufficiens sit ad constituendum vnicum principium; ratio dubitandi traditur, pag. 194.

§. II. Proponitur, & exponitur sententia Durandi, quod si principium sumatur pro agente, sunt Pater, & Filius, duo principia; si verò sumatur pro virtute spirativa vnicum tantùm, & á communi censura defenditur ex mente Angelici Magistri, pag. 194. & 195. Sententia Gregorij Ariminensis recensetur, & improbatur, pag. 195.

§. III. Dicendum primò, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio tanquám ab vno principio. Suadetur primò ex Parente Anselmo aiente, quod Spiritus S. est de Patre, non qua Pater est, sed qua Deus est vnum cum Filio, vndè ab illis procedit tanquam ab vno principio, pag. 195. Proferuntur varia Anselmi testimonia pro rationis confirmatione, ibid. Probatur ratione nimirùm ex eo quod *in divinis omnia sunt vnum vbi non obviat relationis oppositio*, vt loquitur Parens Anselmus; cum autem Pater, & Filius in ratione principij non dicant oppositionem, quia non constituuntur in ratione principij per relationes paternitatis, & filiationis, sunt vnum principium. Confirmatur ratio expresso D. Thomæ testimonio, & quædam contra illam obiectio dissolvitur, pag. 196.

§. IV. Dicendum secundò non esse in Deo principium aliquod spirativum, vt *quod* ratione distinctum á Patre, & Filio, & vtrique commune communitate rei, sed principium *quod* spirativum supponere immediatè pro Patre, & Filio. Proponitur ratio Salmanticensium pro assertione, quæ desumitur ex eo quod Pater non solùm est principium spirandi, sed etiam primum, quod non foret si daretur spirator vt *quod* communis communitate rei Patri, & Filio, quod confirmant ex eo quod si Pater foret primum principium, & simul ille spirator communis Patri, & Filio darentur duo prima principia; prætereà notio ingeniti, & innascibilitas non soli Patri convenirent, pag. 197. Respondetur his rationibus, & vt minus convincentes deseruntur, ibid. Proponitur nostra ratio, quia si daretur aliquod principium *quod* spirativum per se subsistens aliquo modo distinctum à Patre, & Filio constitueretur in esse talis per relationem spirationis, & per hanc constitui nequit, quia non est vera, & propria subsistentia, cum sit communis duarum personarum, & accedat eis vltimo determinatis, & constitutis, pag. 198.

§. V. Arguitur primò, eo Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, quia procedit á Patre vt Deo, in quo convenit cum Filio, sed hoc non potest esse, quia aliás procederet á se ipso, quia Pater vt Deus non minus est vnum cum illo, quám cum Filio, pag. 198. Resp. nullam personam procedere posse à se ipsa, quia inter producens, & productum requiritur realis distinctio, ibid. Alia argumenta proponuntur, & extricantur, pag. 199.

DVBIUM. IV.

An Spiritus Sanctus exigat per se ex parte principij duas personas Patris, & Filij, pag. 200.

§. I. Proponitur quamlibet virtutem dupliciter posse per se concurrere ad effectum, nimirùm perfectate causæ, & perfectate effectus, vel termini, & in hoc secundo sensu procedit dubium, pag. 200. Proponitur prætereá, qualiter dubium non procedat de Patre, & Filio, vt sunt vnicum principium proximum, sed de illis præsuppositive, ac proponuntur Doctorum placita, pag. 201.

§. II. Sententiam affirmativam tuetur assertio, eaque firmatur varijs Parentis Anselmi, & Doctoris Angelici testimonijs, ibid.

§. III. Prima ratio desumitur ex eo quod Spiritus S. est amor mutuus, vnde per se ab amore mutuo, qui necessariò duas personas petit, debet procedere, pag. 202. Quibusdam contra rationem obiectionibus fit satis; & proponitur alia ratio, quia nimirũ prior est origine processio Verbi, quã processio Spirit. S. quia prior est cognitio, quám amor, & cum hic ordo sit essentialis,

Spiritus Sancti, qui ex ſua proprietate perſonali eſt amor, neceſſariò, & ex eadem proprietate ſupponit Uerbum, vndè per ſe exigit à duobus procedere.

§. IV. Arguitur primò, etiam ſi effectus creati procedant à Deo Trino, id de materiali ſe habet; ergo etiam de materiali ſe habet, quod Spiritus S. procedat à Patre, & Filio, quia æqualiter á ſolo vno procederet, cum in Patre, v. g. ſalvetur tota virtus ſufficiens ad illius probationem. Secundo, quia in ſolo Patre datur quidquid requiritur ad amorem notionalem, cum detur potentia, quæ poſsit amare, videlicet voluntas, & obiectum amoris capax, nimirùm eſſentia divina. Tertiò, quia ſi voluntas ageret priuſquam intellectus produceret ſuum terminum, ſive Spiritum Sanctum, & intellectus Uerbum: vndè voluntas in ſolo Patre fœcundata ab eſſentia divina, habet quidquid requiritur ad productionem Spiritus S. Tandem quia vel virtus ſpirativa in ſolo Patre exiſtens, perfectè ſpirat, vel non? Si primus: non requiritur concurſus Filij: ſi ſecundum: virtus ſpirativa in Patre, non erit perfecta, & totalis. pag. 203. Reſp. ad primum ſalvari in Patre ſufficientem virtutem ſpirativā, indiſtinctā á virtute ſpirativa Filij, & hanc requiri in duplici ſuppoſito, vt ſit ſpirativa ſpiratione mutua, pag. 205. ad ſecundum requiri potentiam, quæ poſsit amare, non tamen vtcumque; ſed amore mutuo. Ad tertium reſp. ex cognitione boni conſtitui in actu primo, ad amandum, quoniam *ignoti nulla cupido*; vel dato voluntatem operari pro priori ad intellectum, non producere Spiritum S. vt amorem mutuum. Ad vltimum fit ſatis ex parente Anſelmo, pag. 204. Aliud argumentum proponitur, inſtatur, & enervatur, pag. 205.

DUBIUM V.

An tota, & adæquata ratio diſtinguendi Spiritum S. à Filio ortum habeat ex proceſſione ab illo? pag. 205.

§. I. Proponitur qualiter controverſia viſa fuerit aliquibus inutilis; ſub alijs terminis propoſita; necnon varijs exemplis fit apertum eam non negatoriam, ſed vtilem eſſe, pag. 205. Quædam pro controverſia dirimenda prænotantur, & referuntur ſententiæ, pag. 206.

§. II. Stabilitur ex mente Anſelmi totam, & adæquatam rationem diſcretionis eſſe relationem fundatam in origine, & proceſsione Spiritus Sancti á Filio, ideoque Spiritum Sanctum nullo pacto poſſe diſtingui á Filio, ſi ab illo non procederet. Uaria eiuſdem Sancti Doctoris teſtimonia enucleantur, & adverſariæ ſolutiones multipliciter ex ipſius littera reijciuntur, pag. 207. Profertur pro adverſa ſententia quædam Divi Anſelmi ratio, qua videtur iudicare Filium diſtingui à Spiritu Sancto per relationem diſparatam; ait enim *Filius autem [vt interim aliam cauſam dicam, quoniam nondùm conſtat, quod Spiritus Sanctus de illo ſit, & procedat] ideò non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre, Spiritus Sanctus verò non naſcendo, ſed procedendo.* ibidem. Retorquetur in adverſarios primò, eo quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio ab eo non diſtingueretur, cum non haberet eſſe procedendo, pag. 208. Secundo, quia dato gratis Anſelmum affirmare Filium diſtingui à Spiritu Sancto, quia Filius habet eſſe de *Patre naſcendo*, & Spiritus S. *de Patre procedendo* cum implicet ex mente ipſius Sancti Doctoris Spiritum S. eſſe de Patre, & non de Filio, id exigente ipſo divino Spiritu ex propria natura, & ex conditione virtutis ſpirativæ, nullo modo eſſet à Filio niſi ab eo procederet, pag. 208. Reſp. præterea Anſelmum duplicem ibi aſsignaſſe diſtinctionem, quia datur vna fundamentalis, & alia formalis, quæ doctrina roboratur teſtimonio D. Thomæ, & vlterius ex ipſo Anſelmo. ibid.

§. III. Vlterius probatur ex Parente Anſelmo, qui probat diſtinctionem perſonarum, non alio titulo, niſi quia vna eſt ab alia, *quia natura non permittit, nec intellectus capit,*

exiſtentem de aliquo eſſe illum, de quo exiſtit. Secundò probat diſtinctionem Spiritus Sancti à Patre eodem titulo: vndè cum tota ratio cognita ab Anſelmo, vt Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguantur á Patre, ſit proceſsio ab ipſo, conſequens eſt vt tota, & adæquata ratio diſtinguendi Spiritum S. à Filio ſit proceſsio ab illo ex mente eiuſdem Sancti Doctoris, pag. 209. Deinde quia ſi relatio diſparata ex mẽte Sancti Doctoris ſatis eſſet vt Spiritus S. diſtingueretur à Filio quamvis ab eo non procedet idem dici poſſet reſpectu Patris, quod Sanctus Doctor impugnat ibidem, & alia ex eodem Parente proferuntur teſtimonia, ex quibus cuidam Maſtrij ſolutioni occurritur, pag. 210.

§. IV. Suadetur ratione ex eodem Sancto Anſelmo deducta, quia videlicet in diuinis omnia ſunt vnum vbi non obviat relationis oppoſitio, ſi autem Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nulla inter illos obviaret oppoſitio relationis, quia non daretur relatio producentis ad productum, pag. 211. Reſp. Maſtrius duplicem diſtinguens oppoſitionem, vnam relativam, quæ eſſe nequit ſine proceſsione vnius perſonæ ab alia; alia relationis, quæ per relationes diſparatas fit, ibid. Impugnatur ſolutio multipliciter, & reijcitur, tũm authoritate, tũm ratione, pag. 211. & 212.

§. V. Secunda ratio ex Anſelmo ſic proponitur vt Spiritus Sanctus diſtinguatur perſonaliter à Filio neceſſum eſt, vel quod Spiritus Sanctus à Filio procedat, vel Filius ab ipſo, quia cum taliter diſtinguantur vt ſint idem in natura, tám nunc, quám in hypoteſi, non poſſunt habere eandem naturam, niſi vna eam alteri communicet, vndè cum adverſarij fateantur Filium á Spiritu Sancto non procedere; debent fateri, Spiritum Sanctum procedere à Filio, vt ab eo diſtinguatur, p. 213. Confirmatur eadem ratio ex Concilio Florentino, & quædam Maſtrij evaſio præcluditur, pag. 214.

§. VI. Arguitur primò, de facto datur in Deo diſtinctio realis ſine oppoſitione relativa; vt videre eſt in paternitate, & filiatione, realiter diſtinctis à ſpiratione paſsiva, cum qua non opponuntur relativè. Confirmatur, quia in dicta hypotheſi maneret in Filio ratio formalis diſtinctionis, cum maneret filiatio, per quam debet diſtingui cum per illam conſtituatur. Secundó, quia tunc maneret id per quod Filius eſt natus, & Spiritus Sanctus non eſt natus, nimirùm proceſsio per intellectum, & voluntatem, & conſequenter ratio diſtinctionis vtriuſque, pag. 215. Reſp. paternitatem, & filiationem non opponi ſpirationi paſsivæ, vt *quo* benè tamen vt *quod*, quia oppoſitio relativa, non ſolùm eſt inter formas relativas, ſed etiam inter relativa ſuppoſita, ibid. Confirmationibus reſpond. filiationem eſſe rationem diſtinguendi, vt *quod*, non vt *quo*; & tunc manſuram inadæquatè, non verò adæquatè, & vt radicat ſpirationem, pag. 216. Notatur argumentum deductum ab eo quod de facto contingit, ad quod eſſet in hypotheſi nullum eſſe, quia de facto virtus ſpirativa eadem eſt cum Patre, & Filio, cum tamen in hypotheſi aliter contingeret, ibid. Quædam contra ſolutionem obiectiones diluuntur, pag. 216. Arguitur ſecundo implicat idem habere eſſe per duas emanationes totales, & adæquatas, cum autem adhuc in hypotheſi generatio, & ſpiratio eſſent emanationes totales, perſona genita eſſet diſtincta à perſona ſpirata, pag. 217. Reſpond. implicare idem habere eſſe per duas emanationes totales, realiter diſtinctas, non verò virtualiter tantùm, ibidem. Tertium argumentum proponitur, & diſſolvitur. pag. 217. & 219.

DVBIUM. VI.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium? pag. 219.

§. I. Proponuntur varij dicendi modi Græcorum circa proceſsionem Spiritus Sancti de Filio, necnon quod ſolùm vocibus differebant à Latinis, poſtquam eos Anſelmus convincit, pag. 219.

§. II. Opponunt primô Græci illud ad Rom. 11. *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, quaſi dicat Apoſtolus: *ex ipſo*, ideſt ex Patre, *& per ipſum*, hoc eſt, per Filium, *& in ipſo*, *nempè Spiritu S. ſunt omnia*: vndè iuxta Apoſtolum Spiritus Sanctus non eſt de Filio, ſed à Patre per Filium. Secundò, ex illo Ioan. 5. *Omnia per ipſum* facta ſunt; ergo per Uerbum facta ſunt omnia; ergo Spiritus eſt de Patre per Filium, & non de Filio. Tertiò: Lacus procedit de fonte per riuum: ergo Spiritus procedit de Patre per Filium. Quartò, quia ſi Spiritus Sanctus eſſet de Patre per Filium concurrente Filio eſſet de duobus principijs, duabuſque ſpirationibus, pag. 220.

§. III. Dicendum Spiritũ Sanctum ita eſſe à Patre per Filium, vt etiam ſit de Filio habente virtutem ſpirativam à Patre, ſuadetur ratione Anſelmi deducta ex illo teſtimonio á Græcis adducto, nimirúm 1 *Omnia per ipſum*, ideſt per Uerbum; *facta ſunt*, ſed taliter per ipſum facta ſunt, vt ſint facta patiter, ab ipſo; ergo Spiritus Sanctus ita eſt à Patre per Filium, vt etiam ſit de Filio, pag. 220. Suadetur vlterius, quod Spiritus S. ſit à Patre per Filium, eo quod Filius habet virtutem ſpirativam communicatam á Patre, & ſic eſt ratio cur Spiritus S. procedat á Patre, pag. 221. Confirmatur exemplo lacus, qui eſt de fonte per riuum, & quædam euaſiones præcluduntur, pag. 221. Ad primam obiectionem factam §. 2. reſp. reverá omnia eſſe *ex ipſo*, ideſt Patre, *per ipſum*, ideſt Filium *in ipſo*, hoc eſt, Spiritu Sancto non quia Spiritus S. numeretur inter omnia, quæ facta ſunt à Patre per Uerbum quia factus non eſt, ſed inter perſonas facientes, quia omnes concurrunt æqualiter ad omnia, quę facta ſunt, ibid. Aliæ obiectiones factæ eodem §. ad diſſolvuntur, pag. 222.

DVBIUM VII.

An proceſsio Spiritus Sancti ſit libera, vel naturalis? pag. 222.

§. I. Proponitur ſententia affirmans eſſe eſſentialiter liberam patrocinata à Scotiſtis, cum ſuo Subtili Doctori, nec non ſententia communis docens eam eſſe omnino neceſſariam: deinde proponitur qualiter Vazquius iudicauerit diſsidium eſſe de voce, cui conſentit Maſtrius, pag. 222.

§. II. Dicendum proceſsionem Spiritus Sancti eſſe omnino neceſſariam, & naturalem, nec vllo modo poſſe dici liberam, ibid. Prima pars, quæ aliàs eſt Fide Catholica certa, & á Scoto non negata, ſed affirmata, ſuadetur, quia Spiritus Sanctus eſt Deus non minus quàm Filius; vndè debet neceſſariò exiſtere, & procedere ſicut filius; cum oppoſitum importet imperfectionem à Deo relegandam; pag. 223. Deinde quia Spiritus Sanctus procedit ex amore Patris. & Filij, qui eſt ſummè neceſſarius, ibid. Secunda pars ſuadetur ex eo quod proceſsio Spiritus Sancti non eſt ex aliqua ſuppoſitione contingenti, ſed abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, & ab intrinſeco naturalis. Et tertia pars etiam conuincitur, nam agere cum abſoluta determinatione ad vnum, non eſt operari liberè, & voluntas diuina dùm ſpirat Spiritum Sanctum agit cum abſoluta determinatione ad vnum, aliàs operatio non eſſet ab intrinſeco neceſſaria, quia taliter eſſet vt poſſet, non eſſe, pag. 223. Confirmatur ex eo quod voluntas diuina in ſpiratione Spiritus Sancti, operatur ex neceſsitate orta á natura, cum operetur ex fœcunditate, ibid. Quædam ſolutio Scotiſtarum aſſerens voluntatem diuinam dici liberam in proceſſione Spiritus Sancti quatenús complacenter operatur, exploditur, pag. 223. Alia Guillelmi Rubionis affirmantis Spiritum S. liberè procedere quatenùs procedit per voluntatem, quæ ex ſe eſt operatiua contingenter, & ita operaretur in hac productione niſi obſtaret identitas eſſentialis inter producens, & productum, multipliciter impugnatur, ac reijcitur, pag. 224. Alia frequentior Scotiſtarum ſolutio impugnatur, pag. 224. & 225.

§. III. Arguitur primô, eo proceſsio Spiritus Sancti non eſſet libera, quia eſt ſummè neceſſaria, ſed ſumma neceſsi-

ceſsitas libertatem non impedit, vt Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ traditur teſtimonijs; ergo ea proceſsio eſt libera, pag. 225. Reſp. ſummam neceſsitatem deſtruere libertatem, quin oppoſitum probent allegata ab argumento Sanctorum teſtimonia, quia Auguſtinus, & Anſelmus vnicè tradunt illis in locis poteſtatem peccandi non pertinere ad libertatem, & Angelicus Doctor loquitur de libertate à coactione, vt alio ipſius teſtimonio fit apertum, pag. 226. Alia argumenta proponuntur, & exarmantur, p. 226. & 227.

TRACTATUS. VIII.
De miſsione Divinarum Perſonarum.

DVBIVM I.

Vtrùm divinis perſonis convèniat mitti? pag. 228.

§. I. Quid ſit miſsio traditur dividitur in temporalem, & æternam, pag. 229. Prænotatur miſsionem duplicem importare reſpectum, nimirùm ad mittentem, & ad terminum alia proponuntur, pag. 229.

§. II. Dicendum miſsionem divinis convenire perſonis ſuadetur varijs Sacræ Pag. teſtimonijs, & primò ex illo Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolùm vnum Deum, & quem miſsiſti Jeſum Chriſtum*, & ex illo 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo*, & cap. 15 *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Vlterius ratione, quoniam miſsio eſt proceſsio æterna perſonæ miſſæ à mittente, & in mundo viſibiliter apparere, aut inviſibiliter operari, quod aperte convenit divinis perſonis, Filij, & Spiritus S. quia Filius procedit æternaliter à Patre, & Spiritus S. ab vtroque, & in mundo viſibiliter apparuerunt, pluraque quotidie inviſibiliter operantur. pag. 229.

§. III. Arguitur primò divinæ perſonæ mitti non poſſunt per imperium, nec per conſilium, aliundè nec per originem, quia per originem vna perſona habet ſuum eſſe ab alia; quod non poteſt habere permiſsionem, quia debet ſupponere perſonam iam exiſtentem, pag. 230. Reſp. miſsionem in Deo ſolùm poſſe eſſe per originem, quia miſsio requirit authoritatem in perſonam miſſam, & hæc in Deo non poteſt eſſe per conſilium, aut imperium. ibid. Cætera proponuntur, & diluuntur argumenta, pg. 230. & 231.

DUBIUM II.

An mitti omnibus divinis perſonis conveniat? pag. 231.

§. I. Duplex ſtabilitur miſsio, quarum paſsiva vna, & alia activa, & de prima dubitatur an conveniat Patri ſuppoſito vt certo ſecundâ illi convenire. Secundo proponitur duplex ſtatus controverſiæ, nimirum an Pater mittatur ab alia perſona, & an mitti poſsit à ſe ipſo, pag. 231.

§. II. Negat concluſio miſsionem paſsivam convenire Patri, firmatur ex omnibus teſtimonijs dubio antecedenti allegatis docentibus Spiritum Sanctum mitti à Filio, ex quibus deducit Anſelmus ab illo procedere, ex quo ſequitur miſsionem includere proceſsionem à mittente, & cum Pater à nullo procedat, nequit illi miſsio paſsiva convenire. pag. 231.

§. III. Aſſeritur ſecundò, nullam perſonam poſſe ſe ipſam mittere ſuadetur ex antecedentibus, in quibus videre eſt miſsionem temporalem includere eſſentialiter proceſsionem æternam; vndè cum nulla perſona á ſe ipſa procedat, nec à ſe ipſa poteſt mitti, p. 232. Rurſus, quia miſsio importat reſpectum ad mittentem; & nulla perſona ad ſe ipſam reſpectum importare poteſt. ibid.

§. IV. Argumenta contraria diſſolvuntur, pag. 233.

DUBIUM III.

An perſona divina mittatur duntaxat ab alia, à qua procedit? pag. 233.

§. I. Dubium procedere ſpecialiter de Filio ſtatuitur; an videlicet mitti poſsit à Spiritu S. á quo non procedit

cedit. Fundamenta ſententiæ affirmativæ proponuntur, quorum primum deſumitur ex Concilio Toletano 11. ſic loquente: *Filius miſſus non ſolùm à Patre, ſed etiam à Spiritu credendus eſt, eo quod per Prophetam dicitur: & nunc Deus miſit me, & ſpiritus eius*, quod confirmatur ex illo Lucæ 4. V. 18. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me evangelizandum pauperibus miſit me. Secundum autem á ratione, quia mittere Filium in mundum nihil aliud eſt, quàm illum facere hominem; hoc autem eſt commune toti Trinitati, cum ſit opus ad extra, pag. 233.

§. II. Dicendum perſonas divinas propriè loquendo duntaxat mitte temporaliter ab illis, à quibus æternaliter procedunt. Demonſtratur aſſertionem conſonam eſſe, & evidenti conſequentiæ filo deductam ex principijs ipſis adverſarijs certis; quia Anſelmus ſæpiſsimè probat Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia ab eo mitti ex Sacra Pag conſtat, quæ ratio nullius eſſet momenti, ſi Filius à Spiritu S. à quo non procedit, mitti poſſet. pag. 234. Vlteriùs, quia miſsio iuxta communo Theologorum, eſt exitus, & proceſſio ab alio, in aliquem terminum, & in divinis nullus alius eſt exitus, nec proceſsio, niſi à principio, à quo ſuum eſſe habet perſona miſſa. Prætereá; quia cum in divinis repugnet reſpectus perſonæ miſſæ, niſi ad eam à qua procedit, repugnat pariter miſsio, quæ talem exigit reſpectum. ibid.

§. III. Varia Sanctorum Patrum teſtimonia exhibentur, ex quibus impugnationibus, tùm authoritate, tùm ratione factis §. 1. Reſp. quod Filius verè mittitur à Spiritu S. non tanquàm perſona divina, ſed tãquam homo ad evangelizandum, prædicandum, & alios effectus operandos, & ſimiliter, quod Incarnatio, quæ eſt operatio, ad extra, eſt activé à tota Trinitate, non veró à Patre eumordine ad humanitatem, in quo vera miſsio ſita eſt, pag. 235.

DVBIUM. IV.

An miſsio divinarum perſonarum, rectè dividatur in viſibilem, & inviſibilem pag. 236.

§. I. Quid miſsio, tám viſibilis, quàm inviſibilis ſit traditur, atque varijs locis, quibus traditur Chriſtum inſuflaſſe diſcipulos, & Spiritum S. deſcendiſſe, quaſi columbam elucidatur viſibilis miſsio, pag. 236. Inſuper miſsionem inviſibilem, quæ medio aliquo ſpirituali effectu fit eſſe proponitur; nec non vnam diſtingui ab alia, quia in prima vna perſona manifeſtari poteſt ſine alia; ſecus verò in ſecunda, nempé inviſibili, quæ non ad omnes perſonas, vt miſſus, ſed ad duas procedentes, vt miſſas; ad omnes autem, vt venientes, & deſcendentes ad creaturam pertinet, ibidem.

§. II. Vtramque miſsionem eſſe propriè talem propugnatur, atque adeò diviſionem ipſius in viſibilem, & inviſibilem optimam eſſe. Suadetur ratione, quia nimirúm miſsio importat exitum à mittente, cum novo modo habitandi in creaturis, quod de vtráque miſſione verificatur, pag. 237.

§. III. Arguitur primò contra miſsionem inviſibilem, ex eo quod in ea mittens convenit cum miſſo in termino miſsionis, vt conſtat ex illo Ioannis 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quod rationi miſsionis opponitur, vt patet in creata, pag. 237. Reſp. ex dictis plura reperiri in miſsione creaturarum, quæ divina miſsioni nullatenùs conveniunt, vt apertum fit in ſeparatione perſonæ miſſæ à mittente, pag. 238. Aliæ obiectiones propoſitæ, & præcluſæ, ibid.

DUBIUM V.

An perſonæ divinæ per miſsionem ad creaturam rationalem ſint in illa duntaxat per dona gratiæ, an etiam realiter, & perſonaliter? pag. 239.

§. I. Dignoſcitur qua difficilis ſit explicatu, ſpecialis modus, quo Spiritus S. tangit penetralia cordis, & proponuntur varij opinandi modi, pag. 239.

§. II. Dicendum cum miſsione viſibili divinarum perſonarum donari nobis, non ſolùm dona gratiæ, verúm & ipſas perſonas miſſas, nobis dari, ac nobis realiter, & perſonalitèr præſentes conſtitui ſuadetur ex illo Apoſt. ad Rom. 5.

Chari-

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis. Et vlterius alijs Sacræ Pag. locis fulcitur, pag. 239. Suadetur ratione, videlicet eo quod, ex missione temporali Spiritus S. in Apostolos, probatur æterna processio Spiritus S. à Patre, & Filio, cum autem in hac processione ipsa persona Spiritus S. sit quæ æternaliter procedit, ipsa pariter est, quæ in Apostolos mittitur. pag. 240. Confirmatur, ex eo quod per missionem Spiritus S. in discipulos in linguis igneis, v. g. aliter fuit Spiritus S. in illis ac antea erat; vnde hic specialis modus non erat per sola dona gratiæ, cum per dona gratiæ etiam antea fuisse credendum sit, ibid. Deducitur ex præfactis media missione invisibili; non solùm donari nobis Spiritum S. sed cæteras quoque personas nobis dari, quia præsentia divinarum personarum quomodocumque exponatur, importat aliquid commune, quia vel fundatur in perfecta amicitia, vel in speciali coniunctione per cognitionem, & amorem, vel in vnione cum ipso Deo tanquàm cum obiecto fruitionis, quæ omnia indivisibiliter tribus personis conveniunt, pag. 240.

Resp. Godoy his omnibus, non probari præsentiam realem, & physicam, sed tantùm obiectivam; nam aliud est, præter dona gratiæ dare nobis personam missam, & aliud, eandem personam constitui in nobis physicè præsentem. Quod diversum iudicat ex eo quod primum certum est, & oppositum, iudicat erroneum, P. Suarez cum D. Thoma; at secundum tuetur idem Suarez probabile, & pium, pag. 240. Impugnatur solutio, primó, quia licet ita certa non sit præsentia physica in missione invisibili, sicut certum est dari personam Spiritus Sancti, haud facile vnum ab alio separari potest, quoniam præsentia puré obiectiva nullam connexionem habet cum speciali missione Spiritus Sancti, quoniam ea secluſa potest esse præsens obiectivè; sicuti de facto est respectu iniusti Deũ cognoscentis. Secundó: quia ad hanc præsentiam obiectivam sufficiunt dona gratiæ, cum sita sit in sola repræsentatione, vel in Verbo per ipsam producto; ad quod nihil aliud desideratur, quam dona cognitionis, & amoris. Denique, quia cum Deum esse obiectivè cognitum sit denominatio extrinseca desũpta à cognitione, & amore; per hoc, quod Deus mittat hæc dona, erit obiectivè præsens; vndè præsentia obiectiva, salvatur optimè sine speciali habitatione Spiritus Sãcti, pag. 241. Alij modi exponendi, qualiter Deus specialiter sit in creaturis traduntur, & excluduntur, pag. 242. Proprius modus expenditur, & ex doctrina D. Thomæ, elucidatur, p. 243 Vbi plura obsservatu digna traduntur, pag. 243.

§. III. Arguitur primó, ex eo quod si personæ divinæ constituerentur physicè præsentes animæ iustorum præsentia distincta à præsentia per immensitatem, daretur in gratia aliquod prædicatum talem præsentiam exigens; quod ita non evenit; quia gratia viatorum solùm est radix cognitionis obscurę per fidem, amoris per charitatem, & actuũ aliarum virtutum, quibus non debetur præsentia physica: namque non cognitioni per fidem, quæ respicit obiectum non habitum, sed vt habendum in spe: non amori; quia amor, vel est actus desiderij, & sic petit absentiam, vel amoris propriè dicti, qui á præsentia, vel absentia præscindit; delectatio autem possibilis non est viatori de re habita, quoniam coniungitur cum spe vndè nullum ex actibus radicatis in gratia viatoris exigit realem Dei præsentiam, pag. 343. Resp. quod licèt gratia, vt radicans præcisæ virtutes, talem præsentiam non exigat; eam tamen exigit, vt radicat dona Spiritus Sancti, & consequenter etiam fidei, & charitati talem præsentiam deberi; non ratione sui, sed ratione donorum fidei præsuppositivè, & charitati applicativè, pag. 244. Cætera argumenta diluuntur, pag. 244. & 245.

DVBIUM VI.

An solùm ratione gratiæ sanctificantis animam, fiat missio divinarum personarum? pag. 246.

§. I. Prænotantur aliqua ad quæstionis intelligentiam spectantia, & referuntur

Docto

Doctorum placita, pagina. 246.
§.II. Dicendum perſonam divinam mitti dumtaxat ratione gratiæ ſanctificantis. Probatur; quia Spiritus Sanctus mittitur ad nos, ad inhabitandum in nobis, tanquam in templo ſuo, quod fieri nequit niſi ratione gratiæ ſantificantis, pag. 246. Confirmatur ex Sacra Pagina, & Sanctis Patribus, pag. 247.
§.III. Convincitur ratione: nimirum, quia perſonæ divinæ dũtaxat mittuntur ad creaturas ratione illius vi cuius ſunt in illis, vt obiectum cognitum, & amatum, in cognoſcente, & amante. Et hoc ſolum poteſt eſſe ratione gratiæ ſanctificantis, cum cæteris donis in ipſa radicatis cum Deus vt ſit obiectum amatum amore vnitivo, & cognitũ cognitione experimentali, ſupponat gratiam, ſicut & donum ſapientiæ, & charitatis, pag. 248.
§.IV. Argumentum primum deſumitur, ex eo quod datur miſsio Spiritus Sancti, ſine collatione gratiæ, vt patet in miſsione ad Virginem, & quando Chriſtus inſufflavit in Apoſtolos, & quãdo dedit poteſtatem curandi infirmos, & eijciendi dæmonia in miſsione Pentheoſtes, & denique, quoties augetur gratia in quibus omnibus, eſt vera miſsio cum tamen nulla fiat collatio gratiæ. Reſp. quod dum Spiritus Sanctus mittitur tendit, ad ſanctificandam animam, ſi gratiam non ſupponat; vel ſi ſupponat, cauſare ſpeciales effectus, ad quos talis miſsio ordinatur, pag. 249. Cætera, argumenta reſolvuntur, pag. 250.

DUBIVM VII.

An miſsio divinarum perſonarum dicenda ſit temporalis, vel æterna? pag. 250.
§.I. Prænotantur aliqua, pro controverſiæ enodatione, & aliqua circa mentem D. Thomæ proponuntur, pag. 250.
§.II. Miſsio divinarum dicenda eſt temporalis, & non æterna. Probatur, quia quod conſugit ex duobus deficit, quolibet deficiẽte, & cum ab æterno deficiat novus modus exiſtẽdi in creaturis, quem importat miſsio, præter proceſſionem æternam à mittente, deficit pariter denominatio miſsionis ab æterno, pag. 251.
§.III. Authoritates D. Thomæ propoſitæ, §. 1. Explicatæ, & diſſolutæ, pa. 252.

TRACTATVS. I.

De exiſtentia, & natura voluntatis divinæ.

DVBIVM I.

Vtrùm in Deo ſit voluntas? pag. 252.
§.I. Affirmativa eſt concluſio, & pro illius clariori intelligentia prænotatur, quid appetitus innatus ſit, & quid ellicitus, pag. 253. Suadetur aſſertio ex illo ad Theſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Et ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei,* & Matt. 6. *fiat voluntas tua.* Præterea ratione, eo nimirum, quia ex intellectu ſequitur voluntas, vndè cum in Deo ſit intellectus, debet eſſe, & voluntas, pag. 254. Rurſus, quia in Deo ponenda eſt omnis perfectio ſimpliciter, ſimplex, & talis eſt voluntas, pag.
§.II. Opponunt primo. Non implicat ſubiectum intellectivum, non volitibum, cum illud hoc præcedat, ergo ex Intellectu non ſequitur voluntas. Confirmatur, ex eo quod non implicat perfecta cognitio, cui repugnet excitare aliquem voluntatis affectum, vt ſi Deus decerneret non concurrere cũ Petro v.g. ad aliquem voluntatis actum, & hoc illi revelaret, ex quo ſequitur Petrum eſſe intelligentem, & non volentem, pag. 255. Reſp. Intellectivum præcedere volitivum formalitêr, non radicalitêr, vel præcedere cum ordine tranſcedentali ad volitivum, pag. 255. Confirmationi reſpond. ſe ipſa corruere, quia ſupponit voluntatem, quam impugnat; tum in Deo, quia in illo liberum decretum ponit, tum in creatura; quia ſi non eſſet voluntas, nec Deus decerneret ad illius actum non concurrere, pag. 156.

DUBIVM II.

Vtrùm detur in Deo voluntas, per modum actus primi? pag. 256.
§.I. Prænotatur voluntatem poſſe concipit, ſeú conſiderari per ordinem ad

terminum, ſivè ad intra, ſivè ad extra, & per ordinem ad actum, ſivè eſſentialem, ſivè notionalem. Traditur præterea, vt omnibus indubitatum voluntatem divinam habere rationem potentiæ, quando concipitur, vt productiva creaturarum; necnon diverſitas opinandi, de illa per ordinem ad terminum, ad intra, & per ordinem ad actum, ſivè eſſentialem, ſivè notionalem, pag. 257.

II. Sententiam affimativam tuetur aſſertio, non ſolum reſpectu termini, ſed etiam reſpectu actus, ſivè eſſentialis, ſivè notionalis. Probatur primó ex Parente Anſelmo, aiente: voluntatem eſſe poteſtatem quandam, *& poteſtatem eſſe aptitudinem ad agendum*, quæ aptitudo importat actum primum vlterius ſuadetur expreſſo D. Thomæ teſtimonio; & aliud in oppoſitum allatum expenditur, eiuſque expoſitio ex alia eiuſdem Sancti Doctoris authoritate, fit manifieſta, pag. 257. & 258. Probatur ratione, quia voluntas per modum potentiæ reſpectu actiones nullam includit imperfectionem, quia ſolum dicit eſſe principium proximum volitionis, quod imperfectione caret, ſicut eſſentiam divinam eſſe principium radicale operationum, imperfectio non eſt, pag. 258. Reſpond. non repugnare, naturam eſſe principium radicale attributorum, & operationum, quia ſunt perfectiones diverſæ lineæ, vndè quælibet in ſua linea, eſt actus purus; & ob oppoſitam rationem, nimirum, quia voluntas non eſſet actus purus in ſua linea, cum ei deficeret vltima eiuſdem lineæ perfectio, non poſſe eſſe principium proximum operationum, ibid. Impugnatur multipliciter ſolutio, & inſtatur, pag. 259.

§. III. Arguitur primó; voluntas per modum potentiæ importat imperfectionem, quia importat conceptum potentiæ paſsivæ; quia cum ſit diſtincta virtualiter ab actu debet illum recipere; quod eſt eſſe potentiam paſsivam, pag. 260. Secundó potentia realitèr diſtincta ab actu, eſt realitèr receptiva illius: ergo potentia virtualitèr diſtincta, erit virtualitèr receptiva, quod dicit imperfectionem potentiæ paſsivæ à Deo relegandæ. Tertiò, quia cóceptus actus primi dicit potentialitatem, & perfectibilitatem, quia dicit conceptum actus non vltimi, quarto quia ſi voluntas concipitur per modum potentiæ reſpectu actus, concipitur, vt determinabilis per actum, cum hoc conveniat cuilibet potentiæ, ibid. Ad primum reſpond. non eſſe potentiam paſsivam, quia in illa non manet actus per receptionem, ſed per identitatem. Ad ſecundum, eam diſtinctionem, non excludere ſummam identitatẽ, & incluſionem, vndè non ſufficit ad receptionem. Ad tertium, eſſe conceptum actus non vltimi includentis vltimum, non illum excludentis; & denique ad quartum dicitur potentiam, non eſſe determinabilem per actum, intimè incluſum, pag. 261. Cætera argumenta extricantur, ibid.

DVBIUM III.

Vtrùm velle, aut voluntas, ad conceptum metaphiſicam divinæ naturæ pertineat? pag. 262.

§. I. Proponitur controverſiam non tantum de perfectione lineæ volitivæ, ſed abſolute explorandam ire, deindè præmittitur nullatenùs reperiri nomen, aut verbum, quod digne de creatrice rerum ſubſtantia dicatur, proponitur deindè controverſia pro modulo noſtro de divina eſſentia, ſivè naturæ, non quidèm in ſenſu phiſico, & reali, ſed formali, & metaphiſico, & referuntur Doctorum placita, pag. 262.

§. II. Dicendum primò, nec intelligere, nec velle, actuale, aut rad cale eſſe conſtitutivum formale, & metaphiſicum naturæ divinæ. Suadetur quoad primam partem ex Divo Thoma 1. p. quæſt. 26. art. 2. vbi ait: *In Deo eſſe, & intelligere eſt idem ſecundum rem, ſed non ſecundum rationem*, ex quo deducitur eſſentiam divinam per intelligere non conſtitui. Quod autem non conſtituatur natura divina per intellectum probatur ex eodem Sancto Doctore, citato loco, ibi dicendum: *Quod Deus ſit beatus, ſecundum ſuam eſſentiam, non autem quod beatitudo, ei conveniat ſecundum rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundum rationemẽ intellectus*, pag. 263.

De-

Deducitur ex dictis non conſtitui per perfectionem lineæ volitivæ, ſivè per modum actus, ſive per modum principij, quia cum intellectus ſequatur ad voluntatem, ſi linea intellectiva, ſupponit naturam conſtitutam, potiori titulo linea volitiva, ibi. Probatur deniq; de omni perfectione, lineæ intellectivæ, & volitivæ, ſivè actuali, ſivè radicali, quia videlicèt nulla eſſentia conſtituitur per determinatam eiuſdem eſſentiæ perfectionem, cum eſſentia ſit radix omnium, quæ ipſi conveniunt, & linea intelectiva (idem de volitiva) eſt determinata perfectio eſſentiæ divinæ, pag. 264.

§. III. Dicendum ſecundò, conſtitutivum formale divinæ naturæ eſſe ens à ſe, ſivè ens per eſſentiam, & imparticipatum ab alio, quæ aſſertio firmatur, primo ex illo Exodi 3. vbi Moiſi inquirenti à Deo, quod eſt nomen eius? Reſpondit: *ego ſum, qui ſum: hæc dices Filijs Iſrael, qui eſt miſsit me ad vos*: traduntur præterea Anſelmi, & D. Thomæ teſtimonia, ex quibus fit apertum conſtitutivum formale divinæ naturæ eſſe ens à ſe. Deinde ſuadetur ratione, quia eſſentia divina per ens à ſe diſtinguitur primo ab omni alio, ſivè ſit creatura, quæ eſt ens ab alio, ſivè alia perfectio divina, quæ eſt prædicatum ſecundario conceptum, cum ens á ſe ſit omnibus alijs vniverſalius, & ab eo omnia alia attributa ſubſequantur, pag. 264. Confirmatur, ex eo quod ens à ſe caret omni cauſa, à qua limitetur, & ſub ſe claudit omnes perfectiones, quę includuntur in tota latitudine entis, pag. 265. Probatur ſecundo, concluſio, ex eo quod ratio entis à ſe, eſt à qua omnia alia originantur, & ipſa, non originatur in aliquo, cum ab ea ad omnes alias perfectiones valeat conſequentia à priori, non vero è contra, pag. 266.

§. IV. Aliqua D. Thomæ teſtimonia pro adverſarijs breviter iudicata, & explicata, pag. 266. Arguitur ratione, ex eo quod ex conceptu entis, & aſſeitatis nequit conſtitui aliqua natura, quia conceptus entis, eſt communis, & aſſeitas, aliquid negativum, & ex conceptu poſitivo, & negativo, natura poſitiva conſtitui nequit. Secundò: quia omnibus in confeſſo eſt, nullam creaturam conſtitui per ens ab alio, ex qua deducitur, nec Deum conſtitui per ens à ſe, quia cum ita conveniat creaturæ eſſe ens ab alio, ſicut Deo convenit eſſe ens à ſe; eſt par vtriuſque ratio. Tertio: quia licet aſſeitas ſit differentia propria Dei; videtur applicandam eſſe alteri prædicato magis determinato; quia aliàs inepte explicaretur eſſentia Dei; ſicut inepte explicaretur eſſentia Hominis, per ens rationale, pag. 266. Reſpond. quod cum ens dividatur immediate in creatum, & increatum, & ſub ſecundo diſtinctionis membro, non contineatur, niſi Deus; poteſt quam optime ens ingredi conſtitutivum divinæ naturæ; & aſſeitatem eſſe verè quid poſitivum, importans neceſsitatem eſſendi à ſe ipſo, licèt exponatur, per carentiam principij. Ad ſecundum reſpond. ens à ſe conſtituere poſſe naturam determinatam increatam, licet non creatam; & regeritur præterea in adverſarios, quia ſi per ipſos, ita convenit Deo eſſe ens à ſe, ſicut creaturæ eſſe ab alio, cum creatura formaliter conſtituatur, per eſſe ab alio, debet Dens conſtitui, per ens à ſe: ex quibus fit ſatis vltimæ impugnationi, quia natura divina non debet conſtitui; per conceptum correſpondentem naturæ humanæ, aut alteri naturæ determinatæ, ſed per conceptum oppoſitum naturæ creatæ, in communi, pag. 267. Cætera argumenta proponuntur, & extricantur, pag. 267. & 268.

DUBIVM IV.

Quodnam ſit obiectum formale, & adæquatum voluntatis divinæ? pag. 269.

§. I. Præſupponitur primò, Deum non ſolum vere, & propriè ſe ipſum amare, ſed etiam creaturas, vt conſtat ex illo Pſalmi 134. *Omnia quæcumque volait Dominus fecit*, ac pluribus ex Sacris Litteris teſtimonijs ſit apertum, pag. 269. Proponitur, quædam contra ſuppoſitionem obiectio, & diſolvitur, pag. 270. Præterea proponitur qualitèr dubium procedat, tam de bonitate creata, quam increata, & de bonitate eſſentiæ, & attributorum, referuntur ſententiæ, ibidem.

§. II.

§. II. Dicendum primò, ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum formale motivum, & adæquatum divinæ voluntatis. Suadetur authoritatibus Anſelmi, & Thomæ, ac præterea ratione; nimirùm quia ſola bonitas divina poteſt commenſurari cum illius voluntate, quia ſolum infinitum, cum infinito commenſuratur. Confirmatur, ex eo quod ſola bonitas divina poteſt divinam voluntatem finalizare, cum ſola illa ſit capax exercere virtualem cauſalitatem, ad hoc vt ſit finis requiſitam, pag. 271. Aliquæ contra rationem obiectiones, proponuntur, & enodantur, pag. 272.

§. III. Dicendum ſecundo, ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum primarium terminativum divinæ voluntatis, probatur ex eo quod illud eſt obiectum terminativum, quod ratione ſui terminat potentiam, ſive quod ratione ſui proportionem, aut rationem formalem habet, vi cuius terminare poſſit potentiam; quod ſolúm convenit bonitati divinæ, quia nil poteſt Deus amare niſi ratione ſuæ bonitatis. Confirmatur, nam quod habet rationem medij, & non finis, ſolùm poteſt terminare ratione finis, & creaturæ ſe habent tanquam medium reſpectu bonitatis divinæ, quæ ſe habet vt finis, pag. 273.

§. IV. Dicendum tertiò ſolam bonitatem eſſentiæ, & nõ attributorum eſſe obiectum primarium, & ſpecificativum divinæ voluntatis reintegratur ratio facta: illud namque eſt obiectum primarium, & ſpecificativum divinæ voluntatis, quod ratione ſui amatur, & vi cuius cætera amantur; & ita ſe habet eſſentia, cum ſit prima radix, à qua bonitas ad omnia attributa deſcendit. Confirmatur, ex eo quod ita ſe habet voluntas ad bonum, ſicut intellectus ad verum; vndè cum ſola veritas eſſentiæ ſpecificet divinum intellectum; ſola etiam bonitas illius divinam ſpecificare debet voluntatem. Probatur ſecundo, eo quod ea eſt bonitas ſpecificativa divinæ voluntatis, quæ conſtituit obiectum congruum divinæ dilectionis; & hoc ſolúm competit naturæ, pag. 274.

§. V. Arguitur primó. Si bonitas creata non eſſet obiectum motivum divinæ voluntatis, redderentur inutiles, plures in tota Theologia quæſtiones, ſive dum inquiritur, an electio efficax ad gloriam ſit ex præviſis meritis? An reprobatio ſit mota à demeritis? An Incarnatio ſit propter noſtram ſalutem? & aliæ ſimiles in tota Theologia controverſiæ; quod cum dici nequeat, affirmare debemus voluntatem divinam moveri á bonitate creata, pag. 275. Reſp. eas quæſtiones non reddi inutiles, ſed eſſe neceſſarias, & ab hac quæſtione prorſus independentes, quia licet obiectum motivum ſit bonitas divina, ſæpè tamen connotat neceſſarió, merita, vel demerita. ibid. Arguitur ſecundo, creaturæ ex ſe ſunt amabiles, cum ex ſe habeant bonitatem intrinſecam, & non ſolùm denominentur bonæ à divina bonitate; ergo ratione ſui terminant actum divinæ voluntatis, pag. 276. Reſp. bonitatem creatam eſſe ſufficientem, ad voluntatem creatam terminandam; non veró divinam, quia improportionata, vel eſſe amabilem vt rationem *quæ*, non veró *ſub qua*, ibid. Alia argumenta proponuntur, & diluuntur, pag. 277.

DUBIUM V.

An Deus diligat creaturas poſsibiles? pag. 278.

§. I. Statuitur controverſiam procedere de poſsibilibus, ſive in illo ſtatu manentibus, & proferuntur Authorum dictamina, pag. 278.

§. II. Sententiam negativam tuetur aſſertio, & in ipſius fulcimen authoritas Anſelmi proponitur; & rurſus alia D. Thomæ roboratur. Deinde probatur ratione, nimirúm ex eo quod creaturæ poſsibiles nullum eſſe amabile habent, quia vtpotè carentes entitate, carent etiam bonitate; nec ſatis eſt habere bonitatem in potentia, cum hoc tantum ſit eſſe in potentia ad terminandum amorem, non vero actu terminare, ibid. Oppones bonitatem in potentia ſufficere ad terminandam actu voluntatem, ſicut veritas in potentia eſt ſufficiens ad terminandum actu intellectum, ibid. reſp. intellectum trahere res ad ſe, ideoque poſſe cognoſc

noſcere obiectum prout eſt in cognoſcente, quanquam non ſit in ſe ipſo; attamen voluntatem cum feratur ad res, prout ſunt in ſe ipſis; nullatenus poſſe terminari á rebus, quæ actu non ſunt, vel ordinem determinatum, ad actum non habent, pag. 278. Quædam contra ſolutionem obiectio impugnatur, pag. 279. Vlterius probatur concluſio, quia ſi Deus amaret creaturas poſsibiles, vel eas amaret neceſſariò, vel liberè, quorum neutrum dici poteſt namque non neceſſariò, quia nulla bonitas finita poteſt Deum, ad amorem neceſsitare; non liberè, quia cum talis amor eſſet ob connexionem, quam dicunt poſsibila, cum omnipotentia, & hæc ſit neceſſaria, non poſſet ille amor liber eſſe, pag. 280.

§. III. Arguit primô. Eminent. Aguirrre, ex Parente Anſelmo docente, quod perfectio ſimpliciter ſimplex eſt melior ipſa, quam non ipſa, ideſt perfectio pura nulli alteri perfectioni repugnans; & cum amor creaturarú poſsibilium, non pugnet cum volitione efficaci eas producendi erit perfectio ſimpliciter ſimplex, & conſequenter ponendus in Deo, pag. 280. Reſpond. argumentum amorem poſsibilium ſupponere, non probare; non eſt enim aliqua perfectio amare non amabile, ibidem. Secundum argumentum deſumitur ex D. Thoma, 1. contra Gent. cap. 84. aiente: *Qui vult, ea quæ ſunt vel poſſunt eſſe bona*, cui brevitèr reſpondetur ibi Sanctum Doctorem loqui de potentia volendi poſsibilia, non vero de actuali volitione; cum ibi loquatur de amore poſsibilium compativé ad impoſsibilia, pag. 280. Arguitur tertio, creaturæ poſsibilitas in eo ſtatu habent aliquam bonitatem, cum enim habeant aliquam entitatem, pariter bonitatem, quæ eſt paſsio tranſcedentalis entis debent habere. Secundó, quia cum creaturæ poſsibiles in eo ſtatu habeant totam ſuum integritatem, vt patet in Homine, qui in eo ſtatu eſt animal rationale cum ſuis proprietatibus, debent habere bonitatem, quæ ad integritatẽ entis pertinet. Tertio, quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quæ volitio terminatur ad ſalutem poſsibilem, cũ ex vi illius, ſalus omnium non reddatur futura, nec exiſtens, pag. 280. Reſpond. creaturas poſsibiles, pro illo ſtatu, nec habere entitatem, nec bonitatem, & licèt aliqua concedatur entitas eam non eſſe in ſtatu aptu ad terminandum amorem. Ad ſecundum habere integritatem, & perfectionem in potentia, non verò in actu, pag. 280. Ad tertium exploſa quorumdam ſolutione aſſerentium, voluntatem illam reſpicere omnium ſalutem exiſtententem in ſuis cauſis ſufficientibus, reſpondetur, ſalutem omnium ex vi illius voluntatis, reddifuturam conditionate, & affectivè, pag. 281. Cætera argumenta diluuntur, pag. 282. & 283.

DVBIUM VI.

An poſito amore creaturarum poſsibilium, in Deo amor ille eſſet neceſſarius, aut liberè? pag. 283.

§. I. Proponitur pro quæſtionis enodatione, qualitèr amor Dei, poſsit eſſe neceſſarius', quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, & referuntur ſententiæ, pag. 283.

§. II. Creaturas poſsibiles neceſſario amari à Deo, ſi in ſe ipſis amabiles ſint, tenet aſſertio. Suadetur ratione, quia videlicèt amor poſsibilium (ſi ſemèl ſupponatur) eſt melior ipſe quam non ipſe, nempè perfectio ſimplicitér ſimplex, vndè neceſſario debet dari in Deo. Reſpondent amorem neceſſarium creaturarum poſsibilium pugnare, cum altiori perfectione, nimirum cum libertate. Impugnatur primô, quia libertas Dei non ſalvatur in ordine ad poſsibilitatem, ſed in ordine ad exiſtentiam. Secundo, quia ſicut ſinè præiudicio divinæ perfectionis Verbum Divinum ex cognitione poſsibilium procedit, quia cognoſcibilia ſupponuntur, paritèr, ſinè eiuſdem perfectionis diſpendio, ſi ſupponuntur amabilia Spiritus Sanct. ex ipſorum amore procedet; quo poſito talis amor eſt neceſſarius. Tertio, quia in ſuppoſita ſententia ita ſunt, amabiles, ſicut cognoſcibiles, vndè cum talis cognitio ſit neceſſaria, & perfectio ſimplicitèr ſimplex, pariter, & amor. Quarto, quia cum talis amor anteceedat omne decretum liberum, ſicut eorum amabilitas,

nequit non esse necessarius, pag. 284.

§. III. Arguitur primo, ex eo quod bonitas creaturarum possibilium est finita, & limitata, vnde non potest voluntatem divinam, quæ à solo bono infinito potest satiari, necessitare ad amorem. Cõfirmatur; quia creaturæ possibiles, non minus sunt producibiles, quam amabiles, & tamen non necessario producũtur; ergo nec necessario amãtur, p. 285. Resp. nullam bonitatem creatam necessitare Divinam voluntatem, ad amorem efficacem; necessitare tamen ad amorem simplicis complacentiæ, vel non necessitare titulo bonitatis finitæ, sed titulo connexionis, ibid. Reliqua diluuntur argumenta, pag. 286.

TRACTATVS II.

De Divina libertate.

DVBIVM I.

Vtrùm in Deo ponenda sit libertas, eaque non solùm ad producendum, sed etiam ad volendum? pag. 287.

§. I. Proponitur, quãdifficilis sit explicatur libertas Dei, licèt alias nihil illa certius, nocnon antiquorum error negans Deo libertatem; similitèr recensentur novatores hæretici, huic delyrio subscribentes. Traditur præterea qualitèr Aureolus libertatem Deo concedens, docet eam sitam esse, in producendo, aut non producẽdo, non verò in volendo, aut nollendo, pag. 288.

§. II. Adstruitur primó, vt Fide Catholica certum in Deo esse libertatem, tam ex parte potentiæ, quam ex parte actus. Probatur assertio ex Apostolo ad Ephæs. 1. vbi de Deo ait: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; quia vbi adest consilium, adest libertas suadetur præterea ex alijs Sacræ Paginæ locis; ac deindé ratione, nimirum quia libertas est maxima perfectio, vndè Deo concedi debet, quia si creaturæ rationali conceditur, quia perfectior omnibus alijs potiori titulo est Deo concedenda, pag. 288. Secundò; quia agens ex fine sibi præfixo non operatur ex necessitate, sed liberé; & ita operatur Deus, quia est agens summe intellectuale. Tertiò, quia potest Deus alia facere, quam quæ fecit, quia omnipotens; nec facta sunt omnia, quæ facere potest: immó plura nunquam faciet: *Nam si in Bethsaida, & Corozaim facta fuissent, quæ facta sunt in Tyro, & Sydone pœnitentiã egissent, & credidissent*, quæ pœnitentia, nec facta est, nec futura est, pag. 288.

§. III. Statuitur secundò, Deum non solũ esse liberum, in producendo, aut non producendo; sed præcipuè in volendo, aut nollendo. Suadetur ex illo Psal. 134 *Omnia quæcumque volait Dominus fecit*; præterea ex Apostolo ad Æphes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ac Magni Parentis Anselmi testimonio, pag. 288. Confirmatur hac ratione, quia quæcumque in tempore fiunt, vel Deus abæterno voluit ea in tempore fieri, vel nolluit? Si voluit: ergo facta sunt Deo nollente, ac proindè, nec concurrente; vndè Deus non erit liber in temporali productione. Si voluit cum abæterno creaturas non produxerit, consequens est, vt sit liber, non solum in productione temporali, sed in actu voluntatis ab æterno posito, ibid. Respond. Aureolus Deum denominari libere volentem quatenus libere producit potens non producere; quin propterea necessarius sit alius actus voluntatis, antecedens productionem. Reijcitur solutio ex Sacris Litteris, vt ipsis minus consentanea, pag. 289.

§. IV. Arguitur primò: Deum liberé producere creaturas est liberè eis suam bonitatem impertiri; & hoc Deus facere non potest, quia cum sit summum bonum, est summè diffusivum sui, & habet summam inclinationem, ad se communicandũ immò infinitam cum bonũ infinitum sit, vndè in Deo est necessitas ad se cõmunicandum, & non libertas, pag. 290. Resp. in Deo esse inclinationẽ ad se communicandũ secundum consiliũ voluntatis suæ, & nõ aliter; quia omne bonũ creatũ est finitũ, & limitatũ, ac proindé necessitare nequit divinam voluntatẽ ad illud volendũ, & illam inclinationẽ non solũ esse summã; non defectu summi boni sed ob repugnantiam termini, ibid. Cætera repelluntur argumẽta, pag. 291.

DVBIVM II.

An libertas actuum liberorum Dei sitasit in perfectione aliqua spontanea, & indefectibili; an verò addat actui necessaria aliquam entitatem, aut perfectionem, re ipsa defectibilem? pag. 291.

§.I. Diverſitas ſentiendi in hac controverſia, proponitur, & vindicatur Caietanus, á communi cenſura, pag. 291. & 292.

§.II. Dicendum primò, decretum liberum Dei ſitum non eſſe in ſpontanea, & prorſus indefectibili deliberatione potentiæ. Explicatur duplex ſenſus, quem habere poteſt concluſio: quorum primus, eſt contra Patrem Roſende agnoſcentem, ſivè in Deo, ſive in nobis ſolam libertatem à coactione, ſeclusa omni indifferentia, ad vtrumque, à quo abſtinet aſſertio præſens; cuius ſecundus ſenſus eſt contra ſententiam ab Illuſtriſ. Silva traditam, quæ tuetur libertatem divinorum actuum eſſe perfectionem intrinſecam Dei, ſinè vlla contingentia, aut indifferentia, ſalvarique in ſpontanea deliberatione potentiæ, ad melius, præcedente conſilio ſapientiæ, regulantis voluntatem, ad vnicum medium elligendum; de quo in præſenti, pag. 292. Suadetur concluſio ratione: ſi ſola voluntaria & ſpontanea determinatio potentiæ, ſatis eſſet ad libertatem, cohæret perfecta, libertas cum neceſsitate ad vnum, vt præfatus ſentit Doctor, hoc autem repugnans eſt; quia alias vera eſſe hæc propoſitio: *Quod voluntarie fit etiam ſi neceſſario fiat libere tamen fit*, quæ eſt Michaelis Baij, & á Pontificibus reprobata, pag. 293. Confirmatur ex Sancto Anſelmo, lib. de Concordia præſcientiæ cum libero arbitrio, cap. 3. aiente: *Notandum, quod ſicut neceſsè non eſt Deum velle, quod vult, ita neceſsè non eſt in multis hominem velle, quod vult*, & cum homo ita vellit, vt poſsit nolle, cum indifferentia ad vtrumque; etiam Deus, & potiori titulo, ibid. Deindè probatur hac ratione; quia libertas indifferentiæ eſt illa, qua agens poteſt elligere vnum, alio non electo; talis autem eſt libertas Dei, quia ſic voluit productionem mundi, vt poſſet eam nolle, pag. 293. Reſp. Doctiſ. Silva, hæc omnia procedere de indifferentia remota, & ex parte obiecti creati, quod quia finitum, & limitatum nequit voluntatē atrahere in ſui amorem; non tamē de indifferentia proxima, nec ex parte intellectus proponētis, nec voluntatis eligentis; quia nec intellectus divinus, poteſt proponere, niſi melius, nec voluntas eligere, niſi quod ex conſilio ſapientiæ, vt melius eligendū proponitur, p. 293. Impugnatur primò ſolutio, quia ſi in Deo ſalvatur libertas, ſivè indifferentia iudicij, paritèr, & in creatura, quia eius libertas eo perfectior eſt, quo magis ad divinam accedit, conſequēs autem eſt abſurdum, & contra communem Theologorum conſenſum, ibid. Aliæ contra ſolutionem impugnationes proponuntur, pag. 294.

§.III. Dicendum ſecundò, actū liberum Dei nullā addere actui neceſſario extenſionem, perfectionem, aut modum, qui poſsit, aut potuerit, quo ad ſuam entitatem non eſſe in Deo. Probatur ex eo, qnod libertas actualis divinæ volūtatis ſummam Dei ſimplicitatem non evertit; quam everteret ſi adderet aliquam perfectionē re ipſa diſtinctā, ſi quidē ea veram faceret cōpoſitionem, pag. 294. Cōfirmatur, quia entitas, aut modus re ipſa defectibilis divinā lædit immutabilitatē; quia ea poſita, aut ablata, alitèr ſe haberet Deus, ac antea ſe habebat, pa. 295. Reſp. Pontius duplicē in Deo libertatē diſtinguens quarū vna imperfectionē arguit, ſed alia neutiquā, nam certū eſt Deū plures denominationes ſuſcipere, ſine imperfectionis nævo. Impugnatur primò, ex ſūma ſimplicitate Dei, quæ corruit, quacūque poſita cōpoſitione, ſecundo infinitate, quæ poſita aliqua cōpoſitione paritèr ruit; quia quælibet pars eſſet finita, pag. 295. Alia ſolutio docens eā perfectionē potuiſſe Deo deficere, ſed ſemèl poſita, identificari cū Deo, & ab eo inſeparabilē eſſe exploditur. Necnō alia, quæ aſſerit argumēta facta cōtra primam convincere in diſtinctione reali, actuali, non verò invirtuali, quam ſolum adſtruit præiacta ſolutio inter perfectionem liberam, & neceſſariam, pag. 296.

§.IV. Opponit primò eruditus Thomaſinus libertas Dei nō debet eſſe verſatilis, & flexibilis, quia licèt talis ſit creata nō licèt omnia ad noſtrū modū revocare, quin etiāhāc verſatilē, & deſultoriā libertatē nō, habuit creatura à natura, nec ab Authore naturæ, ſed à vitio adulteratæ naturā, p. 297. Reſ. Authorē hunc

hunc aſſumptum aſſumere, non probare, quia creatura rationalis, quia facta ex nihilo, habet potentiam peccandi: ac præterea hanc libertatem ſine indifferentia irritam reddi, cum in Deo ponenda non ſit libertas ad peccandum, ſi in eo nulla eſt ad peccandum poteſtas, ibid. Arguitur ſecundò, ex Doctiſsimo Silva: quidquid recipitur, admodum recipientis recipitur; cum ergo libertas in Deo recipiatur in ſubiecto immutabili, debet recipi ſine contingentia, aut indifferentia; quia contingentia mutabilitatem arguit. Secundò: quia libertas Dei, eſt maxima illius perfectio ſine imperfectione; & nullatenús talis eſſet, ſi cum indifferentia, & contingentia foret. Tertió: quia cum libertas Dei reguletur conſilio, & implicet hunc proponere diuinæ voluntati plura media indifferenter eligibilia paritèr repugnabit libertas cum indifferentia. Quartó: quia voluntas divina non eſt indifferens ex ſe cum ſit immobilis, non ex propoſitione intellectus, quia vtpote comprehenſiva cognitio, ſolum perfectius, & eligibilius determinate proponit, nec denique ex conditione obiecti; quia licet obiecta creata plura ſint nil proponit poteſt, vt practicè eligibile, niſi quod convenientius eſt, pag. 298. Impugnatur argumentum, vtpote omnem tollens libertatem; quia ſi nulla datur indifferentia, nec ex parte intellectus proponentis, nec ex parte voluntatis eligentis, nec eſt conditione obiecti, manet libertas tantum in voce; ibid. Reſpond. deindè in Deo dari indifferentiam, licèt non contingentia, quia hæc importat aliquem eventum accidentalem, non prævisum, quod in Deo locum non habet, indifferentia autem, eſt poteſtas ad vtrumque extremum, ad conceptum potentiæ liberæ neceſſaria, pag. 299. Ad tertium, reſpond. quod ſicut plura obiecta ſunt poſsibilia, ita eligibilia, vndè ab intellectu proponi poſſunt. Ad quartum, eam indifferentiam ortum habere, tum ex parte intellectus proponentis obiectum limitatum, tum ex parte voluntatis, quæ ex ſua natura eſt indifferens; tum ex parte obiecti, propter ſuam limitationem, pag. 299. Cætera reſoluuntur argumenta, pag. 300.

DUBIUM III.

An actus liber Dei conſtituatur in eſſe liberi per terminationem aliquam intrinſecam, aut per recurſum ad connotata? pag. 300.

§.I. Proponitur varius Authorum diſcurrendi modus pro hac ſalebroſa difficultate extricanda, necnon differentia ſententiæ aſſerentis actum liberum Dei, importare, ad volitum, quandam terminationem activam, quæ talitèr eſt in Deo, vt potuerit non eſſe; ab alia, quæ docet actum liberum Dei nil aliud importare, quam actum neceſſarium, vt connotantem creaturas, pag. 300.

§.II. Dicendum primò, decreta libera Dei non poſſe conſtitui per terminationem aliquam intrinſecam defectibilem, nec ſic conſtituta cohærere cum divina immutabilitate. Suadetur ratione, nimirum quia Deus intrinſecè mutaretur; nam in ſenſu in quo ponitur ab adverſarijs, illa terminatio eſt quid Deo intrinſecum, & defectibile. Secundò: quia cum ſit identificata cum Deo, ea difficiente, Deus mutaretur, pag. 300. Tertiò: quia cum illa terminatio ſit aliquit reale [quia nequit eſſe aliquid rationis, aut extrinſecum] aliquid reale Dei defectibile eſſet, pag. 301. Ocurrunt ponendo diſtinctionem virtualem intrinſecam inter actum neceſſarium, & terminationem liberam vi cuius prædicata cõtraditoria, poſsit recipere ſicut ea ſubeunt eſſentia, & relationes eiuſdem diſtinctionis beneficio. Præterea ponunt actũ liberũ volitionis divinæ, eſſe æquivalentèr nolitionem, & ab ea, ſolum virtualiter. Diſtinguit: vndè volitio mundi de facto exiſtit in Deo, quoad totam ſuam entitatem; non tamen æquivalenter; ob quod Deum non denominat volentem; bene tamen volitio ob oppoſitam rationem, pag. 301. Impugnatur ſolutio, quia ex illa ſequitur Deum non eſſe formaliter liberum, cum nõ ſit formaliter volens, nec nolens exiſtentiã mundi, præterea multiplici ratione præcluditur, p. 302.

§.III. Dicendum ſecundò, actum liberum Dei, nil intrinſecum, addere actui neceſſatio, ſed eſſe ipſam entitatem

actus neceſſarij, connotantis extrinſecum, ſive importantis habitudinem ad obiectum volitum. Inſinuatur aſſertionem eſſe mentibus Anſelmi, & Thomæ conſonam prolatis vtriuſque authoritatibus, pag. 302.

§. IV. Firmatur ratione; quia actus neceſſarius cum habitudine ad creaturas, importat defectibilitatem, cum immutabilitate; quandoquidem, vt deficiat habitudo, ad aliud, ſat eſt defectus, alterius, nempè creaturæ, vt in ſcientia Dei fit apertum, quæ tendens ad obiectum poſsibile, eſt neceſſaria, & ſimplicis intelligentiæ, & poſita huius poſsibilis exiſtentia, tranſit in liberam, pag. 303.

§. V. Arguitur primo ex eo quod, illa habitudo libera actus neceſſarij eſt intrinſeca Deo, cum per illam conſtituatur Deus in eſſe libere volentis creaturam, & cum aliunde, hæc deficiente creatura, deficiat, aliquid intrinſecum Dei deficeret. Vlterius, quia cum decreta libera Dei ſint intrinſeca Deo, & quia libera debeant eſſe defectibilia, ſi ea habitudine deficiente, nil intrinſecam deficit Deo, per eam habitudinem conſtitui nequeunt, pag. 304. Reſpond. illam habitudinem eſſe defectibilem connotative, aut connexive, ad quod ſatis eſt defectus creaturæ, ibid. Et eodem modo occurritur ſecundæ impugnationi. Arguitur ſecundo, ex eo quod ſi actus, liber conſiſteret in entitate actus neceſſarij, vt connotantis temporaneam exiſtentiam creaturæ, Deus ab æterno non eſſet liber, cum ab æterno non poneret aliquid quod poſsit non ponere; namque non poneret entitatem actus neceſſarij potens non ponere; nec re ipſa poneret exiſtentiam temporaneam creaturæ, pag. 305. Reſpond. actum liberum, conſurgere ex entitate actus neceſſarij, vt connotantis exiſtentiam temporaneam, exercendam pro ſua differentia temporis, & iam a æterno futuram; ſicut in ſententia oppoſita terminatio activa volitionis liberæ ad creaturas, eſt abæterno qnin ſit ad illas abæterno exiſtentes, ſed extituras pro ſua differentia temporis, ibid. Reliqua argumenta enodantur, pag. 306. 307. & 308.

DVBIVM IV.

An in voluntate divina repugnet decretum novum in tempore? pag.

§. I. Indicatur qualitèt negativa pars, ex dictis deducenda videatur; necnon qualiter Godoy, cum alijs Theologis ſupponat, vt fide certum, nec poſſe Deum nova habere decreta, nec antiqua deponere, & proferuntur pro vtraque parte patroni, pag. 309.

§. II. Affirmativam partem amplectitur concluſio; quæ primo probatur ex illo Pſal. 31. *Conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius, à generatione, in generationem.* Item ex illo num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mẽtiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*, quæ propoſitiones veræ non eſſent, ſi poteſt Deus novum conſilium, novamvè voluntatem habere ſuadetur præterea ex Parente Anſelmo lib. de concordia, cap. 1. aiente: *Hoc propoſitum ſecundùm quod vocati ſunt Sancti in æternitate, in qua non eſt præteritum, nec futurum, ſed tantum præſens immutabile eſt.* pag. 309. Prænotatur concluſionem, ſub duplici ſenſu intelligi poſſe: nimirum repugnare in voluntate divina novum decretum, à præcedenti diverſum; vel quod repugnet novum decretum nullo alio præcedente, quo animadverſo, probatur concluſio in primo ſenſu ratione ex Anſelmo eruta nimirum, quia decreta Dei menſurantur æternitate, cum ſint ipſæ Deus æternitate menſuratus; vnde cum æternitas invariabilis ſit, pariter, & decreta, pag. 310. Probatur concluſio in ſecundo ſenſu; quia noviras voluntatis, vel provenit ex novitate boni, vel ex novitate cognitionis; vtrumque autem Deo repugnare eſt prorſus apertum, ſicut apertum eſt vtrumque mutationem arguere; tum in eſſentia, cum aliquid boni ei accreſcat, tum in ſcientia, cum nunc, quod antea non cognoſcebat, cognoſcat, pag. 311.

§. III. Contra concluſionem vrgetur argumentum, §. 1. factũ ſic: quia cum decretũ liberum nullã ſuperaddat perfectionẽ, aut formalitatem intrinſecam ad entitatẽ actus neceſſarij, quãquam in-

incipiat in tempore, aut ab illo deſiſtat nulla ponitur in Deo mutatio. Secundò: quia cum actus liber creandi mundum potuerit Deo deficere, ſine mutationis labe, qui perfectionem non addit; paritèr in tempore, ob eandem rationem. Tertio: quia ſi Deus factus eſt Homo in tempore, eo quod id per puram terminationem humanitatis ſit, ex quo nulla ſequitur mutatio in Deo; cum etiam decretum temporaneum producendi Petrum fieret per ſolam terminationem, aut habitudinem ad illum; nulla ſequeretur in Deo mutatio; vndè novum decretum non repugnat, pag. 313. Reſp. quod licèt decretum liberum nullam addat perfectionem, ipſo tamen deficiente, aut noviter adveniente, ſequitur defectus perfectionis; vt patet in relationibus, quæ licèt iuxta plures perfectiones non addant; ipſis deficientibus, perfectio deficeret. Ad ſecundum, reſpondetur, quod licèt non addat perfectionem formaliter, arguitivè addit, pag. 313. Ad tertium: decretum poſitum in tempore probare mutationem, non ſolum terminativam, ſed entitativam, pag. 314.

DUBIUM V.

An in divina voluntate, poſsibilis ſit ſuſpenſio ab omni actu circa creaturas? pag. 314.

§. I. Proponitur qualitèr dubitari ſoleat an voluntas creata poſito obiecto, exercere poſsit ſuam libertatem, per puram omiſsionem; deinde aſſeritur rationes parti negativæ huius controverſiæ faventes, potiori titulo vrgere in voluntate divina. Recenſentur DD. partem affirmativam ſequentes, & inſinuatur, plurimos, ex vtraque Schola, negativæ ſubſcribere, pag. 314.

§. II. Dicendum ſuſpenſionem ab omni actu circa creaturas, includere imperfectionem voluntati divinæ prorſus repugnantem. Suadetur primò, ratione præcedenti dubio facta; namque ideo novi decreti repugnantia, ibi affirmatur, quia ſequeretur divinæ immutabilitatis diſpendium; cum autem ex ſuſpenſione ſequatur poſsibilitas novi decreti; idem deducitur inconveniens, pag. 315. Quædam factæ rationis evaſio, multiplici impugnatione præcluditur, pag. 316.

§. III. Arguitur primò, ex eo quod complexū ex futuritione rerum, & non futuritione nullā habet bonitatē neceſſariā; cum negatio futuritionis, nō ſit bona; & futuritio nō ſit bona bonitate neceſſaria; vnde Deum non poteſt neceſſitare ad amorem, adhuc vage, & diviſivè. Secundò, quia nulla eſt imperfectio in ſuſpenſione ab omni actu; cum ſinè illa miſericordia, iuſtitia omnipotentia, aliaque attributa, ſuſpenſa poſsint manere ab omni exercitio, 317. Tertio: quia cum exercitium liberæ volitionis, nullam ſuperaddat perfectionem actui neceſſario, ſed tantum terminationem, habitudinem, aut denominationem; ex illius ceſſatione, nullus ſequitur defectus in Deo. Quartò: quia ſi eo ab æterno divina voluntas, potuit non habere volitionem Petri, quia perfectionem non addit; cum nec eam addat nollitio; poterit, ſine vtraque, ſine in perfectionis nævo eſſe, p. 318. Reſpond. nullam eſſe neceſsitatem ad complexum ex volitione, & nolitione, titulo bonitatis creatæ, eſſe tamen titulo perfectionis divinæ. Ad ſecundum, reſpond. attributa poſſe manere ſuſpenſa, ab omni exercitio, quia cum ſint virtutes proximæ operativæ ad extra, tendunt ad perfectionem effectus, non ſuam; ſecus autem voluntatem, quæ per ſuum actum perficitur. & actuatur. Secundo, & clarius reſpondetur, attributa poſſe manere ſuſpenſa, ab omni exercitio, à voluntate non determinato; non verò determinato: quia ad attributa, non pertinet libertas, ſed exercitium iuxta præſcriptum voluntatis determinantis, providentiæ gubernantis, & ſapientiæ dirigentis. Ad tertium ex ſæpius dictis fit ſatis; quia licèt decretum liberum perfectionem non addat, eſt ſumma Dei perfectio non carere determinatione, pagina 318. Cætera argumenta reijciuntur, pagina. 319.

TRACTATUS. III.

De voluntate antecedente, & conſequente aliiſque divinæ voluntatis affectibus.

DVBIUM I.

An ſint prædictæ voluntates in Deo, & quid ſint? De voluntate antecedente, & conſequente, pag. 321.

§.I. Innuitur omittendam eſſe explicationem voluntatis beneplaciti, & ſigni; eo quod de illa plura ſint tradita, in Scholis ad caput quartum huius opuſculi. Traditur ex communi Theologorum ſententia eſſe in Deo voluntatem antecedentem, & conſequentem, & ipſorum diviſio circa earum expoſitionem: aliqua proponuntur pro ſententiarum diſcrimine; & tandem ſtatuitur eſſe in Deo voluntatem antecedentem, & conſequentem; non quidem antecedentem, ſubiectivè, ſed obiectivè. Docetur præterea voluntatem antecedentem tendere in obiectum, ex propriæ bonitatis inſtinctu; conſequentem autem in illum, vt veſtitum particularibus circunſtantijs, quæ ex parte creaturæ contingunt. Deducitur ex hoc Deum voluntate conſequenti, poſſe ſine contradictione, tendere in oppoſitum voluntatis antecedentis, pag. 321. Suadetur reſolutio apertis Divi Thomæ teſtimonijs, ibidem. Præterea convincitur hac ratione, quia nimirum, non implicat Deum velle aliquid ex ſua bonitate, quod inſpectis particularibus circunſtantijs, non vult; cum non implicet aliquid eſſe bonum ex ſua natura, quod tamen particularibus circunſtantijs attentis, bonum non ſit; vt patet in ſalute omnium, quæ de ſe bona eſt; non tamen in ſubiecto particulari, propter conditionem peccati, pag. 322. Quibuſdam obiectionibus breviter fit ſatis, ibid.

De voluntate efficaci, & inefficaci.

§.II. Dicendum ſecundò, voluntatem Dei diſtinguendam eſſe in efficacem, & inefficacem. Probatur: quia datur in Deo voluntas, quæ effectum non habet (vt patet in voluntate ſalvandi omnes) quæ inefficax dici debet, pag. 323. Impugnatur, ex eo quod voluntas non dicitur efficax ab affectu, ſed effectrix; & efficacia deſumitur ex affectu, conatu, & voto operantis, vndè cum hic ſemper detur in Deo, ſemper eius voluntas efficax dici debet, pag. 323. Reſp. quod cum voluntati Dei nemo poſsit reſiſtere, ſi omnis voluntas Dei eſt efficax, neceſſario effectum habere debet, ibid. Impugnatur ſecundò: quia voluntas inefficax, eſt imperfecta, vtpote effectu carens: quia vel hoc habet, quia eſt impedibilis, ab alio, quod probat impotentiam; vel quia non eſt impedibilis, ex quo. Sequitur otioſam, & ſuperfluam eſſe; vel ſe ipſam retraheret; & ita reprobatur ignorantia, aut inconſtantia, pag. 323. Reſpond. voluntatem inefficacem imperfectam non eſſe, ſed providentiæ Dei maximè conſentaneam, cum liberum non auferat arbitrium; ob quod Deus non dat ſuis actibus totam efficaciam, quam poteſt. Nec ea voluntas caret omni effectu, cum vi illius ordinetur creatura ad finem, eique conferantur auxilia ſufficientia, ad illius conſequutionem, pag. 323.

De voluntate abſoluta, & conditionata.

§.III. Dicendum tertio, dari in Deo voluntatem abſolutam, & conditionatam. Abſoluta probatur, primo ex Apoſtolo ad Roman. 9. *Voluntati eius, quis reſiſtet?* Secundò Eſther 13. *Non eſt, qui tuæ poſsit reſiſtere voluntati:* tertio Iſaiæ 48. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Voluntas autem conditionata, probatur ex eodem Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Ubi Ambroſius: *Conditio latet ſi accedant ad eum, ſi & ipſi velint.* Rurſus Matthæ. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, pag. 324. Vindicatur aſſertio à quibuſdam impugnationibus, ibid.

DUBIUM II.

An detur in Deo voluntas aliqua generalis ſalvandi omnes? pag. 325.

§.I. Proponitur qualiter Micahel Baius, ſen-

ſenſerit in Deo non eſſe voluntatem generalem ſalvandi omnes; qualiterque id ipſum Janſenius Epiſcopus Iprenſis, pro viribus propugnarit: necnon, quod plures in Belgio Doctores huic tenaciter adhæreant ſententiæ; quamvis ab Eccleſia gravi cenſura proſcripta, pag. 325.

§. II. Affirmativa eſt concluſio. Et probatur primò ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et enim omnes re ipſa ſalutem non conſequuntur, dicendum eſt, voluntatem illam non eſſe conſequentem, & efficacem, ſed antecedentem, & generalem. Deinde probatur, teſtimonium hoc, nulla probabilitatis ſpecie, detorqueri poſſe, in voluntatem aliquam præcedentem Adæ peccatum, quia licèt hoc ſenſu vtcumque verificari poſſet, quod vellet, non tamen, quod vult. Præterquamquod Paulus non præcipit orare, pro illis, qui eſſent Adamo non peccante, ait enim: *Pro Regibus, & Principibus*; ergo pro Nerone, & alijs ſuo tempore regnantibus, pag. 325. Suadetur id ipſum alijs SacræPaginæ teſtimonijs dicitur enim 2. Petri 3. V. 4. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti*, & profecto vellet aliquos perire, ſi non vellet omnes ſalvare. Deinde Matth. 18. dicitur: *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, vt pereat vnus*, pag. 326. Roboratur vlterius concluſio ex Sanctis Patribus, pag. 326. & 327.

§. III. Probatur ſecundò, concluſio ratione deducta ex Incarnatione, Morte, & Paſsione Chriſti: namque Deus vult vitam æternam omnibus illis pro quibus venit, paſſus, & mortuus eſt: quia propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; vndè cum paſſus ſit pro omnibus: *Inquit enim*, Apoſtolus ad Rom. 8. *qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradit illum.* Omnes, vult ſalvare, pag. 327. Deindè, quia Eccleſia canit in Hynis: *Ieſv Redemptor omnium*; & in Orationibus. *Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor.* Prætereà *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire*, ibid. Firmatur eadem ratio ex Sanctis Patribus, & vlterius ex Apoſtolo aiente: *Chriſtus dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus, quia vnus eſt Deus, vnuſque Mediator.* Quaſi dicat; ſi plures eſſent Dij, poſſet vnuſquiſque de ſuorum ſalute curã gerere; quia autem vnus eſt, debet de omnibus curare, pag. 328.

§. IV. Tertia ratio deſumitur ex virtutibus Theologicis: etenim Catholica Fide credimus Chriſtum eſſe Redemptorem noſtrum, & ita vnuſquiſque credere debet: quod falſo crederet reprobus, ſi pro eo mortuus non eſt. Vndè corrueret fides. Secundò. Quia cum quilibet debeat ſuam ſalutem ſperare, & hoc, non niſi per Chriſtum; quia non eſt aliud nomen datũ hominibus, quo ſalutem conſequi poſsint; ſi Chriſtus datus non eſt, ad omnium ſalutem, deficit ſpes. Denique, quia ſi iuxta Apoſtolum 2. ad Cor. 15. *Charitas Chriſti vrget nos æſtimantes hoc, quod vnus pro omnibus mortuus eſt* Cum in ſententia Janſenij, Chriſtus pro omnibus mortuus non ſit; charitas noſtra frigeſcit, pag. 329.

§. V. Arguit primò, Cornelius Janſenius, Iprenſis Antiſtes, ex varijs Auguſtini interpretationibus: ſiquidem Auguſtinus in Enchiridione, cap. 102. accipit particulam *omnes*, per diſtributionem accommodam; non quod omnes abſolute ſalvos fieri velit, ſed quod omnes, qui ſalvantur, ex voluntate Dei ſalvantur. Et in eodem ſenſu exponit illam propoſitionem. *Deus vult omnes ad agnitionem veritatis venire.* Et illã Ioann. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; non quod meritis Chriſti omnis Homo illuminetur, lumine fidei, ſed quod nemo illuminatur, niſi per Chriſtum, pag. 329. Secundam interpretationem ſumit ex ipſo Auguſtino, eodem loco, nimirũ per diſtribuitionem pro generibus ſinngulorũ; non pro ſingulis generum; qualitèr dici ſoler de illa propoſitione: *Omne animal fuit in arca Noe.* Ita etiam exponit Auguſtinus, illud Matth. 23. & Lucæ 11 *Ve vobis Phariſeis, qui decimatis mentum, & rutam, & omne olus.* Et hæc expoſitio confirmatur ex Anſelmo, pag. 330. Tertia, & quarta interpretatio ex Auguſtino deſum-

ſumptæ, ibid. Ex omnibus his interpretationibus, ſic arguit Janſenius, Auguſtinus ſemper reſtringit propoſitionem Apoſtoli ad ſolos prædeſtinatos, & nunquam extendit ad omnes; ergo non datur in Deo voluntas generalis ſalvandi omnes, ibid. Reſpond. Auguſtinum voluntatem Dei, ad omnes extendere, ſicut & ſanguinem Chriſti; & in prædictis expoſitionibus, loqui de voluntate efficaci. Quæ ſolutio firmatur ex D. Thoma; & pro frenanda petulantia ingenij in Sanctorum ex poſitione proponitur, quædam Anſelmi doctrina, pag. 331.

§. VI. Arguitur ſecundò, ex illo Matth. 26. hic eſt ſanguis novi, & æterni teſtamenti, qui pro multis effundetur; ergo non pro omnibus, quia non eſt pro omnibus, qui effuſus eſt pro multis tantum. Reſpond. eo verius, effuſum eſſe pro multis, quia pro omnibus. Dicitur deinde, quod multos ſecundum Scripturæ phraſim. ſæpè ſignificat omnes; quod ex ipſa Sacra Pagina confirmatur, pag. 331. Cætera argumenta diluuntur, pag. 332.

DVBIVM III.

Vtrum detur in Deo aliqua voluntas, quæ nunquam impleatur? pag. 333.

§. I. Indicantur, Doctorum placita; necnon qualiter ex ſuffragantibus parti negativæ, ſenſerint voluntatem generalem ſalvandi omnes, non eſſe actum verum, & proprium divinæ voluntatis, ideoque nihil mirum ſi effectum non habeat; & quomodo ex eiuſdem ſententiæ patronis quibuſdam viſum fuerit actum verum, & proprium eſſe, & effectum ſortiri, pag. 333.

§. II. Dicendum primo, dari in voluntate divina aliquem actum, quo verè, & proprie vult omnium ſalutem. Probatur: quia voluntas beneplaciti eſt vere, & proprie in Deo; talis autem eſt illa voluntas generalis ſalvandi omnes: dicente Clemente Romano lib. 2. conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 59. *Ex ore Domini noſtri Iesv-Chriſti audivimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta, per Ieſum-Chriſtum demonſtrata, vt nullas intereat*; & Damaſceno lib. 1. de Fide, 29. vocante eam *beneplacitum ex ipſo Deo dimanans*, pag. 333. Confirmatur ex eo quod Deus vere, & proprie condidit naturam Angelicam, & humanam, eamque in finem ſupernaturalem beatitudinis ordinavit: quod fruſtra foret, ſi omnibus non vellet ſalutem, ibid. Confirmatur ſecundo, ex Apoſtolo aſſerente: *Vnus mediator Dei, & hominum, Homo Chriſtus Iesvs, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*: nam qui ſe ipſum dat redemptionem pro omnibus, verè, & proprie vult omnes redimere, pag. 334.

§. III. Dicendum ſecundò, dari in Deo voluntatem, ſine effectu principaliter intento. Probatur, quia *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*; *neminem vult perire*; vndè cum aliqui re ipſa pereant, & non omnes ſalventur; datur voluntas Dei, ſine effectu principal. pag. 334. Probatur ſecundò concluſio namque licet voluntas antecedens, propria, poſitiva, & formalis, licet effectum non ſortiatur, non repugnat: etenim Deus vere vult vtiari peccata, & mandata obſervari; licet iſta voluntas effectum non habeat, pag. 335. Contra inſurgit Doctiſsimus Silva. ex illo Iſaiæ: *Voluntati divinæ, quis reſiſtet?* Affirmans nullam dari in Deo voluntatem, ſine effectu: namque voluntatis, quæ effectu caret, aliquis reſiſtit, vndè divina non eſt. Secundò, quia cum ſemèl poſita in Deo voluntate fruſtrabili; ſalus à Deo determinata, penderet à voluntate creata, deſtrueretur in Deo ratio primi principij, & cauſæ. Tertiò: quia ſi daretur in Deo voluntas generalis ſalvandi omnes, daretur mutatio decreti, quia etiam ponenda eſſet voluntas reprobandi aliquos. Quartò, quia voluntas nequit reſpicere gloriam ſecundum ſe; cum non poſsit eſſe ante prævisa merita, vtpotè gloriam decernes, vel ſi eſt ante meritorum prævisionem, erit vera prædeſtio, quamvis merita antecedat, vndè prædeſtinatio divina fruſtratur. Quintò, quia licèt Deus ex ſe vellet omnium ſalutem, non tamen vult, cum convenientius non ſit, iuxta ſapientiæ dictamen; alias omnes ſalvarentur;

De-

Denique quia cum Deus cognoſcat, convenientem non eſſe omnium ſalutem, nequit eam velle, pag. 336. Reſpond. ad primum, voluntatem efficacem Dei infruſtrabilem eſſe; & per hoc á creata diverſificari; quæ quamtumcumque efficax eſt fruſtrationi ob noxia. Ad ſecundum; eum inefficacem, nullatenus lædere dignitatem primæ cauſæ, quia oritur ab ipſo Deo nolente dare ſuis actibus totam vim, vt cauſas ſecundas ſinat, ſuos agere motus, pag. 336. Cæteris impugnationibus fit ſatis, pag. 337.

§. IV. Arguitur primó, ex Divo Thomá 1. par. quæſt. 19. ab ad. 1. vbi ait: id quod antecedenter volumus, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid: ergo cum voluntas ſalvandi omnes, ſit antecedens, non erit ſimplicitèr talis, ſed ſecundum quid: vnde non eſt voluntas *beneplaciti* formalitèr exiſtens in Deo; ſed *ſigni*, quæ dici ſolet velleitas. Reſp. voluntatem antecedentem, dici voluntatem ſecundum quid, relate, ad abſolutam, & conſequentem, & in eodem ſenſu dici velleitatem, quatenús inefficaciter vult, pag. 337, Cætera argumenta diluuntur, pag. 337. & 338.

DUBIUM IV.

An ex voluntate generali ſalvandi omnes deſcendant in omnes auxilia ſufficientia? pag. 334.

§. I. Janſenium negare omnibus conferri auxilia ſufficientia traditur; & qualiter errori huic pertinaciter adhęreant quidam Lobanienſes Doctores, quamvis ab Eccleſia ſit proſcriptus. Proponuntur aliæ ſententiæ; quorum prima negat parvulis auxilia ſufficientiæ, ſecunda, pluribus etiam adultis; tertia vero omnibus concedit, pag. 338. Indicatur qualiter à Janſenio toto cœlo differant ſecunda, & tertia ſententia agnoſcentes in Deo voluntatem ſalvandi omnes, ſive formalem, ſive interpretativam; quod Janſenio diſplicet, p. 339.

§. II. Concluſio eſt affirmativa. Suadetur ratione; quia nimirum Deus vult omnes homines ſalvos fieri; & hoc, non eſt negando media ſimpliciter neceſſaria, ad ſalutem conſequendam. Secundò: quia cum ab illa voluntate deſcendat beneficium, omnium maximum, nempé redemptio debent etiam minora deſcendere. Tertiò, quia Deus vult ſalvos facere volentes: quare eis tribuit, vnde velle poſsint, pag. 339. Suadetur vlterius teſtimonijs Anſelmi, Ambroſij, & Auguſtini, ibid. Quædam ſolutio aſſerens in præiactis rationibus, & authoritatibus, ſolum ſignificari oblationem, non actualem collationem auxialiorum; reijcitur multiplicitér, tum ex Sacra Pagina, tum ex Sanctis Patribus, pag. 340. & 341.

§. III. Suadetur alia ratione ex præceptis ſuper naturalibus deſumpta: videlicèt, quia omnes tenentur ad conſecutionem ſalutis; vnde omnes poſſunt eam acquirire; & cum non poſsint ſine gratia; conſequitur omnibus dari gratiam firmatur multiplicitèr eadem ratio ex Sanctis Patribus, pag. 342. Quædam Janſenij evaſio, multiplici ex cap. reiecta, pag. 342. & 343.

§. IV. Arguitur primò, ex eo quod pluribus negantur auxilia ſufficientia, ad fidem, & conſequenter, ad ſalutem. Cum in pluribus, detur infidelitas negativa. Confirmatur, quia fides, eſt impoſsibilis, ſine prædicante: & cum multi prædicantem non habuerint; conſequitur, nec habuiſſe fidem, quæ neceſſaria eſt, ad ſalutem, pag. 343. Solutio argumenti, cum ſuis confirmationibus, ex Divo Thoma, roborata, pag. 344.

§. V. Proponuntur à Janſenio, aliqua Auguſtini teſtimonia, quibus ſuadère conatur, ſæpé hominibus deeſſe gratiam, qua legem, & mandata impleant, pag. 345. Auguſtini mens elucidatur, alijs ipſius teſtimonijs, necnon Anſelmi, & D. Thomæ, & ex ipſis ſententia Janſenij repellitur, pag. 346.

DUBIUM V.

An in voluntate generali ſalvandi omnes, includantur etiam infantes decedentes ſine Baptiſmo; eiſque Deus auxilia ſufficientia conferat? pag. 347.

§. I. Proponuntur ſententiæ, & explicatur; quomodo P. Uazquez negativam teneat; & quomodo Eminentiſsimus Sfrondati eidem adhæreat ſententiæ, te-

tenens aliundè, pueris prædictis, conferri auxilia, ad donum beatudine præſtantius, pag. 347.

§. II. Dicendum voluntatem generalem ſalvandi omnes, etiam infantes. Comprehendere, ab eaque auxilia ſufficientia, modo proportionato deſcendere. Probatur; quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & parvuli etiam ſunt homines. Quia ait Auguſtinus lib. 4. contra Julianum: *Nunquid parvuli, homines non ſunt, vt non pertineant ad illud, quod dictum eſt, qui vult omnes homines ſalvos fieri?* pag. 347. Ulterius ſuadetur ex eodem Auguſtino, & ex Magno Parente Anſelmo, ibid. Probatur ratione: quia ex illa voluntate generali deſcendunt ad parvulos plura beneficia, nam quod eos creaverit; quod in finem ſupernaturalem ordinaverit, quod Angelum cuſtodem deſtinaverit; ſunt beneficia, conducentia ad ſalutem, pag. 348.

§. III. Inſurgunt primò, contra dicta, ex eo quod plures decedunt, ſine Baptiſmo; & cum Baptiſmum ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ſequitur non omnibus dari præſidia neceſſaria ad ſalutem. Reſpond. omnibus dari Baptiſmum, vt applicabilem voluntate parentum, pag. 348. Opponunt, contra ſolutionem: ſæpè Parentibus, deſiderantibus, & conantibus, nequit Baptiſmum applicari, vt patet in illis, qui in vtero matris moriuntur, vel immediatè poſt illico, & inopinatè: ergo iſtis non confertur Baptiſmus, vt applicabilis voluntate Parentum, ibid. Reſpond. id non provenire ex primaria intentione, ſed per accidens, & ex concurſu, & occurſu cauſarum ſecundarum, quas Deus titulo providentiæ generalis tenetur ſinere, vt ſuos motus agant, pag. 348. Objiciuntur, quædam contra ſolutionem, & non nulla circa ſtatum puerorum, ſine Baptiſmo decedentium traduntur; & explicantur: ac tandem verior argumenti ſolutio, ex Sanctis Patribus roboratur, pag. 349.

DUBIUM VI.

An omnibus adultis, reprobis, infidelibus, obcæcatis, & alijs vellit Deus auxilia ſufficientia? pag. 350.

§. I. Prænotatur, ex ſuperioribus ſatis apertè deduci pro parte affirmativa reſolvendam eſſe controverſiam, quæ potius ad impugnationes diſolvendas; quam ad veritaem definiendam, ſtatuitur. Patrocinium Janſenij pro ſententia negativa indicatur, necnon qualitèr affirmativam, nota Pelagianiſmi inurat, pag. 350.

§. II. Dicendum Deum omnibus adultis, reprobis, infidelibus, barbaris, & obduratis conferre re ipſa auxilia neceſſaria ad ſalutem. Probatur ex illo Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Et ex illo Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* Et Ioann. 7. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &c.* Quæ omnia reprobis infidelibus, & obcæcatis convenire, convincitur ex illo Matth. 22. *Quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias, & egreſſi ſervi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos, & bonos*; inter quos malos erat homo præſcitus, non veſtitus veſte nuptiali, qui propterea damnatus eſt ad tenebras exteriores, pag. 351. Probatur vlterius ex Auguſtino, lib. 2. de Sermone Domini, cap. 15. aiente: *Nulla anima, quamvis perverſa, quæ tamen vllo modo ratiocinari poſsit in cuius corde non loquatur Deus.* Et de obcæcatis ait in Pſal. 6. privari Dei luce interiori: *Sed non penitus, dum in hac vita ſunt*, ibid. Deinde, quia cum nulla ſint bruta animalia quibus neceſſaria ad vitam corpoream non ſuppetant nullaque creatura inſenſibilis, quæ in proprium centrum non tendat; credendum non eſt ſolis creaturis rationalibus neceſſaria ad vitam æternam deficere. Confirmatur ex ſumma patientia Dei, qua expectat peccatorum converſionem; & hanc non vt incipiendam à nobis ſine gratia, ibid. Solutio Janſenij aſſerens hæc tantum eſſe præſidia externa; quæ omnibus dantur, non tamen interna; multipliciter reiecta, pag. 352. Probatur denique ratione; nimirum quia negatio auxiliarum ſufficientium eſt maxima pœna ex libera Dei voluntate pendens; & affirmandum non eſt Deum tanta pœna aliquem punire, niſi ex doctrina relevata conſtet, ibid.

§. III.

§. III. Suadetur alia ratione: nimirum, quia quando homo (quocumque peccatorum pondere gravatus) eſt in hac vita, poteſt ſalvari; cum ſit in via, & cum hoc non poſsit eſſe viribus naturæ, ſequitur, omnibus conferri gratiam neceſſariam, pag. 352. Quædam Godoy ſolutio, reijcitur, pag. 353.

§. IV. Arguitur primo ex illo Exodi 9. vbi Deus dixit Pharaoni: *Ideò eo poſſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam*, & ex illo Proverb. 16. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Tertiò ex Apoſtolo, ad Roman. 9. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſubſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptа interitum*: ex quo deducitur, Deum ex motu proprio nolle aliquorum ſalutem, pag. 353. Reſp. hæc omnia maxime diſtare, à bonitate Dei, menteque Auguſtini; & ex allegatis teſtimonijs oppoſitum potiùs convinci; & ad primum, reſp. Deum non oſtendere potentiam ſuam in folia, quæ vento rapiuntur; ſed ibi nomine fortitudinis, intelligi pacientiam, & longanimitatem, qua Deus Pharaonem expectavit; quæ ſolutio Auguſtini teſtimonio raboratur, ibid. Ad ſecundum reſpond. Deum non ordinare impium in diem malum ex primaria intentione, qua potius vult gloriam, quam pœnam, ſed voluntate ſecundaria, & conſequenti, prævisa impœnitentia finali, pag. 354. Ad tertium, reſpond. ideo Deum expectaſſe, vt replicatis vocationibus reſipicerent; non vt perderet, quia ad hoc nulla patientia opus erat, ibid. Cætera Argumenta diluuntur, pag. 354. & 355.

TRACTATUS IV.

De divina voluntate efficiente, approbante, & permittente.

DVBIUM I.

An Deus ſit cauſa, & Author peccati? pagina. 356.

§. Indicatur in peccato actuali commiſſionis duo expectanda eſſe, ſcilicèt entitatem, & deformitatem, ac peccatum abſolutè prolatum, ſupponere pro deformitate; de qua inquiritur an Deus ſit Author ipſius. Recenſentur delytia Lutheri, & Calvini dicentium omnia peccata, & flagitia in mundo patrari, Deo volente, movente, prædeſtinante, imperante, & impellente, pag. 356. Aliqua circa horum hæreticorum errorem, à quo Jabus Laurentius, Calviniſta, Calvinum immunem tuetur, traduntur, pag. 357.

§. II. Dicendum primo Deum ab æterno præſcire mala, eaque velle permittere, ſicut in tempore permittit: neminem tamen movere, & impellere. Prima, & tertia pars firmantur, ex Auguſtino, Fulgentio, & Leone: quorum vltimus ſent. 25. Concilij Arauſicani, ait: *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni deteſtatione, illis anathema dicimus*, pag. 357. Probatur prima pars: quia ſi Deus abæterno mala non præſciret, eius ſcientia infinita non foret: & etiam, quia inſtè iudicare non poſſet ſi mala, & bona ſimul, non cognoſceret, pag. 358. Secunda pars convincitur, ex eo quod quæcumque in tempore fiunt, aut fiunt Deo volente poſitivè, aut permittente; vndè cum Deus poſitive peccata non vellit, ſequitur ea permittere, quæ ratio firmatur ex Anſelmo, & alijs ratiotinijs, ibid. Tertia denique pars probatur ex illo Jacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*: quod falſum eſſet, ſi Deus moveret, impelleret ad malum, pag. 358.

§. III. Dicendum ſecundò, Deum nullo pacto eſſe cauſam, & Authorem peccati. Probatur primò, ex illo Sapientiæ 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: ſed Deus odio habet peccatum; ergo illum non fecit, nec eſt cauſa illius. Secundo, ex illo Oſeæ 13. *Perditio tua, ex te Iſrael tantummodo in me auxilium tuum*; ergo quo pacto á Deo eſt auxilium, quo pulſat corda hominum ad bonum, ab homine eſt irruptio, in malum. Denique, quia fidelis eſt Deus, & abſque vlla iniquitate, Deuter. 32. quod non foret

foret ſi cauſaret peccatum, pag. 358. Confirmatur ex Concilio Tridentino, & ex Hieronymo, & Anſelmo aientibus peccata Deo diſplicere: & ab eo prohibita eſſe, pag. 359. Reſpondet Calvinus, ita eſſe iuxta voluntatem Dei in Sacris litteris revelatam; ſed aliam eſſe arcanam, qua peccata probat, & vult. Reijcitur ſolutio, tanquam inſania Dei, pag. 359.

§. IV. Suadetur concluſio ratione: nimirum, quia ſi Deus eſſet cauſa peccati, vellet peccatum vt tale; hoc autem repugnat, cum non poſsit propter ſe ipſum, illud velle; quia peccatum eſt inordinabile ad Deum, pag. 359. Firmatur ratio ex D. Thoma, ibid. Hæreticorum ſolutiones multiplicitèr impugnatæ, & reiectæ, pag. 360.

§. V. Opponunt primò, Hæritici peccatum fratrum Ioſeph quod factum fuiſſe, conſilio Dei, dicitur Geneſ. 45. ibi: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate, huc miſſus ſuum.* Quod idem dicitur de peccato Iudæorum Actor. 2. *Definito conſilio, & præſcientia Dei traditum,* & Pſalm. 104. dicitur: *convertit cor eorum* [Ægyptiorum] *vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſervos eius.* Aliaque plura ex Sacris Litteris, ex quibus ſuo iudicio multa mala facta eſſe Deo Authore deducitur, pag. 360. & 361. Reſpond. allatis authoritatibus tantum ſinigficari permiſsionem Dei, & ea mala tantum attribui Deo, vt cauſæ negativæ; quatenùs, ſcilicèt, non impedit per auxilia præſtantiora, ad quæ non tenetur; ſed potius, iuſto negat iudicio. Undè Ioſeph miſſus dicitur voluntate Dei, non motu proprio volente; ſed prævidente, & permittente. Quod idem dicendum de peccato Iudæorum, pag. 361. Plura alia ex Sacris Litteris, & Sanctis Patribus reijciuntur, pag. 361. & 362.

DUBIUM II.

An Deus ſit cauſa per ſe entitatis phiſicæ peccati, vel tantum permiſsiva? pagina, 362.

§. I. Prænotatur, qualitèr aliqui Theologi diverſificent nomen *cauſæ* á nomine *Authoris*, per hoc quod primus ſolú denotet influxú phiſicum, ſecundus verò etiam influxum moralem, movendo, & atrahendo, in quo ſenſu excluditur á Deo, quod ſit Author peccati. Referuntur ſententiæ; & brevitèr indicatur diverſitas, quæ verſatur inter Authores ſenrentiæ affirmativê, pag. 363.

§. II. Dicendum primò, Deum eſſe cauſam immediatam, & proximam entitatis peccati, ad eamque effectivè, & immediatè concurrere. Probatur primo concluſio, ex illo Ioann. 7. *Omnia per ipſum facta ſunt*; quia cum entitas peccati inter omnia numeretur, eſt ab illo facta, p. 363. Improbatur ex Sacris Litteris ſolutio Durandi aſſerentis, eſſe à Deo, non proximè, & immediatè concurrente; quia eſt à Deo dante virtutem, ibid. Suadetur ratione ernta ex Anſelmo, & D. Thoma, etenim quælibet humana operatio, eſt per participationem à primo ente, non minus, quam virtus productiva; vndè cum potentia; neceſſario, ſit á Deo, tanquam à cauſa prima omnium entium: paritèr operatio. Secundó: quia ſi entitas operationis pravæ, non eſſet à Deo tanquam á prima cauſa, daretur duplex primũ principiũ; vnum bonorũ, & aliud malorum; quod error Manichæorum eſt, p. 364. Reſpond. Durãdus creaturam nen eſſe primum principium; quia non habet eſſe à ſe, ſed ab alio. Reijcitur primò; quia quod à ſe eſſe non habet; à ſe operari nequit. Secundó; quia ad minus ſequitur voluntatem creatam eſſe primam cauſam; quia in illam reduceretur actio, tanquam in primum principium in eam influens, ibid. Occurrit Doctiſsimus Thomaſinus effatum illud: *quidquid eſt in quantum eſt, bonum eſt, & à Deo eſt*: ad naturas, ſivè ſubſtantias pertineae, non ad actiones, quod replicatis Patrum authoritatibus conatur ſuadere, p. 364. & 365. Reſp. ex oppoſitis Sanctorum teſtimonijs noſtram firmari concluſionem; quoniam Auguſtinus nomine ſubſtantiæ entitatem materialem intelligit: vndè cum ex mente Auguſtini, iuxta prædictum Doctorem Deus concurrat, paritèr ad iſtam, pag. 365. Aliorum ſolutio, proponitur, & exploditur, ibid.

§. III. Dicendum ſecundò, diſtinguendam eſſe in peccato actuali entitatem phi-

phiſi cam, à deformitate ideoque Deũ vt cauſam per ſe producere entitatẽ, non deformitatem. Probatur primò, duplici Anſelmi teſtimonio, quo aperte traditur aſſertio; etenim ait: *Deum facere in bonis, quod ſint, & quod bona ſint, in malis verò facit, quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Vlterius ſuadetur teſtimonio D. Thomæ, ac tandem ratione: quia nimirum Deus eſt cauſa per ſe, & propria, effectus producti media actione phiſica, quæ defectuoſa eſt; vndè debet eſſe propria cauſa eiuſdem actionis Phiſicæ, cum non aliter poſsit eſſe cauſa effectus, niſi in quantum eſt cauſa per ſe actionis productivæ illius, pag. 366.

§. IV. Alia ratio Magni Parentis Anſelmi proponitur. Quia nulla eſt operatio quantũvis prava, quæ ex conditione naturæ, ſivè actualitatis phiſicè, mala ſit, cum non importet carentiam rectitudinis, ex ſua actualitate, pag. 367. quædam rationis ſolutio explo-ditur, pag. 368. & 369.

§. V. Primum argumentum deſumitur ex quadam authoritate Concilij Tridentini, qua anathematizantur, qui dixerint, æqualitèr Deum mala, ac bona opera operari, & confirmatur pluribus Patrum teſtimonijs, quibus in ſuperioribus probatum manet, Deum non eſſe cauſam peccati, pag. 369. Reſpond. Concilium, & Sanctos Patres vnicè docere Deum non eſſe cauſam peccati, pro formali; non verò, non cauſare entitatem phiſicam illius, ibid. Arguitur ſecundò, ex eo quod cum deformitas ſit connexa cum entitate; ſi Deus vere cauſaret entitatem, vere cauſaret peccatum. Secundó; quia deformitas in odio Dei, v. g. eſt neceſſario connexa cum entitate, cum nec de potentia abſoluta Dei reperiri poſsit ſinè illa: vndè neceſſariò ſequitur ad eam; ac perconſequens ſi Deus cauſaret, entitatem etiam deformitatem. Tertiò: quia ex duobus neceſſario connexis; quicumque ſciens, & prudens vnã eligit aliud etiã eligere debet. Quartó; quia non aliter volũtas creata eſt cauſa peccati, niſi quia entitatem, ad quam malitia conſequitur vult, & cauſat. Quintò; quia ipſa deformitas eſt quid poſitivum, vndè ſi Deus omne poſitivum cauſat; paritèr deformitatem. Sextò: quia cum fundamentum malitiæ, ſit aliquid poſitivum; ſi Deus cauſat omne poſitivum; cauſat etiam malitiam fundamentalem; immò, & formalem, quæ ad fundamentum conſequitur neceſſario, pag. 370. Diluitur argumentum cum cum ſuis confirmationibus, & in adverſam ſententiam regeritur, multiplicique exemplo roboratur ſolutio, pag. 371. 372. & 373.

TRACTATUS V.

De Divinæ Voluntatis affectibus.

DUBIUM I.

An in Deo ſit amor ſpecialis, erga ſe ipſum? pag. 375.

§. I. Triplex acceptio boni proponitur; nempè ſecundum ſe, quo ſenſu terminat amorem ſtrictè dictum; vt poſſeſſum, & ſic terminat gaudium, & vt abſens, quo in ſtatu deſiderium terminat; & referuntur ſententiæ, pagina. 375.

§. II. Affirmat concluſio, Deum ſuam bonitatem amare, amore ſpeciali, & ſtrictè dicto ſuadetur authoritatibus Anſelmi, & Thomæ; & quædam P. Hirtze ſolutio præcluditur, pag. 375. Probatur vlterius alia ratione Anſelmi: videlicèt, quia in Deo ponenda eſt omnis perfectio ſimplicitèr ſimplex; & talis eſt amor ſpecialis, & ſtrictus Dei, erga ſe ipſum. Confirmatur, ex eo quod in Deo datur actus volũntatis tendens in ſuam bonitatem ſecundum propriam rationem bonitatis; qui eſt amor ſtrictè dictus, pag. 378. Reſp. P. Herize, amorem ſtrictum præſcindere à poſſeſsione, quod argnit maximam imperfectionem, vndè in Deo non eſt admittendus, ibid. Impugnatur, ac reijcitur ſolutio multiplicitèr, pag. 377.

§. III. Arguitur primò: in Deo repugnat erga ſe ipſum amor præſcindens ab exiſtentia; cum repugnet cognitio ab exiſtentia præſcindens: ergo repugnat amor ſtrictus. Confirmatur id ipſum multiplici ratione, pag. 378. Reſpond. repugnare in Deo cognitionem ſui, ab exiſtentia præſcindentem, non tamen amorem ſtrictum; redditurque diſparitas, ex eo quod cognitio præſcindit ab exiſtentia, non tantum negativè, ſed poſitivè; attamen amor non excludit exiſtentiam, ſed includit; eſto non terminetur ad bonum vt exiſtens, & præſens, ibidem. Confirmationibus, alioque argumento occurritur, pagina. 379.

DVBIVM II.

An in Deo ſit affectus deſideri? pagina. 380.

§. I. Referuntur placita Doctorum; & iudicatur aliquos diſtinguere deſirium perfectum ab imperfecto; quorum ſecundus ab ipſis conceditur Deo, etiam quoad bona intrinſeca, & propria; quia non importat carentiam boni, quam importat primus; ob quod á Deo relegatur in ipſorum ſententia; alios autem admittere deſiderium circa bona extrinſeca tantum, quoſdam vero circa illa bona extrinſeca, quæ pendent à noſtro libero conſenſu, non vero circa illa, quæ à ſolo Deo pendent, ac tandem plures omne deſiderium propriè tale à Deo excludere, ſivè ad bona intrinſeca, ſivé extrinſeca, pagina. 380.

§. H Tuetur prima aſſertio nullum eſſe deſiderium in Deo in ordine ad bona propria. Suadetur ex Sancto Anſelmo in Monolog. cap. 23. aiente: *Quod Deus eſt omne bonum immò, quod eſt bonum totum, & ſolum bonum.* Et lib. 2. *Cur Deus homo Beatitudo eſt ſufficientia, in qua nulla eſt indigentia.* Ac tandem Homil. 2. in Evangel. Matth. *Omnes Beati dicuntur, qui habent quidquid deſiderant, beatitudo enim eſt ſtatus congregatione omnium bonorum perfectiſſimus.* Vndé in Deo, qui ſummè beatus eſt, nulla eſt indigentia, aut deſiderium, pag. 380.

§. III. Statuitur ſecundò, in Deo nullum eſſe deſiderium propriè talè, nec in ordine ad bona extrinſeca. Probatur, ex eo quod deſiderium eſt boni non habiti; & nullum eſt bonum adhuc reſpectu Dei, non habitum; nam omnia bona extrinſeca continet Deus, eminenter, & etiam in ſua virtute, & poteſtate quatenùs nullo impedimento intercedente poteſt ea poſsidere, pag. 381.

§. IV. Primum argumentum deſumitur, ex eo quod Deus amat omnium ſalutem, qui amor eſt deſiderij; cum ſit de obiecto, quod non eſt, nec erit, pag. 381. Reſpond. amorem illum non eſſe deſiderij propriè talis quantum ad affectum, in quo ratio deſiderij ſita eſt, ſed quantum ad effectum, quatenus re ipſa confert media neceſſaria ad ſalutem conſequendam, & ita ſe gerit, ac ſi ſperaret, & deſideraret, pag. 382.

DVBIVM III.

An odium, & ira Deo propriè conveniant? pag. 382.

§. I. Proponitur, vt certum plura eſſe, Sacræ Paginæ teſtimonia, quæ Deo attribuunt iram, & odium; & enumerantur Authores ea in ſenſu proprio interpretanda eſſe propugnantes, pag. 382.

§. II. Dicendum primó in Deo nullum eſſe odium ſimpliciter tale. Probatur quia odium ſimpliciter tale, tendit in malum perſonæ, vt malum; quod non poteſt facere divina volũtas, quia tantum poteſt reſpicere ſuum obiectũ ratione bonitatis divinæ, pag. 382.

§. III. Dicendum ſecundó, motum iræ propriè dictum non eſſe in Deo. Probatur authoritate Sancti Anſelmi; & vlterius ratione nimirum. Quia motus iræ pro formali ſupponit triſtitiam, quæ nequit in Deo locũ habere. Vlterius ex D. Thoma aiente 1. contra Gent. cap. 89. *Ira eſt ap-*

petitus mali alterius ad vindictam : quod in Deo locum non habet , pagina. 384.

§. IV. Oppon. primò , odio habere , eſt velle malum , vt malum , ſed Deus vult malum , vt malum peccatoribus, quia illis vult pœnam , vt pœna eſt; ergo eos odio habet , pag. 384. Reſp. Deum velle peccatoribus pœnam, vt pœna eſt, ex parte rei volitæ , non tamen ex motivo volendi ; vndè illis non vult pœnam , quia mala eſt , ſed quia Iuſtitiæ oſtenſiva , pagina. 385. alijs impugnationibus fit ſatis , ibidem.

TRACTATUS I.

De Poſsibilitate viſionis beatæ.

DUBIUM VNICUM.

An in creatura rationali , ſit aliquis appetitus naturalis innatus , vel elicitus ad claram Dei viſionem ; pagina. 388.

§. I. Diviſio appetitus in innatum , & elicitum , & vtriuſque definito proponitur. Traditur vlterius appetitum elicitum dividi in efficacem , & inefficacem , necnon in abſolutum , & conditionum ; ac tandèm proponitur diverſitas ſententiarum , quarum patroni recenſentur , pagina. 388.

§. II. In creatura rationali nullus eſt, appetitus innatus , ad claram Dei viſionem. Probatur ratione : nimirum ; quia reſpectu viſionis nequit dari propenſio orta à natura ; quia vtpotè forma ſupernaturalis vires excedit naturæ. Secundò : quia ſi à natura oriretur aliqua propenſio naturalis in formam ſupernaturalem ; forma ſupernaturalis eſſet perfectiva naturæ , ſecundum potentiam naturalem quod eſt falſum , pagina. 388. Reſpond. Bartholomæus, Durand. in creatura rationali eſſe potentiam naturalem , ad formas ſuperuaturales ; nam ſi Deus annihilaret animam Petri , adhuc corpus haberet naturalem inclinationem ad illam , quamquam re vnio excedat vires naturæ , pagina. 389. Impugnatur , euaſio ; & iterum probatur concluſio , ibidem.

§. III. Poſsibilis eſt in natura intellectuali appetitus naturalis elicitus in efficax , ſivè abſolutus , ſive conditionatus , ad viſionem beatam; non tamen efficax. Prænotatur ex §. 1. appetitum elicitum ſupponere cognitionem , & hanc reſpectu viſionis debere eſſe ex viribus gratiæ. Quoad primam partem , probatur ex eo , quod quamquam viſio clara Dei , ſit viribus naturæ impoſsibilis, aprehendi , tamen poteſt , vt poſsibilis , & conſequenter poteſt appeti , appetitu elicito in efficaci, ſivè abſoluto , ſive conditionato , pagina. 390. Quædam contra rationem obiectio diſsolvitur , ibidem. Secunda pars propatur , quia appetitus efficax infert re ipſa media, eaque applicat , ad conſecutionem finis , & cum natura nulla habeat media ad conſecutionem viſionis beatæ ; nequit eam appetitu naturali efficaci , appetere , pagina. 391.

§. IV. Appetitus naturalis elicitus , & inefficax in ordine ad claram Dei viſionem , non eſt neceſſarius quoad ſpecificationem. Suadetur ratione : nimirum quia vt talis appetitus eſſet neceſſarius quoad ſpecificationem, deberet tendere in viſionem Dei cognitam ita bonam , vt nulla appareat ratio mali ; quod , dum homo in tenebris ambulat fieri nequit; quia cum non videat res , vt ſunt in ſe, poteſt apprehendere, quod bonumeſt , ſub ratione mali ; ſaltim negativè , quatenus non cognoſcit eſſe ibi omne bonum pagina. 391.

§. V. Arguitur primò , ex eo quod creatura rationalis , naturali pondere , tendit in ſuum vltimum finem ; & cum hic ſit Deus clarè cognitus ; ſequitur appetitu naturali tendere in claram Dei viſionẽ. Secundò: quia in creatura rationali datur potẽtia

naturalis, ad visionem beatam, cum in illa detur ordinatio in finem ab authore naturæ: ergo & appetitus innatus. Tertio: quia potentia ad visionem beatam in creatura rationali non est obedientialis, sed naturalis, quia non dicit meram capacitatem passivam, sed exigentiam, & debitum quare appetitus, debet esse innatus. Quarto: quia nihil interis, quod appetitus innatus, non supponat cognitionem; cum non ab eo, sed ab authore naturæ moveatur. Denique: quia defectus virium in natura ad consecutionem visionis beatæ non impedit appetitum innatum; nam dispositio mediorum, est à Deo prædestinante; appetitus autem innatus, est à Deo ordinante in finem, pag. 392. Respond. creaturam rationalem naturali pondere, tendere in suum vltimum finem non diversi ordinis, sed eiusdem; qui non est Deus clare visus, nec intuitivè, nec abstractivè cognitus. Ad secundum respond. in creatura rationali, tantum dari potentiam naturalem entitativè, non vero terminativè, in ordine ad finem supernaturalem. Ad tertium respond. in creatura rationali tantum esse potentiam obedientialem ad visionem; & hanc in natura elevata, non tantum dicere capacitatem passivam, sed exigentiam, & debitum. Ad quartum autem dicitur appetitum innatum ad visionem Dei non repugnare, iuxta dicta ex defectu cognitionis, sed ex supernaturalitate termini, ac tandem ad quintum media sufficientia, non esse à Deo prædestinante; quarè si Deus, vt Author naturæ daret creaturis rationalibus appetitum innatum visionis, eodem titulo, daret media sufficientia; quod repugnat, pag. 392. Cætera argumenta enervantur, pagin. 393.

§ (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o) § (o)

TRACTATVS. II.

De specie ad visionem claram Dei necessaria.

DUBIVM I.

Vtrùm de facto detur aliqua species impressa creata, concurrens cum intellectu Beati, ad visionem Dei, vt est in se? pag. 394.

§. I. Dividitur species, in impressam, & expressam, & vtriusque explicatio traditur: ac tandem referuntur sententiæ; atque breviter insinuatur discrimen esse inter affirmativæ partis tutores, eumque situm est in, eo quod aliqui asserunt eam speciem deservire ad cognitionem intuitivam Dei; cum alij eam ad abstractivam tantum deservire tuantur, pagin. 394.

§. II. Dicendum primo, lumen gloriæ, gerere non posse munus speciei impressæ in mentibus Beatorum, ad eliciendam visionem. Probatur primo ex Div. Thoma, & vlterius ratione; videlicèt, quia species intelligilis supponit lumen gloriæ; quia supponit virtutem ex parte potentiæ. Vnde species intelligibilis, à lumine distingui debet, pag. 395. proponitur duplex eiusdem rationis confimatio, ibidem.

§. III. Dicendum secundó, non dari de facto speciem impressam creatam, concurrentem cum intellectu beati, ad visionem claram Dei, vt est in se; solamque essentiam divinam per se ipsam hunc concursum præstare. Firmatur primò, conclusio authoritatibus. Anselmi, & Thomæ, & vlterius ratione deducta ex magno Parente Anselmo, qui in Monol. cap. 6. ait: *Summam essen-*

essentiam, esse per se ipsam quidquid est: sed summa essentia, est summè intelligibilis; ergo per se ipsam: sed aliundè, per se ipsa est intimè præsens potentiæ perfusæ lumine gloriæ. per quod proportionatur ad visionem beatam; ergo non requiritur alia species distincta, ad visionem beatam: vndè ponenda non est.

§.IV. Probatur secundò, eadem conclusio, ex eo quod, & essentia divina, potest vniri intellectui creato, per modum speciei, quia ad hoc informatio non requiritur, & hoc ipso connaturalius est, quod visio procedat ab essentia divina per modum speciei, quam ab alia specie creata: vndè ponenda non est, pag. 397. Quædam rationis evasio proponitur, & præcluditur, ibidem.

§.V. Arguitur primò; quidquid desiderari potest in specie, reperitur in lumine gloriæ; quia activè concurrit cum intellectu ad visionem, potentiamque elevat, & confortat, non ad quamcumque visionem, sed ad hanc determinatam, huiusque determinati obiecti: ergo lumine posito, alia species ab ipso distincta non requiritur. Confirmatur: quia posita potentia intellectiva lumine gloriæ informata, accedente concursu generali Dei, & quolibet alio secluso, datur completum, & adæquatum principium ad visionem beatam producendam: cum potentiæ prout sic correspondeat omnis formalitas in visione reperta; nimirum, vitalitas, & supernaturalitas, ac tendentia, in hoc obiectum præ alio, pag. 398. Respond. intellectum lumine gloriæ instructum esse principium adæquatum, adæquatione potentiæ; sed vlterius requiri concursum obiecti ad visionem; *quia ex obiecto, & potentia paritur notitia*, ibidem. Reliqua diluuntur argumenta, pag. 399.

DVBIVM II.

An possibilis sit aliqua species impressa creata ad videndum Deum, vt est in se? pag. 399.

§.I. Proponitur ex præcedenti dubio speciem esse similitudinem obiecti, & de facto in mentibus beatorum non dari; indicatur insuper dubium procedere de possibili, atque Doctorum dictamina proponuntur, pagina, 399.

§.II. Dicendum speciem impressam creatam repræsentativam Dei, & est in se, esse prorsus impossibilem: vndè essentia divina gerit vices speciei impressæ, ad eliciendam visionem. Probatur ex Apostolo 1. ad Cor. 13. asserente, quod *nunc videmus per speculum enigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem*: quia visio facialis omne speculum excludens, excludit etiam omne medium, sivè sit prius cognitum, sive sit ratio cognoscendi: suadetur vlterius ratione eruta ex Anselmo, qui in Monol. cap. 6. ait: *Essentiam divinam esse per se ipsam quidquid est*: vndè cum essentia divina, sit proximè intelligibilis, id habet per se, & non per speciem, pagina, 400. Quædam rationis evasio præcluditur: ibidem. Confirmatur, ex eo quod, si Deus constitueretur proximè intelligibilis per speciem distinctam daretur aliqua potentialitas in Deo; quia supponeretur intelligibilis tantum remote, pagina, 401.

§.III. Proponitur alia authoritas Anselmi, & ex illa formatur alia conclusionis ratio: quia nimirum implicat speciem ordinis inferioris, repræsentare quidditativè, & claré rem ordinis superioris, pagina 402. Respond. Mastrius hanc rationem non convincere; quoniam de facto datur in beatis species creata expressa Dei. Secundò: quia ipsa visio beata est repræsentativa Dei, & ipsum prout est in se repræsentat. Tertiò: quia species substantiæ in esse repræsentativo, & est

accidentalis, & inferioris ordinis, & tamen eſt immediatè, clarè, & quidditativè repræſentativa ſubſtantiæ. Quartò: quia ſpecies Angeli vtpote immaterialis, non eſt eiuſdem quidditatis cum re corporea, & tamen illam clarè, & quidditativè repræſentat, pag. 403. Occurritur obiectioni, cum ſuis confirmationibus, & ylterius confirmatur ratio facta, ibid.

§. IV. Proponitur alia ratio, deprompta ex Divo Thoma; conſiſtens, in eo quod ſpecies repræſentans Deum, provt eſt in ſe, contineret illum in ſe formaliter; quod implicat; quia eſſet eiuſdem immaterialitatis, & actus purus, eſſetque ens à ſe, ſicut Deus, pag. 404.

§. V. Arguitur primò, ex eo quod, in ordine in quo poſsibilis eſt operatio, poſſibilia paritèr ſunt operationis principia: cum ergo in ordine ſupernaturali poſsibilis ſit viſio beata, poſsibilis, etiam debet eſſe ſpecies, quæ eſt vnum ex principijs, ad viſionem requiſitis, pag. 405. Inſtatur argumentum; quia ſi verum aſſumit ſequitur, dari de facto ſpeciem repræſentativam Dei, cum defacto detur viſio. Deindè reſpond. non dari omnia comprincipia, dum in aliquo datur ſpecialis repugnantia, ſicut datur in ſpecie; præſertim, quia non ſe tenet ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti, nempè Dei, ibid. Alijs argumentis occurritur, pag. 405. & 406.

DVBIUM III.

An eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ concurrat effectivè, ad viſionem? pag. 407.

§. I. Proponitur, vt certum Deum, vt cauſam primam ad viſionem beatam concurrere: prænotatur inſuper ſupereſſe inveſtigandum; an in eo ſenſu, in quo eſt obiectum motivum viſionis, concurrat ad eamin genere cauſæ formalis, vel quaſi formalis tantum; an etiam in genere cauſæ effectivæ? ac tandem proferuntur ſententiæ, pag. 408.

§. II. Eſſentia divina vnita mentibus beatorum in eſſe formæ intelligibilis non habet proprium effectibum concurſum, in viſionem beatam, ſed tantum formalem, & determinativum potentiæ. Probatur, ex eo quod iuxta Div. Thomam 1. par. quæſt. 9. art. 1. ad 2. Obiectum, ſivè ſpecies determinat intellectum, ſicut bonum apprehenſum determinat voluntatem; vndè cum bonum apprehenſum, ſolum determinet voluntatem in genere cauſæ, formalis, non effectivæ, idem dicendum ſuperſt de eſſentia per modum obiecti, ſivè ſpeciei, pag. 408. Confirmatur, ex eo quod ſpecies intelligibilis, neceſſaria ad actum fidei ſupernaturalis, non concurrit effectivè ad illum, quia eſt naturalis, vtpotè directè repręſentans obiecta naturalia, & materialia: ergo nec eſſentia divina per modum formæ intelligibilis, ad viſionem, ibid. Quædam confirmationis evaſio præcluditur, ibid. Probatur ſecundò concluſio, ex eo quod iuxta communem Thomiſtarum doctrinam, repugnat ſubſtantiam vnitam per modum ſpeciei propriæ potentiæ intellectivæ, efficienter concurrere ad cognitionem ſui; quod ita non eſſet, ſi eſſentia divina efficientèr concurret, ad viſionem beatam, pag. 409. Proponuntur aliquæ huius rationis evaſiones, atque reijciuntur, ibid.

§. III. Primum argumentum ex authoritate D. Thomæ deſumptum proponitur; eidemque cum explicatione authoritatis occurritur, pag. 410. Arguitur ſecundò: omnis ſpecies creata concurrit effectivè, quia cum intellectu producit verbum, inquo datur repræſentatio formalis obiecti; quæ alteri cauſæ effectivæ correſpondere non poteſt; ergo paritèr eſſentia divina, per modum ſpeciei ad viſionem; cum provt ſic habeat eum concurſum, quem haberet ſpecies creata, ſi poſsibilis eſſet, pag. 410. Reſpod. nullam ſpeciem creatam concurrere effectivè ad intellectionem; & tantum producere verbum determinando cauſam effectivam, non verò cum ipſa effectivè concurrendo, ibid.

DUBIUM IV.

An beati Deum videant media ſpecie expreſſa creata? pag. 411.

§. I. Indicatur brevitèr ad cognitionem obiecti, tam ſpeciem expreſſam, quam im-

impreſſam concurrere : necnon qualiter vtraque ſe habeat , ad illam ; ac Doctorum placita referuntur , pagina. 411.

§.II. Dicendum Beatos nullo pacto videre poſſe Deum , vt eſt in ſe media ſpecie expreſſa. Probatur: quia ſicut eſſentia divina , quia eſt actus purus , non poteſt conſtitui in eſſe obiecti motivi proximè intelligibilis , per ſpeciem creatam diſtinctam ; ita nec in eſſe terminativi ob eandem rationem , pag. 411. Explicatur , atque roboratur eadem ratio , pag. 412. Variæ rationis evaſiones , præcluduntur , pag. 413. Proponitur pro ſecunda concluſionis parte firmanda ; quædam Divi Thomæ authoritas, pag. 414.

§.III. Primum,& ſecundum argumentum ex Anſelmi , & Thomæ authoritatibus deſumpti ; ex ipſorum doctrina enucleantur,p.415.Arguitur tertio:omnis actio,vt talis producit terminum,cum ſit cauſalitas agẽtis; ergo,& viſio beata, quæ vera actio eſt. Confirmatur, ex eo quod viſio beata eſt vera actio de prædicamento actionis; vndè eſſe debet verum fieri , & terminum habere, pag. 415. Quædam communis ſolutio affirmans , actiones immanentes non eſſe de prædicamento actionis indicatur ; ac tandem, reſpond. viſionem eſſe actionem ſpeculativam, non practicam, ibid. Alia argumenta proponuntur , atque diſolvuntur , pag. 416.

TRACTATVS III.

De Lumine Gloriæ.

DVBIVM I.

An lumen gloriæ ſit neceſſarium, ad videndum Deum . & quale illud ſit ? pag. 417.

§.I. Proponitur authoritas Concilij Vienenſis generalis , qua damnantur , aſſerentes : *Quod quælibet intellectualis natura , naturaliter eſt beata , quodque anima non indiget lumine gloriæ , ad Deum videndum,eoque beate fruendum*;& Doctorum iudicia , circa neceſſitatem luminis gloriæ , pag. 417. Indicatur Scotum neceſſitatem luminis negaſſe; necnon alia , quibus Maſtrius ſuadere conatur , ſubtilem Doctorem huiuſ ſententiæ nullatenus ſuffragari: ac tandem diverſimodi opinandi circa explicationem luminis gloriæ , pagina , 418.

§.II. Dicendum primó, intellectum creatum indigere virtute elevante , ad videndum Deum , vt eſt in ſe ; quæ dicitur lumen gloriæ. Probatur ex dicto Concilio diſſertis verbis improbante, quod *Anima non indigeat lumine gloriæ ad videndum Deum* , pag. 418.

§.III. Dicendum ſecundó , lumen gloriæ neceſſarium ab viſionem beatam , non eſſe eſſentiam divinam ſe ipſa intrinſecè manifeſtatam: nec eãdem eſſentiam per modum ſpeciei intelligibilis vnitam in entibus beatorum: nec eandem viſionem beatam.Probatur prima pars ex allegato Concilio ſtatuente neceſſitatem luminis , ad videndum Deum, quod nequit eſſe Deus extrinſecè manifeſtatus ; ſicut lumen ad videndum colorem in potentia viſiva, non eſt color extrinſecè attactus. Secundò : quia cum Concilium definiat animam indigere lumine ; debet lumen ex parte animæ ſe tenere ; quod non evenit in eſſentia divina extrinſecè manifeſtata. Tertiò : quia cum Concilium definiat neceſſarium eſſe lumen , quod hæretici , ibi reprobati negabat ; cum nemo ipſorum , ita inſipuerit , vt negarit Beatos videre eſſentiam divinam, ſinè eſſentia divina ; ſequitur lumen à Conſilio exactum , non eſſe eſſentiam divinam extrinſecè manifeſtatam, pag. 419. Secunda convincitur, ex eo quod eſſentia divina vnita per modum ſpeciei , nullas tribuit vires potentiæ, ad videndum Deum. Secundó: quia cum ſpecies non ſit , id quo potentia conſtituitur intelligens , ſed quo obiectum conſtituitur intelligibile à potentia ; debet ſupponere potentiam elevatam , & proportionatam , ibid. Confirmatur : quia potentia attingens obiectum viribus naturæ illud ſinè ſpecie non attingit : vndè ſi potentiæ intellectivæ nil aliud additur ad videndum Deum , niſi eſſentia divina , per modum ſpeciei , verè Deum videt viribus naturæ , ibid. Tertia tandem pars ſuadetur , ex eo quod ſi nomine luminis neceſſarij ad videndum Deum non

non intellexiſſet Concilium niſi viſionem ipſam; re vera definiſſet neceſsitatem viſionis, ad videndum quod eſt prorſus tanto Concilio indignum, pag. 420. non nulla traduntur pro reijcienda opinione, quorundam Scotiſtarum aſſerentium Beatos mere paſsive ſe habere ad videndum Deum, recipiendo viſionem, ibidem.

§. IV. Dicendum tertió, lumen neceſſarium ad viſionem beatam, non eſſe concurſum Dei cum potentia, ſed virtutem ſupernaturalem elevantem potentiam Probatur primó, ex præallegato Concilio, quod non loquitur de concurſo ſimultaneo; quia hunc prædicti hæretici non negabant, pag. 420. Secundò: quia lumen ex actum à Concilio, eſt ad elevandam potentiam, vt eliciat viſionem, quam viribus naturæ elicere non poteſt; concurſus autem ſimultaneus non influit in potentiam, ſed cum illa ad actum concurrit, ibidem. Probatur ſecunda pars, ex eo quod viſio beatifica, eſt ſupernaturalis; vndé virtus ad illam requiſita debet eſſe ſupernaturalis. Secundò, quia cum viſio beata, ſit actus vitalis ſupernaturalis debet procedere à potentia vitali intellectus, media virtute ſupernaturali elevante: namque virtus naturalis eſt improportionata, & inſufficiẽs. Tertió: quia improportio intrinſeca potentiæ naturalis, ad videndum Deum oritur ex defectu virtutis: vndè ponenda eſt virtus ſupernaturalis, ad proportionem præſtandam, pag. 421.

§. V. Arguitur primó, ex eo quod cum eſſentia divina ſit lux per eſſentiam intelligibilis, & potens per ſe ipſam potentiam illuminare, extrinſecè manifeſtata intellectui, ac ſimultaneé cum ipſo concurrens ſatis eſt, ad viſionem beatam: vndè aliud lumen non requiritur. Secundó: quia ſi aliquid aliud requiriretur, eſſet per modum augmenti virtutis, quod intellectui repugnat; quia capax intenſionis non eſt; confirmatur: quia ſi Deus ſe manifeſtet intellectui, quolibet alio ſecluſo prorrumpet in viſionẽ; cum tunc auferatur impedimentum quod intellectus creatus pro hoc ſtatu habet, ad videndú Deum, vt eſt in ſe; nempe cognoſcere per ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt medium inferioris ordinis, reſpectu Dei, vt eſt in ſe, pag. 422. Ad argumentum reſpond. eſſentiam divinam eſſe per ſe ipſam ſufficientem ad illuminandum potentiam proportionatam; ſecus autem ſi proportionata non ſit; nam quãtumcumque lux Solis ſe manifeſtet cæco, abeo non videbitur. Ad ſecũdum, reſpond. ex authoritate Divi Thomæ; qua docet S. Doctor augmentum virtutis intellectivæ, vt viſionem beatificam elliciat fieri per alicuius novæ diſpoſitionis adeptionem. Confirmationi reſpond. illud impedimentum; eſſe ſufficiens, ſed non adæquatum: nam pro hoc ſtatu anima noſtra videre non poteſt Deum vt eſt in ſe, quia intelligit per ſpecies ſenſatas, & quia caret virtute elevante, pag. 422. Alia argumenta ſolvuntur, pag. 423.

DVBIVM II.

An intellectus creatus videre poſsit divinam eſſentiam, ſinè lumine gloriæ creato? pag. 423.

§. I. Proponuntur aliqua ad ſtatum controverſiæ ſpectantia, atque Doctorum placita, pag. 424.

§. II. Dicendum primò, prorſus repugnare eſſentiam divinam vniri per modum luminis mentibus beatorum, ad elliciendam viſionem beatam; ſicut, & voluntati per modum charitatis, ad actum amoris. Suadetur primô, concluſio authoritatibus Div. Thomæ, & ex illis ita proponitur ratio: Spiritus Sanctus vniri non poteſt voluntati creatæ, per modum charitatis ad actum dilectionis elliciendum: ergo nec eſſentia divina intellectui, per modum luminis, ad elliciendum viſionis actum, pag. 424. Probatur vlterius, quia ſi eſſentia divina vniretur per modum luminis, vniretur etiam, vt principium *quo*, quod repugnat; quia aliàs phiſicé informaret potentiam, pag. 425. Quædam adverſariorum ſolutio reijcitur, ac iterúm concluſio roboratur, pag. 426.

§. III. Dicendum ſecundó, prorſus repugnare intellectum creatum ellicere viſionem beatam, ſinè lumine creato, ſivè permanentér, ſivé tranſeuntér com-

mu-

communicato ; ideòque non ſufficere auxilium extrinſecum, ſivé aſsiſtentiam extrinſecam Dei. Commendantur rationes §. antecedenti propoſitæ pro concluſionis probatione ; & vlterius Divi Thomæ authoritate ſuadetur. pag. 427.

§. IV. Probatur concluſio, ratione communiet efficaci ; videlicèt, quia implicat intellectum creatum videre Deum, ſinè facultate intrinſeca ad videndum ; hanc autem non haberet, ſinè lumimine, nam ſinè illo non contineret in actu primo viſionem ; quia maneret potentia naturalis non elevata, pag. 428. Explicatur, atque confirmatur eadem ratio, ibid. Reſpond. potentiam eſſe omninó improportionatam, nec poſſe actum ſupernaturalem elicere, Deo ex extrinſecé non aſsiſtente ; proportionari tamen Deo extrinſecè aſsiſtente, & concurrente cum potentia, ad ſupernaturalem operationem, ibid. Impugnatur primó, ex eo quod cum potentia ex ſua virtute naturali ſit omninó impotens ad operationẽ ſupernaturalem, & per aſsiſtentiam extrinſecam, nil intrinſecum ponatur in potentia, adhuc ea poſita manet improportionata. Secundò, quia per extrinſecam aſsiſtentiã, nec intrinſecé mutatur, nec acquirit aliquam præcontinentiam intrinſecam, pag. 428. Impugnatur vlterius eadem ſolutio, pag. 429.

§. V. Reſpondent alij, intellectum non eſſe cauſam principalem viſionis beatæ, ſed partialem, habereque ſufficientem virtutem activam obedientialem, ad viſionem beatam ſub ratione vitalis; vndè intellectus creatus, poterit, ſinè lumine intrinſeco producere viſionem beatam, ſi coadiuvetur á Deo, concurrente cum ipſo ad eandem viſionem ſub ratione ſupernaturalis, pag. 430. Reicitur ſolutio : quia ſequitur ex illa ſuperfluere lumen gloriæ intrinſecè inhærens, in intellectu: atque gratiam in ordine ad actus ſalutares : atque alijs pluribus rationibus, pagina. 430. & 431.

§. VI. Arguitur primó : quidquid poteſt Deus, per cauſam efficientem mediam poteſt etiam immediatè ſe ſolo; quia in hoc nulla cernitur imperfectio, aut implicantia; quinimò eſt maxima perfectio Dei : ergo Deus, poteſt ſupplere concurſum effectivum luminis, & abſque ipſo viſionem elicere, pag. 431. Inſtatur multiplicitèr argumentum ; eique reſpod. lumen gloriæ non ſolum concurrere activè in viſionem ; ſed etiam per modum cauſæ formalis elevare potentiam : & cum hoc ſecundũ non poſsit à Deo ſuppleri, paritèr nec primum, pag. 432. Aliqua contrà ſolutionem obiecta, & diſoluta, ibid. Secundum, & tertium argumentum, cum ſuis confirmationibus, proponuntur, & enodantur, pag. 433.

§. VII. Arguit quartò P. Oviedo, potentia creta quamquam ſupponatur completa, ad actus naturales, dependet eſſentialitér à concurſu cauſæ primæ, non minus qnam potentia vitalis à concurſu comprincipij ſupernaturalis, ad actum vitalem ſupernaturalem ; ſed ad primum ſufficit concurſus cauſæ primæ, per aliquid extrinſecum : ergo paritèr ad ſecundum. pag. 434. Reſp. concurſum ſimulraneum cauſæ primæ, ſupponere totam virtutem in potentia adæquatam, & proportionatam, in ſuo ordine, quamnon ſupponit lumen, ad actus ſupernaturales, ibid. Vltimum argumentum diluitur, pag. 435.

DVBIUM III.

An lumen gloriæ concurrat, ad viſionem vt totalis, vel partialis ratio agendi, gina. 435.

§. I. Proponitur qualitèr aliquibus controverſia hæc celebris, difficiliſque ſit; alijs verò plurimum de nomine, parumque de re continere videatur; atque Doctorum placita indicantur, pag. 435.

§. II. Lumen gloriæ non ſolum elevat potentiam, ſed etiam activè in viſionem influit. Probatur ex illo Sap. 9. *Mitte illam* (nempè gratiam) *de cœlis Sanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret* ex quo ſequitur, non ſolum naturam, ſed, etiam gratiam operari; & conſequentèr, lumen, & charitas, in ſuis potentijs. Probatur ratione ex communi Sanctorum Patrum aſſerentium in or-

ordine ſupernaturali, primas partes habere gratiam, potioresque vires adſcribendas eſſe gratiæ, quam naturæ; at hoc ita non eſſet ſi gratia virtuteſque ſupernaturales, nullum activum influxum habent, ſed ſolùm formalem, & elevativum; cum præſtantior ſit influxus effectivus, quàm formalis: ergo lumen concurrit ad viſionem, non tantùm in genere cauſæ formalis elevantis potentiam, ſed ingenere cauſæ effectivæ, pag. 436.

§. III. Lumen gloriæ eſt tota, & adæquata virtus proxima viſionis beatæ. Probatur ex eo quod tota ratio, & virtus proxima viſionis, debet eſſe tota ratio ipſam continendi, quod ſolùm competit lumini; quia ſolum ipſum eſt totum ſupernaturale. pag. 436. Confirmatur, quia cum intellectus non contineat viſionem, nec formaliter, nec eminenter, quia eſt ordinis inferioris; ſolùm ratione luminis præſtantis continentiam, poteſt in illam influere; vndè tota ratio, tùm continendi, tùm influendi eſt lumen gloriæ. pag. 437. Quædam rationis evaſio proponitur, ac præcluditur multiplici ratione, pag. 438.

§. IV. Arguitur primo ex P. Ripalda ſupernaturalitas actus non impedit immediatú influxum naturæ poteſt enim eſſe indebitus, licet natura in illum immediatè influat; quia licet habeat influxum immediatum non ideo habet aliquam exigentiam, ad comprincipium ſupernaturale, nec ad actum ſupernaturale. pag. 438. Confirmatur ex eo, quod in natura datur potentia paſsiva immediata ad formas ſupernaturales ſine exigentia ad illas, nec ad virtutem productivam ipſarum; ergo pari titulo dari poterit potentia activa immediata in natura ad actus ſupernaturales, ſine exigentia ad eos nec ad virtutem, ſive comprincipium eorundem actuum: quo poſito, actus manet ſufficienter ſupernaturalis; vndè ſupernaturalitas non impedit concurſum immediatum naturæ, ibid. Inſtatur argumentú, & eidem reſpondetur eum actum eſſe, & non eſſe indebitum, eſſe quia contineretur in natura, & non eſſe, quia ſupernaturalis. pag. 439. Confirmationi reſp. latum eſſe diſcrimen; quia potentia paſsiva importat meram capacitatem, ad recipiendum; activa verò debet effectum præcontinere, ibid. Arguitur ſecundo ex eodem Ripalda: poteſt principium non vitale influere in actum vitalem; quia ſpecies impreſſa, quæ vitalis non eſt influit activè, & proximè in actum vitalem; ergo & principium non ſupernaturale, in actum ſupernaturalem. Confirmatur primò; ex eo quod principium naturale, influit activè, & immediatè, in actum ſupernaturalem, vt patet in ſpecie naturali deſerviente ad actum fidei, & prophetiæ. pag. 439. Confirmatur ſecundo: quia anima peccato infecta, prout diſtincta ab intellectu, influit in actum naturalem; ergo & intellectus influere poteſt in actum ſupernaturalem viſionis, ibid. Diſſolvitur argumentum cum ſuis confirmationibus, pag. 440. Tertium argumentum proponitur, & confirmatur; ac tandem diluitur, & in adverſarios regeritur, ibid.

§. V. Cætera enervantur argumenta, pag. 441. 442. & 443.

§. VI. Ultimum argumentum pro ſententia aſſerente ex coaptione eſſentiali intellectus, tanquam ex virtute intellectiva, & ex lumine gloriæ, tanquam ex augmento virtutis conſurgere potentiam adæquatam, & proximam viſionis deſumit Doctiſsimus Moneda ex Angelico Præceptore, atque ratione ſuadet, pag. 444. Reſp. argumento, & authoritas D. Thomæ, ex mente eiuſdem Sancti Doctoris explicatur. ibid.

TRACTATVS IV.

De æqualitate, & inæqualitate viſionis Beatæ.

DUBIUM I.

An omnes Beati ſint in viſione æquales? pag. 447.

§. I. Proponitur Jovinianum tenuiſſe, omnes Beatos eſſe in beatitudine pares, pariterque Lutherum; & vtriuſque motiva breviter iudicantur, ibid.

§. II. Dicendum viſionem beatam, æternamque fœlicitatem eſſe omninò inæqualem in Beatis. Iudicatur procedere

dere concluſionem ex ſuppoſitione inæqualitatis meritorum : probaturque varijs Sacræ Paginæ teſtimonijs ; & vlterius ratione : nimirùm, quia viſio beata confertur adultis in præmium meritorum, vndè cum merita ſint inæqualia, paritèr & viſio, pag. 447. Confirmatur ex differentia, quæ datur inter adultos, & parvulos baptizatos, quæ ſita eſt, in eo quod pueri conſequuntur ſalutem per modum hæreditatis, ac ideò æqualitèr : adulti verò per modum præmij, & conſequentèr inæqualitèr, id exigente iuſtitia diſtributiva, propter inæqualitatem meritorum, ibidem.

§. III. Primum argumentum deſumitur ex Parabola Matth. 20. vbi Chriſtus ait patremfamilias conduxiſſe, & miſſiſſe in vineam ſuam operarios mane hora tertia, ſexta, nona, & vndecima, ac poſteà iuſiſſe procuratori, vt omnibus redderet mercedem, & ita fecit æqualitèr noviſimis, & primis, quia cum iuxta communem Patrum expoſitionem nomine *denarij diurni*, in ea Parabola ſignificetur vita æterna, ſequitur omnibus æqualitèr dari ; quia, ibi propónitur idem denarius æqualitèr datur, diverſimodè laborantibus, pag. 445. Diſolvitur argumentum Sanctorum Patrum doctrina, ibid. Solutio Patris Vazquez, multiplicitèr reijcitur, pag. 449. Secundò, ac tertio argumento occurritur, pag. 450.

DVBIVM II.

An diverſitas viſionis ortum habeat ex ſola diverſitate luminis, vel etiam à diverſitate potentiæ, pag. 450.

§. I. Proponuntur aliqua, ad intelligentiam controverſiæ expectantia, necnon Doctorum placita, pag. 450.

§. II. Dicendum diverſitatem viſionis beatæ ortum habere ex ſola diverſitate luminis, non potentiæ. Suadetur primò authoritatibus Anſelmi, & Thomæ, ac præterea ratione : nimirùm, quia omnis perfectio effectus ſupernaturalis, deſumenda eſt, ex perfectione ſupernaturalis principij, quia ſolum poteſt commenſurari, cum illius perfectione, vndè cum viſio beata ſit effectus ſupernaturalis deſumi debet eius perfectio ex lumine, pag. 451. Confirmatur primò, ex eo quod ſi potentia elevata non eſſet perfectiori lumine nullorenus influere poſſet in viſionem perfectiorem; ſicut ſi nullo modo eſſet nullo modo influere poſſet ; vndè tota viſionis perfectio refudenda eſt in lumen, ibid. Reſpond. Maſtrius perfectionem effectus refundendam eſſe in cauſam adæquatam, & cum proportione; & cum hæc conſurgat ex potentia, & lumine, poterit potentia elevata à lumine minus intenſo, influere in viſionem magis intenſam, quamquam, potentia nullo modo elevata, nullo pacto influere poſsit in viſionem, ſicut patet in oculo corporeo, qui ſinè ſpecie viſibili videre non poteſt ; ſpecie tamen informatus poterit, elicere viſionem perfectionem, & magis intenſam, quam alius oculos minus aecutus, eadem ſpecie informatus, pag. 451. Impugnatur ſolutio, atque iterùm probatur concluſio ipſam ſubvertendo, pag. 452.

§. III. Probatur tertió, concluſio ex eo quod lumen non elevatur á potentia, licèt intellectus coniunctione luminis elevetur : vndè lumen, vt quatuor, quod non continet niſi viſionem, vt quatuor, & ſi potentiæ perfectiſsimæ, coniúgatur nequit elicere viſionem, vt quinque, pag. 453. Confirmatur: quia maior perſpicacia potentiæ ſupra intenſionem luminis, ad eliciendum viſionem ſupernaturalem magis intenſam de materiali ſe habet : quia illa perſpicacia potentiæ eſt in ordine naturali, ibid. Alia Maſtrij ſolutio præcluditur, pag. 454.

§. IV. Arguitur primó: quo perfectior eſt cauſa partialis, eo perfectior eſt effectus, quia deficiente cauſa partiali deficit effectus, & ſi reliqua, ſint æqualia ; ſed intellectus eſt cauſa partialis viſionis, ſecundum ſuam naturalem virtutem ; ergo ex perfectiori intellectu ſecundum naturalem virtutem, pag. 454. Confirmatur: quia non minus propria virtute concurrit potentia naturalis elevata comprincipio ſupernaturali, ad actus ſupernaturales, quam adiuta, principio naturali, ad actus naturales : vndè cum potentia perfectior cum æquali principio naturali

rali producat expreſsiores, & vivatio-res effectus: etiam potentia perfectior cum æquali lumine, & comprincipio ſupernaturali, clariores, vivatioreſ-que actus ſupernaturales producere poterit, ibidem. Reſpond. eam maio-rem perfectionem naturalem, ſe habe-re de materiali reſpectu actus ſuperna-turalis, ad quem non concurrit ſecun-dum virtutem naturalem, ſed poten-tia obedientiali indigente virtute, quæ vel ſit tota ratio agendi, vel tota ratio elevandi. Confirmationi, reſpond. non minus concurrere intellectum eleva-tum ad actus ſupernaturales, quam ad-iutum principio naturali, ad actus na-turales, ſed non eodem modo, ibid. Alia argumenta propoſita, & diſoluta, pag. 456.

TRACTATVS V.

De obiecto viſionis beatæ.

DVBIUM I.

An videri poſsit à Beatis eſſentia divina ſine attributis, & relationibus? pag. 460.

§. I. Proponitur fide certum eſſe omnes Beatos de facto videre omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, atque aliqui in oppoſitum declinantes recenſentur Doctores, necnon Scotus cum ſuis id ipſum tenens de poſsibili; ac tandem pro parte negativa ſtare communiter vtriuſque Scholæ Doctores indica-tur, pag. 460.

§. II. Negativa eſt concluſio; eaque ſua-detur authoritatibus Anſelmi, ac Tho-mæ, pag. 460. Firmatur præterea ra-tione: nimirùm, quia viſio beata ex ſuo conceptu eſt intuitiva Dei, vt eſt in ſe; quod eſſe non poteſt, quin to-tum quod eſt formaliter in Deo vi-deatur: quia aliter videretur ens infi-nitum in omni linea perfectionis, ſine aliqua perfectione. Confirmatur, ex eo quod dùm eſſentia divina videtur, vt eſt in ſe, debet videri, vt fœcunda; quo poſito debent etiam videri rela-tiones, & perſonæ. Secundo: quia dùm Deus vt eſt in ſe videtur, debet videri vt actus putiſsimus, omnino ſimplex, omnemque excludens po-tentialitatem: & conſequenter cum omni perfectione, pag. 461. Reſp. Maſtrius, non obſtante ſumma ſimpli-citate Dei, poſſe videri eſſentiam ſine attributis, ob diſtinctionem formalem ex natura rei, ibid. Reijcitur multi-pliciter ſolutio, pag. 462. Alia eiuſ-dem Authoris ſolutio impugnatur, & in ipſum ex doctrina Subtiliſsimi Doc-toris regeritur, pag. 463.

§. III. Arguitur primo: non obſtante ſumma identitate eſſentiæ cum attri-butis, aut vnius perfectionis cum alia de facto aliquid convenit eſſentiæ rea-liter, quod non convenit relationi-bus; etenim eſſentia communicatur, non verò paternitas; ergo pariter po-terit eſſentia terminare viſionem, quamvis eam allæ perfectiones non terminent, pag. 464. Confirmatur ex eo quod Pater generat per intellectũ, & non per voluntatem; per hanc au-tem ſpirat, & non per illum ratione diſtinctionis formalis ex natura rei: vndè eiuſdem diſtinctionis beneficio poterit eſſentia videri ab intellectu creato, alijs perfectionibus non vi-ſis, ibid. Prætereà eſſentia divina vt eſt in ſe communicatur Filio, non communicata paternitate; ergo ſi quis videret eſſentiam divinam eo modo quo communicatur, videret eam vt eſt in ſe, & non videret paternitatem: vndè & ex eo quod viſio attingat eſ-ſentiam divinam vt eſt in ſe, non ſe-quitur, quod videat paternitatem, pag. 464. Reſp. eſſentiam communi-cari, non verò paternitatem, & Pa-trem generare per intellectum, non autem per voluntatem, &c. non im-pedire rationem actus puri: quin po-tius eſſe illius expreſsionem: quia pro-ductio perſonarum exprimit ſummam fœcunditatem, & eſſentiam identifi-care relationes inter ſe inſociabiles, exprimit virtutem infinitam, p. 465. Confirmationi reſp. videntem eſſen-tiam ex parte principij, videre neceſ-ſariò paternitatem in illa incluſam; & ſimiliter videri non poſſe ex parte ter-mini, cui communicatur, quin videa-tur ex parte principij communicantis. ibid. Cætera argumenta enervantur, pag. 465. & 466.

DV-

DVBIVM II.

An quilibet beatus videat in verbo, quæ ad ipſum ſpectant? pag. 467.

§. I. Indicatur Verbum in præſenti ſumi pro eſſentia Divina, ac præterea ſupponitur vt certum Beatos non omnia videre futura, ſicuti conſtans eſt aliqua videre, p. 476.

§. II. Dicendum primò, Beatos cognoſcere in Verbo genera ſpecies, quidditates rerum, & quæcumque ex intentione naturæ pertinenent ad pulcritudinem vniverſi. Suadetur primo authoritate Anſelmi, ac prætereà ratione; nimirùm quia viſio beata eſt ſatiativa appetitus rationalis, & beati omnia prædicta rationali deſiderio ſcire deſiderant, pag. 468. Confirmatur ex eo, quod horum omnium cognitio data fuit primo parenti in ſtatu innocentiæ: quare negari nequit Beatis, ac rurſus ex Sancto Anſelmo docente, quod *tales oportet eſſe homines in illa civitate ſuperna, quales nunc ſunt boni Angeli*; vndè cum Angeli boni prædictorum omnium cognitione prædiți ſint, pariter, & Beati, pag. 468. c. 2.

§. III. Dicendum ſecundò, Beatos in Verbo cognoſcere quæcumque ad eorum ſtatum pertinent. Probatur, ex eo quod ea quæ ſpectant ad particularem ſtatum alicuius Beati generant in eo deſiderium cognitionis; ratione maximè conſentaneum, vndè talem cognitionẽ habere debent; cum poſsideant quidquid deſiderant, p. 468. Confimatur id ipſum Magni Grogorij authoritate, ibidem. Confirmatur deindè, ex eo quod beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus; quod quidem non eſſet ſi beati non viderent omnia prædicta prætereà, quia ad Beatorum ſtatum, ſpectat perfecta notitia eorum, quæ ad ipſorum dignitates, & munus neceſſaria ſunt, p. 469. c. 1. Quædam rationis evaſio proponitur, ac præcluditur, ibid.

§. VI. Arguitur primò, ex eo quod Angeli Dei plura ignorant ad ipſos ſpectat; ſicuti Angelus tutelaris populi Dei, Angeluſque Perſarũ ignorabant futurum eventum circa exitum populi, cum tamẽ ad eos ſpectaret, p. 469. Confirmatur: qui ſi Beati cognoſcerent futura contingentia, ea cognoſcerent à primo ſuæ viſionis momẽto, cũ viſio, obiecta ſimultaneè, non ſucceſsivè manifeſtet; à primo autem viſionis momento ea non cognoſcunt, quia Deus quotidiè illuminat Beatos, ac pluta noviter illis manifeſtat, ibid. Reſpond. argumentum probare Beatos ignorare plura, quæ ad ipſos expectant, ex ſpeciali providentia Dei, non tamen ſecundum quod regulariter accidit: quod idem dicitur confirmationi, p. 470. Alijs obiectionibus fit ſatis, ibid.

TRACTATVS VI.

De viſione divinæ eſſentiæ in hac mortali vita.

DUBIUM I.

An purus homo in hac mortali vita poſsit videre Deum per eſſentiam? pag. 472.

§. I. Proponuntur aliqua Sacræ Paginæ loca, & ex eis pro parte negativa conficitur ratio: videlicet, quia quod Sacra Pagina affirmat non eſt limitandum ſine revelatione probata authoritate Eccleſiæ, aut graviſsimo fundamento; vndè cum Sacra Pagina affirmet: *Deum nemo vidit vnquam*, nullaque in oppoſitum ſit authoritas Eccleſiæ, ſed potius in id ipſum Patres coſpirare videantur; ſequitur neminem Deum per eſſentiam vnquam vidiſſe, p. 472. Indicantur Sãcti Patres, & DD. hoc privilegium concedentes, Chriſto, Deiparæ, Moyſi, Paulo, Patriarchæ, ac Patri Benedicto, necnon Adamo Seraphicoque Franciſco; quibus eſt plene credẽdum, p. 473.

§. II. Purus homo non poteſt videre Deum per eſſentiam in hac mortali vita, potentia ordinaria, poteſt tamen potentia abſoluta ſuadetur prima pars authoritate Anſelmi, ac præterea ratione ducta ex D. Thoma nimirum, quia modus cognoſcendi pro hoc ſtatu eſt per immerſionem in materia, & per ſpecies rerum materialium, per quas Deus cognoſci nequit, p. 474. Secunda pars firmatur ex eo quod viſio clara Dei non pugnat eſſentialiter cum ſtatu viatoris, nec cum informatione corporis, nec cum mortalitate ipſa; vnde nullo ex capite repugnat, p. 474. Aliquæ obiectiones proponuntur, atque reijciuntur, p. 474. & 475.

§. III. Occurritur authoritatibus Scripturæ, atque Patrum, §. 1. Propoſitis, p. 475.

DUBIUM II.

An ad videndum Deum per essentiam in via necessaria sit alienatio à sensibus? pagina. 476.

§. I. Proponuntur sententiæ, atque earum patroni; & prænotãtur aliqua, pag. 476.

§. II. Raptus sivè ecstasis natura expenditur, & vtriusque differentia in alienandam mentem à sensibus iudicatur pluraque ad alienationem sensuum, quæ in raptu, sivè ecstasi datur traduntur pag. 476. & 477.

§. III. Conclusio est affirmativa eaque duplicem sensum importat: quorum alter est de lege ordinaria; alter vero de potestate absoluta, & sub vtraque consideratione adstruitur vera authoritatibus Augustini, & Thomæ, ac præterea ratione, quia nimirúm operatio partis sensitivæ in hoc statu naturæ lapsæ pugnat cum operatione partis rationalis, & consequenter cum visione clara Dei, pag. 477. & 478.

§. IV. Quædam contra conclusionem obiectiones proponuntur, & excluduntur, pag. 479.

DVBIVM III.

An Moyses in hac mortali vita re ipsa divinam viderit essentiam? pag. 479.

§. I. Proponuntur Patres, ac DD. vtriusque partis Patroni, pag. 479.

§. II. Dicendum Moysem in hac mortali vita Deum clarè vidisse. Firmatur ex illo Exodi, c. 33. vbi Moyses eam visionem Domino postulat dicens: *Ostende mihi faciem tuam*, namque ibi postulabat videre quod nondum viderat, non quod viderat; & cum iam vidisset Deum in specie corporea, consequitur hanc petitionem esse de visione Dei secundum essentiam; & ipsam ad impletem fuisse probatur Sacræ Paginæ testimonio, authoritatibusque Sanctorum Patrum roborãtur, pag. 480. Firmatur vlterius ratione: videlicét quia visio Dei secundum essentiam in hac mortali vita possibilis est; sed ita contingisse de facto respectu Moysis colligitur ex Sacra Pagina, ac prima tradunt Ecclesiæ lumina: ergo ita affirmandum, in facti contingentia, pag. 481. Præterea: quia Moyses constitutus fuit Magister vniversalis Iudæorum, sicut Paulus Gentium; vndè sicut congruum fuit Paulum videre in Deo, quæ docturus erat Gentibus, ita Moysem docuit videre in ipso, quæ Iudæis erat traditurus, ibidem.

DUBIUM IV.

Vtrùm Paulus Apostolus in via Deum secundum essentiam viderit? pag. 481.

§. I. Iudicatur breviter Authores concedentes hanc visionem Moysi, eam pariter concedere Apostolo aliquosque eam Moysi negantes Apostolo dare, licèt vt in plurimum ab ea Paulum excludant, qui eam Moyse negant, pag. 481. Adstruitur tamen Paulum in raptu ad tertium Cœlum divinam essentia vidisse, quod firmatur Anselmi, Augustini, ac Thomæ testimonijs, pag. 481. Aliqua contra assertionem obiecta, & disoluta, pag. 482.

DUBIUM V.

An Parens, & Patriarcha noster Benedictus in hac mortali vita Deum secundum essentiam viderit? pag. 482.

§. I. Ostenditur Thomistas parti negativæ suffragari non nullique eis accedentes societatis DD. recesentur: & pro affirmativa proferuntur plures Sancti Patres, ac Scholastici Doctores; & pro ea præcipuum fundamentum ex Magno Gregorio desumptum proponitur, p. 482. & 483.

§. II. Dicendum Parentem Benedictum vidisse in raptu Deum secnndum essentiam. Firmatur authoritate Magni Gregorij iuxta quem anima Sanctissimi Patriarchæ rapta fuit in Dei lumine, quod, & nil amplius desideratur ad Deum videndum, p. 483. Proponuntur alia Sanctorum testimonia, quibus assertio stabilitur queisq; deferri debet fides, p. 484. Suadetur ex congruentia nimirum, quia Parens Benedictus fuit constitutus Dux omnium Monachorum, sicut Paulus Doctor Gentium, vnde oportet, quod sicut Paulus ita omnium Monachorum, Magister in divina essentia addisceret quidquid discipulis traditurus erat, ibid.

§. III. Proponuntur in contrarium aliqua Doctoris Angelici testimonia, atque explicantur, p. 486. & 487.

INDEX
RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN hoc ſecundo volumine continentur. Littera P. ſignificat paginam, littera C. denotat columnam.

ABSOLVTUM.

ABSOLUTA Dei in concreto accepta poſſunt dici pluraliter, p. 122. c. 2. Omnia abſoluta ſunt tribus perſonis communia, p. 145. c. 2. Radicant ordinem ad aliud per prædicatum alterius lineæ, p. 151. c. 2. In divinis non poſſunt terminare relationem, p. 152. c. 2.

ACCIDENS.

Quod correſpondet accidentibus in creaturis ſe habet vt proprietas in divinis, p. 255. c. 2. Poteſt eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum ſubſtantia, p. 400. c. 2. Accidentia modalia eſſentialiter pendent à propria entitate, p. 431. c. 2.

ACTUS.

Actus intellectus, & voluntatis divinæ alij ſunt eſſentiales, alij notionales, p. 85. c. 1. Actus ſecundus ſupponit ſuppoſitum veluti principium à quo dimanat, p. 148. c. 1. Actus divinæ voluntatis ſolúm poteſt reſpicere ex parte recti divinam bonitatem, p. 272. c. 2. Actus divinæ miſericordiæ reſpicit divinam bonitatem vt connotantem alienam miſeriam ſublevandam, ibid. Actus divinæ iuſtitiæ reſpicit divinam bonitatem vt eſt ratio conferendi cuique quod ſuum eſt, p. 273. c. 1. Nihil intrinſecum addit actui neceſſarió, ſed eſt ipſa entitas actus neceſſarij connotans extrinſecum, ſive importans habitudinem ad obiectum volitum, p. 302. c. 1. Debet importare defectibilitatem cum immutabilitate, p. 303. c. 2. Defectibilitas connotationis habitudinis, aut connexionis non probat defectum in illo, ibid. Vt deficiat in illo habitudo ad aliud ſufficit defectus alterius, ibid. Actus liber divinæ voluntatis ſe extendit ad omne volibile, p. 37. c. 2. Eſt præciſivus æquivalenter licet non formaliter, p. 322. c. 2. Actuum diverſitas non ſumitur tantum ex diverſo principio, ſed ex diverſo modo eggrediendi, & terminandi, p. 378. c. 1. Vt ſit ſupernaturalis debet tendere in obiectum ſupernaturale ex motivo ſupernaturali, p. 390. c. 2. Actus fidei ſupernaturalis eſt nobis liber etiam quoad ſpecificationem, p. 301. c. 2. Actus vitales pendent eſſentialiter á principio vitali, p. 431. c. 1. Actio perſonalis debet procedere à perſona, p. 198. c. 2.

ADAM.

In æternitate non videtur prius Anti-Chriſto, p. 166. c. 1. Per eius inobedientiam omnes conſtituti ſunt peccatores, p. 331. c. 2. Adamo fuit data cognitio omnium, quæ ex intentione naturæ expectant ad pulchritudinem vniverſi, dúm eſſet in ſtatu innocentiæ, p. 468. c. 1. Illius operationem rationalem non impediebat operatio ſenſuum, p. 478. c. 1.

ADIECTIVUM.

Significat formam in ſubiecto, p. 169. c. 1.

ADULTI.

Conſequuntur gloriam per modum coronæ, p. 447. c. 2. Omnibus adultis dantur auxilia ſufficientia, p. 351.

AMOR.

Amor divinus poteſt dici eſſentialiter, &

notionaliter, p. 186. c. 2. Amor mutuus exigit perſonas diſtinctas, p. 202. c. 2. Exigit virtutem ſpirativam in duplici ſuppoſito, p. 203. c 2. Amor Dei erga ſe ipſum eſt affectibus, & erga creaturas effectibus, p. 270. c. 1. Amor non fertur in rem abſolute, & ſimpliciter impoſsibilem, p. 282. c. 2. Amor comprehenſivus omnipotentiæ amat obiectum cum ea connexum ſi ſit bonum, & amabile, p. 282. c. 2. Poteſt eſſe neceſſarius quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, p. 283. c. 2. Amor ſtrictè dictus eſt perfectio pura, p. 376. Deus ſe amat amore ſtricto, p. 375. c. 1. Amor proprius, & ſpecialis nõ eſt incompoſsibilis cum gaudio, ibid. Tendit in bonum ſecundum rationem boni, ibid. Amor præſcindens à poſſeſsione ex ſolo modo tendendi, & non ex parte rei amatæ fœderatur cum abſoluta poſſeſsione, p. 376. c. 2. Vt divinus exigit præſentiam, & exiſtentiam obiecti, p. 377. c. 1. Non excludit exiſtentiam, eſto non terminetur ad rem vt exiſtentem, p. 378. c. 2. Verus amor amicitiæ eſt in Beatis erga Deum, & ſe ipſos, p. 377. c. 2. Amor divinæ eſſentiæ poteſt eſſe comprehenſivus, adhuc poſsibilibus non amatis, p. 178. c. 1.

ANGELVS.

Angelus cognoſcit humanitatem aſſumptam à Verbo eſſe ſubſiſtententem, quamvis ſubſiſtentiam, nõ cognoſcat, p 64. c. 1 Eius intellectus determinatur ad cognitionem per ſuam ſubſtantiam, p. 105. c. 2. Angeli ſuperiores operantur in creaturis medijs inferioribus, p. 230. c. 2. Non poſsunt mitti ad nos ſine mutatione loci, ibid. Angelus ſe ipſum cognoſcere nequit per ſpeciem diſtinctam, p. 401. c. 2. Angeli cuſtodes perfectiſsimè cognoſcunt, quæcumque ad hominum cuſtodiam expectant, p. 469. c. 2. Subſtantia Angeli non gerit vices ſpecici expreſſæ, p 94. c. 1.

S. ANSELMUS.

Anſelmus Græcos confutavit in Concilio Varenſi, p. 291. c. 2. Docet Spiritũ Sanctũ non fore diſtinctũ á Filio ſi ab eo non procederet, p. 210. c. 2. Anſelmi doctrina pro Patrum intelligentia, atque interpretatione, p. 331. c. 1. Docet dari in Deo tres perſonas, ex oppoſitione relationis, p. 69. c. 2. Quantum pro Eccleſia laboraverit, p. 185. c. 1.

ANIMA.

Rationalis eſt ſimilitudo Trinitatis analoga, imperfecta, & vmbratilis, p. 63. c. 1. Ad animas iuſtorum omnes perſonæ divinæ deſcendunt, p. 240. c 2. Anima rationalis eſt cauſa principalis nutritionis, p. 307. c 1. Connectitur cum peccato originali in primo ſuæ creationis inſtanti, p. 371. c. 1. Non poteſt videre Deum pro hoc ſtatu, quia intelligit per ſpecies ſenſatas, & quia caret virtute elevante, p. 422 c. 2. Animæ iuſtorum maxima charitate flagrantes experiuntur divinam præſentiam in ſe ipſis ibid.

APPETITVS.

Appetitus naturalis tendit in propriã perfectionem, aut formaliter, aut æquivalenter, p. 134. c. 1. Appetitus propriæ perfectionis compenſatur abundè per formã perfectiorem, ibid. Expoliatus perfectione propria nõ patitur violentiam, quoties ea carentia neceſſaria eſt ex fine ſuperiori, ibid. Alius eſt innatus, & alius elicitus, p. 253. c. 1. Appetitus innatus reperitur in rebus inanimatis, ibid. Dicitur rationalis ſi ſit boni apprehenſi per intellectum, & ſenſitivus ſi eſt boni apprehenſi per ſenſũ, p. 253. c. 2. Appetitus innatus perfectionem non excludit, p. 255. c. 1. Appetitus dividitur in efficacem, & inefficacem, & in abſolutum, & conditionatũ, p. 281. c. 1. Differt à potentia paſsiva, p. 281. Appetitus innatus eſt activus, p. 389 c. 2. Appetitus ellicitus tendit in ſinẽ, vt apprehenſum, p. 390 c. 1. Appetitus naturalis ellicitus, & inefficax in ordine ad claram Dei viſionem, non eſt neceſſarius quoad ſpecificationem, p. 391. c. 1. In creatura intellectuali poteſt dari appetitus ellicitus inefficax, ſive abſolutus, ſive conditionatus, ad viſionem beatam, non tamen efficax, p. 390. c. 1.

ASSEITAS.

Eſt conſtitutivum formale divinæ naturæ, p. 264. c. 1. Eſt quid poſitivum, p. 266. c. 2 Eſt radix omnium divinarum perfectionũ, p 265. c. 1.

ATTRIBUTA.

Attributa divina connectuntur cum eſſentia, & nequit ſine eis eſſentia perfectè cognoſci, p. 171. c. 1. Taliter ſunt de conceptu

ceptu naturæ, p. 263. c. 1. Non ſunt ens à ſe virtualiter, p. 265. c. 1. Omnipotentia eſt communis toti Trinitati, p. 60. c. 2. Iuſtitia, & miſericordia in nullo ſigno poſſunt concipi, ſine habitudine, ad creaturas, p. 171. c. 2. Perfectio omnipotentiæ eſt ſine potentia peccandi, p. 298. c. 1. Attributa ſunt virtutes proximæ operativæ, p. 318. Tendunt ad perfectionem obiecti, ibid.

AUXILIA.

Dantur à Deo ex intentione ſalutis, p. 334 c. 2. Ex voluntate generali ſalvandi omnes deſcendunt ad omnes auxilia ſufficientia, mediaque neceſſaria ad ſalutem, p. 339 c. 1. Dantur omnibus adultis, reprobis, infidelibus, barbaris, & obduratis, p. 351 c. 1. Negatio illorum ex maxima pœna, p. 352. c. 1. Sine auxilijs non ſalvatur potentia ad ſalutem, p. 353. c. 2. Conſtituunt potentiam ad actus ſalutares, ibid.

BAPTISMVS.

Character baptiſmalis non eſt effectibus, p. 436. c. 2.

BEATI, ET BEATITVDO.

Beati verò amore amicitiæ diligunt Deũ, & ſe ipſos mutuo, p. 372. c. 2. Viſio beata eſt aliquid ſupernaturale, & ſolùm poteſt eſſe á Deo vt Authore ſupernaturali, p. 388. c. 2. Eſt viribus naturæ impoſsibilis, apprehendi tamen poteſt vt poſsibilis, p. 390. c. 1. Carentia illius in natura elevata eſt vera privatio. Connaturalius fit per eſſentiam divinam vnitam, quam per ſpeciem creatam, p. 398. c. 2. Excludit omne medium, p. 400. c. 1. Terminus illius eſt divina eſſentia, p. 396. c. 2. Non eſt repræſentatio obiecti, ſed tendentia in illum, p. 403. c. 2. Eſt cauſalitas potentiæ, & non virtus obiecti, ibid. Beati videre non poſſunt Deum vt eſt in ſe media ſpecie expreſſa creata, p. 411. c. 2. Uiuunt in actu ſecundo per viſionem, p. 420. c. 1. Viſio beata eſt vera contemplatio, non dictio, p. 410. c. 1. De ratione illius non eſt Deum trahere, ſed illum præſentem intueri, p. 416. c. 1. Eſt actus vitalis, p. 421. c. 1. Proportio ad illa requiſita eſt in eſſe cognoſcentis, & cognoſcibilis, p. 423. c. 2. Non ſufficit ad illam aſsiſtentia extrinſeca Dei, p. 427. c. 1. Eſt inæqualis iuxta inæqualitatem meritorum, p. 447. c. 1. Conferitur adultis in præmium, ibid. Eius diverſitas ortum habet ex ſola diverſitate luminis, non potentiæ, p. 451. c. 1. Debet eſſe à virtute intrinſicè inhærente in potentia, p. 425. c. 1. Beati differunt inter ſe, ſicut ſtella, à ſtella in claritate, p. 447. c. 2. Omnibus beatis erit vna voluntas, p. 450. c. 2. Beatitudo plenè ſatiat proportionaliter, & comparativè ad lumen, non abſolutè, p. 450. c. 1. Beati non poſſunt videre eſſentiam divinam ſine attributis, & relationibus, p. 460. c. 1. Vident Deum vt eſt in ſe, p. 464. c. 2. Non comprehendunt Deum, nec vident omnia prædicata virtualia, ibid. Cognoſcunt in Verbo quidquid ex intentione naturæ pertinet ad pulchritudinem vniverſi, p. 468. c. 1. Omnia, quæ ad ipſos ſpectant, rationali deſiderio ſcire deſiderant, eaqua in Verbo cognoſcunt, & quidquid deſiderant habent, ibid. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus, p. 468. c. 2. Eſt ex ſuo conceptu intuitiva Dei, vt eſt in ſe, p. 461. c. 1. Eſt ſatiativa appetitus rationalis, p. 468.

S. BENEDICTVS.

Uidit in raptu Deum ſecundùm eſſentiam, p. 483. Raptus fuit in Dei lumine, ibid. Vidit totum mundum velut ſub vno Solis radio, p. 484. Fuit Dux, & Magiſter omnium Monachorum, ibid. In viſione divinæ eſſentiæ affuit ei præter lucem internam, alia externa, Sole clarior, p. 486. c. 2.

BONVM.

Ideò amatur, quia cognoſcitur, p. 202. c. 2. Sola bonitas divina eſt obiectum formale motivũ divinæ voluntatis, & cum ea commenſurari, atque eam finalizare, eiuſque obiectum primarium eſſe poteſt, p. 272. c. 1. & 2. Nil poteſt Deus amare niſi ratione illius, p. 274. c. 1. Conſtituit obiectum congruum divinę dilectionis, ib. Bonitas attributorũ non eſt obiectũ primarium ſpecificativũ divinę voluntatis

tis, ibidem. Bonitas poſsibilis tantum diſtinguitur negativè, ab impoſsibili, pag. 279. c. 2. Bonitas finita, non poteſt neceſsitare Deum ad amorem, pag. 280. col 1. Bonitas divina eſt ab ipſo Deo amabilis amore ſtrictò, pag. 376. col. 1. Bonum ſummum, & infinitū nullam patitur diviſionem pag.

CAVSA.

Cauſa per ſe exacta ad effectum, non eſt Deus vt trinus, ſed vt vnus, pag. 63. col. 2. Deus volendo cauſat, pag. 300. col. 2. Dignius eſt eſſe cauſam vnicam, quam primam, pag. 365. col. 1. cauſa inſtrumentalis non ordinatur ad ſupplendum, defectum, cauſæ principalis, pag. 398. col. 1. Cauſa principalis, ad effectus excedentes virtutem naturalem indiget virtute intrinſecè elevante, pag. 420. col. 1. cauſa inſtrumentalis debet operari mota ab agente principali, eique effectum quærere, ibid. Cauſa influens in effectum debet illum prēcontinere, vel formaliter, vel eminenter, p. 437. c. 1. Intellectus eſt cauſa principalis viſionis beatæ, p. 436 c. 2. Cauſa paſsiva importat meram capacitatem, ad recipiendum, dicitque indigentiam, & neceſsitatem, & eſt de genere imperfectionis. p. 439. c. 1. Cauſa prima vt concurrit ſimultaneè, ſupponit totam virtutem in potentia, p. 434. c. 1.

CHRISTVS.

Fuit Prophera, & nuntius Dei, p. 69. c. 2. dicitur minor Patre ſecundùm humanitatem, p. 72. c. 2. non ſunt in eo perſonæ diſtinctæ, p. 132. c. 1. Evangelizavit pauperibus in natura humana aſſumpta, pag. 235. c. 1. Fuit ſimul viator, & beatus, p. 479. c. 2. Perſonalitas ſeparata eſt à natura humana Chriſti, p. 131. c. 2. Habet perfectam libertatem ſine indifferentia, ad bonum, & malum, p. 298. c. 1. dantur in eo duæ volūtates, p. 254. c. 1

CHARITAS.

Spiritus Sanctus dicitur charitas, p. 84. c. 1. Charitate deſiderat anima ardenter præſentiam Dei, p. 242. c. 1. radicatur in gratia, p. 248. c. 1. Terminatur ad Deum tanquam ad obiectum primarium, p. 272. c. 1. eſt libera permiſsivè, p. 442 c. 2. nō eſt in omnibus æqualis p. 447. c. 2

COGNITIO.

Cognitio alia eſt probabilis, alia evidens, alia intuitiva, & alia abſtractiva, p. 62. c. 1. Cognitio naturalis tantum poteſt eſſe tantum ex effectibus naturalibus, p. 63. c. 1. Cognitio ſolūm infert ex effectu cauſam, ſecundūm quod illa ad effectum requiritur, p. 64. c. 2. ad cognitionem naturalem quamquam comprehenſivam, ſatis eſt cognoſcere rem prout eſt in ſe, & non eſt neceſſum eam cognoſcere per ordinem ad omnia connotata, præſertim ſupernaturalia, p. 67. c. 2. Ad cognitionem intuitivam ſufficit, quod obiectum ſit præſens negativè, p. 164. c. 2. Cognitio perfecta eſſentiæ divinæ & attributorum, eſt etiam cognitio poſsibilium, p. 170. c. 1. Cognitio, ex qua procedi Uerbum Divinum eſt comprehenſiva infinitè, ibid. Ad cognitionem infinitam requiritur, quod cognoſcatur obiectum, ſecundūm quod continet formaliter, & eminenter, ibid. Nequit eſſe infinita, quin ſit perfecta extenſivè, ibid. Sublata cognitione futurorum Uerbum Divinum non procederet eodem modo quoad repræſentationem contingetium, p. 181. c. 2. Cognitio boni eſt priūs quàm amor, p. 202. c. 2 Cognitio coniecturalis, vt experimentalis exigit realem præſentiam, p. 245. c. 2. Reſpectu viſionis beatæ, debet eſſe ex viribus gratiæ, p. 390. c. 1.

CONNEXIO.

Summam independentiam non impedit, p. 172. c. 1. Vbi non eſt connexio, ex deſtructione poſterioris, non ſequitur defectus prioris, p. 175. c. 2. Connexio neceſſaria datur inter creaturas, & omnipotentiam, p. 176. c. 1. Alia eſt cauſalis, alia eſt concomitantiæ, p. 371. c. 1.

CREATIO, ET CREATURA.

Creatio eſt actio naturæ, & procedit à Deo ſubſiſtente ſubſiſtentia communi, p. 198. c. 2. Eſt actio formaliter immanens, & virtualiter tranſiens, p. 310. c. 2. Creatura non poteſt identificare perfectio-

tionem alterius lineæ, quia finita, & limitata, pag. 75. c. 2. Creaturæ connectuntur neceſſario cum omnipotentia, p. 176. c. 1. Creatura conſtituitur formaliter per eſſe ab alio, p. 267. c. 1. creatura rationalis non participat exiſtentiam præ cæteris, p. 267. c. 2 Facta eſt ad imaginem Dei, & eſt ratio operandi intelligibiliter, ibid. Creaturæ continentur in obiecto extenſivo divinæ voluntatis, p. 270. c. 1. Non habent bonitatem, qua illam poſsint terminare, pag. 272. col. 1. Sunt medium ad divinam bonitatem manifeſtandam, p. 273. c. 2. Creatura antequam peccaret habuit potentiam peccandi, p. 297. c. 2. Eſt connotatum actus liberi Dei, in eſſe obiecti voliti, & non in eſſe effectus. p. 306 c. 2. Creatura rationalis non habet appetitum innatum ad viſionem claram Dei, p. 388. c. 2. Poteſt habere appetitum elicitum inefficacem, ſive abſolutum, ſive conditionatum, eiuſdem viſionis, non tamen efficacem, p. 390. c. 1.

DECRETUM.

Quocumque decreto ſecluſo, cognitio Patris Æterni eſſet infinita, necnõ repræſentatio Verbi, p. 182. c. 1. Decreto poſito, futura repræſentantur in Uerbo, p. 181. c. 2. Decretum liberum Dei, ſitum non eſt in ſpontanea, & prorſus indefectibili deliberatione potentiæ, p. 292. c. 2. Non poſſunt conſtitui decreta divina per terminationem aliquam intrinſecam defectibilem, p. 300. c. 2. Sunt quid intrinſecum connexive, & connotativê, p. 304. c. 2. Decretum æternum connotat exiſtentiam temporaneam rei determinatæ, p. 305. c. 2. Decretum novum repugnat Deo, p. 309. c. 2. Decreta Dei menſurantur æternitate, & variari non poſſunt, p. 310. c. 1.

DEIPARA.

Habuit innovationem gratiæ quando Spiritus Sanctus in ea Chriſti corpus formavit, p. 249. c. 2.

DEUS.

Alius à Deo ſcrutari non poteſt profunda Dei, p. 74. c. 1. Deus eſt vnicum, & ſummũ bonum etiam ſi habeat perſonas diſtinctas p. 81. co. 1 in eo non eſt, nec poteſt eſſe niſi vnicus actus volendi, & intelligendi, p. 83. col. 1. duæ tantum ſunt in eo potentiæ productivæ, ibid. Vna tantum perſona eſt impreducta in Deo, p. 93. col. 2. Dicitur Dominus per relationem creaturarum ad ipſum, p. 107. col. 1. non eſt in eo quaternitas, nè dependentia, p. 108. c. 2. Ponitur in eo ſubſiſtentia proceſſentia, p. 192. c. 1. habet eſſe per ſe ſubſiſtens in linea abſoluta. p. 136. col 2. datur in eo ſubſiſtentia abſoluta, ibid. Eſt in linea abſoluta primum principium intelligendi, & amandi eſſentialitèr, ibid. Habet tres ſubſiſtentias relativas, p. 137. col. 2. indiget ſubſiſtentia notionali, vt ſit principium operationum notionalium, p. 140. col. 1. Sunt in eo quinque notiones, p. 154. col. 1. In nullo ſigno poteſt cognoſcere filium, aut Spiritum Sanctum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, p. 162. col. 1. Non eſt in eo principium aliquod ſpirativum, vt quod ratione diſtinctum à Patre, & filio, & vtrique commune communitate rei, p. 179. col. 1. Non producit gratiam, nec animã ſanctificat, niſi vt in ea habitet, p. 247. col. 2. Vt Author naturalis exiſtit in creaturis modo communi, p. 248. col. 2. Nequit ſibi violentiam inferre, p. 255. c. 2. eſt actus purus in omni linea, p. 259. c. 2. Non admittit vllam compoſitionem, p. 265. col. 1. Deus verè, & propiè amat creaturas, p. 269. col. 2. Velle nequit: impoſsibilia, p. 280. c. 2. Omnibus confert auxilia ſufficientia, p. 281. col. 2. Operatur ex fine ſibi præfixo, p. 288. c. 2. Eſt agens ſummè intellectuale, & poteſt facere alia quam quæ fecit, ibid. Non ſolum eſt liber in producendo, ſed etiam in volendo, & nollendo, ibid. Quidquid eſt illi intrinſecum eſt ſummè neceſſarium in exiſtendo, p. 300. col. 2. Poteſt de illo dici aliquid contingentèr, quod eius immutabilitem non deſtruat; ſi ſit reſpectivum, p. 302. c. 2. Nulli aufert liberum arbitrium, p. 323. col. 2. Habet voluntatem generalem ſalvandi omnes, p. 325. col. 2. Nullum deſerit, niſi prius ab ipſo deſeratur, p. 354. col. 2. Ab æterno præſcit mala eaque vult permittere, p. 357. col. 2. Non potuit ab æterno ſuſpendere decretum circa creaturas, p. 358. col. 1. Nequit habere motum ſuæ naturæ contrarium, p. 357. col. 2. Nullo pacto eſt cauſa, & Author peccati, ibid. Eſt omnium

nium vltimus finis, p. 358. Nequit recedere à lege ſuæ naturæ, p. 360. col. 1. Eſt cauſa proxima, & immediata entitatis peccati, ad eam effectivè concurrit, p. 363. c. 2. Suam bonitatem amat amore ſpeciali ſtrictè dicto, p. 375. c. 1. Habet de ſe ſcientiã ſpeculativam, p. 376. c. 1. Non vult creaturis malum, vt malum earum, p. 382. c. 2. Eſt ſummè immaterialis, p. 401. c. 1. Quævis potentialitas illi repugnat, ibid. Non eſt in illo alia, & alia perfectio, p. 460. c. 1. eius prædicata eminentialia pertinent ad viſionis intenſionem, p. 464. c. 1. Nequit cognoſcit, vt eſt in ſe miniſterio ſpecierum materialium, p. 474. c. 1. Nomen *Deus* quandoque ſupponit pro eſſentia, quandoque pro perſona, p. 78. c. 2. Determinatio conducit ad perfectionem Dei, p. 318. c. 1.

DISTINCTIO.

Realis datur, vbi datur realis oppoſitio, p. 76. c. 2. Diſtinctio rationis ſũdatur in diſtinctione virtuali, p. 77. c. 2. Diſtinctio divinarum perſonarum, ſine proceſsione nõ tantum eſſet in perſona, ſed etiam in natura, p. 80. c. 1. Omnis diſtinctio facit aliquam diviſionem, p. 80. c. 2. Diſtinctio divinarum perſonarum ex relatione procedit, p. 106. c. 1. Diſtinctio virtualis inadæquata non excludit ſummam incluſionem, & identitatem, p. 260. c. 2. Nulla diſtinctio ex natura rei eſt inter divinas perfectiones, p. 460. c. 2. Diſtinctio realis in divinis non poteſt eſſe niſi inter principium, & terminum, p. 110. c. 2.

DONATIO, ET DONUM.

Donatio ſolum indiget iure libertatis, ad donandum, p. 133. c. 1. Dona Spiritus Sancti ſpectantia ad partem intellectivã, habent ex proprio conceptu cognoſcere, & iudicare de divinis cognitione experimentali, affectiva, & miſtica, p. 242. c. 2. Dona Spiritus Sancti radicantur in gratia, ibid.

ESSENTIA DIUINA.

Quantumvis ſimplex eſt diviſibilis, & multiplex virtualitèr, p. 76. c. 2. Petit identitatem, cum omnibus attributis, & perfectionibus, ibid. Eſt idem cum paternitate, & filiatione non tamen ſecundum eandem virtualitatem, p. 77. c. 1. Non eſt generans, nec genita, nec procedens, p. 48. c. 2. Eſt ſimilitudo obiecti, p. 103. c. 2. Modificatio eſſentiæ per paternitatem, de materiale ſe habet ad æqualitatem, & ſimilitudinem, p. 114. c. 2. pro priori ad relationes eſt infinite perfecta, p. 137. c. 2. Non conſtituit perſonam, p. 140. c. 1. Radicat relationes, p. 147. c. 1. Prout in Patre eſt fœcũda, p. 167. c. 2. Nequit ſine relationibus, perfectè cognoſci, ibid. Eſt repræſentativa creaturarum, earumque id ea, p. 171. c. 2. Per ſubſiſtentiam abſolutam redditur ſubſiſtens, non tamen incommunicabilis, p. 200. c. 1. Radicat per modum prædicati abſoluti, communis, & irreferibilis, p. 217. c. 1. Conſtituitur per eſſe à ſe tã realitèr, quàm virtualitèr, p. 264. c. 2. Gerit vices ſpeciei impreſſæ in viſione beata, p. 396. c. 1. Eſt per ſeipſam ſummè intelligibilis, ibid. Eſt terminus viſionis, & ratio videndi, ibid. Non habet proprium effectivum concurſum in viſionem beatam, ſed ſolum formalem, & determinativum potentiæ, p. 408. c. 1. Nequit vniri mentibus Beatorum per modum luminis ad eliciendam viſionem, p. 424. c. 2. Non videtur vt infinite fœcunda, non viſis relationibus, p. 461. c. 1. Eſt de illius conceptu terminari tribus relationibus.

ÆTERNITAS.

Eſt invariabilis, p. 310. c. 1.

EXISTENTIA.

In divinis diſtinguitur virtualiter à ſubſiſtentia, & in creatis realiter, p. 136. c. 2. in divinis nullo pacto multiplicatur, ibid. Exiſtentia ſolum habet vnicum effectum, p. 141. c. 2.

FOECUNDITAS.

Dei eſt perfectio excedens vires naturæ, p. 67. c. 1. Eſt extra conceptum eſſentialem filij, in eſſe talis, p. 99. c. 2. Eſt de linea activa, ibid. Non conſtituitur ſecũda perſona in eſſe filij per illam, ibid.

FI-

FIDES.

Lumine fidei illuſtratur natura, p. 65. c. 1. Fides eſt proprietas gratiæ, in via, non in patria, p. 279. c. 1. Circa aliqua miſteria ſufficit fides in confuſo, p. 344. c. 2. Actus fidei eſt liber, p. 456. c. 2.

FILIUS, ET FILIATIO.

Filius Dei, eſt verus Deus, p. 71. c. 2. inter illum, & Patrem datur convenientia vnivoca, ibid. Habet principium generationis, & productionis, non tamen inchoationis, p. 72. c. 2. Eſt libere genitus libertate à coactione, non autem libertate indifferentiæ, p. 73. c. 1. Non tranſit de non eſſe, ad eſſe, p. 82. c. 2. Eſt vnus, & idem ſpirator cum Patre, p. 117. c. 2. Convenit ei totum quod Patri præter eſſe Patrem, p. 146. c. 1. Nuncupatur Uerbum, imago, character, ſapientia Patris, candor lucis æternæ, & figura ſubſtantiæ eius, p. 159. c. 1. Habet à Patre virtutem ſpirandi, p. 221. c. 1. Nequit in tempore habere novum modum exiſtendi, niſi per virtutem acceptam æternaliter à Patre, p. 230. c. 1. Pater, & filius vt principium *quod* important pluralitatem, p. 199. c. 2. Diverſo modo radicant ſpirationē, p. 217. c. 1. Filiatio, & paternitas identificantur in eſſentia, licet inter ſe ſint diſtinctæ, p. 121. c. 1. Filiatio ſub munere oppoſitionis fundatur in eſſe genito, p. 152. c. 1. Eſt notio filij, p. 154. c. 2. Opponitur vt *quod* Spiritui Sancto, p. 215. c. 2.

GAVDIUM.

Gaudere de ſummo bono, eſt ſumma perfectio, p. 254. c. 2. Inclinatio voluntatis divinæ, eſt gaudij, & fruitionis, p. 255., c. 2. Ad gaudium requiritur quod tendat in obiectum, vt præſens, p. 379. c. 1. Non petit obiectum præexiſtens, ſed exiſtens p. 382. c. 1.

GENERATIO.

Generare in divinis, non dicit actionem, ſed relationem, per modum actionis ſignificatam, p. 73. c. 1. Generatio quæ eſt mutatio de non eſſe, ad eſſe non convenit Uerbo divino, p. 96. c. 1. Eius proceſsio eſt vera generatio, ibid. Generatio quæ eſt origo in Patre, non conſtituit Patrem, nec Filium, p. 148. c. 2. Eſt via tendens ad Filium, ibid. Eius generatio non eſſet adæquata ſi illi, Pater non communicaret ſpirationem, p. 218. c. 1.

GRATIA.

Radicat dona Spiritus Sancti, p. 242. c. 2. Ut ea radicat exigit ſpecialem præſentiam divinarum perſonarum, ibid. Eſt ſpecialis participatio divinæ naturæ, p. 268. c. 1. Modus conferendi gratiam efficacem, eſt conferre ſufficientem, p. 341. c. 2. Gratia ſufficiens datur vrgente neceſsitate, p. 346. c. 2. Non eſt in poteſtate liberi arbitrij, p. 347, c. 1. In ordine ſupernaturali habet primas partes, p. 436. c. 1. Perficit naturam, p. 445. c. 1. Non eſt in omnibus æqualis, p. 447. c. 2. Elevat potentiam ad operandum ſecundum modum potentiæ, p. 457. c. 1.

HÆRETICI.

Gerunt in Eccleſia ſimilitudinem Hydræ, p. 68. c. 1. Hermogeniani, Praxeanij, & Sabelliani, dixerunt vnam tantum eſſe in Deo perſonam, ibid. Auſi ſunt Trinitatē appellare Cerberum tricipitem, & Geryonem tricorporeum, ibid. Arrius intulit ex diſtinctione perſonarum diſtinctionem eſſentiæ, & conſubſtantialitatem negavit, ibid. Mahumetes, vnum eſſe Deum, qui nec generans, nec genitus ſit, ac Chriſtum eſſe Uerbum Dei, ſed creatum, ex Maria ſine ſemine genitum, & à Iudæis crucifixum, non in propria perſona, ſed vmbram illius, ibid. Aliqui negarunt perſonæ Patris per ſe conſideratæ divinitatem, p. 71. c. 1. Macedoniani negabant Spiritui Sancto divinitatem, p. 70. c. 2. Dicebant eſſe miniſtrum Dei, pariter cum Angelis, p. 73. c. 2. Tritheitæ tres Deos propugnabant, p. 74. c. 1. Ruzelinus, dixit aut naturam divinam eſſe diſtinctam in tribus perſonis, aut omnes eas carnem aſſumpſiſſe, p. 75. c. 2. Arrius negavit Filio divinitatem, p. 70. c. 2. Negavit in Deo proceſsiones ad intra, p. 93. c. 1. Janſeniſtæ docent Chriſtum pro omnibus mortuum non eſſe, Deumque nou vele omnibus ſalutem, p 325. c. 1. Negant gratiam ſufficiente, p. 339. c. 1. Lutherus, & Calvinus, dicunt omnia ma-

mala culpæ, & pœnæ à Deo procedere, p. 356. c. 2.

HOMO.

Primus homo etiam alio non posito est signatè distinctus ab illo per suam entitatem, p. 145. c. 1. Homo suam animam cognoscit cognitione experimentali, p. 243. c. 1. Quandiu est in hac vita potest salvari, p. 352. c. 2. Homo purus non potest videre Deum per essentiam in hac mortali vita de potentia ordinaria, potest tamen de potentia absoluta, p. 474. c. 1. Homo viatòr elevatus ad claram Dei visionem, non habet actum fidei, habet tamen habitum, p. 475. c. 1.

HYPOSTASIS.

In concreto accepta includit essentiam, p. 145. c. 2.

INCARNATIO.

Est activè à tota Trinitate, p. 135. c. 1. Volita propter Angelos esset formaliter, & terminativè divetsa á se ipsa volita propter redemptionem hominum, p. 308. c. 1. Facta est propter salurem omnium hominum, & non solùm prædestinatorum, p. 325. c. 2.

INFANTES.

Habent radicalitèr gustum de divinis per gratiam, p. 245. c. 2. Consequuntur gloriam per modum hæreditatis, p. 447. c. 2. Infantibus confertur Baptismus vt applicabilis voluntate parentum, p. 348. c. 1 Naturali necessitate contraxerunt peccatum originale, ibid. Decendentes sine Baptismo non cruciantur pœna sensus, p. 349. c. 2.

INNASCIBILITAS.

Est notio Patris, p. 154. c. 1. Pertinet ad dignitatem, ibid. Nil positivum addit ad paternitatem, p. 155. c. 2. Per illam explicatur primatus originis, & dignitas fontalis principij, p. 257. c. 2.

INTELLECTVS,

Et voluntas sunt principium proximum divinarum processionum connotatis relationibus, p. 88. c. 2. Intellectus si absolutè sumatur est communis toti Trinitati ratio intellectivi, & dictivi spectant ad eundem intellectum per modum primarij, & secundarij, p. 92. c. 1. Intellectus Dei dicitur memoria fœcunda, p. 93. c. 2. Modus producendi intellectus est per coniunctionem termini producendi, vt contenti in specie, p. 101. c. 2. Est indifferens, indifferentia inauferibili ab extrinseca ostensione obiecti, p. 103. c. 2. Ex intellectu sequitur voluntas, p. 254. c. 1. Intellectivum, non præcedit volitivum radicaliter, p. 255. c. 2. Dicit ordinem transcendentalem ad volitivum, ibid. Intellectus creatus lumine gloriæ instructus est ptincipium adæquatum visionis, adæquatione potentiæ, p. 398. c. 2. Indiget virtute elevante ad videndũ Deum, vt est in se, p. 418 c. 2. Non se habet mere passivè ad visionem, p. 435. c. 2. Vivit per visionem vita beata, ibid. Est causa principalis eiusdem visionis, p. 435. c. 2 Necessitatur à lumine ad eliciendam visionem, p. 457. c. 1. Intelligere non potest intellectione divina, p. 469. c. 2.

IVSTI.

Appellantur Dij, & filij Dei, non naturales, sed adoptivi, p. 72. c. 2.

LIBERTAS.

Libertas Dei non explicatur in ordine ad possibilia, p. 284. c 1. Datur vbi datur consilium, p. 288. c. 1. Nulla datur in potentia operativa, si non daretur in voluntate, p. 289. c. 2. Nequit cohærere cum determinatione ad vnum, p. 293. c. 2. Libertas Dei, non consistit in potentia, sed in actu, p. 317. c. 2. Libertas actus non exigit indifferentiam, p. 442. c. 2. Libertas potentiæ exigit indifferentiam positivam ad actum, & omissionem actus suæ lineæ, ibid. Libertas, alia principij radicalis, alia potentiæ, & alia actus, ibid.

LVMEN.

Lumine fidei illustratur natura, p. 65. c. 1 Per lumen gloriæ cognoscitur Trinitas, p. 63. c. 2. Lumine naturali cognoscitur Deus vt summè bonus, & diffusivus suæ boni-

bonitatis in ordine naturali tantùm, p. 66. c. 2. Lumen gloriæ gerere non potest munus speciei impressæ in mentibus beatorum, p. 395. c. 1. Nullam habet indifferentiam activam, p. 399. c. 1. Non tollit indifferentiam potentiæ adæquatè, ibid. Est virtus supernaturalis elevans potentiam, p. 420. c. 2. Est tota ratio proportionandi potentiam, p. 428 c. 2. Est tota, & adæquata ratio proxima visionis beatæ, p. 436. c. 2. Operatur in visionem secundùm totam suam activitatem, & visionem, p. 451. c. 2. Cum lumine æquali non possunt inæquales intellectus, inæqualem elicere visionem, p. 453. c. 1. Est vitale vt quo, ibid. Disponit intellectum secundùm potentiam obedientialem, non naturalem, p. 456. c. 2. Quantumvis intensum est insufficiens ad comprehensionem Dei, & quantumvis remissum sufficit ad detegenda omnia prædicata formalia, p. 464. c. 1.

MISSIO.

Importat respectum ad mittentem, & ad terminum, p. 229. c. 1. Potest fieri per imperium, per consilium, & per originem, ibid. Convenit divinis personis, p. 229. c. 2. In illis solùm potest esse per originem, aut processionem, p. 230. c. 1. Missio divinarum personarum non fit per mutationem, ibid. Missio visibilis fit per signum aliquod sensibile, p. 236. c. 2. In ea potest manifestari vna persona sine alia, ibid. Missio invisibilis ad omnes personas pertinet, & fit medio aliquo spirituali effectu, ibid. Nunquam contingit sine nova sanctificatione, p. 238. c. 2. In illa non solùm dantur nobis dona gratiæ, sed ipsæ personæ realiter personaliter constituuntur nobis præsentes, p. 239. c. 2. Ad missionem visibilem satis est manifestatio præhabitæ sanctitatis, p. 238. c. 2. Mittere importat originem activam, & mitti passivam, p. 234. c. 2. Nulla persona divina potest se ipsam mittere, p. 232. c. 2. Personæ divinæ per missionem, habitant in anima rationali, velut in templo suo, p. 243. c. 2. Missio divinarum personarum dicenda est temporalis, & non æterna, p. 251. c. 1. Consurgit ex processione æterna, & ex novo modo existendi in creaturis, ibid.

MOISES.

Deum in hac mortali vita clarè vidit, p. 479. c. 2. Postulavit à Deo hanc visionem, ibid. Constitutus fuit vniversalis Magister Iudæorum, p. 478. c. 2. Decuit ipsum discere in visione Dei, quæ docturus erat, ibid.

NATURA.

Non est principium immediatum *quo* generationis, p. 85. c. 2. Natura divina communinata per intellectum, adhuc manet communicabilis per voluntatem, p. 93. c. 2. Natura intellectiva Verbi divini, non est fœcunda ex defectu connotati, p. 95. c. 2. Natura divina non esset perfecta, si tribus personis non communicaretur, p. 122. c. 2. Natura quanquam individua, pendet á supposito, tanquam à substentante, p. 134. c. 1. Natura divina nequit intelligi, sine voluntate, & potestate, p. 254. c. 1. Non constituitur per intelligere, nec velle, actuale, aut radicale, p. 263. c. 2. Constituitur per esse á se, tàm realitèr, quàm virtualiter, p. 264. c. 1. Natura non appetit finem, ad quem non habet media, p. 389. c. 2. Nihil appetit frustra, p. 390. c. 1. Secundùm potentiam naturalem non perficitur forma supernaturali, nec ad eam habet naturalem propensionem, p. 388 c. 2. Natura potest impedire gratiam, non tamen producere, p. 443. c. 1.

NOTIO.

Est propria ratio cognoscendi personas in abstracto significata, p. 153 c. 1. Debet ad originem spectare, ibid. Notiones in Deo sunt tantúm quinque, p. 154. c. 1. Per notiones manifestatur id in quo personæ differunt, p. 153. c. 2. Notio debet spectare ad dignitatem, p. 158. c. 2

PATER, ET PATERNITAS.

Peter Æternus non emittit Filium de essentia sua absolutè sumpta, p. 88. c. 2. Pater, & Filius sunt vnus, & idem spirator media vnica spiratione, licèt sint duo suppositа spirantia, p. 117. c. 2. Pater Æternus est perfectus, non perfectione

ne orta á paternitate, ſed in ipſa exercita, p. 123. c. 1. Patrem eſſe principium filij, importat perfectionem abſolutam in relativo, p. 129. c. 1. Non conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per aliquid abſolutum, p. 146. c. 1. Pater pro priori ad generationem ſolùm conſtituitur in eſſe primæ perſonæ, non verò in eſſe patris, p. 151. c. 1. Conſtituitur per relationem ſignificatam modo abſoluto, ibid. Licet poſſit ſibi acquirere relationem paternitatis ſub munere oppoſitionis, non tamen ſub munere perſonalitatis, p. 152. c. 2. Secernitur perfectè à quolibet alio per paternitatem, & innaſcibilitatem, p. 154. c. 1. Ratio genitoris fontalis principij, & radix totius fœcunditatis in Patre ſunt conceptus inadæquati, pertinentes ad proprietates adæquatas, & totales, p. 155. c. 1. Pater poſſet eſſe ingenitus, & ſi non eſſet Pater, p. 157. c. 2. Non dimanat ab eſſentia, p. 156. c. 2. Non poteſt reſpicere Filium, & Spiritum S. per modum vnius termini, p. 157. c. 2. Inter illum, & Filium in eſſe principij ſpirativi nulla eſt oppoſitio, p. 169. c. 2. Eſt primum principium ſpirandi, p. 197. c. 1. Omnia communicat Filio exceptis his, in quibus relative opponuntur, p. 215. c. 1. Non convenit illi miſsio paſsiva, p. 213. c. 2. Deſcendit ad animas iuſtorum, vt veniens, & non vt miſſus, p. 240. c. 2. Ex paternitate, & ſpiratione activa non conſurgunt duæ res, p. 109. c. 2. Paternitas radicat ſpirationem, p. 112. c. 2. Modificatio intellectionis per originem, de formali ſe habet ad paternitatem, in ratione referentis, p. 114. c. 2. Paternitas ex proprio conceptu perfectionem non importat, p. 120. c. 2. Non antecedit generationem adæquatè, p. 150. c. 2.

PECCATVM, ET PECCATOR.

Poteſtas peccandi ad libertatem non ſpectant, p. 225. c. 2. Peccatum poſsibile connectitur cum omnipotentia, p. 282. c. 2. Peccatum abſolutè prolatum ſupponit pro deformitate, p. 356. c. 1. Poteſt in hac vita per pœnitentiam deleri, p. 355 c. 2. Peccata Deus præſcit, & permittit, p. 358. c. 1. Peccatum eſt inordinabile ad Deum, p. 359. c. 2. Peccatum originale eſt ſufficiens motivum ad auxilia neganda, p. 343. c. 2. Solùm importat carentiam rectitudinis prout eſt à voluntate creata, p. 367. c. 1. Ex conditione naturæ, ſive actualitatis phiſicæ non eſt malum, ibid. pro formali, ſitum eſt in carentia debitæ rectitudinis, p. 371. c. 1. Eius deformitas ſita non eſt in aliquo poſitivo, nec ſequitur neceſſariò ex entitate, p. 372. c. 1. Peccatores vult Deus ad pœnitentiam converti, p. 326. c. 1. Non vult illis pœnam vt talem ex motivo volendi, p. 385. c. 1. Obcæcati, non privantur penitus luce interiori, dùm in hac vita ſunt, p. 351. c. 1. Peccatores expectat Deus ſumma patientia, p. 352. c. 2.

PERSONA, ET PERSONLITAS.

Perſona eſt concretum ſubſtantivum, p. 146. c. 2. Perſonæ divinæ ſunt ſuppoſita exiſtentia, in eadem natura, p. 84. c. 2. Earum diſtinctio ex relatione procedit, p. 106. c. 1. Convenit eis neceſſariò æqualitas fundamentalis non verò formalis, p. 116. c. 1. Sunt ſummè perfectæ perfectione orta à natura, p. 124. c. 2. Solis relationibus conſtituuntur, & diſtinguuntur, non autem origine, aliavè proprietate notionali, p. 148. c. 2. Secunda perſona nequit conſtitui origine paſsiva, quæ dicitur nativitas, ibid. Proprietates perſonales in divinis ſunt tres, p. 154. c. 2. Nulla perſona divina poteſt conſiderari futura, nec abſens reſpectu alterius, p. 165. c. 1. Perſonæ divinæ proprie loquendo tantùm mittuntur temporaliter, ab illis á quibus æternaliter procedunt, p. 134 c. 2. Tantúm mittuntur ratione gratiæ ſanctificantis animam, p. 246. c. 2. Perſonalitas creata eſt abſoluta, increata verò relativa, p. 124. c. 2. Perſonalitati divinæ, non convenit perficere, nec ſanctificare alienam naturam ratione ſui, ibid. Creatam eminenter continet, ratione naturæ incluſæ, non ratione ſui, p. 125. c. 2. Perſonalitas eſt quid diſtinctum á natura, aut realiter, aut virtualitêr, p. 131. c. 1. Separata eſt à natura humana Chriſti, ibid. Perſonalitates divinæ re ipſa ſunt ſubſiſtentiæ, p. 138. c. 1. Perſonalitas Verbi terminat immediatè humanitatem, p. 463. c. 1. In Deo dantur tres perſonalitates, p. 138. c. 1.

POSSIBILIA.

Cognoſcuntur à Deo, p. 170. c. 1. Non

repugnantia radicalis convenit posſibilibus ratione naturæ, p. 276. c. 2. Ex eorum amore procederet Spiritus Sanctus ſi eſſent amabiles, p. 177. c. 2. Non amantur à Deo, nec habent eſſe amabile, p. 278. c. 1. Eorum connexio cum omnipotentia eſt neceſſaria, p. 280. c. 1. Eorum posſibilitas eſt tam neceſſaria ſicut exiſtentia Dei logicè, & obiectivè, p. 285. c. 1.

PRINCIPIUM.

Eſt nomen ſubſtantivum, p. 196 c. 1. Principium *quo* generationis, nequit eſſe id in quo generans diſtinguitur á genito, p. 86. c. 2. Principium *quo* remotum divinarum proceſsionum eſt eſſentia modificata relationibus, p. 88. c. 2. Ordo repertus inter divinas proceſsiones, fundatur in earum principijs, p. 89. c. 1. Principium prius debet eſſe completum in ſe, quam operari, p. 137. c. 1. Principium operationum notionalium multiplicatur in Deo, p. 140. c. 1. Principium *quod* ſpirativum ſupponit immediatè, pro Patre, & Filio, p. 179. c. 1. Principium quod generationis, non conſtituitur per ſubſiſtentiam abſolutam, p. 200. c. 1. Principium elevans vt quo ad actus ſupernaturales debet phiſicè informare potentiam, & tribuere præcontinentiam in actu primo, p. 425. c. 2.

PRIORITAS.

Alia eſt durationis, alia naturæ, alia originis, p. 82. c. 1. Prioritas naturæ, & durationis, inferunt imperfectionem, ibid. Prioritas á *quo* importat dependentiam, & admittenda non eſt in Deo, p. 177. c. 1. Prioritas naturæ, & cauſalitatis, non impedit intuitionem, p. 165. c. 1. Prioritas originis non deſtruit ſummam ſimultatem, p. 175.

PROCESSIO.

Ex diverſitate proceſsionum, provenit divinarum perſonarum diſtinctio, p. 80. c. 1. In divinis duplex eſt proceſsio, p. 79 c. 1. Sumuntur ſecundùm operationes immanentes, p. 82. c. 2. Non ſunt immediatè à natura, p. 83. c. 2. Non ſunt emanationes ſimplices, ſed veræ actiones vitales naturæ intellectualis, p. 84. c. 2. Non conſiſtunt in relatione producentis, p. 86. c. 1. Proceſsio activa Verbi origine præcedit ipſum Verbum, p. 86. c. 2. Proceſsiones divinæ non ſunt motu diſtincti ab intellectione, & volitione, p. 87. c. 1. Proceſsio Filij differt á proceſsione Spiritus Sancti, quia prima eſt â principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, non verò ſecunda, p. 101. c. 1. Proceſsio per voluntatem, vt diſtincta à proceſsione per intellectum, eſt à duplici ſuppoſito, p. 117. c. 2. Proceſsiones activæ non ſunt realiter diſtinctæ, & ſunt totales, & adæquatæ, ibid. Proceſsio per voluntatem habet ex ſuo conceptu producere relationem per ſe ſubſiſtentem, & incommunicabilem, p. 118. c. 1. Non eſt libera, p. 222. c. 2.

PROPRIETAS.

Eſſe genitum, vel ingenitum eſt proprietas perſonalis, p. 78. c. 2. Proprietates abſolutæ, ſunt immediatè à natura divina, non verò relativæ, p. 85. c. 2. Proprietates relativæ ſunt terminus *qui* adorationis, non verò ratio adorandi, p. 123. c. 2. Proprietates perſonales ſunt tres in divinis, p. 154. c. 2.

RAPTVS.

Importat quandam violentiam, p. 476. c. 2. Ad videndam eſſentiam divinam in illo eſt neceſſaria alienatio à ſenſibus, p. 477. c. 2. Eſt violentus in modo, & non in re, 478. c. 2.

RELATIO.

Relativa oppoſitio cauſat realem diſtinctionem, p. 75. c. 2. Relationes ſimiles, non conſtituunt extrema diſtincta, ſed ſupponunt, p. 80. c. 1. Relativum non negat ex ſuo eſſentiali conceptu inclusionem alterius, quoad eſſe, & quoad entitatem, & perfectionem, p. 81. c. 1. Relatio ſolùm facit diſtinctionem per ordinem ad terminum oppoſitum, non verò per ordinem ad naturam, cui non opponitur, ibid. Relationes divinæ, aliæ ſunt ad intra, aliæ ad extra, p. 106. c. 1. Relationes ad extra in Deo non ſunt reales, ibid. Vbi datur

duplex relatio ex parte principij, datur alia duplex, ex parte terminorum procedentium, p. 107. c. 2. Relatio ſpirationis eſt incommunicabilis, p. 108. c. 1. Relationes diuinæ ſunt ſubſtantiæ, & conſtituunt perſonas, ibid. Relationes ſimilitudinis, æqualitatis, & identitatis in Deo non ſunt reales, p. 112. c. 2. Relatio paternitatis fundatur in actione modificata paternitate ſub ratione originis, p. 114. c. 2. Relationes diuinæ, vt formaliter diſtinctæ ab eſſentia nullam important perfectionem relativam, p. 118. c. 1. Non poſſunt, præſcindit á diuinitate, taliter, quod illam excludant, p. 124. c. 1. Non reddunt incommunicabilem naturam diuinam abſolutè ſumptam, ſed prout ineſt in vno ſuppoſito, p. 142. c. 1. Ab illis eſt eſſe perſonale, ſicut diſtinctio, p. 145. c. 2. Conſtituunt perſonas, in quantum ſunt eſſentia ex modo ſignificandi, ibid. Relatio tranſcendentalis eſt de genere abſoluto, p. 147 c. 2. Relatio diuina ſolùm exigit rationem fundandi ſecundùm conceptum *ad*, p. 146. c. 2. Secuudum iſtum conceptum ſupponit generationem, p. 150. c. 2. Non tantúm eſt relatio, ſed etiam ſubſiſtentia, ibid. Per modum formæ ſubſiſtentis importat ordinem ad terminum connexivè, & quaſi radicaliter, non formaliter, p. 151. c. 2. Relatio filiationis inadæquatè conſtituit ſecundam Trinitatis perſonam, non adæquatè conceptam, p. 152. c. 1. Relatio divina non præſtat totum ſecundum conceptum *ad*, licèt totum referat ſecundum illum, ibid. Relationes diuinæ ſunt quatuor, p. 154. c. 2. Relatio diſparata non ſufficit ad diſtinguedum Spiritum Sanctum á Filio, nec à Patre, p. 209. c. 2.

REUELATIO.

Nullam ponit connexionem in effectu creato cum Trinitate, p. 62. c. 2.

SALVS.

Eſt effectus principaliter intentus à diuina voluntate, p. 334. c. 2. Omnes tenentur ad illam procurandam, p. 342. c. 1. Salus omnium redditur affectivè futura, ex affectu miſericordiæ Dei, p. 281. c. 1.

SANCTITAS.

Applicatur ſpeciali titulo tertiæ perſonæ Trinitatis, p. 186. c. 1. Habet conſtituere obiectum congruum diuinæ dilectionis, ex tribuere *poſſe*, ad redamandum, p. 426. c. 2.

SCIENTIA.

Scientit infuſa non comprehendit Deum, quamvis comprehendat viſionem beatam p. 161. c. 2. Scientia viſionis eſt practica, & factiva creaturarum, p. 165. c. 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ connectitur cum poſsibilibus, p. 285. c. 1. Scientia libera vt practica, non ſupponit decretum, p. 304. c. 1. Non addit ſcientiæ neceſſariæ aliquam perfectionem intrinſecam, p. 312. c. 1.

SCRIPTVRA.

Intelligenda eſt in toto rigore, quoties ex illa aliquod abſurdum non ſequitur, p. 191. c. 2. per *multos* ſæpè ſignificat *omnes*, p. 331. c. 2. Nomine *imperij* ſæpè ſignificat permiſsionem, p. 361. c. 2. In Parabolis Scripturæ attendenda eſt ſignificatio, pluſquam exacta applicatio, p. 449. c. 2.

SPECIES.

Subſtantia Angeli gerit vices ſpeciei expreſſæ, p. 94. c. 1. Species impreſſa per modum ſeminis fœcundat intellectum, p. 101. c. 1. Species nequit determinare potentiam, niſi in ea ſupponat virtutem, p. 395. c. 2. Non datur de facto ſpecies impreſſa creata concurrens cum intellectu beati, ad viſionem claram Dei, p. 396. c. 2. Species ſubordinatur intellectui ex conceptu accidentis, & non ex conceptu communi ſpeciei, p. 399. c. 2. Species creata nequit trahere Deum ad intellectum Beati, p. 401. c. 1. Species impreſſa creata repræſentativa Dei vt eſt in ſe, repugnat, p. 400. c. 1. Species intelligibilis neceſſaria, ad actum fidei ſupernaturalis non concurrit effectivè, ad illum, eſtque naturalis, & repreſentat directè obiecta materialia, p. 408. c. 2. Species expreſſa, nõ ordinatur ad conſtituendũ intellectũ intelligentẽ, ſed obiectũ intellectũ

p. 413. c. 2. Quælibet ſpecies commenſuratur cum obiecto, p. 414. c. 1.

SPES.

Ad ſpem requiritur futuritio, vel in re, vel in apprehenſione, p. 281. c. 2. Quiſque debet ſuam ſalutem ſperare, p. 329. c. 1.

SPIRATIO.

Spiratio activa non comparatur ad paternitatem, & filiationem per modum principij, & termini, p. 110. c. 1. Non diſtinguitur à paternitate, & filiatione, p. 108. c. 2. Ex illa, & paternitate, non conſurgunt duæ res, p. 109. c. 2. In Patre, & Filio eſt notio, p. 154. c. 2. Eſt eadem in illis, p. 194. c. 1. Spiratio eſt actio perſonalis, p. 198. c. 2. Spiratio non eſſet adæquata ſi non eſſet mutua p. 218. c. 2.

SPIRITUS SANCTUS.

Eſt verus Deus, conſubſtantialis Patri, & Filio, p. 73. c. 2. Dicitur amor charitas, & dilectio, p. 84. c. 1. Non procedit à Patre, & Filio tanquam á duplici, ſed velut ab vnico principio, p. 98. c. 2. Infœcunditas in illo non eſt notio, p. 154. c. 2. Nomen *Spiritus Sancti* complexè acceptum eſt commune, incomplexè verò ſumptum eſt nomen perſonæ, p. 185. c. 2. *Spiritus* dicitur á ſpiritualitate, & á ſpirari, ibid. Spiritus Sanctus, non aliter eſt ſpiritus Dei, niſi vt Deus de Deo, p. 190. c. 2. Per ſe, & ex ſua perſonali conditione procedit ex Patre, & Filio vt à duabus perſonis diſtinctis, p. 201. c. 1. Ex ſua conditione eſt amor mutuus, ac affectus mutui amoris Patris, & Filij, p. 202. c. 4. Non poteſt diſtingui ab eis, niſi ab illis procedat, ibid. Non poteſt eſſe de Patre, & non de Filio, p. 208. c. 1. Ex natura rei poſtulat non diſtingui, niſi per conceptum relativum, p. 209. c. 1. Eius proceſsio eſt omninò neceſſaria, p. 222. c. 1. Et ſi procedat naturaliter, non tamen per modum naturæ, p. 226. c. 2. Nequit habere novum modum exiſtendi in tempore, niſi per virtutem acceptam æternaliter à Patre, p. 230. c. 1. Mittit Filium ſecundùm naturam humanam, non divinam, p. 235. c. 1. Mittitur ad habitandum in nobis, tanquam in templo ſuo, p. 246. c. 2.

SUBSISTENTIA.

Subſiſtentia creata eſt participatio divinæ prout contentæ in eſſentia, non autem ſecundùm id, quod eſſentiæ ſuperaddit, p. 67. c. 1. Subſiſtentia divina non poteſt habere munus formæ partialis, & conſtitutivæ naturæ, benè tamen totalis, perfectivæ, & terminativæ, p. 134. c. 2. In Deo datur vna ſubſiſtentia abſoluta, & tres relativæ, p. 136. c. 1. Subſiſtentia relativa, in divinis eſt conſtitutiva perſonæ, non autem abſoluta, p. 140. c. 2. Subſiſtentia abſoluta in divinis, ſolùm reddit naturam independentem ab alio, tanquam á ſubſtentante, ibid. Terminari poteſt ab alia in linea relativa, ibid. Subſiſtentia relativa eſt melior ipſa, quám non ipſa duntaxat terminativè, non perfectivè, p. 142. c. 1. Importat perfectionem, permiſsivè, non poſitivè, ibid. De ratione ſubſiſtentiæ in communi, non eſt eſſe *ad ſe*, ſed *per ſe*, p. 148. c. 1. Inter ſubſiſtentiam Verbi divini, & humanitatem datur immediata proportio terminabilis, & terminantis, p. 421. c. 1.

SUBSTANTIA.

Subſtantia dicitur à ſubſtando accidentibus, p. 129. c. 1. Quod faciunt plures ſubſtantiæ in creatis facit vna, & eadem in Deo propter ſuam infinitatem, & eminentiam, p. 70. c. 1. Subſtantivum ſignificat formam per modum per ſe ſtantis, p. 196. c. 2.

TRINITAS.

Cognoſci nequit ſola natura duce, p. 62. c. 2. Adhuc poſita illuſtratione fidei, nequit naturali ratione demonſtrari, ibid. Licet ſit ſupra naturam, non tamen eſt contra illam, p. 76. c. 1. Ad eius perfectionem ſatis eſt ſum-

ma perfectio vnius naturæ in tribus perſonis, p. 122. c. 1.

UERBVM.

Uerbum divinum licèt ſit primum principium per ordinem ad effectus ad extra, non tamen ad intra, p. 81. c. 2. Eſt terminus intellectus, p. 84. c. 1. Eius proceſsio ſita non eſt in relatione paternitatis, p. 86. c. 2. Eſt ſimile non ſolùm in eſſe intentionale, ſed etiam naturali, p. 105. c. 1. procedit vt notitia poſsibilium, & ex eorum cognitione, non tamen ab illis, ibid. Eſt conſubſtantiale principio, á quo procedit, p. 159. c. 2. Per ſe procedit ex cognitione intuitiva, & comprehenſiva eſſentiæ attributorum, & perſonarum, atque omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, p. 161 c. 1. Verbum in divinis dicitur perſonalitèr, p. 160. c. 2. Uerbum eſt ſimilitudo, & imago rei cuius eſt Verbum, p. 159. c. 1. Uerbum divinum procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ ab ipſo repræſentantur, p. 161. c. 1. Repræſentat omnia, quę ſunt formaliter in Deo, ibid. Procedit ex cognitione beatifica Patris, p. 162 c. 1. Nequit procedere ex cognitione abſtractiva Filij, & Spiritus Sancti, ibid. Eſſentialiter petit procedere ex cognitione ſibi adæquata, p. 163. c. 2. Procedit vt perfecta ſimilitudo Patris, ibid. Vt procedat ex cognitione omnium perſonarum ſufficit patrem cognoſcere omnes perſonas per ipſam cognitionem per quam generat, p. 166. c. c. 2. Secundùm perfectionem neceſſariam, & perſonalem, non procedit ex cognitione futurorum, p. 178 c. 2. Ad hoc vt conſtituatur in eſſe Dei, & Filij, nil prodeſt repræſentatio futurorum, p. 179. c. 2. Vt repræſentat futura, per ſe procedit ex eorum cognitione, ibid. Ex ſuppoſitione decreti, per ſe repræſentat futura, p. 180. c. 1. Uerbum mentis eſt terminus vitalis, quatenús comparatur ad principium á quo procedit, & repræſentatio expreſſa obiecti, quatenus comparatur ad illud, p. 432. c. 2.

VOLVNTAS.

Amando producit impulſum, p. 81. c. 2. Eius indifferentia determinatur ab extrinſeca oſtenſione obiecti, p. 103. c. 2. Voluntas divina eſt vnica in Patre, & Filio, & in vtroque fęcunda, p. 193. c. 2. Dúm producit Spiritum Sanctum operatur ex neceſsitate, ac fœcunditate orta à divina natura, p. 223. c. 2. Ei convenit ab intrinſeco tendere in obiectum infinitum, p. 224. c. 2. Pro priori ad operationem liberam habet aliam neceſſariam, ſaltim quoad ſpecificationem, p. 226. c. 2. Habet rationem potentiæ, vt productiva creaturarum, p. 256. c. 2. Habet rationem potentiæ, & actus primi, non ſolùm relatè ad terminum, ſed etiam relatè ad actum ſecundum, ſive eſſentialem, ſive notionalem, p. 257. c. 1. Non eſt potentia paſsiva, nec dicit excluſionem actus, ſed ſummam incluſionem, p. 260. c. 2. Diſtinguitur ab actu tantùm virtualiter inadæquatè, ibid. Eatenus terminatur ad creaturas, quatenùs miſericorditer in illis aliquid operatur, p. 271. c. 2. Eſt prima radix totius libertatis, p. 289. c. 2. Non poteſt mutare decretum, nec manere ſuſpenſa, p. 299. c. 1. Eſt potiſsima ratio cur exiſtat hic mundus præ alio, p. 307 c. 1. Ex ſola libertate arbitrij nequit velle, quod antea nolebat, p. 311. c. 1. Non eſt libera ad eſſe, & non eſſe actus, ſed ad eſſe, & non eſſe creaturarum, p. 319. c. 2. Eſt antecedens, & conſequens, efficaxque, atque ineffícax, p. 322. c. 2. Datur in illa aliquis actus, quo verè, & propriè vult omnium ſalutem, p. 333. c. 1. Uoluntas beneplaciti eſt propriè in Deo, ibid. Ex illa deſcendunt ad omnes nationes ingentia beneficia, ibid.

IN-

INDEX CAPITULORUM S. ANSELMI.

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

LIBER DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

PROLOGUS, Scriptionis occaſio, & methodus procedendi, pag. 1.

Caput I. Communia Latinis, & Græcis quoad fidem Trinitatis, pag. 3.

Cap. II. Quomodo indiviſibilis vnitas, & inſociabilis pluralitas in Deo conveniant? pag. 5.

Cap. III. Quomodo vnitatis Dei conſequentiam reſtringat relatio? pag. 6.

Cap. IV. Cum filius non ſit de Spiritu S. ipſe Spiritus de Filio procedit, pag. 8.

Cap. V. Roboratur ratio propoſita, & convincitur Spiritum S. habere eſſe à Patre contra quendam Græcæ factionis Epiſcopum, pag. 12.

Cap. VI. Spiritum S. niſi á Patre habeat, non poſſe intelligi alium eſſe ab eo per miſſionem, ſeu proceſsionem, pag. 16.

Cap. VII. Spiritus S. proceſsio de Patre importat eius proceſsionem de Filio, pag. 18.

Cap. VIII. Spiritus S. procedit de Patre, & Filio, quia procedit de ſolo vero Deo, qui eſt Pater, & Filius, pag 19.

Cap. IX. Miſsio Spiritus in nomine filij, & à filio confirmat proceſsionem eius de Filio, pag. 21.

Cap. X. Eadem proceſsio probatur ex Chriſti inſuflatione in Apoſtolos, pag. 23.

Cap. XI. Eadem proceſsio arguitur ex verbis Chriſti, ille de meo accipiet, pag. 26.

Cap. XII. Vrgentur ad idem verba illa Chriſti, nemo novit filium niſi Pater, &c. ibid.

Cap. XIII. Spiritus procedens à Filio non eſt poſterior, aut minor, pag. 28.

Cap. XIV. Diſparitas inter Filij, & Spiritus S. proceſsionem, de Patre, & ſplendoris, ac caloris preceſsionem de Sole, pag. 29.

Cap. XV. Quod Græci non rectè dicant Spiritum S. procedere de Patre per Filium, per quem ſunt omnia. Sed ipſe procedat ex Deitate, quæ eſt vna Patris, & Filij, pag. 30.

Cap. XVI. Quod Spiritus S. non procedat á Patre per Filium, ſicut omnia á Patre per Verbum ſunt facta, pag. 32.

Cap.

Cap. XVII. Quod ſicut lacus eſt de rivo, & fonte, ita Spiritus S. procedit de Patre, & Filio, pag. 34.
Cap. XVIII. Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus S. pag. 35.
Cap. XIX. Infringitur argumentum ductum ex eo quod Chriſtus expreſsit ſolam proceſsionem Spiritus S. à Patre, pag. 36.
Cap. XX. Eiuſdem argumenti confirmatio refutatur, pag. 38.
Cap. XXI. Proceſsio Spiritus S. de Filio exprimitur, cum Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Filij, pag. 40.
Cap. XXII. Cur in Symbolo non ſit expreſſa proceſsio Spiritus S. à Filio, & cur à Latinis ſit adiecta, Græcis inconſulris, pag. 42.
Cap. XXIII. Summa doctrinę, & probationum proceſsionis Spiritus S. de Filio, pag. 43.
Cap. XXIV. Quod Spiritus S. non ſit principaliter de Patre. pag. 44.
Cap. XXV. Proceſsio hęc intra Deum nullam prioritatem inducit niſi originis, pag. 45.
Cap. XXVI. Ueritas proceſsionis Spiritus S. à Filio ideó maximè firmatur, quia fide certa ſunt, ex quibus neceſſario ſequitur, pag. 47.
Cap. XXVII. Si Spiritus S. à Filio non procederet, non eſſet cur Filius non procederet de Spiritu S. pag. 48.
Cap. XXVIII. Communia, & propria Patri, ac Filio, & Spiritui S. pag. 49.
Cap. XXIX. In Deo per ea propria eſt Perſonarum pluralitas, per communia verò eſſentiæ vnitas, pag. 50.
Operis clauſula, pag. 52.

LIBER DE VOLVNTATE DEI.

Cap. I. Voluntas Dei, quæ dicatur, pag. 53.
Cap. II. Voluntas Dei multipliciter dicitur. pag. 54.
Cap. III. Quarundam ambiguitatum elucidatio ex dictis; pag. 55.
Cap. IV. Aliæ dubitationes tolluntur, pag. 56.
Cap. V. De divina voluntate efficiente, approbante, concedẽte, & permittente, pag. 58.

S. ANSELMI
ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS,
ORDINIS SANCTI BENEDICTI, DOCTORIS CLARISSIMI.

LIBER
DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI,
SCHOLIIS DOGMATICIS, AC DISPVTATIONIBVS SCHOLASTICIS ILLVSTRATVS.

Comment. in Prologum.

1 CLarior Prologi expoſitio, vel ex ipſo titulo intelligi poteſt: occaſionem ſcribendi, ac methodum in progreſſu diſputationibus ſervandam noſter Subtiliſsimus Doctor proponit. Porrò occaſio ſcribendi erat Græcorum protervia negantium proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, quam Latini Patres ab exordio naſcentis Eccleſiæ tenuerant, & conſtâter tenent. Sed ne in primo lapide Lector offendat ſciendum eſt non ita apud Græcos

PROLOGUS.
Scriptionis occaſio, & methodus procedendi.

NEGATVR à Græcis, quod Spiritus Sanctus de Filio procedat, ſicut nos Latini confitemur: nec recipiunt Doctores noſtros, quos in hoc ſequimur, qui quoniam Evangelia nobiſcum venerantur, & in alijs de Trino, & Vno Deo credunt hoc ipſum, quod nos, qui de eadem re certi ſumus, ſpero per auxilium eiuſdem Spiritus Sancti, quia ſi malunt ſolidæ veritati acquieſcere, quàm pro inani victoria contendere, per hoc, quod abſque ambiguitate confitentur, ad hoc, quod non recipiunt, rationabiliter duci poſſunt. Quamvis igitur multi ſint qui hoc melius me poſſunt efficere, tamen quoniam mihi à pluribus hoc iniungitur, quorum petitioni: tùm pro debito veritatis amore: tùm pro eorum charitate, & religioſa voluntate, non audeo reſiſtere. Invoco eundem Spiritum Sanctum, vt me dignetur dirigere. Hac itaque

prædictum invaluiſſe errorem, vt pluribus à retro ſæculis proceſſionem Spiritus Sancti à Filio veluti publicam teſſeram non habuerint ipſi Eccleſiæ Orientalis Anteſignani, quorum longiſsima ſyllabus facilè adduci poſſet, de quo latè, & eruditè Petavius.

2 Etenim Cyrillus lib. 34. Theſauri proponit caput primum ſub hac Epigraphe: *Quod ex ſubſtantia Patris, & Filij, eſt Spiritus Sanctus.* Et in progreſſu ſic ait: *Cum ergo Spiritus Sanctus in nobis exiſtens conformes nos efficiat Deo, procedat*

dat autem ex Patre, & Filio, perſpicuum eſt divinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ ſubſtantialiter in ipſa, & ex ipſa procedentem. Et ita repetit in toto eo libro: necnon lib. 10. in Ioan. Dialog. 6. 7. & 10. de Trin. ac lib. de recta fide ad Reginas, alijſque operibus prout habetur in actis Conc. Epheſini p. 5.

3 Suffragatur Epiphanius hæreſi 62. adverſus Sabellianos, ibi. *Non alienus à Patre, & Filio, ſed ex eadem ſubſtantia, ex eadem divinitate, ex Patre, & Filio cum Patre, & Filio ſubſiſtens ſemper Spiritus.* Eadem claritate loquitur Nazianzenus lib. 1. adverſus Eunomium, & ita alij frequentius: quare tanquam fidei dogma tradit Athanaſius in Simbolo: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*, de quibus omnibus luculenter Emin. Card. de Aguirre t. 2. diſp. 90. ſect. 3. Et in defenſione Cath. S. Petri, diſp. 43.

4 Sed quia error, qui à Neſtorio, & Theodoreto ortum duxiſſe videtur, Sanctorum Patrum ſtudio ſopitus, ab orco revocatus eſt circa annum Chriſti 735. regnante Conſtantino Copronico, Romanæ Eccleſiæ infenſo hoſte: ſed iterum damnatus, & proſcriptus, iterum à Sciſmaticis etumulatus fuit, præſertim tempore Anſelmi Patris, cuius potiſsimum tempeſtate Græci Latinam Eccleſiam labefactare conabantur; & hac ratione in hoc Prologo inquit: *Negatur à Græcis, quod Spiritus à Filio procedat.*

5 Proſequitur: *Sicut & nos Latini confitemur.* Et meritò, quoniam Eccleſia Latina id ſemper conſtantiſsimè credidit; idque fatetur ex eiſdem Græcis Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis, ſic enim epiſt. prima ad Epiſcopos, & amicos Orientales loquitur: *Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque tanquam ex vno principio procedere videtur Eccleſia Romana tenere ante inchoatum ſchiſma pluſquam quinquagentis annis: Beati enim illi viri, Divinus Auguſtinus, Ambroſius Mediolanenſis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodoſij Magni, ex quo præterierunt vſque nunc pluſquam octingenti anni, quos Latinorum Eccleſia Doctores, & regulas, & pietatis duces habuit: ij Divinam aperientes Scripturam multis locis ſuorum que ſpe pro meæ ſcientiæ humilitate ſcientioribus altiora relinquens, quod poſtulant, aggrediar; & Græcorum fide, atque ijs, quæ credunt indubitanter, pro certiſsimis argumentis ad probandum, quod non credunt, vtar.*

operum manifeſtè notant, *quod Spiritus S. ex Patre, Filioque tanquam ex vno principio procedit. At verò Romanus Pontifex Beatus Gregorius, qui dicitur fuiſſe ſub Iuſtiniano ante ſchiſma pluſquam trecentis annis, ſuperiores ſuos, & ipſe ſequens eandem de Spiritu Sancto tradidit ſententiam. Quarè ſi rationabile eſſet propter has cauſas à Latinis dividi, oporteret vtique ab initio hoc facere, & neque vt ſapientes putare Sanctos, nec communia cum illis Concilia patefacere. Nunc autem poſt vnà cum eis ſeptem celebrata Concilia generalia, & multos prædictam de Spiritu Sancto ſententiam in ſuis ſcriptis manifeſtè prædicantes, Sanctos, & ipſis Græcis reputatos, propter eadem ipſa poſt multos annos velle ab eis dividi, quomodò non caret omni ratione? Nunc autem & linguæ Græcæ Patribus ipſum prædicantibus, ſcilicet, Magno Baſilio, S. Athanaſio, S. Cyrillo, S. Gregorio Niſſeno, quomodò non abſurdum eſt eos, qui eadem cum illis ſapiunt hæreticos reputare?*

6 Solus Theodoretus inter Græcos Patres oppoſitum ſenſiſſe conſtat, qui tamen poſteà reconciliatus eſt. Nam quod de Damaſceno dicitur, ſanam, ac piam expoſitionem permittit, teſte D. Thoma lib. 1. ad Annib. diſt. 11. q. vnica a. 1. ad 1. ibi. *De Damaſceno dicendum, quod Damaſcenus non negat ita eſſe, tamen non affirmat, quia dicitur fuiſſe tempore, quo incepit controverſia ſuper hac quæſtione inter Græcos, & Latinos; vndè in perſona Græcorum loquens dicit*: non dicimus: *Non tamen negat ita eſſe.* Latini igitur ita vnanimi conſenſu catholicam ſemper tenuere ſententiam, vt meritò Anſelmus in præſenti dicat: *Sicut nos Latini confitemur.*

7 Ad prædictum igitur Græcorum errorem, & alios ſimiles exterminandos Vrbanus II. ex eadem Benedictina Familia Pontifex aſſumptus Conciliũ indixit in Civitate Barenſi, vbi *Anſelmus* [verbis vtar Petavij lib. 7. de Trin. c. 1. n. 4.] *Cantuarienſis Epiſcopus, vtilem Romanæ Eccleſiæ navavit operam, multumq; veræ laudis inde reportavit, nã cum Græci pro ſuo dogmate contra Latinos ſtrenuè decertarent, eoſque diſputando acrius vrgerent, productus in publicum Vrbani iuſſu Pontificis Anſelmus, eruditè ac ſubtilitèr de eadem quæſtione diſſeruit, & Adverſariorum impetum, atque audaciam compreſsit, vt illius vitæ ſcriptor Edmerus, & Vvillemus Malmesburienſis*

in

in libro primo de geſtis Anglorum Pontificum, referunt, ac ſummam poſteà diſputationis illius in librum redegit, qui de proceſsione Spiritus Sancti contra Græcos inſcribitur.

8 Denique circa methodum in diſputatione ſervandam proponit ita diſputationem texere, vt ex ipſis, quæ credunt, ad hanc etiam veritatem fatendam penitùs convincantur, niſi elato ſupercilio pro inani gloria contendant. Sed quia Sanctiſsimus Doctor non minori humilitate, quam doctrina pollebat, ſe invitum fatetur hunc aſſumpſiſſe laborem inſtantibus vndique Epiſcopis, & amicis, inter quos primas habuiſſe partes Hildelbertum Cenomanenſem Antiſtitem conſtat ex illius epiſtola ad Anſelmum, quæ eſt CLX. lib. 3. iuxta caſtigatiſsimam Gerberonis editionem, qua potiſsimum vtor.

Comment. in Cap. 1.

CAPVT I.

Communia Latinis, & Græcis quoad Fidem de Trinitate.

1. CUM in Prologo decreviſſet Anſelmus ex principijs apud Græcos certis ad hanc veritatem ſuadendã deſcendere, præmittit, num. 1. præciptam noſtræ fidei teſſeram, in qua Græci Latinis conſentiunt, videlicét, vnum, ſolum, ac perfectũ eſſe Deum; vnum quidem in eſſentia, & trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nam in Deo non ſunt partes, quoniam ſivè perſonæ ſumantur collectivè, ſivé ſingillatim, & diviſivè, ſemper ſunt vnus, ſolus, ac perfectus Deus.

2 Numero 2. notat, quod licét Pater ſit Deus, & ſimiliter Filius, & Spiritus Sanctus; attamen non eſt idem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ac eſſe Deum: nàm eſſe Deum eſt prædicatum commune, & abſolutum, cùm é contra eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſit perfectio relativa, ac perſonalis: qualitèr autem hæc perfectio relativa diſtinguatur ab abſoluta iam dixerat in Monolog. pluribus in locis. Nomen autem *Spiritus Sancti* ſumi poteſt abſolutè; aut relativè: ſivè complexè, aut incomplexè: primo modo eſt perfectio communis, & abſoluta, nam etiam Peter eſt ſpiritus, & ſanctus: Filius pariter eſt ſpiritus, & ſanctus: ſecundo modo eſt proprietas relativa, & perſonalis, & propria tertiæ perſonæ: ex quibus ea oritur differentia, quod Pater ſicut à ſe ipſo eſt Deus; ita à ſe ipſo eſt ſpiritus; ac ſimiliter Filius: attamen Spiritus Sanctus alicuius eſt Spiritus; quemadmodum etiam Filius alicuius eſt Filius, quod & ipſi Græci libenter fatentur, credunt enim Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe Deum de Deo, ille naſcendo, hic procedendo.

3 Num. 3. docet etiam ex mente eorundem Græcorum aliter eſſe Filium de Patre, & aliter Spiritum Sanctũ: nam Filius eſt de Patre vt Patre ſuo, ideòque procedit à Patre formaliter in eſſe talis: attamen Spiritus Sanctus licét ſit de Patre, non tamen de Patre ſuo, ideſt, à Patre non formaliter in eſſe Patris, ſed à Patre ſpecificativè, videlicet, de Deo, qui

1 *CREDUNT Quidem vnum, & ſolum, ac perfectum eſſe Deum, nec vllam eum habere partem, ſed totum eſſe quidquid eſt. Hunc quoque conſitentur eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ita vt ſive ſolus dicatur Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus: ſive duo ſimul Pater, & Filius: aut Pater, & Spiritus Sanctus: aut Filius, & Spiritus Sanctus: ſive tres ſimul, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, idem totus, & perfectus deſignetur Deus, quamvis non idem ſignificet nomen Patris, & Filij, quod nomen Dei.*

2 *Non enim idem eſt eſſe Deum, quod eſt eſſe Patrem, aut Filium: nomen autem Spiritus Sancti, ideoque Spiritus Sanctus alicuius intelligitur Spiritus, pro relativo nomine ponitur. Nam quamvis Pater ſit Spiritus, & Sanctus; & Filius ſit Spiritus, & Sanctus; non eſt tamen Pater alicuius Spiritus, nec Filius alicuius Spiritus, ſicut Spiritus Sanctus alicuius eſt ſpiritus. Eſt enim Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Filij. Quamvis enim Græci negent de Filio illum procedere, non tamen negant eum eſſe Spiritum Filij. Credunt quoque, & conſitentur Deum de Deo eſſe naſcendo, & Deum eſſe de Deo procedendo, quia Filius Deus eſt de Patre Deo naſcendo; & Spiritus Sanctus Deus eſt de Patre Deo procedendo: nec putant alium eſſe Deum, qui naſcitur, quàm de quo naſcitur; & qui procedit, quàm de quo procedit; quamvis ſecundùm nomina ſignificantia, quia eſt de quo aliquis naſcitur, & eſt, qui de aliquo naſcitur; & eſt qui de aliquo procedit, pluralitatem admittat, ſecundùm quam plures, & alij ſint ab invicem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Nam cum dicitur Deus eſſe Pater ſignificatur eſſe, de quo aliquis naſcitur, &*

qui eſt Pater, aliàs Spiritus Sanctus eſſet Patris Filius, quod nec ipſi Græci concedunt. Ex quibus colligitur ſatis aperta ratio, cur Secunda Perſona ſit Filius, non Tertia.

4 Num. 4. ait ſolam relationem in divinis cauſare diſtinctionem: ibi: *Hæc itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, &c.* Ex quo ortum duxit illud axioma à Theologis communiter receptum, & ab eodem Anſelmo capite ſequenti, alijſque in locis expreſsè traditum: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*: hæc autem relatio, per quam perſonæ adinvicem diſtinguntur ortum habet ex ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis, ibi: *Diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur adinvicem.* Ex quibus colligit, quod quando vna ſubſtantia habet eſſe de ſubſtantia reſultant duæ relationes inſociabiles, vna in principio, altera in termino, & hac ratione repugnat Patrem eſſe illum filium, cuius eſt Pater; ac filium eſſe illum Patrem, cuius eſt filius. Nam eſtò non repugnet reſpectu diverſorum eundem eſſe Patrem, & Filium, vt patet in Iſaac, qui eſt Pater Iacob; & filius Abrahæ; attamen ſicut repugnat Iſaac eſſe Patrem Iacob, & ſimul filium eiuſdem Iacob; ita in Deo idem nequit eſſe Pater, & Filius, cum enim Pater nõ ſit Pater, niſi filij; nec filius ſit filius, niſi eiuſdẽ *cum nominatur Filius, intelligitur eſſe, qui de aliquo naſcitur, & quando Spiritus Sanctus nominatur, quia non abſolutè Spiritum, ſed Spiritum Dei intelligimus, monſtratur eſſe, qui de aliquo procedit. Sed cum dicitur, quia Filius eſt de Patre, & Spiritus Sanctus eſt de Patre, intelligitur, quia hoc, quod eſt Filius, aut Spiritus Sanctus habent de Patre.*

3 *Sed alio modo intelligitur Filius eſſe de Patre, & aliter Spiritus Sanctus. Filius enim eſt de Patre ſuo, id eſt, de Deo, qui eſt Pater eius. Spiritus Sanctus non eſt de Deo Patre ſuo, ſed tantum de Deo, qui eſt Pater; ergo Filius ſecundum quod eſt de Deo, dicitur Filius eius; & illo, de quo eſt, Pater eius. Spiritus Sanctus autem, non ſecundum quod eſt de Deo, Filius eius; neque ille, de quo eſt, Pater eius. Certum eſt etiam, quia Deus non eſt Pater, aut Filius, aut ſpiritus alicuius, niſi Dei; neque vlla res eſt Deus, niſi idem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & ſicut vnus Deus eſt, ſic vnus tantum Pater, vnus Filius, vnus Spiritus Sanctus, vnde fit vt non ſit in illa Trinitate Pater, niſi eiuſdem Filij, neque Filius, niſi eiuſdem Patris: neque Spiritus Sanctus alicuius ſpiritus, niſi eiuſdem Patris, & Filij.*

4 *Hæc itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſsint de invicem, ſed alij ſint abinvicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio. Nam quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur ad invicem, vt diverſi, & alij ab invicem. Et quando ſubſtantia habet eſſe de ſubſtantia, duæ fiunt ibi relationes inſociabiles, ſi ſecundum illas nomina ponantur ſubſtantiæ. Cum enim homo eſt gignendo de homine, dicitur homo, de quo eſt homo, Pater: & homo, qui eſt de homine, filius. Impoſsibile eſt igitur Patrem eſſe illum filium, cuius Pater eſt: & Filium eſſe illum Patrem, cuius filius eſt, quamvis Patrem eſſe filium, & filium eſſe Patrem nihil prohibeat, cum vnus homo Pater eſt, & filius, quoniam ad alium eſt Pater, ad alium filius. Nempè cum Iſaac ſit Pater Iacob, & filius Abrahæ, Pater eſt filius, & filius Pater ſine repugnantia, quoniam ad alium Pater dicitur, quam ad ſuum Patrem; & filius ad alium, quàm ad ſuum filium. Patrem autem eſſe in eodem Iſaac illum filium, cuius Pater eſt; aut Filium eſſe illum Patrem, cuius eſt Patris; nec Spiritus Sanctus ſit talis, niſi eiuſdem Patris, & Filij, neceſſe eſt vt Pater ſit alius á Filio, & Spiritu Sancto: Filius ſit alius à Patre, & Spiritu Sancto: Spiritus Sanctus ſit alius à Patre, & Filio.*

5 Num. 5. præmittit Filium non eſſe Spiritum Sanctum, quia Filius habet eſſe de Patre naſcendo; Spiritus Sanctus procedendo, nam Filius non poteſt eſſe ſuus Spiritus, id eſt, non poteſt eſſe ille Spiritus, qui ab ipſo Filio eſt. Dum autem addit: *Vt interim aliam cauſam dicam, quia non dum conſtat, quod Spiritus Sanctus de illo ſit, & procedat*, non ideó dicit, quia diſtinctio perſonalis Spiritus Sancti à Filio procedere poſsit ab alio principio, quã à relatione fundata in proceſsione ab eodem Filio, cum numero antecedenti dixerit hanc eſſe ſolam cauſam pluralitatis in Deo, ſed quia ab hac ratione infra operoſius examinanda in præſenti capite præſcindit, præſertim quia in hoc capite præmittit duntaxat principia communia Græcis, & Latinis, vt ex ipſo titulo evidentiſsimè conſtat; nec enim dignum erat ſupponere contra Græcos id ipſum, quod probandum erat, & ipſi negant. Supponit ergo ex Græcorum doctrina Filium ſufficienter diſtingui à Spiritu Sancto ex ſola diverſitate proceſsionis à Patre, nimirùm, neſcendo, & procedẽ-

dendo; vt ex hoc ipso, quod Græci concedunt apertè convincat Spiritum Sanctum non posse à Filio distingui, nisi ab eodem Filio procedat, quia [vt infra idem Sanctissimus Doctor ostendit] Spiritus Sanctus non potest procedere à Patre, nisi etiam procedat à Filio; non ergo potest distingui à Filio, nisi ab eodem Filio procedat.

6 Sed vt hæc omnia faciliùs percipiantur, sciendum est, quod licet Filius distinguatur à Spiritu Sancto, quia ille habet esse nascendo, hic procedendo; sed notanda est aperta diversitas ex littera Authoris, dùm enim ait Filium habere esse nascendo, addit *de Patre*: attamen dùm asserit Spiritum Sanctum habere esse procedendo, non addit *de Patre*, sed absolutè *procedendo*, in quo Græci conveniunt cum Latinis, vt locum relinqueret ad suam, veramque sententiam posteà aperiendam, addendo *de Patre, & Filio*: vndè Doctor Ang. in disput. q. 10. a. 5. ad 2. optimè dixit: *Id, quod dicit Anselmus, quod Filius, & Spiritus Sanctus per hoc solùm adinvicem distinguntur, quod diverso modo procedunt, est omninò verum. Sed sicut ostensum est diverso modo procedere non possent, nisi Spiritus Sanctus à Filio esset. Est autem intentio Anselmi in lib. de Processione Spir. S. prius ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus Spiritum S. à Filio esse, qui tamen Spiritum S. à Filio dicunt distingui; vnde verba prædicta Anselmi inducta sunt magis vt disputativa suppositio, quàm veritatis definitio.*

eſt filius, eſt impoſsibile. Ita ergo in Deo, cùm Deus ſit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec ſit Pater, niſi eiuſdem filij; neque filius, niſi eiuſdem Patris; neque Spiritus alicuius, niſi eiuſdem Patris, & Filij: Pater non eſt Filius, aut Spiritus Sanctus. Filius non eſt Pater, aut Spiritus Sanctus; neque Spiritus Sanctus eſt Pater. Quippè quoniam Filius eſt de Patre; & Spiritus Sanctus eſt de Patre, neque de illo, de quo eſt aliquis, poteſt eſſe ille, qui de ſe eſt; neque ille, qui de aliquo eſt, valet eſſe is, de quo eſt, ſicut iam dictum eſt; id circò neque Pater eſt Filius, aut Spiritus Sanctus; neque Filius, ſive Spiritus Sanctus eſt Pater.

5 *Filius autem (vt interim aliam cauſam dicam, quoniam nondũ conſtat, quod Spiritus S. de illo ſit, & procedat) ideò non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre; Spiritus S. verò, nõ naſcendo ſed procedendo. Neque Filius poteſt eſſe ſuus ſpiritus; neque Spiritus S. valet eſſe ille, cuius ſpiritus eſt.*

Comment. in cap. 2.

CAP. II.

Quomodò indiviſibilis vnitas, & inſociabilis pluralitas in Deo conveniant?

1 Cum Græci Latinis conſentiant in principijs capite antecedẽti allegatis, conſequens eſt (inquit Anſ. in præſenti n. 1.) vt etiam in concluſionibus ex illis præmiſſis optimo conſequentiæ filo deductis Græci Latinis adhæreant. Sequitur enim primò cohærere diſtinctionem Perſonarum cum vnitate in eſſentia, ſivè indiviſibilem vnitatem cum inſociabili pluralitate; quoniam cum dictum ſit in Deo, quantum ad ea, quæ Dei ſunt, nullas eſſe partes, ideſt in perfectionibus abſolutis nullam eſſe diviſionem, conſequens eſt, vt quidquid dicitur de Deo vno, dicatur de tribus, & de ſingulis, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quia quælibet perſona eſt totus Deus, quapropter ſicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus; ita neceſſariò ſunt vnum in his, quę Dei ſunt, ſive in his, quæ ad abſolutum conceptũ divinitatis ſpectant, vt operoſiùs oſtenderat in Monol. c. 15. & 16.

1 *HIS præmiſsis, quomodo indiviſibilis vnitas, & inſociabilis pluralitas in Deo ſe adinvicem habent, inquiramus. Quoniam autem hæc, quæ dicta ſunt, pariter credimus indubitanter, & cõfitemur, & nos, qui dicimus Spiritũ S. de Filio procedere; & Græci, qui nobiſcum de hac re, non ſentiunt; debemus abſque vlla ambiguitate, quæ ex ijs neceſſariò conſequuntur vno conſenſu ſuſcipere. Sequitur enim ſecundùm vnitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem, vt quidquid de vno Deo (qui totus eſt quidquid eſt) dicitur, de toto Deo Patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu Sancto, quia vnuſquiſque ſolus, & totus, & perfectus Deus eſt.*

2 *Supra dicta verò relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupra dictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum S. de invicem dici*

2 Ex n. 2. conſtat, quod ſicut vnitas divinitatis infert vnitatem in perfectionibus abſolutis, ita oppoſitio relativa (quę oritur ex dictis duobus

bus modis, quibus eſt Deus de Deo, nimirùm, naſcendo, & procedendo) prohibet vnam perſonam, ſive proprietatem relativam vnius perſonæ, prædicari de alia, quoniam vnitas eſſentiæ ſemper infert, & probat vnitatem, niſi *vbi obviat aliqua relationis oppoſitio*; in quibus tàm apertè, tàmque evidenter traditur axioma illud à Theologis communiter receptum: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio*, vt mirum ſit P. Vazquez 1. p. diſp. 147. c. 4. aſſerere potuiſſe axioma illud in Anſelmo nullum fundamentum habere, cum à Sãctiſsimo Doctore, cap. præſenti, alijſque pluribus in locis ſit evidentiſsimè traditum; illudque in Anſelmo vidit, & probavit Ang. Doctor in diſput. q. 10. a. 5. arg. *ſed contra*, ibi: *Anſelmus in libro de Proceſſione Spiritus Sancti dicit, quod Pater, & Filius in omnibus vnum ſunt, niſi in his, in quibus diſtinguit inter eos relationis oppoſitio.*

dici, & propria ſingulorum alijs attribui. Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis conſequentiæ ſe contemperant, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus prædictæ ſimplicitas ſonat vnitatis: nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadem relatio ſignificatur: quatenùs nec vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio: nec relatio perdat, quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis.

3 *Quod ſi per exempla conſideremus, clarius apparebit, qualitèr quidem vnitatis ſimplicitas à ſe excludat pluralitatem, quæ eſt in relativorum nomine ſignificatione, facile eſt cognoſcere. Confitemur enim, quia Pater non eſt Filius, aut Spiritus Sanctus. Nec Filius Pater, aut Spiritus Sanctus. Nec Spiritus Sanctus Pater, aut Filius. Sequitur ergo alios abinvicem, & plures eſſe, Patrem, Spiritum Sanctum. At Pater eſt Deus. Filius eſt Deus. Et Spiritus Sanctus eſt Deus. Quid itaque conſequentius, ſi prædicta Perſonarum pluralitas ſuam ſervat proprietatem, quàm Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum plures Deos, & alios abinvicem? Sed hoc nullatenùs admittit inviolabilis ſimplicitas Deitatis, quam vnum ſolum Deum eſſe credimus. Sic repellit vnitas eſſentiæ Dei relativorum conſequentiam.*

4 *Conſiderandum quoque eſt quomodò relationum pluralitas obviet vnitatis conſequentiæ, ſi priùs poſuerimus aliqua ex his, in quibus nulla obſiſtit oppoſitio. Dicimus vnum Deum eſſe Patrem, & eſſe Filium, & eſſe Spiritum Sanctum, & vnum, eundemque Deum eſſe, ſive ſinguli, ſive bini, ſive tres ſimul dicantur. Si ergo Deus eſt æternus propter vnitatem Deitatis, ex neceſsitate ſequitur, quia æternus eſt Pater, æternus eſt Filius, æternus eſt Spiritus Sanctus. Et quoniam ſive ſinguli, ſive plures ſimul ſunt vnus Deus, non eſt niſi vnus æternus. Similis eſt conſequentia, ſi Deus dicitur Creator, ſive iuſtus, ſive aliquid aliorum, in quibus nulla prædicta intellligitur relatio.*

3 Num. 3. adhuc clarius oſtendit, qualitèr pluralitas relationum, ac diſtinctio perſonarum nullatenus impediat vnitatem in eſſentia, perfectionibuſque abſolutis, aliàs ſicut ſunt plures perſonæ, ita eſſent plures Dij; Fide namque Catholica credimus Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spiritum Sanctum eſſe Deum; ſi ergo ex diſtinctione perſonarum deducenda eſſet diſtinctio in natura divina, quo pacto ſunt plures perſonæ, ita eſſent plures Dij, quod Fides Catholica non permittit.

4 Ex quibus n. 4. colligit idem parì titulo dicẽdum de omnibus perfectionibus abſolutis, videlicet, ſicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non obſtante diſtinctione perſonarum ſunt vnus Deus, ita ſunt vnus iuſtus, æternus, creator, bonus, &c. quia in his nulla intervenit relativa oppoſitio iuxta dicta in Monol. cap. 38.

Comment. in cap. 3.

CAPVT III.

Quomodò vnitatis Dei conſequentiam reſtringat relatio.

1 Ex num. 1. facilè deprehenditur, qualitèr relatio reſtringat conſequẽtiam vnitatis, quandoquidem ex vnitate in natura, ſi relatio oppoſita non obſtaret, in-

1 *VIDEAMVS nunc quomodò hanc vnitatis Dei conſequentiam reſtringat relatio. Dicimus enim, quia Deus eſt Pater; quo-*

ferenda eſſet vnitas inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctũ hoc diſcurſu: Pater, & Filius, & Spiritus Sãctus ſunt vnus Deus; ſive vnum in divinitate; ergo & inter ſe; ſed hanc conſequentiam impedit relatio, quod

quod ita ſuadet. Nec natura permittit, nec intellectu percipi poteſt aliquid habere eſſe de alio, & eſſe id ipſum, quod eſt aliud; á quo eſt; ſed Filius, & Spiritus Sanctus habent eſſe de Patre; ergo eſſe non poſſunt id ipſum, quod eſt Pater, nec Pater id ipſum, quod Filius, & Spiritus Sanctus; quod argumentum pari titulo formari poteſt de Spiritu Sancto reſpectu Filij, & ècontrà. Ratio omniũ eſt, quia hoc quod ipſo Filius habet eſſe de Patre, oritur oppoſitio relativa, quæ impedit vnitatem, & probat diſtinctionem. Quod idem dicendum de Spiritu Sancto reſpectu Patris, & Filij.

Dixit Anſelmus, quod natura non permittit idem eſſe, qui eſt de aliquo, & illum de quo eſt, ac meritò quidem, quia ipſo lumine naturæ notum eſt prorſus repugnare idem habere eſſe à ſe ipſo, præſertim quoad primum eſſe, ſive eſſe principium, aut cauſam effectivam ſui ipſius, quare inter illum, qui habet eſſe de alio, & alium à quo habet eſſe, neceſſe eſt realem diſtinctionem intercedere; vndè optimè ſuperaddit Anſelmus: *Nec intellectu percipi poſſe*, quaſi dicat id abſolutam, & apertam repugnantiam includere; ergo etiam poſita vnitate eſſentiæ *quoniam ergo vnus eſt Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus exigit vnitas Dei, vt Filius ſit Pater, & Spiritus Sanctus ſit Pater; ſed obviat relatio, quæ prohibet Filium, aut Spiritum Sanctum eſſe Patrem. Quippè nec natura permittit, nec intellectus capit exiſtentem de aliquo eſſe, de quo exiſtit; aut de quo exiſtit eſſe exiſtentem de ſe; exiſtit autem Filius, & Spiritus Sanctus de Patre: quarè non poteſt Filius, aut Spiritus Sanctus eſſe Pater; quamvis Deus ſit Pater, & vnus, idemque Deus ſit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Id ipſum, & cognoſcitur, ſi dicitur Deus eſſe Filius; vult enim vnitatis Dei conſequentiæ, vt Pater, & Spiritus Sanctus ſit Filius; ſed Pater, de quo eſt Filius, non poteſt eſſe, qui de ſe eſt. Spiritus verò Sanctus, qui exiſtit de Patre procedendo, non eſt ille, qui eſt de Patre naſcendo. Item cum dicitur Deus eſt Spiritus Sanctus requirit vnitas prædicta Patrem quoque, & Filium eſſe Spiritum Sanctum. Sed nec Pater, de quo eſt Spiritus Sanctus poteſt ille eſſe, qui de ſe eſt; nec Filius, qui exiſtit de Patre naſcendo, eſt ille, qui de eodem Patre eſt procedendo, ideſt Spiritus Sanctus.*

2 *Cum autem apparebit, quia Spiritus S. eſt de Filio, tunc quoque palàm erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus S. Filius. Conſideremus adhuc quomodò ſupradictæ oppoſitiones obſiſtunt conſequentiæ prædictæ vnitatis. Deus eſt de Deo. Hoc ergo ſemel accepto, quoniam idem Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. Sequitur ſecundùm hanc identitatem, vt Deus Pater ſit Deus de Deo, & Deus, de quo eſt Deus. Et ſimiliter Filius Deus de Deo, & Deus, de quo eſt Deus; & eodem modo Spiritus S. Verùm quærere vtrũ vnuſquiſque ſit Deus, de quo eſt Deus, non eſt aliud, quàm conſiderare, vtrum ſingulus quiſque ſit Deus de Deo. Non enim poteſt Deus de Deo eſſe, niſi Pater, aut Filius, aut Spiritus S. & niſi de Patre, aut de Filio, aut de Spiritu S. Inſpiciamus ergo vtrum vnuſquiſque ſit Deus de Deo, & patebit vtrum ſit ſingulus quiſque Deus, de quo eſt Deus.*

3 *Sed Pater non poteſt eſſe de Deo propter prædictam oppoſitionem. Cum enim non ſit Deus, niſi aut Pater, aut Filius, aut Spiritus S. aut duo ex his, aut tres ſimul, non poteſt eſſe Deus Pater de Deo, niſi aut de Patre, hoc eſt de ſe ipſo, aut de Filio, aut de Spiritu S. aut de duobus, aut de tribus.*

oportet Filium eſſe aliũ à Patre:

2 Undè num. 2. concludit ſe eodem argumento probaturum diſtinctionem Spiritus Sancti á Filio, quoniam infra monſtrabit Spiritum Sanctum à Filio procedere. Ex quibus ſatis improbatus manet error negantium diſtinctionem perſonarum in divinis, quem primò ſomniaſſe videtur Praxeas, poſteàque inſtauravit Sabellius, ſed de his operoſius part. 2. tract. 1. Interim ſibi opponit rationem dubitandi contra dicta. Ideò poſita eſt in divinis diſtinctio Perſonarum, quia ibi eſt Deus de Deo iuxta Symbolum Nicęnum, vbi contra Arrium dicitur: *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero*; ſed hoc non probat aliquam perſonam eſſe ab alia realiter diſtincta, nam etiam Pater eſt Deus de Deo, quia eſt idem Deus, ac Filius; ſed Filius eſt Deus de Deo; ergo & Pater; & tamen Pater non eſt ab alio realiter diſtincto; ergo ex eo, quod in divinis ſit Deus de Deo non probatur realis diſtinctio. Prætereà Filius eſt Deus de Deo; & tamen non eſt alius Deus diſtinctus à Deo, de quo eſt. Quod idem dicendum de Spiritu Sancto; ergo ex eo, quod Filius ſit Deus de Deo Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque,

que, non probatur realis diſtinctio inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

3 Occurrit Anſelmus num. 3. & 4. Pater nequit eſſe Deus de Deo, nam in Deo nec eſt, nec eſſe poteſt, niſi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ſed Pater non eſt de Patre, ideſt à ſe ipſo, propter carentiam oppoſitionis relativæ, quę eſſe non poteſt inter Patrem, & ſe ipſum, cum oppoſitio relativa, ſive relatio neceſſariò ſit ad alterum, diſtinctionemque operetur; nec Pater poteſt ſibi exiſtentiam præſtare, vt ſupra dictum eſt; ergo Pater non poteſt eſſe de alio, & conſequenter nec Deus de Deo. Nec propter ea propriè loquendo dicendum eſt Patrem eſſe *à ſe*, ſed non eſſe *ab alio*, vt docet Div. Thomas in 1. diſt. 9. q. 1. a. 1. *Ad tertium dicendum, quod hæc eſt impropria: Pater eſt à ſe, & exponenda eſt per negationem, bus. De ſe ipſo non poteſt eſſe, quia exiſtens de aliquo, & de quo exiſtit non poteſt idem eſſe. De Filio non eſt, quia Filius eſt de ipſo, & ideo non poteſt eſſe de Filio. De Spiritu Sancto non eſt, quia de illo eſt Spiritus S. neque valet eſſe ille, qui de ſe eſt. De duobus, vel tribus ſimul nequit eſſe Pater propter eandem oppoſitionis rationem.*

4 *Filium verò Deum neceſſe eſt eſſe de Patre Deo, quia Pater non eſt de illo; de Filio verò, hoc eſt, de ſe ipſo eſſe nequit, quia non eſt idem exiſtens de aliquo, & de quo exiſtit. Vtrum autem ſit de Spiritu S. aut Spiritus S. de illo poſt monſtrabitur. Sed prius dicemus de Spiritu S. ſi ſecundùm conſequentiam prædictam ſit de Patre, & de ſe ipſo. De Patre quidem neceſſe eſt eum eſſe, quia nulla obviat oppoſitio, non enim Pater eſt de illo. De ſe ipſo verò impoſſibile eſt eum eſſe, quia non poteſt exiſtens de aliquo, & de quo eſt idem eſſe. In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſupra dictis oppoſitio. Quod verò in his cognoſcitur, in omnibus, quæ de Deo dicuntur, immutabilitèr eveuire, neceſſe eſt.*

Rurſus. Pater eſſe non poteſt de Filio, aut Spiritu Sancto, quia potiùs Filius, & Spiritus Sanctus ſunt de Patre; ergo implicat Patrem eſſe Deum de Deo. Quod enim additur de Filio, facilè diſpellitur, quia Filius eſt Deus de Deo Patre, ideoque diſtinguitur realiter à Patre, non quidem in divinitate, ſed in perſona, quia in perſona, non in divinitate datur oppoſitio relativa. Quod idem de Spiritu Sancto reſpectu Patris, & Filij.

Denique concludit omnia, quæ in Deo eſſe poſſunt, re ipſa eſſe, ac quæcumque de Deo dicuntur; de omnibus Divinis Perſonis immutabilitèr dici neceſſarium eſſe, cum omnia, quæ de Deo vno dicuntur, ſint per omnimodam identitatem in tribus. Ex quibus plura diſputanda occurrunt, de quibus p. 2.

Comment. in cap. 4.

CAPVT IV.

Cum Filius non ſit de Spiritu Sancto, ipſe Spiritus ex Filio procedit.

1 Ex præiacta doctrina cap. 2. & 3. progreditur Anſelmus ad dirimendam præcipuã controverſiam, nimirùm, proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, Et inquirit num. 1. vtrùm Filius ſit de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio? Sicut enim dictum eſt in præcedentibus, aut Patrem eſſe de Filio, & Spiritu Sancto, aut Filium, & Spiritum Sanctum eſſe de Patre, ità dicendum eſt, aut Filium eſſe de Spiritu Sancto; aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio. Etenim ex oppoſito plura ſequerentur abſurda, quoniam neceſſariò negandum eſſet, aut vnum ſolum Deum eſſe; aut Filium eſſe Deum; aut Spiritum Sanctum eſſe Deum; aut Deum eſſe de Deo, quæ omnia ex præiacta doctrina facilè oſtendi poſſunt ſic brevitèr diſcurrendo.

Si Spiritus Sanctus non eſt de Filio, aut é contrà Filius non eſt de Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus ha-

1 *NVNC quærendum eſt per ſupra dictas irrefragabiles rationes, vtrùm Filius ſit de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio? Dico, quia ſicut per ſupradictam rationem, aut Pater eſt de Filio, aut Filius de Patre: & ſimiliter, aut de Spiritu Sancto Pater; aut Spiritus Sanctus de Patre: ità eſt, aut Filius de Spiritu Sancto; aut Spiritus Sanctus de Filio. Quod qui negat, neget etiam neceſſum eſt, vnum ſolum Deum eſſe, aut Filium Deum eſſe; aut Spiritum Sanctum Deum eſſe; aut Deum eſſe de Deo, quia ex his ſequitur, quod dico.*

Am-

habet divinitatem communicatam à Filio, nec Filius à Spiritu Sancto; ergo quælibet perſona habet ſuam propriam divinitatem nullatenùs communicatam ab alia; at divinitas vnius perſonæ non communicata ab alia eſt divinitas diſtincta à divinitate alterius perſonæ; non enim apparet vnde vna perſona poſsit communicare in vna, eademque numero divinitate cum alia, niſi vna habeat eandem divinitatem communicatã ab alia; at poſita diſtinctione in divinitate ponenda eſt pluralitas Deorum; ergo *negandum eſſet vnum ſolum Deum eſſe.*

Vel neceſſariò negandum eſſet Filium eſſe Deum, quod eſt hæreſis Arrij; vel nẽganda divinitas Spiritus Sancti, quod eſt error Mazedonij, vtrũque patet, quia Deus eſſe non poteſt, qui habet naturam diſtinctam à natura Dei; ſed ſi Spiritus Sanctus haberet naturam non communicatam à Filio; aut Filius haberet naturam nõ cõmunicatã à Spiritu Sãcto, vterque haberet naturam diſtinctam, vt dictum eſt; ergo vel Filius non eſſet Deus, vel Spiritus Sanctus nõ eſſet Deus; quia duplex natura, & vtraque natura prorſus repugnat; igitur *negandum eſſet, aut Filium eſſe Deum; aut Spiritum Sanctum eſſe Deum*, vt inquit Author eodem num.

Vel tandem negandum eſſet *Deum eſſe de Deo*, quia nec Spiritus S. eſſet de Filio, nec Filius de Spiritu Sancto, & conſequenter neganda eſſet cum Sabellio diſtinctio perſonarum; negata enim origine, per quam vna perſona ſit de alia, nulla ſupereſt ratio ad diſtinguendam vnam perſonam ab alia; ergo ad hæc abſurda vitanda neceſſe eſt vnã perſonam eſſe de alia, & conſequenter, aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio, aut Filium de Spiritu Sancto, & hic eſt præcipuus Anſelmi ſcopus in hoc capite, hoc enim ſemel poſito facile concluditur altera pars dilematis, videlicet Spiritum Sanctum eſſe de Filio, nam Filium non eſſe de Spiritu Sancto, & ipſi Græci fatentur, & infra facilè oſtendetur.

Hac eadem ratione ex omnibus abſurdis ab Anſelmo allegatis formata vtitur D. Thomas lib. 1. ad Annib. diſt. 11. q. vn. a. 1. ibi. *Dicendum, quod neceſſe eſt ponere Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere: aliter enim ſequeretur ad minus triplex inconveniens, quorum primum eſt, quod Pater, & Filius non ſunt perfectè vnum, quod eſt hæreſis Arrij. Ex hoc enim quod perfectè Pater, & Filius ſunt vnum, ſequitur, quod Pater, & Filius in omnibus communicant, niſi in Paternitate, & Filiatione; eſſe autem principiũ Spiritus Sancti, neque ad rationem paternitatis pertinet, neque ad rationem filiationis;*

2 *Amplius non eſt Filius, aut Spiritus S. de Patre, niſi de Patris eſſentia, quæ vna eſt illi cum Filio, & Spiritu Sancto; cum ergo dicitur, quia Filius eſt de Deo Patre, ſi idem Deus eſt Pater, & Spiritus Sanctus, ſequitur ſecundùm vnitatem Deitatis, vt ſit etiam de Spiritu Sancto. Eodem modo, quandò confitemur Spiritum S. eſſe de Deo Patre, ſi idem Deus eſt Pater, & Filius, ſequitur ſecundùm eandem Deitatis vnitatem, vt ſit & de Filio. Ex his igitur apertè cognoſcitur, quia vt Filius eſt de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio, quoniam vtrumque nequit eſſe verum, aut falſum. Neceſſe eſt ergo Spiritum Sanctum eſſe de Filio, ſi poteſt monſtrari Filium non eſſe de illo.*

3 *Nam ſi quis dicit non ſequi Filium eſſe de Patre, & Spiritu Sancto, idcircò quoniam vnus eſt Deus Pater, & Spiritus Sanctus, etiam ſi non opponitur aliud, aut Spiritum S. eſſe de Patre, & Filio, quoniam vnus eſt Pater, & Filius, quamvis non ſit Filius de Spiritu Sancto. Conſideret, quia cum eſt Deus de Deo, aut eſt totus de toto, aut pars de parte, aut totus de parte, aut pars de toto; ſed Deus nullam habet partem; impoſsibile igitur eſt, ſi Deus eſt de Deo, vt totus ſit de parte, aut pars de toto, aut pars de parte; neceſſe eſt igitur, vt ſi eſt Deus de Deo, totus ſit de toto. Cum ergo Filius dicitur eſſe de Deo, qui eſt Pater, & Spiritus Sanctus, aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus Sanctus, vt de toto Patre ſit, & non de toto Spiritu Sancto; aut ſi idem totus Deus eſt Pater, & Spiritus Sanctus ex neceſsitate cum eſt de Deo toto, qui eſt vnus totus, tàm Pater, quàm Spiritus Sanctus, eſt pariter de Patre, & de Spiritu Sancto, ſi non repugnat aliud.*

4 *Eodem modo. Cum dicitur Spiritus Sanctus eſſe de toto Deo, qui eſt Pater, & Filius; aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, vt ſit de toto Patre, & non de toto Filio Spiritus Sanctus; aut cum eſt de Patre Spiritus Sanctus non poteſt non eſſe de Filio, ſi non eſt Filius de Spiritu Sancto; nulla enim alia ratione poteſt negari Spiritum S. eſſe de Filio.*

5 *Dicet aliquis. Si quoniam vnus Deus eſt Pater, & Spiritus Sanctus, cum Filius eſt de Patre, ſequitur eum eſſe de Spiritu Sancto, aut cum Spiritus S. eſt de Patre, qui idem eſt Deus Pater, & Filius, eſt etiam de Filio; cum Pater gignit Filium neceſſe eſt eum gignere quoque Spiritum Sanc-*

nis ; vnde oportet quod in hoc Pater , & Filius communicent. Secundum eſt, quod Pater, & Spiritus Sanctus non eſſent perſonæ diſtinctæ , quod eſt error Sabellij , nam cum tres perſonæ ſint vnius eſſentiæ , non poteſt eſſe perſonarum diſtinctio , niſi ſecundùm relationes originis prout vna perſona eſt ab alia; Spiritus autem Sanctus à Filio non diſtinguitur per hoc, quod eſt à Patre ; ſi ergo non diſtinguitur ab eo per hoc, quod vnus eorum eſt ab alio, nulla erit diſtinctio inter eos ; non autem Filius eſt à Spiritu Sancto , quia ex hoc, quod Filius eſt , ſolum à Patre eſt ; reſtat ergo vt Spiritus Sanctus ſit à Filio. Tertium eſt , quod Spiritus Sanctus ſit creatura , quod eſt error Macedonij, &c.

2 Confirmat aſſumptum n. 2. cum dicitur Filium , aut Spiritum Sanctum eſſe de Patre, veré ſignificatur eſſe de Patris eſſentia, non quidem de eſſentia divina abſolutè, ſed de eſſentia Patris , vt traddit Anſ. & notâ D. Thomas in 1. diſt. 5. q. 2. a. 1. ad 1. ibi. *Non dicimus , quod Filius ſit de eſſentia , ſed de eſſentia Patris , & ideo non oportet eſſe diſtinctionem Filij ab eſſentia , ſed à Patre.* Quo ſenſu dixit Damaſcenus lib. 1. de Fide orth. c. 8. *Generatio eſt opus divinæ naturæ*, vt refert idem Ang. Doct. ibid. q. 1. a. 1. ſic enim importatur eſſentia in recto , & relatio in obliquo. Hoc ergo *Sanctum , quia vnus , idemque Deus eſt Filius , & Spiritus Sanctus. Et cum Spiritus Sanctus procedit de Patre , propter eandem vnitatem Deitatis Filij , & Spiritus Sancti procedit & Filius de Patre , ita ſicut Spiritus S. Si verò vnitas Dei in Filio, & Spiritu Sancto non illam habet vim conſequentiæ, vt vterque ſimiliter ſit genitus , & procedens , videtur , quod non ex eo , quod vnus Deus eſt Pater , & Spiritus Sanctus , ſequitur Filium eſſe de Spiritu Sancto , aut Spiritum S. eſſe de Filio , quoniam idem Deus eſt Pater, & Filius, vt dicis.*

6 *Ad quod ego. Habent vtique à Patre eſſe Filius , & Spiritus Sanctus ; ſed diverſo modo, quia alter naſcendo, alter procedendo , vt alij ſint per hoc ab invicem , per hoc , quod dictum eſt. Et ideò cum naſcitur vnus , non poteſt cum eo naſci ille , qui per hoc eſt alius ab eo , quia non ſimiliter naſcitur , ſed procedit. Et cum vnus procedit, nequit ille ſimul procedere , qui per hoc eſt alius ab illo ; quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur. Et ideò non habet hic vnitas illa vim conſequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate naſcitur , & proceſsione. Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus per hoc ſolùm eſſent diverſi.*

7 *Cum autem dico ex eo , quia Pater vnus Deus eſt cum Filio , aut cum Spiritu Sancto, ſequi Filium eſſe de Spiritu Sancto , aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio; nulla ibi pluralitas generatur , quæ vnitatis obviet conſequentiæ ; quia non vtrumque dico eſſe , ſed alterum tantùm. Omnimoda igitur, & inexpugnabili neceſsitate concluditur, quia [ſi vera ſunt , quæ ſuprà dixi , nos pariter cum Græcis credere] aut Filius eſt de Spiritu Sancto , aut Spiritus Sanctus eſt de Filio.*

8 *Quod autem Filius non ſit de Spiritu Sancto , palàm eſt ex Catholica Fide. Non enim eſt Deus de Deo , niſi aut naſcendo , vt Filius , aut procedendo , vt Spiritus Sanctus ; Filius autem non naſcitur de Spiritu Sancto. Si enim naſcitur de illo , eſt Filius Spiritus Sancti , & Spiritus Sanctus Pater eius : ſed alter alterius , neque Pater , nec Filius eſt. Non ergo naſcitur de Spiritu Sancto Filius , nec minus apertum eſt , quia non procedit de illo. Eſſet enim ſpiritus eiuſdem Spiritus Sancti , quod apertè negatur , cum Spiritus Sanctus dicitur, & creditur ſpiritus Filij : non enim poteſt eſſe ſpiritus ſui ſpiritus , quare non procedit*

poſito ſic format argumentum Anſelmus. Filius eſt de Patris eſſentia ; ſed eſſentia illa eſt vna , & eadem in Spiritu Sancto ; ergo Filius procedens à Patre neceſſariò procedit à Spiritu Sancto , ſi aliud non obſtat , nimirùm, quod Spiritus Sanctus ſit de Filio ; hæc enim ſola ratio impedire poteſt ne Filius ſit de Spiritu Sancto , vt docet D. Thomas lib. 1. ad Ann. diſt. 11. q. vn. a. 1. ad 3. *Quia Spiritus Sanctus procedit à Filio, ideò Filius non poteſt procedere à Spiritu Sancto, quia impoſsibile eſt, quod reſpectu eiuſdem idem ſe habeat in ratione principij , & eius , quod eſt à principio.* Alioquin Filius , & Spiritus Sanctus eſſent ſibi invicem exiſtēdi principia, qnod Anſelmus cap. anteced. improbavit.

Cum ergo repugnet etiam ex ſententia Græcorum Filium eſſe de Spiritu Sancto , eodem argumento abſolutè probat Anſelmus Spiritum Sanctum eſſe de Filio ſic diſcurrēdo. Spiritus Sanctus eſt de Patre : ergo etiam de Filio. Antecedens concedunt Græci , conſequentia probatur. Pater , & Filius vnus ſunt Deus : idque non ſolum in divinitate , ſive eſſentia divina, quæ eſt ratio remota , & radicalis , ſed in virtute ſpirativa , quæ eſt ratio proxima ſpirandi, in his enim nulla obviat relationis oppoſitio; ergo Spiritus Sanctus procedens à Patre,

à Filio pariter neceſſariò procedit.

3 Si quis autem opponat [inquit n. 3.] ex vnitate divinitatis inter Patrem, & Filium non inferri Spiritum Sanctum procedentem à Patre procedere etiam à Filio; ſicut nec ex eadem vnitate divinitatis inter Patrem, & Spiritum Sanctum infertur Filium procedentem à Patre, procedere etiam à Spiritu Sancto. Contra inſurgit Anſelmus. Cum dicitur Filium eſſe de Patre, non ſignificatur eſſe Deum de Deo, ſicut pars à parte, nec vt totum à parte, nec vt pars à toto, quia in Deo non ſunt partes; ergo ſignificatur eſſe totum Deum de toto Deo; at totus Deus Pater eſt Deus Spiritus Sanctus; ergo inſpecta vnitate divinitatis; ſi aliud non obſtat, oportet Filium procedentem á Patre procedere etiam à Spiritu Sancto.

4 Similiter [inquit n. 4.] cùm dicitur Spiritum Sanctum eſſe de Patre, non ſignificatur eſſe de illo, vt pars á parte, nec vt totum à parte, nec vt pars á toto propter eandem rationem; ergò vt totus Deus à toto Deo; ſed totus Deus Pater eſt Deus, qui eſt Filius; ergo Spiritus Sanctus procedens à Patre procedit etiam à Filio; ergo ex vnitate divinitatis in principio ſemper ſequitur, vel Spiritum Sanctum procedentem á Patre procedere etiam à Filio; vel Filium procedentem à Patre procedere à Spiritu Sancto; cum ergo hoc ſecundum etiam in ſententia Græcorum ſit falſum, conſequens eſt vt primum ab ipſis concedendum ſit.

5 Num. 5. proponit obiectionem, quá prædicta doctrina impugnari poteſt. Si ex eo, quod Pater, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus ſequeretur Filium procedentem à Patre procedere etiam à Spiritu Sancto; vel Spiritum Sanctum procedentem à Patre, procedere pariter à Filio, eo quod Pater eſt vnus Deus cum Filio, ſimili modo ſequeretur, quod Filio procedente vt genito; pariter Spiritus Sanctus procederet à Patre vt genitus. Patet conſequentia, quia ſicut Pater, & Filius ſunt vnus Deus ex parte principij, ita Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus ex parte termini; ergo ſi vnitas in divinitate ex parte principij probat Spiritum Sanctum procedentem à Deo Patre procedere pariter à Filio, eadem vnitas ex parte termini, nimirùm, Flij, & Spiritus Sancti probabit vtrumque procedere vt genitum, & Filium; vel vtrumque *dit Filius de Spiritu Sancto: nullo ergo modo eſt de Spiritu Sancto Filius. Sequitur itaque inexpugnabili ratione Spiritum Sanctum eſſe de Filio, ſicut eſt de Patre.*

eſſe à Patre non naſcendo, ſed procedendo propter eandem rationem.

6 Reſpondet Anſ. n. 6. diſparem eſſe rationem, quia licet Filius, & Spiritus Sanctus ſint ab eodem Deo Patre, ſunt tamen diverſo modo, quia ille eſt de Patre naſcendo, hic procedendo, ex quo ortum habet vt ſint alij abinvicem, nimirùm per relationem oppoſitam, ex qua vnus conſtituitur genitus, & alter ſpiratus, vndè ex eo, quod procedant diverſo modo, naſcendo, & procedendo, naſcitur pluralitas, & relativa oppoſitio, quæ impedit vt vterque ſit Filius, aut vterque duntaxat ſpiratus. Ex eo tamen, quod Pater, & Filius in ratione principij Spiritus Sancti ſint vnus Deus, vnuſque ſpirator, eodem modo cõparantur ad Spiritum Sanctum, vndè ſi Spiritus Sanctus procedit à Patre, procedit etiam neceſſariò à Filio; & ita vnitas divinitatis in Patre, & Filio ſpirante habet ſuam vim conſequentiæ, quia ibi nulla intervenit relatio; non verò in Filio genito, & Spiritu Sancto procedente propter oppoſitam rationem.

Ex his conſtat qualiter accipienda ſint ea, quæ ſubiungit: *ſi per aliud* [ideſt naſcendo, & procedendo] *non eſſent plures, per hoc ſolum eſſent diverſi*, nimirùm in ſenſu cauſali, non formali, aliàs inutilia rederentur argumenta ſupra facta, nec opus eſſet vt vel Filius procederet á Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus procederet à Filio, ſi ſecluſa tali proceſsione à Filio maneret Deus, ac tertia Trinitatis perſona diſtincta realiter à Filio.

7 Num. 7. ſupra dictam doctrinam iterùm confirmat. Si vnus eſt Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, neceſſariò ſequitur, quod Spiritus Sanctus procedens à Patre, procedat pariter à Filio, vel quod Filius procedat à Spiritu Sancto, eo quod ex parte Patris, & Filij in eſſe principij ſpirativi nulla eſt pluralitas, aut oppoſitio relativa, quæ vnitatis conſequentiam impediat. Sed notat ſe non vtrumque dicere, videlicet, Spiritum Sanctum procedere à Filio; & Filium procedere à Spiritu Sancto; ſed alterutrum; quarè inevitabili illatione deducitur ex eiſdem principijs, quibus Græci Latinis conſentiunt, aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio; aut Filium de Spiritu Sancto.

8 Quod autem Filius non ſit de Spi-

Spiritu Sancto multiplicitèr conſtat ex num. 8. Primò ex Fide Catholica. Secundò ex conſenſu eorundem Græcorum. Tertiò, quia non eſt aliter Deus de Deo, quàm naſcendo, & procedendo; at Filius non eſt de Spiritu Sancto *naſcendo*, quia non eſt filius Spiritus Sancti, nec Spiritus Sanctus eſt illius Pater: non item *procedendo*, quia Filius non eſt ſpiritus Spiritus Sancti, ſed potius ipſis Græcis conſentientibus Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Filij; ergo Filius non eſt ſpiritus Spiritus Sancti, alias eſſet ſpiritus ſui ipſius, ſicut id, quod eſt cauſa cauſæ, dicitur cauſa cauſati; ergo Filius nullo modo eſt de Spiritu Sancto; ſupereſt ergo vt Spiritus Sanctus neceſſariò ſit de Filio.

Comment. in Cap. 5.

CAPVT V.

Roboratur ratio propoſita, & evincitur Spiritum Sanctum habere eſſe à Patre contra quendam Græcæ factionis Epiſcopum.

1. Cum Anſelmus in Concilio Barenſi efficacitèr Græcos vrgeret, & proceſsionem Spiritus Sancti de Filio apertiſsimè evinceret ex eorundem Græcorum doctrina confitentiũ Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, vt capite antecedenti dictum eſt; occurrere conabatur quidam Epiſcopus, qui inter eos primas partes agebat negando antecedens, nimirùm Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, quoniam in Symbolo Nicæno [quod in tota Eccleſia ſummæ venerationis ſemper fuit] tametſi aſſeratur Filium eſſe Deum de Deo; id tamen de Spiritu Sancto non dicitur; immò ex eodem Symbolo deſumebat argumentum contra Latinos, quos reprehenſione dignos arbitrabatur, eò quod Symbolo addidiſſent *de Filio*, cum in eo tantùm dicatur *credimus in Spiritum Sanctum*; non verò quod *de Filio* procedat, nec ex eo Symbolo conſtat Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, ſed tantum eſſe Deum.

Porrò Symbolum Nicænum, vtpotè dicendorum baſis, ad literam proponere operæ pretium duxi; quod ità ſe habet: *Credimus in vnum Deum, Patrem, Omnipotentem, omnium viſibilium, & inviſibilium factorem; & in vnum Dominum Ieſum-Chriſtum, Filium Dei, ex Patre natum vnigenitum; ideſt, ex ſubſtantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in Cælo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Et aſcendit in Cœlum, & iterùm venturus eſt iudicare vivos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & quia ex ijs, quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.*

Itaque ex dicto Symbolo non conſtat Spiritum Sanctum eſſe de Filio, nec eſſe Deum de Deo; ergo id aſſeren-

2. *FORSITAN negabunt Græci Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, ſicuti eſt Filius Deus de Deo; quoniam probamus per hoc illum eſſe, & procedere de Filio; nec eſt poſitum in illo Symbolo, in quo reprehendimur ab illis addidiſſe proceſsionem eius de Filio.*

2. *Sed qui hoc putat, negat aut Patrem eſſe Deum, de quo eſt Spiritus Sanctus, aut Spiritum Sanctum eſſe Deum, qui eſt de Patre: aut hoc ipſum, quod eſt Spiritus Sanctus eſſe de Patre; at Patrem non eſſe Deum, aut Spiritum Sanctum, nullus ſuſcipit Chriſtianus.*

3. *Videamus igitur vtrum hoc ipſum, quod eſt eſſentialitèr ſpiritus, ſit de Patre: quod quendam Epiſcopum Græcis forſitàn faventem in Barenſi Civitate ſenſi nolle ſentire; nam ſi non eſt ipſum de Patre, quod eſt; cùm ſit vnus, idemque Deus, qui Pater; inveniri nequit, vndè ſit alius à Patre. Non enim inde alius eſt, quia Pater habet Filium, & Spiritus Sanctus non habet Filium. Per hoc enim probari poteſt, quia alij ſunt abinvicem: non tamen hæc eſt cauſa, vt diverſæ ſint perſonæ. Quippè ſi duo ſint homines, quorum alter habeat filium, alter non: quamvis per hoc oſtendi poſſint eſſe diverſi, non tamen ob hoc alij ſunt abinvicem: quia quoquo modo ſe habeant in habendo, vel non habendo filium; diverſitatem non amittunt. Ita in Patre, & Spiritu Sancto, non quia alius Filium habet, alius non habet, ideircò ſunt diverſi: ſed quoniam diverſi ſunt, ideircò nihil prohibet eos in habendo, & non habendo Filium eſſe diſsimiles. Similiter reſponderi poteſt, ſi ideò alius dicitur, quia non ab illo procedit Spiritus Sanctus, ſicut ipſe procedit à Patre.*

Quippè

rendum non eſt. Antecedens conſtat, ex conſequentia vrgeri poteſt 1. ex Concilio Sardicenſi (de quo Athanaſius in litteris ſynodalibus ad Eccleſiam Anthiochenam) in quo deffinitur ſymbolo Nicæno nihil addendum: *ne illis quibus libido ſemper noua ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, vt iterùm, atque iterùm de fide deſiniant.* 2. ex Synodo Chalcedonenſi, vbi Patres Ægyptij ad Leonem Auguſtum epiſt. 24. ſic loquuntur: *Suggerimus nos trecentorum, decem, & octo Patrum Sanctorum, qui in Nicæa Ciuitate collecti; & per Sanctum Spiritum ſunt locuti; ſymbolum tenere, atque cuſtodire; & neque augmentum liquod, nec imminutionem recipere. Ea namquè, quæ à Sancto Spiritu dicta, atque conſcripta ſunt, fas non eſt aliquomodò retractari, nec augmentum aliquod, nec imminuitione eis inſorre.*

Ex quibus, & alijs, quæ refert Diuus Thomas in Diſputatione quæſtione decima articulo quarto argumento decimo tertio, anathematizantur, ac varijs pœnis pleƈtuntur, quicumque ſymbolo Nicæno aliquid addere præſumunt; cum ergò in eo non dicatur Spiritum Sanctum eſſe de Filio, nec eſſe Deum de Deo: id aſſerendum non eſt, ſed potius negandum; eo autem negato corruunt argumenta Anſelmi, quibus probavit capite

4 *Quippè [vt ſecundum illos loquar, qui negant Spiritum Sanctum de Filio procedere] ſicut non eſt hæc cauſa, quia Spiritum Sanctum Filius de ſe procedentem non habet, ſicut Pater, vt alius ſit à Patre (ſequeretur enim, vt ſi Spiritus Sanctus procederet de Filio, Filius non eſſet alius à Patre) ita per hoc non eſt Spiritus Sanctus à Patre alius, quia non habet Filium, aut Spiritum Sanctum de ſe procedentem, ſicut Pater,*

5 *Et quemadmodùm Filius, non ideò eſt, alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem [ſi enim Pater haberet Patrem; alius tamen eſſet à Filio) ita Spiritus Sanctus, quia de aliquo procedit, & Pater à nullo, non propter hoc eſt alius à Patre: quia ſi Pater ab aliquo procederet, non minus tamen eſſet alius à Patre, de quo procedit. Palam igitur eſt, quia non ideò eſt Spiritus Sanctus alius à Patre, quia non habet Filium, aut Spiritum Sanctum de ſe procedentem, ſicut Pater: nec quia de aliquo procedit, & Pater de nullo.*

6 *Sed nec per hoc intelligi poteſt eſſe à Patre alius, quia Spiritus eſt Patris, ſi de illo non habet eſſe. Poteſt enim intelligi aliquis alius ab aliquo, priuſquàm ſit illius: quamvis alicuius nequeat eſſe, niſi ſit alius; vt cum dicitur homo Dominus alicuius: aut homo alterius hominis; prius intelligitur alius ab illo, cuius eſſe dicitur, quàm ſit eius Dominus, vel homo. Sic itaque ſi Spiritus Sanctus non eſt de Patre, nihil prohibet eum intelligi prius alium ab illo, quàm ſit illius. Quarè non facit illum alium eſſe à Patre, hoc quod Spiritus eius eſt, ſi per hoc non habet, vt ſit alius ab illo per quod eſt Spiritus illius. Sicut Filius per hoc eſt alius à Patre, per quod eſt Filius eius, quod non eſt aliud, niſi quia de ipſo exiſtit naſcendo. Videtur itaque, quod Spiritus Sanctus non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſſe, quod eſt: quamvis alius ſuo modo, quam Filius. Inveſtigemus tamen hoc diligentiùs, vtique aut poſtquàm fuit Spiritus Sanctus hoc, quod eſt, contingit illi alium eſſe à Patre, aut in exiſtendo habet, vndè alius eſt. Contingit enim aliquem eſſe, quod eſt priuſquàm ſit alius: & contingit, aliquem alium in exiſtendo fieri: prius autem quàm*

antecedenti proceſsionem Spiritus Sancti à Filio.

2 Sed hanc evaſionem facilè præcludit, ac rejicit Anſelmus n. 2. veluti in præcipuo articulo Fidei Catholicæ turpiter errantem; ac ea in opinatione ſingularis eſt prædictas Epiſcopus; cum cæteti omnes Græci Patres conſtantèr credant, Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, & à Patre procedere. Etenim, qui negat, Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, oportèt negare, aut Patrem eſſe Deum, aut Spiritum Sanctum eſſe Deum; & conſequentèr divinæ Trinitatis myſterium. Aſſumptum probat. Spiritus Sanctus eſt de Patre, vt Græci ipſi fatentur; ſi ergò Spiritus Sanctus non eſt de Deo, ſequitur, Patrem non eſſe Deum. Si propterea dictus Epiſcopus paritèr neget, Spiritum Sanctum eſſe de Patre, ſequitur neceſsariò, Spiritum Sanctum non eſſe Deum. Et probatur. Nam Spiritus Sanctus non poteſt non poteſt eſſe Deus, niſi ſit vnus Deus cum Patre, quoniam plures Dij eſſe non poſſunt; ſed implicat, Spiritum Sanctum eſſe vnum Deum cum Patre, ſi à Patre non procedit, quia non poteſt habere eandem divinitatem cum Patre, niſi eam habeat communicatam à Patre. Et ita regreditur argumentum ſuperiori capite propoſitum. Ergò vel Pater non

non eſt Deus ; vel ſpiritus ; vel Spiritus Sanctus non eſt Deus contra Fidei Catholicæ dogma , vel Spiritus Sanctus eſt Deus de Deo.

3 Confirmat eandem rationem n. 3. Si Spiritus Sanctus á Patre non procederet, non eſſet vndè diſtingueretur realitèr á Patre ; non enim diſtingui poteſt ratione diuinitatis , cum Spiritus Sanctus ſit vnus Deus cum Patre ; ergo ſolùm ex vi proceſsionis à Patre , cùm aliud caput diſtinctionis non remaneat. Si reſpondeat Patrem diſtingui à Spiritu Sancto, non ex eo, quod hic procedit ab illo , ſed ex eo , quod Pater habet Filium, quem non habet Spiritus Sanctus. Contrà inſurgit Anſelmus. Nã licèt habens Filium ſit alius à non habente filium , attamen hoc non eſt cauſa diſtinctionis , ſed effectus , vt patet in hominibus , qui primò diſtinguntur per proprium eſſe individuale , quæ diſtnctio ſemper manet , ſivé poſteà habeant , ſivé non habeant filium: quarè non ſunt diverſi , quia vnus habet , & alius non habet filium , ſed potius vnus habet , aut habere poteſt filium, quem alius non habet, quia ſunt diverſi ; eaque propter habere, vel non habere filium diſtinctionem non ponit , ſed ſupponit.

Huius doctrinæ oportunum adducit exemplum in diſtinctione Patris à Filio. Non enim diſtinguitur Pater à Filio , ex eo quod Pater habet filium , & filius alium filium non habet , nàm ſive filius habeat , ſive nõ habeat alium filiũ, ſemper ſupponitur diſtinctus à Patre per relationem filiationis in generatione fundatam.

4 Vberius coroborat eandem rationem n. 4. ex eorundem Græcorum doctrina. Etenim Græci negantes Spiritũ Sanctum procedere à Filio , non ideò aſſerunt Filium diſtingui à Patre , quia Pater habet Spiritum Sanctum de ſe procedentem , & Filius non habet Spiritum Sanctum de ſe procedentem ; immó ex hoc titulo probant Filium non diſtingui á Patre , quia [vt aſſerunt] ſi Spiritus Sanctus procederet à Filio, Filius eſſet illius Pater , & conſequentèr non diſtingueretur à Patre ; ergo ex eorum doctrina Filius nõ diſtinguitur à Patre eo quod Pater habet Spiritum Sanctum de ſe procedentem , & Filius non habet Spiritum Sãctum de ſe procedentem ; ergo nec diſtinguere poſſunt Patrem à Spiritu Sancto , eo quod Pater habet Spiritum Sanctum de ſe procedentem , & Spiritus Sanctus nõ habet alium ſpiritum de ſe procedentem ; ergo ſolũ ſupereſt vt Spiritus Sanctus diſtingui poſsit à Patre, eo quod à Patre procedit ; ergo negare non poſſunt Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo.

5 Iterùm eandem confirmat doctrinam n. 5. Non ideò Filius eſt alius à Patre, quia Filius habet Patrem , Pater autem non habet

eſſe alium , quàm ſit hoc , quod eſt , non eſt poſsibile. Namque primus homo, prius quam de illo eſſet homo aliquis , erat ipſe homo, ſed non erat alius : cùm verò primùm extitit de illo aliquis , & ille , de quo extitit, poſtquam fuit , factus eſt alius , & qui de illo extitit , ſimul habuit eſſe , & alium eſſe. Aut ergo Spiritus Sanctus, ſicut dixi , poſtquam fuit , factus eſt à Patre alius ; aut habet in exiſtendo , propter quod alius dicitur. Sed ſi poſtquam fuit, contigit illi alium eſſe à Patre ; cum non ſit alia perſona , niſi quoniam alius eſt ab illo , non fuerunt illæ ſemper tres perſonæ , quia iſta non ſemper fuit , ſi non ſemper fuit Spiritus Sanctus alius à Patre. Quoniam itaque falſa ſunt hæc, patet quoniam in exiſtendo , habet vndè alius eſt.

8 *Eſſe autem nequit , niſi aut ex aliquo ſicut Filius ; aut ex nullo ſicut Pater. Quod ſi ex nullo , quemadmodum Pater , exiſtit ; aut ità exiſtit vnuſquiſque per ſe , vt neuter ab altero quidquam habeat; ſunt duo Dij Pater , & Spiritus Sanctus; aut quoniam vnus Deus ſunt , ſi vterque de nullo eſt , penitùs nihil inveniri valet in Fide Chriſtiana vndè ſint abinvicem alij; ſed vnus , idemque eſt Pater , & Spiritus Sanctus , & vna perſona , quæ vera Fides abhorret. Non eſt ergò verum Spiritum Sanctum à nullo eſſe. Si autem eſt ab aliquo, non eſt niſi ex Deo , qui eſt Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus ; ſed à ſe ipſo nequit eſſe ; quoniam nulla perſona à ſe ipſa poteſt exiſtere. Quarè ſi quis eum negat eſſe à Filio , negare nequit illum à Patre eſſe.*

9 *Si quis autem dicit , quia licèt non habeat eſſe de Patre , tamen per proceſsionem alius poteſt intelligi. Ad hoc quoque reſpondendum arbitror , nè poſſit aliquid in hac quæſtione noſtræ obijci aſſertioni , cui noſtra reſponſio non obviet. Nec miretur aliquis , me tantùm in hoc immorari , quoniam non parvæ authoritatis erat ille inter ſuos , quem ſenſi non ſentire Spiritum Sanctum hoc , quod eſt, habere ex Patre : nec tunc habui oportunitatem reſpondendi.*

habet Patrem, nam etſi Pater alium patrem haberet adhùc diſtingueretur à Filio; ergo pari titulo non ideò Spiritus Sanctus diſtinguitur à Patre, quia ipſe ab alio procedit, Pater autem ab alio non procedit, quoniam etſi Pater ab alio procederet adhùc diſtingueretur á Spiritu Sancto; ergo de primo ad vltimum non ideò Spiritus Sanctus eſt alius à Patre, quia Pater habet Filium, ac Spiritum Sanctum de ſe procedentem; & Spiritus Sanctus, nec filium nec alium Spiritum Sanctum de ſe procedentem habet.

6 Si autem reſpondeant Spiritum Sanctum eſſe alium à Patre, quia eſt ſpiritus Patris, quanquàm ab illo non procedat. Contrà Anſelmus. Licèt Spiritus Sanctus ſit ſpiritus Patris, & alius à Patre, nihilominus noſtro modo concipiendi prius eſt, quod ſit alius, quàm quod ſit illius, ergo eſſe ſpiritum Patris non eſt cauſa, vel ratio diſtinctionis, ſed ad diſtictionem ſubſequitur. Probat antecedens ex paritate hominis; licèt ſervus alicuius hominis ſit homo hominis, ſive ſervus Domini, attamen priùs eſt, quod ſervus ſit diſtinctus à Domino, quàm quod ſit Domini; ſicut etiam in Domino prius eſt, quod ſit alius à ſervo, quàm quod ſit Dominus ſervi; ergo paritér prius eſt, quod Spiritus Sanctus ſit alius à Patre, quàm quod ſit ſpiritus Patris, quaré quod ſit ſpiritus Patris non facit alium à Patre, ſed ſupponit; ergo nulla ſupereſt ratio, vi cuius ſit alius à Patre, niſi per hoc, quod habet eſſe à Patre procedendo; ſicut Filius non eſt alius à Patre, niſi per hoc, quod habet eſſe ab illo naſcendo.

Ex his facilé enodantur impugnationes num. 1. propoſitæ, eiſque luculenter occurrit Doct. Ang. loco citato ex Diſput. q. 10. a. 4. ibi. *Ad 13. dicendum, quod doctrina Catholicæ Fidei ſufficienter tradita fuit in Symbolo Niceno; vnde Sancti Patres in ſequentibus Synodis non intenderunt aliquid addere, ſed propter inſurgentes hæreſes id, quod implicitè continebatur explicare ſtuduerunt.* Hac ratione poſteà in Concilio Conſtantinopolitano (quod ipſis Græcis ſummæ venerationis eſt) ex centum quinquaginta Patribus congregato additum eſt *de Patre.* ibi. *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem.* Hoc autem Symbolum à Patribus Conſtantin. editum non improbat Concilium Chalcedonenſe citatum, ſed potius probavit, & confirmavit, ac cum Symbolo Niceno tenendum decrevit act. 5.

Quarè proſequitur D. Thomas. *Vndè in determinatione Chalcedonenſis Synodi dicitur: Præſens nunc magna, & ſancta, atque vniverſalis Synodus prædicationem hanc ab initio inconcuſſam docens, definivit principalitèr* 318. *Sanctorum Patrum, qui ſcilicet in Nicæa convenerunt, Fidem manere incorruptibilem; & propter illos quidem, qui adverſus Spiritum Sanctum pugnant, poſteriori tempore à Patribus apud Conſtantim* 150. *congregatis de ſubſtantia ſpiritus traditam doctrinam corroborat, quàm illi omnibus notam fecerunt, non quaſi quidem aliquid eſſet minus, in præcedentibus inferentes, ſed de Spiritu Sancto intellectum eorum adverſus eos, qui dominium eius reſpuere tentaverunt ſcripturarum teſtimonijs declarantes.*

Si autem quis opponat ex his tantúm concludi Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo Patre, non tamen de Filio, quia hoc ſecundum non ponitur in Concilio Conſtant. licèt ponatur primum. Reſpondet idem Doctor Ang. *Et per hunc modum dicendum eſt, quod proceſsio Spiritus Sancti à Filio implicitè in Symbolo Conſtantin. continetur, in quantum continetur ibi, quod procedit à Patre, quia quod de Patre intelligitur, oportet & de Filio intelligi, cum in nullo differant, niſi in hoc, quod hic eſt Filius, & ille Pater; ſed propter inſurgentes errores eorum, qui Spiritum à Filio eſſe negabant, conveniens fuit vt in Symbolo poneretur; non quaſi aliquid additum, ſed explicitè interpretatum, quod implicitè continebatur.*

Rem exponit idem Ang. Doct. hoc exemplo. Dubitari non poteſt nedùm Patrem, ſed & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe factorem Cœli, & terræ, viſibilium, & inviſibilium, cum tamen vtroque Symbolo, Niceno, & Conſtant. id tantùm affirmetur de Patre; ſi ergo inſurgeret hæreſis id negans de Filio, & Spiritu Sancto, oporteret exprimere, ad quod opus non erat congregatio Concilij, ſed authoritate Romani Pontificis fieri poterat.

Et né Latinos Patres, ac Doctores excipiant, audiamus Græcorum facilè Principes. S. Gregor. Naziarz. epiſt. ad Cledonium, ait: *à Patribus illis* (nimirùm Synodi Niceni) *minus plenè de Spiritu Sancto dictum eſt, quoniam nondum coacta,*

ac excitata hæc quæstio fuerat. Basilius in professione Eustacij Sebastiensis inquit: *Sententia de Spiritu Sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea, quod nondùm mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus, & nullis obiectus insidijs inesse de Spiritu Sancto intellectus.* Ex quibus constat prædictam Anselmi doctrinam de Spiritu Sancto indubitatam fuisse, tàm in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia, ac posteà quasi insensibilitèr expressam propter quęstiones noviter insurgentes, vt in alijs pluribus contingit. Et hac ratione in simili argumento dixit Anselmus, vel Author opusculi de Sacram. Altaris cap. 13. *Quia ab initio Sanctæ Ecclesiæ vsque ad nostra tempora hæc ab omnibus quæstio intacta relicta est, Sancti Patres, quod non impugnabatur, non defendebant, nisi quod aliquandò in tractatibus suis hoc vnum proferebant, quod res postulabat, & habebatur in manibus.*

7 Sed regrediendo ad litteram Anselmi, adhuc vberius probat n. 7. Spiritum Sanctum non distingui, nec esse alium à Patre, nisi quatenùs ab ipso procedit. Aut Spiritui Sancto contingit esse alium respectu Patris postquam habuit esse; aut in primo sui esse: potest enim aliquis esse quod est ante quam sit alius ab alio; vel potest esse alius in primo sui esse; quoniam *esse quod est* dicitur absolutè à proprio intrinseco constitutivo: attamen *esse alium* dicitur respectivè, qui respectus potest advenire contingenter post suum esse. Ponit exemplum in primo Parente, qui erat homo ante quam esset alius homo; factus est autem alius postquam positus est alius homo; non ergo repugnat aliquem esse alium ab alio post suum esse, quamquam repugnet esse alium ante suum esse, sive ante quam sit id ipsum quod est.

8 Ex dictis facilè colligitur n. 8. Spiritum Sanctum habere esse de alio, sicut Filius, & ita esse Deum de Deo, sicut Filius; nam Spritum Sanctum habere esse de nullo, sicut Pater ex superioribus improbatum est, & amplius improbat, quia si Spiritus Sanctus haberet esse de nullo, sicut Pater, non haberet naturam divinam communicatam à Patre; & consequentèr Pater, & Spiritus Sanctus non communicarent in eadem divina natura; ex quo apertè sequitur, vel esse plures Deos, vel non distingui personalitèr, quoniam seclusa processione vnius ab alio non apparet, vnde distinguantur personalitèr salva vnitate essentiæ; consequens ergo est vt Spiritus Sanctus sit alius per processionem ab alio; sed si ab alio, profectò est à Deo, qui est Pater, & Filius, quoniam à se ipso esse non potest; ergo necessariò procedit à Patre, & Filio.

9 Denique n. 9. aliud proponit Adversariorum effugium. Dici namque potest Spiritum Sanctum esse alium à Patre per processionem, sive missionem ad extra, quanquàm non habeat à se de Patre, quæ est vltima illius Episcopi evasio, quam solvendam relinquit capite sequenti, vt pleniùs & commodiùs præfatum expugnet errorem, erat enim Episcopus ille primæ notæ inter Græcos, ideòque necessarium iudicat vndequaque, sive ex omni parte refellere.

Comment. in cap. 6.

CAPVT VI.

Spiritum Sanctum, nisi à Patre habeat, non posse intelligi alium esse ab eo, per missionem, seu processionem.

1 Vltima dubitandi ratio, sive altera solutio allegata in fine capitis præcedentis, qua vtcumque occurri posset rationibus præiactis, sita erat in eo, quod Spiritus Sanctus est alius à Patre per processionem, aut missionem, licèt de Patre suum esse non habeat. Quam solutionem sic Author noster impugnat. Dùm dicunt spiritum esse alium á Patre per *processionem*; vel nomine processionis intelligunt esse de Patre; vel duntaxat mitti, sive dari à Patre? Si primum. Planè evincitur intentum. Si secundum. Apertè sequitur Spiritum Sanctum non solúm procedere à Patre, sed à Filio, quia ab vtroque mittitur, vel datur. Pręterquamquod si Spi-

1 *QVI ergo Spiritum Sanctum dicere vult ex sola processione alium esse à Patre, licèt non sit ex illo, intelligit, aut id ipsum esse procedere de Patre solummodò, quod est mitti, vel dari à Patre; vt cum mittit, vel dat eum Pater, tunc tantũ procedit à Patre; aut hoc esse procedere, quod est de Patre esse. Sed si idem est procedere, quod est dari, vel mitti, procedit pariter à Filio, sicut à Patre, Spiri-*

Spiritus Sãctus eſt alius à Patre, quia á Patre datur, vel mittitur; ergo ſolum eſt alius á Patre, cum à Patre datur, vel mittitur; ſed datur, vel mittitur in tempore, non ab æterno; ergo ſolùm erit alius à Patre in tempore, non ab æterno. Minor probatur, quia non datur, vel mittitur, niſi creaturis; at creaturæ non ſunt ab æterno, ſed in tempore; ergo ſolùm datur, vel mittitur in tempore; non ab æterno; ergo ſolúm, eſt alius, ſive diſtinctus à Patre in tempore, quod quã falſum ſit nemo non dubitat.

2 Si procedere à Patre, eſſeque alium à Patre competit ei cum mittitur, vel datur creaturæ, conveniet ei accidentaliter, & contingenter, quod ſine ſui intrinſeca mutatione fieri non poteſt; ſed hoc dici non poteſt, cum eius æternæ immutabilitati repugnet. Nam licet in tempore detur creaturæ, hoc tamen non probat aliquam mutationem intrinſecam in Spiritu Sancto, ſed in creatura, cui datur; vt patet in cęco, qui lucem non ſentit; dùm tamen illuminatur, nulla fit mutatio in luce, ſed in cæco; ergo dùm Spiritus Sanctus datur in tempore, fit quidém mutatio in creatura, non tamen in Spiritu Sancto; ſed fieret neceſſariò mutatio in Spiritu Sancto, ſi ſolùm procederet à Patre, eſſetque alius á Patre, dum mittitur, vel datur; quoniam eſſe alium à Patre, & ab illo procedere, eſt aliquid de novo receptum in Spiritu Sancto; conſequens ergo eſt vt vera proceſsio Spiritus Sancti à Patre ſita non ſit in hac miſsione; ergo ſolùm procedit á Patre, & diſtinguitur ab illo, dùm ab æterno accipit ſuum eſſe de Patre; ſicut Filius non aliter eſt alius à Patre, niſi cum ab æterno via generationis accipit eſſe de Patre; ergo pariter Spiritus Sanctus non aliter eſt Deus de Deo, nec alius à Patre, niſi cum ab æterno via proceſsionis accipit ſuum eſſe à Patre.

3 Si reſpondeant duas eſſe proceſsiones: vnam æternam, cum accipit eſſe de Patre: aliam temporalem, cum mittitur creaturis ad eas ſanctificandas. Reſpondet Anſelmus hoc veriſimum eſſe, ſi recto modo intelligatur. Nam re ipſa Spiritus Sanctus ab æterno procedit à Patre, habet eſſe de Patre, & eſt alius à Patre; quod ſi vltrò concedant Adverſarij, profectò habetur, quod Author probandum aſſumpſerat. Secunda autem proceſsio, aut potius miſsio non incongruè ſignificatur per illa verba Ioan. 3. V. 8. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat.*

In propoſito autem. Quocumque modo proceſsio Spir. Sancti exponatur, ſive de prima, ſivè de ſecunda, ſemper ſequitur procedere nõ ſolùm à Patre, ſed etiã à Filio. Nam ſi de prima, & æterna proceſsione exponatur, ſatis conſtat ex ſuperioribus prorſus repugnare Spiritum Sanctum eſſe de Deo, qui eſt Pater, & non eſſe de eodem Deo, qui eſt Filius propter dicta, quę repetere nõ oportet; quę omnia probat, & cõfirmat D. Th. a. 4. ci-

Spiritus Sanctus, quoniam ab illo ſimilitèr mittitur, & datur. Item. Si non eſt aliud Spiritui Sancto procedere, quàm mitti, vel dari; non eſt alius à Patre, nec procedit à Patre, niſi cum datur, vel mittitur, quod nemo, puto, intelligit. Semper enim eſt alius à Patre Spiritus Sanctus etiam ante creaturam; non autem datur, vel mittitur, niſi creaturæ.

2 *Nec tamen dicendum eſt, quod accidat ei dari, vel mitti, nam cum ipſe ſit vbique, & immutabilis accipienti quidèm accidit aliquid, quia circa illum fit, quod prius non erat; & abeſſe poteſt: circa Spiritum Sanctum verò nihil fit, quod prius non erat. Cum enim cæcus in luce non ſentit lucem, non magis, nec minus habet aliquid lux; & ſi depulſa cæcitate ſentiat cæcus lucem, circa illum fit motus, non circa lucem. Patet itaque non eſſe Spiritum Sanctum alium à Patre per ſic intellectam proceſsionem, vt non ſit aliud illi procedere, quàm dari, vel mitti. Eſt ergo patens eum per proceſsionem habere eſſe à Patre, & per hoc alium eſſe à Patre: ſicut Filius non per hoc eſt à Patre alius, quia per hoc, quia de illo exiſtit. Eſt igitur Deus de Deo, & procedit de Deo, quia & ipſe eſt Deus, & Pater Deus, de quo eſt, & procedit.*

3 *At ſi dicimus duas Spiritus Sancti poſſe nominari proceſsiones: vnam, quando exiſtit de Patre: alteram, quando datur, vel mittitur; non puto hoc eſſe negandum, ſi vnaquæque in ſuo ſenſu accipitur. De illa quippè proceſsione, qua datur, vel mittitur, non incongruè Dominum ſic dixiſſe intelligimus:* Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis, vndè veniat, aut quo vadat. *Sic enim hoc potuiſſe dici videtur, neſcis vnde procedat, aut quò recedat. Cum enim datur, quaſi de occulto venit, & procedit; cum verò ſubtrahitur, velut ad occultum vadit, & recedit. De hac proceſsione poteſt dici, quia idem illi eſt procedere, quod mitti.*

tato ex diſput. ibi. *Oportet autem, quod creatura, quæ eſt à Patre ſecundùm ſuam voluntatem ſit etiam à Filio, quia eadem eſt voluntas Patris, & Filij. Similitèr autem & eadem eſt natura vtriuſque; oportet ergo, quod ſicut Spiritus Sanctus eſt à Patre, ità ſit à Filio.* Si autem de ſecunda, & temporali proceſsione loquantur. Palàm eſt, quod in tempore Spiritus Sanctus mittitur non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio. Si tandem de vtraque. Paritèr vtroque modo procedit à Filio; ergo quocumque modo exponatur proceſsio, ſemper evincitur Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio.

Comment. in cap. 7.

CAPVT VII.

Spiritus Sancti proceſsio de Patre importat eius proceſsionem de Filio.

1 Doctrinam capitis antecedentis in præſenti vberiùs confirmat n. 1. & 2. retorquendo argumẽtum Adverſariorum in ſuperioribus allegatum. Quocumque modo exponatur proceſsio Spiritus Sãcti, conſtat apertè eſſe Deum de Deo, quia à Deo mittitur, ſive miſsione æterna ad intrà, vt Fides Catholica docet, ſive temporali ad extrà, vt ex dicta ſolutione colligitur; ſed hoc in Symbolo Niceno non exprimitur; ergo licet in eo ſymbolo nõ habeatur expreſsè Spiritum S. à Filio procedere, non ideó negandum eſt.

2 Reſpondent in Symbolo ſatis explicari Spiritum S. eſſe Deũ de Deo, quatenus dicitur de Spiritu S. *qui à Patre procedit*; cum ergo conſtet Patrem eſſe Deum, ſatis conſtat ex eo Symbolo eſſe Deum de Deo. Sed hoc effugium facilè præcluditur. Nam argumentum Græcorum contrà Latinos non procedebat de Symbolo Conſtantinopolitano, vbi de Spiritu Sãcto dicitur, *qui à Patre procedit*, ſed de Niceno, in quo nulla proceſsio exprimitur; argumentum autem Græcorum ex hoc Symbolo deſumptum retorquet Anſelmus in præſenti modo dicto. Sed tacitè permiſſa ab Anſelmo digreſsione vnius Symboli ad aliud, ex ipſa ſolutione deſumit efficacius argumentum contra ipſos. Si optimè deducunt Spiritum eſſe Deum de Deo, quamquam in Symbolo ſolũ dicatur: *qui à Patre procedit*, eo quod Pater, àquo procedit eſt Deus; ergo pari titulo deducã debet procedere à Filio, quia Deus ille, à quo procedit, eſt etiã Filius.

3 Vrget efficacius argumentum hoc dilemate. Dum dicitur Spiritum S. eſſe Deum de Deo, quia eſt à Patre Deo, aut ſignificatur eſſe de Deo, quia eſt à Patre; aut eſſe à Patre, quia eſt à Deo, vel aliter. Aut ſignificatur eſſe á Deo Patre, vt Pater eſt; aut à Deo Pater, vt Deus eſt? Nam licet re ipſa, ſi eſt à Patre, ſit à Deo; & ſi eſt à Deo ſit á Patre, quia inter Patrem, & Deum nulla eſt opoſitio relativa, quæ dictam illationem impediat: attamen aliud eſt eſſe à Patre Deo, quia Pater, & aliud eſſe á Patre Deo, quia Deus. Si ſecundã partem eligant, ideſt, ſi Spiritus Sanctus eſt à Deo Patre, quia Deus eſt; ergo etiam eſt à Filio, quia Filius eſt

1 *SIVE igitur non procedat, niſi exiſtendo de Patre, ſive non, niſi cum datur, vel mittitur, & procedit ad ſanctificandam creaturam, ſive vtroque modo procedat, ſequitur vt procedat de Filio. Si enim eſt de Patre, Deus eſt de Deo, vndè probatur, vt dictum eſt, eſſe quoque de Filio, & procedere. Ab illo namque procedit, de quo eſt; & de illo exiſtit, à quo procedit. Si verò tunc tantùm procedit, cum mittitur, vel datur, procedit de Filio, à quo datur, & mittitur. Quod ſi vtroque modo procedit, paritèr vtroque modo procedere cognoſcitur à Filio.*

2 *Ecce videmus Spiritum Sanctum eſſe Deum de Deo, & procedere de Deo, quod non eſt poſitum in præfato Symbolo. Si ergo ideò negant eum eſſe, & procedere de Filio, quia ibi tacetur, negent eſſe ſimiliter Deum de Deo, & procedere, quod ibidem non dicitur. Aut ſi hoc diffiteri nequeunt, non timeant confiteri nobiſcum Spiritum Sanctum eſſe, & procedere de Filio, quoniam hæc in eodem Symbolo non inveniunt.*

3 *At dicent. Satis ibi ſignificatur, quia eſt, & procedit de Deo, cum dicitur, quia à Patre procedit, quoniam Pater eſt Deus. Et nos ſimiliter dicimus, quia apertè monſtratur procedere de Filio, cum dicitur procedere de Deo, quia Filius eſt Deus.*

4 *Iterrogo enim. Vtrùm ideò intelligendus ſit Spiritus Sanctus eſſe de Patre, quia de Deo eſt; aut idcircò eſſe de Deo, quia eſt de Patre? Licèt enim invicem alterum altero probetur [ſi enim eſt de Patre, eſt de Deo; & ſic eſt de Deo, eſt de Patre, quoniam nulla ſupra dicta obviat relatio] non tamen ſimiliter invicem ſunt, alter alterius cauſa. Nam ſi eſſe Spiritum Sanctum de Patre eſt cauſa, vt ſit de Deo; cum dicitur eſſe de Deo Patre, non eſt intelligendum, quod ſit de hoc, quod Pater eſt Deus, ideſt,* de

idem

idem Deus cum Patre ; ergo quemadmodum ex Symbolo dicente de Spiritu Sãcto : *qui à Patre procedit*, inferunt Græci eſſe Deum de Deo, pari titulo inferre debent eſſe de Deo Filio. Si autem eligant primam dilematis partem, ideſt, ſi aſſerant Spiritum S. eſſe à Deo Patre, quia Pater eſt, & quatenùs reduplicat relationem paternitatis, ſequitur Spiritum Sanctum habere eſſentiam divinam à relatione paternitatis, quod ſtultiſsimum eſt, nec Græci affirmare audent.

4 Probat hanc doctrinam Ang. Doct. lib. 1. ad Annib. diſt. 11. q.vn. a. 2. arg. *ſed contra*, ibi. *Si Spiritus Sanctus procedit ab eis vt ſunt plures ; ergo procedit à Patre vt Pater eſt, & à Filio vt Filius eſt ; ergo Pater paternitate, Filius filiatione refertur ad Spiritum Sanctum, quod falſum eſt.* Et art. ſequenti inquit : *Proprietas autem relativa eſſe non poteſt principium concreandi divinam naturam, vt dicit Anſelmus.* Ex his tamen inferre non licet ſolam eſſentiam eſſe principium ſpirandi, ſed eſſentiam modificatam relatione : vndé ibidem a. 3. inquit idem D. Thom. *Ad tertium de Anſelmo dicendum, quod non intendit dicere, quod relatione Pater, & Filius non ſpirent Spiritum S. ſed quod non ſolùm, ſed eſſentia ſub ratione relationis.*

5 Denique n. 5. permiſſo gratis Spiritũ Sanctum habere ſuum eſſe à relatione Patris adhuc efficacitèr colligit habere ſuum eſſe etiam de Filio, quia relatio paternitatis eſſe non poteſt ſine relatione filiationis; & è conversó, quia ſunt ſimul natura, & cognitione; ergo nihil eſſe poteſt à relatione Patris ſecluſa relatione Filij ; ergo nihil eſſe non poteſt à relatione Patris, quod non ſit à relatione Filij ; ergo ſi hoc modo dicunt eſſe Spiritum Sanctum de Patre, negare non poſſunt eſſe etiam de Filio ; ſed cum nemo ita deſipiat, vt hoc ſenſu opinetur Spiritum Sanctum eſſe de Patre, oportet regredi ad aliam dilematis partem, nimirùm Spiritum Sanctum eſſe de Patre, vt Deus de Deo ; cum ergo Filius ſit idem Deus cum Patre, conſequens eſt, vt quo pacto Spiritus Sanctus eſt de Patre ſit etiam de Filio.

Comment. cap. 8.

1. Cum diggreſsione facta efficaciter, & erudite improbaverit Sanctiſsimus Doctor errorẽ illius Epiſcopi ſingularitèr negantis Spiritum Sãctum eſſe de Patre, ac eſſe Deum de Deo contra eiuſdem erroris fautores in Concilio Barenſi congregatos id pallam affirmantes, & credentes, incipit oſtendere varijs Scripturæ locis Spiritum Sanctum à Filio procedere, quod eſt

CAPVT VIII.

Spiritus Sanctus procedit de Patre, & Filio, quia procedit de ſolo vero Deo, qui eſt Pater, & Filius.

1 CONSIDEREMVS etiã, *quod Dominus dicit in Evangelio. Ait enim* ? Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum. *Aut ergo ita intelligendus eſt ille ſolus verus Deus, vt cum nominamus ſolum Patrem, non ſignificetur ille ſolus verus Deus ; neque quando nominamus ſolum Filium : ſed tunc ſolummodò intelligatur iſte ſolus verus Deus, quandò ſimul dicimus Pa-*

præcipuus huius diſputationis ſcopus. Et primo ex illo Ioann. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* Sed ad diſcurſum Anſelmi clariùs penetrandum nota, ex eo præſertim Græcos negare proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, quia ex Scriptura expreſſe non conſtat. Secundo, quia licet ex Symbolo Conſtantin. conſtet eſſe de Patre, non tamen de Filio.

E contra Anſelmus inquit: quamquam prædicta verba expreſſè dirigantur ad Patrem, attamen per *ſolum verum Deum* non intelligitur ſolus Pater ſecluſo Filio, aliàs Filius non eſſet verus Deus, ſicut Pater; dicitur ergo ſolus; & verus Deus relatè ad falſos Deos, nó tamẽ excluditur Filius; vt apertè conſtat ex prioribus verbis: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*: etenim vita æterna, ſive beatitudo noſtra non minus ſita eſt in cognitione Filij, quàm in cognitione Patris; ergo dum Chriſtus Patrem appellat ſolum verum Deum, Filium non excludit. Ratio conſtat ex dictis, quia quæcumque dicuntur de Patre, dicuntur etiam de Filio; & è converſo excepta relatione, per quam refferuntur ad invicem.

His poſitis diſcurſus Anſelmi ſic formari poteſt. Chriſtus prædictis verbis dicit ſe eſſe miſſum á Patre ſolo vero Deo, & tamen ab ea miſsione activa, ſive à vero Deo mittente non excluditur Filius, quamquam expreſsè loquatur de ſolo Patre: ergo cum Spiritus Sanctus dicitur Deus de Deo, ſivé procedens à Patre, non ideò excludendus eſt Filius, licet expreſsè de ſolo Patre mentio fiat. Patet conſequentia. Ideò in Patre ſolo vero Deo mittente includitur Filius, quia quęcunque dicuntur de Patre dicenda ſunt de Filio, niſi obviet relationis oppoſitio; ſed ſicut non obviat relationis oppoſitio inter Patrem, & Filium ad mittendum Chriſtum, ita nec ad ſpirandum Spiritum Sanctum; ergo ſub nomine *Patrem, & Filium. Aut ſolus verus Deus intelligitur, cum nominamus ſolum Patrem, aut ſolum Filium; at ſi ſolo Patre nominato, aut ſolo Filo, non intelligitur ſolus verus Deus ſine adictione nominis alterius, non eſt Pater perfectus Deus, neque Filius perfectus Deus, ſed eſt Deus compoſitus ex Patre, & Filio. Sed credimus Patrem eſſe perfectum, & ſolum verum Deum; & Filium ſimiliter perfectum, & ſolum verum Deum. Cum ergo nominamus Patrem ſolum, aut Filium, non aliud intelligimus excepta relatione, qua referuntur ad invicem, quam ſolum verum Deum, & eundem quem in vtriuſque prolatione cognoſcimus.*

2. *Itaque cum dixit Dominus*: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Si addiſſet dicens: & de hoc ſolo vero Deo procedit Spiritus Sanctus, quis auderet ſeparare Filium ab illa proceſsione, cum ille ſolus verus Deus non magis, aut minus ſit Pater, quàm Filius? Quapropter ſi idem ſolus verus Deus intelligitur, cum ſolus Pater dicitur, aut Filius, & cum ambo ſimul nominantur, quid apertius, quàm quia de ſolo vero Deo, qui eſt Pater, & Filius, procedit Spiritus Sanctus, cum dicitur à Patre procedere? Quarè ſicut intelligeretur de Filio procedere, ſi idem Filius dixiſſet de ſolo vero Deo illum procedere, quando dixit, ſe & Patrem ſolum verum Deum eſſe; ita cum dicit, eum de Patre procedere, abſque dubio eum de ſe ſignificat procedere.*

Dei, & Patris, à quo procedit Spiritus Sanctus intelligendus eſt Filius.

2. Confirmat hunc diſcurſum Anſelmus. Si Chriſtus verbis relatis addidiſſet: *Ab hoc ſolo Deo vero procedit Spiritus Sanctus*, nemo auderet negare Spiritum Sanctum procedere à Filio, quantuncunque ea verba expreſsè dirigantur ad ſolũ Patrem; ſed licèt ea verba ſuperaddita non ſint, certiſsimum tamen eſt Spiritum Sanctum procedere à ſolo vero Deo; ergo certiſsimum eſſe debet procedere etiam à Filio. Ratio eſt, quia ille verus Deus, à quo procedit, eſt Deus, qui eſt Pater, & Filius; cum Pater, & Filius vnum ſint; ergo à Patre, & Filio procedit.

Totum diſcurſum probat, & confirmat D. Thomás citata q. 10. a. 4. ex Diſput. ad 12. *Dicendum, quod hoc regulariter in Sacra Scriptura invenitur, quod id, quod dicitur de Patre, oportet quod de Filio intelligatur, & quod dicitur de vtroque, vel altero eorum, oportet intelligi de Spiritu Sancto, etiam ſi dicto excluſiva ponatur, præter illa tantum, quibus perſonæ divinæ ab invicem diſtinguntur; ſicut quod dicitur Ioan. 16. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Non enim poteſt dici, quod Filio non conveniat eſſe Deum verum, quod ipſe Filius ſoli Patri attribuit, quia cum Pater, & Filius vnum ſint, licet non vnus, oportet, quod de Patre dicitur, de Filio quoque intelligi, &c.* Vide dicenda tract. 7. dub. 2. n. 2.

CAP.

Comment. in cap. 9.

1 Clarioribus adhuc teſtimonijs Sacræ Paginæ ſubtilitér expenſis eandem probat Sanctiſsimus Doctor proceſsionem Spiritus Sancti à Filio. Dicit enim Dominus Ioan. 14 v. 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et Ioan. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* En qualiter Spiritus Sanctus in prima authoritate dicitur miſſus à Patre, ibi: *Quem Pater mittit.* Et in ſecunda, miſſus à Filio, ibi: *Quem ego mittam:* ergo eſt miſſus à Patre, & Filio; vna & eademque eſt miſsio activa Patris, & Filij; ſed Spiritus Sanctus procedit ab eo, à quo mittitur; ergo procedit á Patre, & Filio.

Rurſus. In primo teſtimonio dicit Filius Spiritum Sanctum eſſe miſſum in nomine ſuo; ergo non à ſolo Patre, ſed à Patre, & Filio. Nec prodeſt ſi reſpondeant ea verba non ſignificare Spiritum Sanctum mitti á Patre, & Filio, ſed à Patre mitti Spiritum Sanctum ſub nomine Filij, ita vt Spiritus Sanctus, vt miſſus denominetur Filius. Non [inquam] prodeſt, ſed improbat Anſelmus hanc expoſitionem ex alijs verbis: *Quem ego mittam vobis à Patre*, quæ prædictam expoſitionem nullatenus permittunt. Secundo, quia in Sacris litteris nunquam legitur Spiritũ Sanctũ

CAP. IX.

Miſsio Spiritus in nomine Filij, & à Filio, confirmat proceſsionem eius de Filio.

1 DICIT etiam *Dominus*: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quẽ mittet Pater in nomiue meo. *Et rursùm*: Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. *Quid ergo intelligendum eſt cum dicit*: Quem mittet Pater in nomine meo. *An quia Spiritus Sanctus habebit nomen eius, vt cum mittet Pater Spiritum Sanctum, idem ſit quod mittere Filium? Sed quod ait*: Quem ego mittam vobis à Patre, *non recipit hunc ſenſum: quia eundem ipſum Spiritum Sanctum, quem mittit Pater, mittit & Filius; neque mittit Filius filium.*

2 *Denique. Nuſquam legimus, & omninò negamus Spiritum Sanctum eſſe Filium. Quid itaque eſt*: Quem mittet Pater in nomine meo; *niſi quem Pater mittet, Filius quoque mittet? Sicut cùm dicit*: Quem ego mittam à Patre, *non eſt aliud, quam ego mittam, & Pater. Filius namque eſt nomen illius, qui dicebat*: Mittet Pater in nomine meo. *Non eſt ergo aliud*: Mittet Pater in nomine meo; *niſi* mittet Pater in nomine *Filij. Quid igitur eſt*, mittet Pater in nomine *Filij*, *niſi* mittet Pater, *tanquam ſi mittat Filius, vt in miſsione Patris, miſsio intelligatur Filij? Quod verò ait*: quem ego mittam vobis à Patre, *quomodò intelligendum eſt? Vtique à quo mittit eum Filius, ab eo mittitur. Mittit autem eum à Patre; ergo à Patre mittitur. Sed ille mittit à quo mittitur: Pater itaque mittere intelligitur*; *cum Filius dicit*: Ego mittam à Patre. *Quid eſt ergo*: Ego mittam à Patre, *niſi, ego mittam tanquam ſi Pater mittat, vt vna & eadem ſit miſsio mea, & Patris? Cùm itaque Filius tanta diligentia oſtendat vnam eſſe miſsionem Patris, & ſuam, vt nec Pater mittat, niſi cum Filius mittit; nec Filius mittat, niſi cum Pater mittit. Quid vult ſignificare, aut quid vult intelligi, niſi quia non alitèr ſe habeat ad Patrem Spiritus Sanctus, & aliter ad Filium, nec magis eſt vnius, quàm alterius? Quamobrem nimis difficile, immò impoſsibile eſt oſtendere, quomodò non procedat ab vtroque. Vndè enim eſt Filio, cum Patre dare ſimul, vel mittere Spiritum Sanctum, & hunc eſſe vtriuſque, ſi ſimul non eſt de* denominari Filium, quapropter vtrumque teſtimonium: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et, *quem ego mittam à Patre*, nihil aliud ſignificat, quam *Ego & Pater.* Vt diverſimode oſtendit Anſelmus quaſi per apices omnia verba exponendo, vt clarè conſtat ex littera.

2 Ad eandem doctrinam confirmandam iterum eaſdem authoritates expendit n. 2. Etenim ſæpé ſæpius legimus in Sacris Litteris Filium dare, & mittere Spiritum Sanctum, nuſquam legimus Spiritum S. dare Filium: ſæpè etiam Spiritus Sãctus dicitur Spiritus Filij, non é converſò; ſed cur Scriptura ità ſolicitè docet, niſi vt oſtendat Spiritum S. eſſe de Filio, non è converſò? Cur toties repetit Patrem, & Filium mittere Spiritum S. vnam, eandemque eſſe miſsionem Spiritus S. à Patre, & Filio, niſi vt aperté ſignificet Spiritum S. eodem modo ſe habere ad Patrem, & Filium, eodemque modo ab vtroque procedere? Profectò ſi Spiritus Sanctus non procedit à Filio, nõ magis Filius mittit Spitum S. quàm Spiritus Sanctus Filium: non magis Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Filij, quàm Filius eſt Filius ſpiritus Sancti; hoc autem ſecundum nuſquam in ſacris litteris, primum ſæpiſsimé legimus; ergo quo pacto ex ſacris litteris habemus Filium non eſſe de Spiritu Sãcto, habemus Spiritum Sanc-

Sanctum eſſe de Filio.

Hæc ratio, quam ſæpè repetit Anſelmus noſter, vt apertè conuinceret Spiritum Sanctum procedere à Filio ex ipſis Græcis concedentibus eſſe ſpiritum Filij, ita manifeſta Ang. Doctori apparuit, vt doceat Græcos à Latinis verbis, non ſenſu differre. Nam citata q. 10 de Proceſsione Spiritus Sanctus a. 5. ait: *Dicendum quod ſi quis rectè conſideret dicta Græcorum, inveniet, quod à nobis magis differunt in verbis, quam ſenſu.* Et rationem reddit: *Concedunt Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Filij, & eſſe de Patre per Filium, quod non poſſet dici ſi proceſsio Spiritus Sancti omninò eſſet à Filio abſoluta; vnde datur intelligi quod etiam ipſi Græci proceſsionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt.* Quod repetit ibidem ad 14.

3 Si Græci opponant etiam conſtare ex ſacris litteris Filium mitti á Spiritu Sancto, vt patet ex illo Iſaiæ 48 v. 16. *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius*, vbi ex Propheta habetur Spiritum Sanctum mittere Filium; & tamen ex hoc non evincitur Filiũ eſſe de Spiritu Sancto; ergo nec é converſò. Si (inquam) ità opponant facile occurrit Anſelmus, & ait ibi ſermonem eſſe de miſsione temporali Filij ſecundum humanitatem, ſiue ſecundum quod eſt factus homo, quæ cum ſit opus ad *de vtroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum S. quàm Spiritus Sanctus Filiũ? Aut cur magis Spiritus Sanctus eſt Filij, quam Filius Spiritus Sancti, niſi quia Filius non eſt ita de Petre ſimul, & de Spiritu Sancto, ſicut Spiritus Sanctus eſt de Patre ſimul, & de Filio? Si ergo Spiritus Sanctus non eſt de Filio non detur à Filio, nec dicatur eſſe Filij: ſicut Filius non datur à Spiritu Sancto, nec dicitur eſſe Spiritus Sancti; quoniam non eſt de Spiritu Sancto.*

3 *Si autem dicunt, quia Spiritus Sanctus mittit etiam Filium ſicut idem ipſe dicit per Prophetam*: Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius: *Hoc ſecundùm hominem, quem gerebat, intelligendum eſt, qui Patris, & Spiritus Sancti vna voluntate, & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.*

4 *Quæro tamen ab his, qui negant Spiritum Sanctum eſſe, & procedere de Filio: quomodo intelligant eum ſic eſſe Spiritum Filij, vt Filius tanquam ſuum Spiritum mittat? An putant, quia Pater dedit Filio Spiritum Sanctum ſuum, tanquam à ſe non habenti? Aut enim habet à ſe, aut ab alio? Sed ab alio non poteſt habere, niſi à Patre. Accepit igitur à Patre, à quo habet; & dedit ei Pater Spiritum Sanctum, vt à ſe non habenti. Hinc oſtendant, cum æqualis ſint Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & vnuſquiſque ſibi ſufficiens, quæ fuit cauſa, vel quæ indigentia Filij, vt Pater daret ei Spiritum ſuum, magis quam Spiritui Sancto Filium ſuum? Non negamus hoc modo habere Filium Spiritum Sanctum à Patre: quia à quo habet eſſe, ab eo habet, vt de ſe Spiritum Sanctum exiſtentem habeat; ſicut Pater; quoniam idem eſſe eſt Patris, & Filij. Non eſt enim idem accipere à Patre eſſentiam, de qua procedit Spiritus Sanctus, & accipere à Patre Spiritum Sanctum. Cum enim dicitur habere à Patre eſſentiam, de qua Spiritus Sanctus procedit, nulla monſtratur indigentia Filij. Cum verò dicitur, quia Filius accepit à Patre Spiritum Sanctum, quem de ſe non habet ſicut Pater; videtur ſignificari Filius, quaſi minus aliquid habere, quam habeat Pater, & velut ad ſupplementum ei dare Spiritum Sanctum.*

5 *Sed non apparet, cur magis egeat Filius Spiritu Sancto, quàm Spiritus Sanctus Filio. Si enim reſpondetur, ad hoc datum eſſe Spiritum Sanctum Filio, vt cum ipſe cum Patre quoque eundem Spiritum Sanctum daret, par illi eum Patre gratia im-*

extrà, communis eſt Trinitati: an autem miſsio temporalis Spiritus Sancti ſit Trinitati communis in 2. part. huius operis Deo dante expendemus.

4 Idem repetit argumentum n. 4. impugnando ſolutiones, quibus occurrere poſſent præfacto argumento probanti ſpiritum eſſe de Filio: eoquòd eſt ſpiritus Filij; & Filius eum mittit. Si enim primò reſpondeant ſpiritum S. optimè dici ſpiritum Filij, quatenus Pater dedit ſpiritum ſanctum ſuum Filio, qua ratione ſpiritus ſanctus dici poteſt ſpiritus Filij, quamquàm à Filio non procedat. Contra eſt. Patrem dare ſpiritum ſanctum Filio duplicem ſenſum habere poteſt: Vel quod Pater det ſpiritum S. Filio tanquàm non habenti; vel quod Pater det ſpiritum ſanctum Filio, quatenùs ei communicat eſſentiam, & virtutem ſpirativam, de qua procedit ſpiritus ſanctus. Primus ſenſus eſt abſurdus. Evertit enim divinitatem Filij, ponitque indigentiam in illo. Rursùs. Quia nulla eſt potior ratio, cùr Pater dederit ſpiritum ſanctum Filio, quã Filium ſpiritui ſancto; nec cur potiùs Filius indigeat recipere Spiritũ Sanctum à Patre, quam Spiritũ Sanctũ recipere Filium, vt Filius dicatur Filius Spiritus Sancti; ſicut Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Filij: eo vel maximé, quia ſi eſſet ſpecialis ratio in Filio recipiendi Spiritum

tum Sanctum, quàm è conversó, deſtrueretur æqualitas divinarum perſonarum.

Si propter hæc reſpondeant Patrem dare Spiritum Sanctum Filio nihil aliud eſſe, quã communicare illi eſſẽtiam, ac virtutem ſpirativã. Reſpondet Anſelmus hoc veriſimum eſſe, ſed locutio eſt improprija, & Adverſarijs nihil prodeſt. Nam Filium habere eſſentiam, & virtutem ſpirativam communicatam à Patre, non ſignificat aliquam indigentiam in Filio, ſed communicare in eadem eſſentia, & virtute cum Patre; quod ſi hoc tantùm ſenſu dicitur Patrem dare Spiritum Sanctum Filio, impropriè dicitur, & Adverſarijs non prodeſt, quia ex hoc manifeſtè deducitur Spiritum Sanctum eſſe de Filio, & procedere à Filio, ſicut procedit à Patre.

imputaretur. Terrena eſt hæc opinio, & longè ab intellectu divinitatis extranea, vt tanquam homo homini, Deus Deo quaſi indigenti ſubveniat. Namque ſi dat Pater Spiritum Sanctum Filio, dat Deus Deum Deo: Pater enim Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & vnus, idemque Deus. Non autem intelligimus Deum à Deo Deum accipere; niſi hoc dicatur, cum Deus eſt de Deo, vt Filius, & Spiritus Sanctus. Dicitur ergo Spiritus Sanctus Filij ſpiritus, non ob aliud, niſi quia ex ipſo eſt.

á Patre Spiritum Sanctum Filio, vt ipſe Filius ſimul cum Patre mitteret Spiritum Sanctum ad extrà, & creaturæ agnoſcerent tantũ bonum acceptum à Filio ſimul & à Patre, ac grates vtrique rependerent. Terrena [inquit Anſelmus] eſt hęc opinio, ideſt, propria terrenarum rerum, quarum vna indiget alia, & à conceptu divinitatis prorſus extranea. Nunquid Pater dat Spiritum Sanctum Filio quaſi indigenti, & vt habeat vnde beneficiat, ac gratias apud homines mereatur? Homo ſubvenit alteri homini indigenti, non ità Deus Pater Filio, aut Spiritui Sancto: nàm licèt Filius, & Spiritus Sanctus ſint Deus de Deo, non ideó dici poteſt, quod Deus dat Deũ de Deo, cum quælibet perſona ſit vnus, & idẽ Deus; ſupereſt ergo vt Spiritus Sanct. dũtaxat dici poſſit ſpiritus Filij quatenùs procedit à Filio.

5 Si iterùm reſpondeant datum eſſe

Comment. in cap. 10.

CAPVT X.

Eadem proceſsio probatur ex Chriſti inſufflatione in Apoſtolos.

1 Doctrinam capitis præcedentis confirmaturus Anſelmus, idem Fidei Catholicæ dogma ex alijs Scripturæ teſtimonijs demonſtrat. Et 1. ex cap. 20. Ioan. V. 22. vbi Chriſtus Dominus ante quam tranſiret ex hoc mundo ad Patrem: *Inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Profectò flatus ille ſenſibilis ex ore Chriſti procedens, Spiritus Sanctus non erat; quo ergo titulo dixit Chriſtus in ſufflando *Accipite Spiritum Sanctum*? Non alio quidem, quàm vt ſignificaret Spiritũ Sanctum ex ipſo, ſive de perſona, ac divinitate ſua, procedere, ſicut flatus ille ſenſibilis de penetralibus

1 *POST Reſurrectionem legimus, quia inſufflavit Dominus in Diſcipulos ſuos, & ait illis:* Accipite Spiritum Sanctum. *Quid ſibi vult iſta inſufflatio? Scimus enim quia flatus ille, qui de ore eius tunc proceſsit, non erat Spiritus Sanctus. Non ergo credimus illam inſufflationem ſine aliquo myſterio factam eſſe. Quid igitur rectiùs hic intelligi poteſt, aut aptiùs, quàm hoc ideò illum feciſſe, vt intelligeremus Spiritum Sanctum de illo procedere? Ac ſi diceret: ſicut videtis hunc flatum, per quem vobis Spiritum Sanctum, ſicut ſenſibilibus inſenſibilia ſignificari queunt, ſignifico de intimo corporis mei, & de perſona mea procedere: ita ſcitote Spiritum Sanctum, quem vobis per hunc flatum ſignifico, de ſecrèto Deitatis meæ, & de mea perſona procedere: vnam enim perſonam Verbi, & hominis, & in ea duas naturas, divinam, ſcilicet, & humanam credimus, & confitemur.*

2 *Sed dicent forſitan; flatus vtique ille non erat de ſubſtantia humana, & tamèn* corporis procedebat: quia ſicut inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur, ita per ſenſibilia inſenſibilia ſignificantur. Ex quibus ſic formatur diſcurſus. Ex teſtimonio Chriſti Domini habemus Spiritum Sanctum ex ipſo procedere, ſicut flatus ex ore; ſed Chriſtus Dominus erat Verbum, & verus Filius vnigenitus Patris; ergo ex ipſo Chriſti teſtimonio apertè concluditur Spiritum Sãctum de Filio procedere.

Accedit Auguſt. lib. 4. de Trin. c. 20. vbi eodem vtitur diſſu: *Nec poſſumus dicere, quod Spiritus Sanctus, & à Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus, & Patris, & Filij ſpiritus dicitur.*

Nec

Nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflans in faciem diſcipulorum ait: accipite Spiritum ſanctum. Neque enim flatus ille corporeus cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corporea ſubſtantia Spiritus Sancti fuit; ſed demonſtratio per congruam ſignificationem non tantùm à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum Sanctum. Quis enim demens iſtimus dixerit, alium fuiſſe ſpiritum, quem ſuflans dedit, & alium, quem poſt Aſcenſionem ſuam mittit.

Suffragatur Parens Bernardus ſerm. 8. in Cant. *Inſufflavit, inquit eis, haud dubium quin Ieſus Apoſtolis, id eſt primitivæ Eccleſiæ: & dixit accipite Spiritum Sanctum. Oſculum profectò fuit. Quid? Corporeus ille flatus? Non. Sed inviſibilis ſpiritus, qui propterea in illo dominico flatu datus eſt, vt per hoc intelligeretur, & ab ipſo pariter tanquàm à Patre procedere: tanquam verum oſculum, quod oſculãti & oſculato commune eſt.*

2 Forſitan dicent (inquit N. Author) optimo iure potuiſſe Chriſtum dare Spiritum Sãctum tanquàm ſuum, eumque ſuum appellare, quin propterea de ſubſtantia ſuæ divinitatis procedat. Quod ſuaderi poteſt eodẽ exemplo flatus in hunc modum. Flatus ille ex ore emiſſus non erat de humana ſubſtantia, ſive de ſubſtantia Chriſti vt humana, & rationali, cùm ſit ſubſtantia quædam aerea, & tamen Chriſtus veluti ſuum emittit, ſuũque appellat; ergo Chriſtus, vt Filius Dei, dare, & mittere poteſt Spirtũ Sãctum, eumque appellare ſpiritũ ſuũ, quin propterea de ſubſtantia ſuæ divinitatis procedat.

3 Sed hæc ſolutio (inquit Anſelmus n. 3.) ipſa principia Chriſtianæ Fidei apud eoſdem Græcos inconcuſſa penitùs evertit. Etenim ſi probari poſſet Spiritum Sanctum emiſſum à Filio Dei de divina ſubſtantia, quia flatus ille ſenſibilis emiſſus à Chriſto homine de humana ſubſtantia non eſt, pari titulo probabitur Spiritum Sanctum Deum non eſſe, quemadmodum flatus ille ſenſibilis homo non eſt; hoc autem fidem Chriſtianam evertit; ergo.

4 Prætereà. Eandem evaſionem impugnat ex illo Pſalmi 32. *V. 6. Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; at omnes Catholici, tám Græci, quàm Latini, hic per ſpiritum oris Domini, Spiritum Sanctum verum Deum intelligunt; ergo per flatum ab ore Chriſti emiſſum Spiritum Sanctum intelligere oportet. Patet conſequentia. Nam ſi verba materialitèr accipiantur, non minus diſtat à Spiritu Sancto ſpiritus oris, quàm flatus ab ore emiſſus; ſi ergo per ſpiritum oris Spirit. Sanct. accipitur per flatum ab ore

mèn illum quaſi ſuum emittebat. Quapropter docemur per huiuſmodi Spiritus Sancti dationem, quia cum dat Filius Spiritum Sanctum, dat, & mittit ſuum ſpiritum, ſed non de ſuæ divinitatis eſſentia.

3 *Dicant igitur, ſi qui hoc opinantur: quia ſicut flatus non eſt de humana natura, cùm emittitur ab homine, ità Spiritus Sanctus non eſt divina ſubſtantia, cùm datur, vel mittitur à Deo Filio, quod nullus confitetur Chriſtianus.*

4 *Dicant etiam cùm audiunt*: Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Si ibi non negant intelligendũ per ſpiritus oris Domini Spiritũ Sanctũ, non illũ eſſe de eſſentia Domini, cuius oris ſpiritus dicitur: quia ſpiritus, qui ex ore ſolet hominum procedere, non eſt de ſubſtantia illius, de cuius ore procedit. Quod ſi non audent dicere, ſpiritum ſcilicet Dei non eſſe de eſſentia Dei, & per verba rerum ſenſibilium, ideſt, per ſpiritum oris, intelligunt Spiritum Sanctum de ſecreto eius eſſentiæ procedere, cuius oris ſpiritus dicitur, fateantur etiam eundem Spiritum Sanctum de illius eſſentia procedere, cuius labiorum ſpiritus dicitur.*

5 *Legimus enim in Propheta de Chriſto*: *quia* ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: *Aut ergo oſtendant diverſitatem inter ſpiritum oris, & ſpiritum labiorum, quod fieri nequit; aut pariter concedant Spiritum Sanctum procedere de illo, cuius oris, & de illo, cuius labiorum ſpiritus deſignatur.*

6 *At ſi dicunt, nequaquam per ſpiritum labiorum ibi intelligi Spiritum Sanctum debere, ſed verba prædicationis eius, quæ ex iſto aereo ſpiritu humano in ore formavit, quia verbis ſuis interficit impium, cum docendo ab homine avertit impietatem: non vtique hoc faciunt verba ſenſibilia, & iſte ſpiritus ſenſibilis; ſed Spiritus Sanctus, de quo dicit Deus per Prophetam*: Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. *Spiritus ergo Sanctus interficit impium, cum cor eius convertit ab impietate ad pietatem.*

7 *Quòd ſi intelligimus in illo impio Anti-Chriſtum, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui: non puto, quod aliquis attribuat virtutem illam ſpiritui vocis humanæ tantum, quantum ſpiritui divino. Si ergo Spiritus Sanctus intelligitur in his dictis, cùm pariter dicatur ſpiritus oris Domini,*

emiſ-

emiſſum idem Spiritus Sanctus accipiendus eſt.

5 Impugnat 3. Idē effugium ex illo Iſaiæ 11. V. 4. *ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*; at hic loquitur Propheta de Chriſto, ac proinde de verò Filio Dei, vt omnibus palàm eſt; ergo per ſpiritum labiorum ſuorum Spiritus Sanctus ſignificatur; ergo pariter per ſpiritum oris Spiritus Sanctus verus Deus intelligendus eſt; nulla namque diverſitatis ratio aſsignari poteſt inter ſpiritum labiorum, & ſpiritum oris; ergo ſimiliter per flatum ab ore Filij Dei emiſſum Spiritum Sanctum accipere oportet.

6 Reſpondent per ſpiritum labiorum nullo pacto intelligi Spiritum Sanctum, aut aliam perſonam divinam, ſed ſpiritum duntaxàt aereum, quo in ore humano Chriſti verba prædicationis formantur, quibus verbis interfecit impium, ſive ab hominibus impietatē averteret. Sed hoc etiam effugium apertè refellit Anſelmus. Quoniam non halitus ſenſibilis, ſed Spiritus Sanctus intus operans ab impietate convertit cor humanum ad pietatem, vt patet ex Ezech. 36, V. 6. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri.*

7 Eò vel maximè, quia ſi nomine *impij* cum frequentiori Interpretum doctrina intelligatur Anti-Chriſtus, quem Dominus Jesvs interficiet ſpiritu oris ſui, profectò nemo ità inſanæ mentis erit, vt hanc virtutem ſpiritui vocis humanæ tantùm attribuat, ſed Spiritui Sancto intus agenti, & operanti, concurrente humana voce per modum duntaxàt inſtrumenti; ergo in his, & alijs ſimilibus Spiritus Sanctus intelligendus eſt; ergo nomine ſpiritus procedentis ab ore Domini, cuius verbo Cœli firmati ſunt, Spiritus Sanctus procedens à Patre, qui per verbum omnia creavit, intelligendus eſt; ergo per ſpiritum procedentem ab ore Domini Jeſu, ſive per ſpiritum labiorum eius, idem Spiritus Sanctus à Filio procedens accipiendus eſt.

8 Adhùc vberiùs prædictam confirmat doctrinam. Per *os Patris*, non aliud ſignificatur, quàm eſſentia eius; ſicut per verbum ex ore Patris emiſſum non aliud ſignificatur, quàm Filius Dei de Patris eſſentia procedens; ergo pariter per *labia Filij* non niſi eſſentia divina Filij exprimitur, ac ideò per ſpiritum ex illius labijs emanans, non niſi Spiritus Sanctus ex Filio procedens accipiendus eſt.

9 Denique. Quocumque modo exponantur Prophetæ allegati, reggreditur ad primam authoritatem Ioannis tanquam ad argumentum ſufficiens, & efficax. Procùl enim dubio per eam inſufflationem Domini in Diſcipulos, qua Spiritum Sanctum dedit, ſignificatur Spiritus Sanctus dē ſecreto ſuæ divinitatis procedens, ſicut halitus ſenſibilis de intimo corporis emanat. Nec vis reponenda eſt in cortice verborum, quoniam Scriptura per ſimilitudines rerum ſenſibilium inſenſibilia ſignificat. Nec tandem oportet ſervare omnimodam proportionem, alioquin non ſimilitudo, ſed identitas eſſet. Nec vltimò putandum inſufflationem illam factam à ſumma ſapientia Dei, ſine aliqua ſpirituali ſignificatione factam eſſe, nemo enim ita inſenſatus, vt hoc ſentiat.

ni, cuius verbo Cœli firmati ſunt, ideſt, Patris; & ſpiritus oris Domini Ieſu, & ſpiritus labiorum eius; non apparet cur magis intelligi debeat procedere de ore Patris, quàm de ore Filij.

8 *Et ſi per os Patris intelligimus eſſentiam Patris (non enim eſt aliud os eius, quàm eſſentia eius, vt ſicut Verbum Domini eſt de eſſentia eius, ita ſpiritus oris eius, non ſit niſi de eſſentia eius) quid apertiùs, quàm ſicut ſpiritus oris Patris eſt de eſſentia Patris, & procedit; ita ſpiritus oris, & labiorum Filij, de Filij eſſentia ſit, & procedat? Puto enim, quia nemo intelliget ſimpliciter, vbi dictum eſt*: Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritus oris eius omnis virtus eorum, *verba tranſitoria, & ſpiritum, qui de hoc aere aſſumptus per loquentis os emittitur.*

9 *Sed quomodocumque hoc aliquis exponere conetur, ſufficit quod in illa inſufflatione Domini in Diſcipulos, cuius feci mentionem, factum eſt ad ſignificandum, quia de eiuſdem perſonæ ſecreto procedat ille ſpiritus, quem dabat, de cuius occulto ſpiritus ille procedebat, quem inſufflabat. Denique cùm Scriptura divina ſignificat aliquid ſecretum per ſenſibilium ſimilitudines, non per omnia, quæ ſignificant, & ſignificantur, ſimilia poſſunt eſſe; non enim hoc eſſet ſimilitudo, ſed identitas. Niſi fortè quis dicere voluerit illam inſufflationem ita ſimpliciter eſſe factam à ſapientia Dei ſine omni ſpirituali ſignificatione Dei. Sed neminem puto ita inſenſatum, vt hoc ſentiat.*

Comment. in cap. 11.

1 Uberiùs eandem doctrinam corroborat Subtiliſsimus Doctor ex alio teſtimonio Ioannis c. 16. v. 13. vbi Filius de Spiritu Sancto dicit: *Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet, loquetur.* Loqui eſt habere ſcientiam eorum, quæ loquitur; ſed Spiritus Sanctus non loquitur á ſemetipſo, ſed ab alio; ergo non habet ſcientiam á ſemetipſo, ſed ab alio; at eius ſcientia eſt eius eſſentia; ergò Spiritus Sanctus habet ſuam eſſentiam ab alio; ergo habet ſuam eſſentiam á Patre; at habere non poteſt à Patre, niſi etiam habeat à Filio, quia quantum ad hoc par eſt vtriuſque ratio, vt conſtat ex dictis, præſertim c. 4. & 5.

CAPVT XI.

Eadem proceſsio arguitur ex verbis Chriſti: Ille de meo accipiet.

1 *ITEM Filius dicit de Spiritu Sancto*: Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. *Quid eſt non loquetur à ſemetipſo, niſi ab alio habet, quid loquetur? Et quid eſt, ab alio habebit, quid loquetur, niſi ab alio habebit ſcientiam eorum, quæ loquetur? Vndè poſtquàm dixit, non loquetur à ſemetipſo, addidit: ſed quæcumque audit, loquetur. Quid eſt audire Spiritui Sancto, niſi quaſi diſcere? Et quid eſt diſcere, niſi ſcientiam accipere? Si ergo ſcientia eius non eſt aliud, niſi eſſentia eius, ab illo habet eſſentiam, à quo audit ea, quæ loquitur, & quæ docet, quoniam idem eſt illi loqui, quod docere. Non audit autem, neque habet eſſentiam ab alio, niſi aut à Patre, aut à Filio. Verùm ſi habet eſſe à Patre ſecundùm ſupradictam rationem, habet etiam à Filio.*

2 *Vndè & idem Filius dicit*: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *Quippè quid eſt aliud hoc dicere, quàm à me audiet, ideſt, à me ſciet, quod annunciabit vobis? Cùm dixit*: Quæcumque audiet loquetur, *non determinavit à quo audiet. Cùm verò ait*: De meo accipiet, *ne quis ſoli Patri attribuat, quod ab alio audit apertè ſe eſſe, à quo ſicut à Patre ſcientiam, ſive eſſentiam accipiat, demonſtrat. Sicut enim cùm dicitur.* Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audit, loquetur, *ſignificatur, ab eo eſſe, & procedere, à quo audit: ità cum profert Filius*: De meo accipiet, *palàm oſtendit eum de ſuo, hoc eſt, de eſſentia ſua eſſentiam habere, & procedere. Quod enim divina eſſentia non eſt, ſub Spiritu Sancto eſt; nec ipſe accipit aliquid de hoc, quod ſub ſe eſt. Quarè cum Filius dicit*: De meo accipiet, *non aliud ibi ſuum ſignificat, quam ſuam eſſentiam.*

Comment. in cap. 12.

1 Quamquàm expoſitio Anſelmi ad authoritatem Ioannis ſuperiori capite allegatam textui maximè congruat, & ab alijs Sanctis Patribus frequentius probetur. Nihilominùs, quę repetere non oportet, non enim Pater comparatur ad Spiritum Sanctum, vt Pater, ſed vt Deus, & ſpirator, in quo nullo pacto differt à Filio.

2 Probat ex verbis ſubſequentibus n 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* En qualitèr idem Filius textatur, quod Spiritus Sanctus accipit ſuam ſcientiam, ſive eſſentiam, non à ſolo Patre, ſed *de meo*, ideſt, de ipſo Filio. Addit: *Quæcumque audiet loquetur.* Hic non exprimit determinatè à quo audiet, ſed ſatis expreſsit in antecedentibus, dùm dixit *de meo*; ergo palàm oſtendit Spiritum Sanctum accipere ſapientiam, ſive eſſentiam, non ſolùm à Patre, ſed de ipſa ſapientia Patris, nempè de Filio,

CAPVT XII.

Vrgentur ad idem verba alia Chriſti: Nemo novit Filium, niſi Pater, &c.

1 *ILLVD forſitàn, quod dixit Filius*: De meo accipiet, & annunciabit vobis, *alitèr conabũtur intelligere, quã ego expoſuerim. Sed quid dicent, vbi ait*: Nemo novit Filiũ, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, *aut cui voluerit Filius revelare?* quia Græcis alitèr interpretari placebit: ex alio loco Matthæi capite 11. Eandem doctrinam illuſtrat. Ibi enim Dominus ait: *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare?*

En

En qualitêr teſte ipſo Chriſto Domino Filio Dei ſolus Pater novit Filium, ſoluſque Filius Patrem, & præter eos *nemo*. ideſt, nulla alia perſona niſi eodem Filio revelante; ergo vel Spiritus Sanctus non novit Parrem, vel novit revelante Filio; at primum eſt omninò impium; ergo neceſſariò dicendum eſt ſecundum; ergo ſpiritus S. agnovit Patrem revelante Filio; ergo accipiendo ſcientiam, ideſt, ſuam eſſentiam à Filio; ergo Spiritus S. habet ſuam eſſentiam à Filio, ſicut à Patre; ergo procedit à Filio, ſicut & à Patre.

Nec momenti eſt ſi dicant per particulam *nemo* non excludi Spiritum Sanctum, ſed duntaxát perſonam aliam creatam, vndè non oportet ſpiritum habere ſcientiam, aut eſſentiam à Filio, vt Patrem, & Filium agnoſcat. Hanc enim ſolutionem refellit Anſelmus ex ipſo textu. Quoniam ſi per particulam *nemo* excluderetur alia duntaxat perſona creata, inutiliter adderetur exceptio Patris, dùm inquit, *niſi Pater*, cum Pater perſona creata non ſit. Et confirmat ex alia dictione monoſyllaba *quis*. Quaſi inquirenti quis novit Patrem prætèr Filium? Reſpondendum erit abſolutè *nemo*, niſi revelante Filio, ideſt, per ſcienneque Patrem, quis novit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare? *Audiamus, quia nemo novit Patrem, aut Filium, niſi Pater, aut Filius, & cui revelat Filius. Non dicit autem*, nemo; *quaſi nullus homo, ſed ac ſi diceret, nullus omninò. Quippè ſi hoc intelligeret, non adderet* niſi Pater. *Quia Pater non eſt homo. Et cum addit*, nec Patrem quis novit, *in hac monoſyllaba dictione, videlicet*, quis, *non magis intelligitur humana, quàm quælibet perſona. Omninò igitur nullus habet hanc notitiam, niſi Pater, & Filius, & cui* Filius *idem revelat. Aut itaque Spiritus Sanctus non cognoſcit Patrem, & Filium, quod impium eſt opinari: aut* Filius *revelat ei ſui, & Patris ſcientiam, quæ non eſt aliud, quàm eiuſdem Spiritus Sancti eſſentia.*

2 *Quod ſi dicunt, quia licèt* Filius, *quantum ad pronuntiationem attinet, nullum ad hanc admittit notitiam, niſi ſe, & Patrem, & cui ipſe revelat: non tamen Spiritũ Sanctum, aut ab illa ſeparatum, aut illam à Filio accipere fatendum eſt; quoniam Pater, & Filius non ſe cognoſcunt, niſi per hoc, quod vnum ſunt cum Spiritu Sancto. Et ideò cum ait. Patrem, & Filium invicem ſe noſſe, intelligendus eſt ſimul Spiritus Sanctus. Et cum revelat* Filius, *non Spiritui Sancto, ſed creaturæ revelat.*

3 *Si (inquam) hoc dicunt, nos ſtatim conſtanter inferemus; ergo ſi vbi apertè veritas, ſecundùm quod verba oris eius pronuntiant, negat Spiritum Sanctum noſſe, niſi revelante Filio, Patrem, & Filium dicunt etiã non tantùm hos verba attendere debere, quantùm vnitatẽ eſſentiæ, quæ vna tribus, & inſeparabilis eſt: multò magis debemus huius vnitatis ſervare conſequentiam, de qua ſupra locutus ſum; cum eam nulla, aut ſcripto, aut ſenſu, negat authoritas, nec profert aliquid, quod contrarium ſit, aut aliquo modo repugnet. Eligant itaque Græci vnum de duobus, niſi apertè volunt veritati reſiſtere: aut ſcilicet Spiritum Sanctum non noſſe Patrem, aut Filium, niſi revelante* Filio; *aut propterea, quia in hoc, quod per ſe cognoſcunt Pater, & Filius, vnum ſunt cum Spiritu Sancto; quando ipſi dicuntur ſe noſſe, conſequi ex neceſsitate vt in eadem notitia intelligatur Spiritus Sanctus. Nempè nihil eſt medium, niſi volunt hanc notitiam à Spiritu Sancto, aut veritatem à verbis penitùs abdicare; quæ vtraque execratur vera confeſsio. Sic enim ait veritas:*

tiam, & eſſentiam communicatam à Filio; ergo Spiritus Sanctus habet ſuam eſſentiam communicatam á Filio.

2 Sed adhuc reſpondent ibi non excludi á cognitione Patris, & Filij Spiritum Sanctum, ſed verba illa: *Niſi cui voluerit Filius revelare* referenda ſunt ad creaturas, quæ tali revelatione indigent. Et ratio eſt, quia Pater, & Filius ſe invicem cognoſcunt per id, perquod ſunt vnũ cum Spiritu Sancto, quare à tali cognitione excludi non poteſt Spiritus Sanctus.

3 Hanc ſolutionem retorquet Anſelmus in Adverſarios hoc modo. Si dicente veritate ipſa neminem cognoſcere Patrem niſi filium, & alium revelante filio, adhuc aſſerunt non excludendum eſſe Spiritum Sanctum, eo quod Spiritus Sanctus ſecundùm vnitatem eſſentię eſt idem Deus cum Patre, & Filio; ergo potiori titulo cum in Scriptura dicitur Spiritum Sanctum á Patre procedere, affirmare coguntur procedere etiã á Filio, quia ſecundùm vnitatem eſſentiæ Filius eſt idem Deus cum Patre.

Eò, vel maximè, quia ex Sacra Pagina habemus neminem cognoſcere Patrem, niſi Filium, vel alium revelante Filio, ac proindè Spiri-

Spiritum Sanctũ habere talem ſcientiam, quæ eſt ſua eſſentia, à Filio, vt patet ex loco allegato, ſive poſsit, ſive non poſsit aliter congruenter interpretari; ſed nullus eſt Scripturæ locus, quo congrua interpretatione, aut nè apparenter quidem negetur proceſsio Spiritus à Filio; ergo ſi non obſtante eo teſtimonio ſatis expreſſo dicunt Spiritum Sanctum noſſe Patrem, & Filium non revelante Filio potiori iure [nullo ſuffragante teſtimonio in oppoſitum] aſſerere debent Spiritum Sanctum procedere à Filio; ergo de primo ad vltimum vnum ex duobus eſt Græcis neceſſariò eligendum, niſi aperte velint veritati reſiſtere, aut Spiritum Sanctum non noſſe Patrem, & Filium niſi revelante Filio; aut ideó non excludi à cognitione Patris, & Filij ſe invicem cognoſcentibus, quia eſt vnum cum Patre, & Filio ſe invicem cognoſcentibus; ſed quodcumque eligant, apertè evincitur Spiritum Sanctum à Filio procedere. Nàm ſi eligant Spiritum Sanctum non cognoſcere Patrem, & Filium niſi revelante Filio, manifeſtè deducitur Spiritum Sanctum habere ſcientiam, ſivé ſuam eſſentiam à Filio; ergo & procedere de illo. Si propterea eligant Spiritum Sanctum non eſſe excludendum à cognitione Patris, & Filij, eo quod eſt vnum cum Patre, & Filio ſe invicem cognoſcentibus, manifeſtè etiam deducitur Spiritũ Sanctum procedentẽ à Patre (vt Græci fatentur) procedere etiam à Filio, quia Filius quantum ad hoc eſt vnum cum Patre, præſertim affirmante Filio: *Ego, & Pater vnum ſumus.*

ritas: Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem qnis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare? *Siquidem eligunt Spiritum Sanctum noſſe Patrem, & Filium per revelationem Filij; habet à Filio noſſe, quod non eſt aliud illi, quàm eſſe. Eſt igitur, & procedit à Filio, quoniam ab illo procedit, à quo eſt. Si autem dicunt, cum Pater, & Filius dicuntur noſſe ſe, quia eſſentia, per quam ſe noſcunt, eadem Spiritui Sancto, conſequi Spiritum Sanctum ciuſdem eſſe conſortem notitiæ: cum legitur illum à Patre procedere, de quo ait Filius*: Ego, & Pater vnum ſumus; *confiteantur nobiſcum propter eſſentialem identitatem Patris, & Filij illum à Filio quoque proculdubio procedere.*

Comment. in cap. 13.

CAPVT XIII.

Spiritus Sanctus procedens à Filio non eſt ideò poſterior, aut minor.

1 Cap. 12. proponit Author noſter impugnationem Græcorum contra doctrinã in ſuperioribus allegatam, quæ ità procedit. Si Filius ex ſolo Patre naſceretur; & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procederet conſtituerentur quidam gradus, quædamque intervalla in divinis; ſed gradus, & intervalla inter divinas perſonas repugnant; ergo & Spiritum Sanctum à Filio procedere. Maior conſtat, quia primò procederet Filius à ſolo Patre; poſteà nato Filio procederet ab eo Spiritus Sanctus, quare Spiritus Sanctus eſſet poſterior Filio, cum non procederet, niſi priùs nato Filio. Minor autem probatur. Inter divinas perſonas non eſt priùs, & poſteriùs; ergo verius dicendum eſt Filium, & Spiritum Sanctum ſimùl, & ſemel eſſe à ſolo Patre, ille naſcendo, hic procedendo; ità vt nec Filius procedat à Spiritu Sancto; nec Spiritus Sanctus à Filio; ſicut ſplendor, calor ſunt ab vno ſolo Sole, ità vt nec ſplendor ſit à calore, nec calor à ſplendore.

Si verò obijcitur, cum dicimus Filiũ à Patre naſci; & Spiritũ Sanctum à Patre, & Filio procedere: quia quoſdam gradus, & quædam intervalla conſtituimus, quaſi Spiritus Sanctus eſſe non poſsit, niſi Filius priùs naſcatur à Patre, vt poſterior Filio ſit Spiritus Sanctus, & ideò rectiùs dici, quod paritèr ſint à Patre, Filius naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo: ità vt nec Filius à Spiritu Sancto ſit, nec Spiritus Sanctus à Filio: ſicut ſplendor, & calor paritèr ſunt de vno ſole, nec ſplendor à calore eſt, nec calor à ſplendore: ſi (inquam) hoc aliquis noſtrę obijcit aſſertioni.

2 *Reſpondemus. Nos nec gradus dignitatis ponimus in Deo, qui vnus eſt: nec in exiſtendo Filium de Patre; aut Spiritũ Sanctum procedere de Patre, & Filio, intervalla in æternitate, quæ eſt extra omne tempus, ſtatuimus. Similitèr enim omnes Chriſtianam Fidem tenentes confitemur, nec minorem, nec poſteriorem Filium eſſe Patre;*

2 Hanc impugnationem ſolvit Anſelmus, & multiplicitèr retorquet in Adverſarios. Quoniam Latini nullos gradus dignitatis ponimus in Divinis perſonis, quam-

quam

quàm aſſeramus, & catholicè credamus vnam perſonam ab alia procedere, cum omnes eſſe vnum, eundemque Deum, ac æternum catholicè credamus, & affirmemus. Vndè Auguſt. 15. de Trinit. inquit: *In illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, intervalla temporum nulla ſunt.*

Nullam itidem perſonam aſſerimus maiorem, aut minorem; priorem, aut poſteriorem, ſed potiùs cum Athanaſio in Symbolo fatemur, quod ibi: *Nihil priùs, & poſteriùs; nihil maius aut minus.* Cuius rei duplex eſt ratio ex litterâ Anſel. manifeſta. Prima deſumitur ex vnitate Dei. Si enim omnes perſonæ ſunt vnus Deus, locum habere non poſſunt gradus, intervalla, prioritas, & poſterioritas. Secunda ſumitur ex ipſa doctrina Græcorum aſſerentium Filium, & Spiritum Sanctum eſſe de Patre; & tamen nulla eſt apud ipſos prioritas in Patre reſpectu Filij, & Spiritus Sancti; nec minoritas, & poſteritas in Filio, & Spiritu Sancto relatè ad Patrem; ergo pari titulo affirmari poteſt Spiritum Sanctum procedere à Filio ſinè periculo prioritatis, & poſterioritatis.

Utraque ratione Anſelmi vtitur D. Thomas in 1. diſt. 12. q. 1. a. 1. & quidem prima in corp. his verbis: *Ratio huius eſt, quia in divinis non poteſt conſiderari, niſi id, quod abſolutum eſt; & hoc vnum eſt & indiviſibile, in quo prioritas, & poſterioritas non invenitur; vel id, quod ad aliquid dicitur; horum autem natura eſt, vt ſint ſimul tempore, cognitione, & natura.* Secundam rationem allegat in argum. *ſed contra*, ibi: *Sicut ſe habet Filius ad Patrem in ratione ordinis, ità Spiritus Sanctus ad Filium; ſed Pater nullo modo prior eſt Filio, nec intellectu, nec dignitate, nec tempore; ergo nec Filius Spiritu Sancto prior eſt.*

Si autem nomine intervalli, vel gradus Græci contendant; quod ſi Spiritus eſſet à Filio ſequeretur eſſe ab illo immediatè, & à Patre mediatè. Reſpondet idem Doctor Ang. eodem loco a. 3. vtroque modo eſſe Spiritum Sanctum de Patre: eſt enim immediatè à Patre, & Filio attenta virtute ſpirativa, quæ eſt eadem in vtroque; & mediatè etiam à Patre, in quantum Filius, qui ſpirat, eſt à Patre. Ad id autem, quod in obiectione additur de Sole, calore, & ſplendore occurrit Anſelmus cap. ſequenti: immò ex eodem exemplo deſumit argumentum in Adverſarios. Nàm optimè cohæret ſplendorem, & calorem procedere à Sole, & nullam eſſe realem prioritatem inter Solem, ſplendorem, & calorem; ſi ergo hoc contingit in creatis, multo magis fatendum eſt in divinis perſonis, quæ non clauduntur tempore; ſed omnes ſunt æternæ vna, eademque æternitate.

quamvis non niſi de illo ſit. Ita quoque nos, qui dicimus Spiritum Sanctum de Filio eſſe, ſive procedere, nec minorem, nec poſteriorem eum Filio fatemur. Nempè quamvis calor, & ſplendor de ſole procedant, nec poſsint eſſe niſi ſit ille, de quo ſunt, nihil tamen priùs, aut poſteriùs in tribus, in ſole, ſcilicet, & ſplendore, & calore intelligimus; multò itaquè minus, cum hæc in rebus temporalibus ita ſint, in æternitate, quæ tempore non clauditur, prædictæ tres perſonæ in exiſtendo ſuſceptibiles intervalli poſſunt intelligi.

Comment. in cap. 14.

CAPVT XIV.

Diſparitas inter Filij, & Spiritus Sancti proceſsionem de Patre, & ſplendoris, ac caloris proceſsionem de Sole.

1 Argumentum ſuperiori capite deſumptum ex Solis, caloris, & ſplendoris exemplo, quod Græci putabant ſuæ ſuffragari ſententiæ multiplicitèr dirimit Anſelmus in præſenti ex aperta diſparitate. Nàm ſplendor, & calor ita ſunt de ſole, vt ea tria non ſint vnus Sol: nec dici poteſt ſolem eſſe de Sole:

1 *QVOD autem dicitur, quia Filius, & Spiritus Sanctus ſic poſſunt eſſe de ſolo Patre, vt nec Filius ſit de Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus de Filio; ſicut ſplendor, & calor ſimul procedunt de vno ſole, vt alter non ſit de altero, non rectè hoc nobis opponitur. Cum enim dicimus Filium de Patre eſſe; & Spiritum Sanctum de Patre eſſe; Filium fatemur Deum, &*

nec ſplendorem, & calorem eſſe ſolem, quę omnia ex oppoſito cõtingunt in Deo, vbi omnes divinæ perſonæ ſunt vnus Deus. Pater, Filius, & Spiritus Sãctus, ſunt vnus Deus. Ibi eſt Deus de Deo; ergo hoc exemplum quantum ad preſens attinet inſtitutũ nihil prodeſt Adverſarijs.

2 Si autem per impoſsibile ponere tur calorem, & ſplen-

ſplendorem non diſtingui a ſole, ſed omnia eſſe vnum ſolem; profectò inferendum eſſet ſplendorem eſſe de calore, cùm ſplendor eſſet de toto ſole, qui in eo eventu eſſet calor; vel calorem eſſe de ſplendore, quia eſſet de toto ſole, qui in ea hypotheſi eſſet idem, quod ſplendor, ideſt, non differret in natura, & eſſentia à ſplendore, & ſole, nec ſplendor, & ſol à calore; poſita namque vnitate in eſſentia nullus ſupereſt diſtinctionis locus niſi proceſsio vnius ab alio.

3 Demique gratis permittit Græcis Filium, & Spiritum Sanctum eſſe de ſolo Patre; ſicut ſplendorem non diſtinguitur a ſole, ſed omnia eſſe vnum ſolem; profectò inferendum eſſet ſplendorem eſſe de calore, cùm ſplendor eſſet de toto ſole, qui in eo eventu eſſet calor; vel calorem eſſe de ſplendore, quia eſſet de toto ſole, qui in ea hypotheſi eſſet idem, quod ſplendor, ideſt, non differret in natura, & eſſentia à ſplendore, & ſole, nec ſplendor, & ſol à calore; poſita namque vnitate in eſſentia nullus ſupereſt diſtinctionis locus niſi proceſsio vnius ab alio.

3 Demique gratis permittit Græcis Filium, & Spiritum Sanctum eſſe de ſolo Patre; ſicut ſplendor, & calor de vno ſole. Adhùc eadem laberyntho implicantur, & manifeſto inconſequentiæ vitio laborant. Nam calor, & ſplendor talitèr ſunt de ſole, vt calor non ſit ſplendoris, nec ſplendor caloris; nec eſt maior ratio cur calor dicatur ſplendoris, quàm ſplendor caloris; ergo nùlla erit ratio vt Spiritus Sanctus dicatur magis ſpiritus Filij, quàm Filius Spiritus Sancti; ſed Græci conſtantèr affirmant Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Filij, non è converſò; ergo exemplum allegatum potius eorum opinionem improbat, quàm probet.

Spiritum Sanctum Deum eſſe de Patre Deo, & has tres perſonas vnum ſolum Deum eſſe, & id ipſum eſſe de eodem ipſo. In ſole verò non dicimus ſolē eſſe de ſole cùm ſplendor, aut calor eſt de ſole; nec id ipſum eſſe ſolē, & quod eſt de ſole; nec illa tria vnum eſſe ſolem.

2 *Nam ſi Sol, & ſplendor vnus eſſent ſol, aut ſi ſol, & calor vnus ſol eſſent; neceſſe eſſet, aut ſplendorem eſſe de calore, cùm eſſet de toto ſole, qui id ipſum eſſet, quod calor; aut calorem de ſplendore eſſe, cùm de ſole haberet eſſe, qui non à ſplendoris differret eſſentia.*

3 *Ponamus tamen Filium, & Spiritum Sanctum ita paritèr eſſe de ſolo Patre ſicut calor, & ſplendor ſunt de vno ſole. Sed ſi ita eſt: vndè habent, qui hoc dicũt, quod Spiritum Sanctũ conſitentur eſſe Filij; & Filium negant eſſe Spiritus Sancti? Nam ſicut nulla ratio admittit vt calor ſit ſplendoris, aut ſplendor caloris: ità non patitur veritas vt Spiritus Sanctus magis ſit Filij, quàm Filius Spiritus Sancti. Quapropter ſi negare non audent Spiritum Sanctum eſſe Filij, negent Filium, & Spiritum Sanctum ità eſſe paritèr de ſolo Patre, ſicut ſunt ſplendor, & calor de vno ſole. Quarè ſi hoc nobis obijciunt, quod dixi de ſplendore, & calore ſolis, nec cum illis, nec contra nos eſt.*

CAPVT XV.

Quod Græci non rectè dicãt Spiritum Sanctum procedere de Patre per Filium, per quem ſunt omnia: ſed ipſe procedat ex Deitate, quæ eſt vna Patris, & Filij.

1 *SICVT nobis dicitur, nè omnino ſeparent Filium à Patris communione in hac Spiritus Sancti proceſsione, aſſerunt eum de Patre per Filium procedere. Sed hoc quomodò intelligi poſsit, non videtur, præſertim cum nuſquam legant, vndè hoc apertè probare queant. Nam ſi hoc ſibi ſuffragari exiſtimant, quod legimus de Deo*: Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, *vt*, ex quo *ſunt omnia, ſit Pater*, & perquem *Filius*, & in quo *Spiritus Sanctus*: & *inter omnia*; *quæ ſunt per Filium, Spiritus Sanctus intelligatur.*

2 *Hoc quidem quod ex Patre ſint omnia, & per Filium, & in Spiritu Sancto, ſine ſcrupulo accipimus. Illud verò quod Spiritus Sanctus ſit inter omnia, quæ ſic eſſe dicit Apoſtolus, nimis eſt ſcru-*

Comment. in cap. 15.

1 Altera Græcorum evaſio propoſita nõ videtur ab ipſis in Cõcilio Barenſi, ſed ab alijs Anſelmo delata, vt ſignificant ea verba: *ſicut nobis dicitur.* Cum enim Anſelmus vrgeret Græcos probans proceſſionem Spiritus Sancti á Patre eſſe inſeparabilem à Filio, cùm Filius conveniat in eadem virtute ſpirativa cum Patre. Satis occurrere putant aſſerendo Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, licèt non procedat à filio; in cuius rei ſuffragium adduci poteſt illud ad Rom. 11. *Quia ex ipſo, & per ipsũ, & in ipſo ſunt omnia.* Nimirũ, omnia sũt *ex ipſo*, ideſt, Patre: *per ipsũ*, ideſt, per Filium: & *in ipſo*, ideſt, in Spiritu Sancto; vndè per *omnia*, quę ſunt à Patre per Filium, intelligendus eſt Spiritus Sanctus.

2 Hic dicendi modus apparet Anſelmo prorſus irrationalis. Et meritò. Nã eſſe à Patre per Filiũ non eſt aliud, quã eſſe à Filio, vt ex dicẽdis conſtabit. Prædicta autem verba Apoſtoli nullo pacto Græcis ſuffragari poſſunt, nã licèt *omnia*, quæ facta ſunt ſint ex ipſo; & per ipsũ, quia per ipsũ, ideſt, per Verbũ facta sũt omnia: attamen Spiritus S. nõ eſt factus; ergo inter *omnia* (de quibus Apoſt.) numerari nõ poteſt Spiritus S. ergo nomẽ *omnia* dũtaxàt cõprehendere poteſt Spiritum S. quatenùs non facta, ſed

om-

omnium factorẽ ſignificat: hoc modo nequit reliquas perſonas excludere, cũ omnes ſint indiviſibiliter rerũ omnium principium; ſed ſi nomen *omnia* omnes divinas Perſonas indiviſibiliter comprehendit, de omnibus intelligenda erit propoſitio; vndẽ quo pacto ex illa probant, Spiritum Sanctum eſſe à Patre per Filium probare poterunt, Patrem eſſe à ſe ipſo per Filium; & Filium eſſe à Patre per ſe ipſum; quę omnia ſunt confuſione, & cõtradictione plena.

3 Vera autem illius propoſitionis expoſitio eſt, quod per *omnia* comprehendantur omnia entia creata, quæ ipſa ſunt *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo*, tanquàm aliud ex alio, & per aliud, & in alio; hoc autem de Spiritu Sancto dici non poteſt, qui nullo pacto eſt aliud à Patre, & Filio, quamvis ſit alius perſonaliter. Qua ratione optimè dicit Ang. Doct. lib. 1 ad Annib. diſt. 9. q. 1. a. 1. quod *Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud*, quia adiectivum in neutro ſubſtantivè ſumitur, & ſignificat diverſitatem ſimpliciter, ac perconſequens in ſubſtantia: attamen adiectivum in maſculino, aut fœmenino genere adiective tenetur, & ſignificat ſolam diſtinctionẽ, quã exigit terminus, cui applicatur, quę in divinis tantum eſt perſonalis.

4 Totam tandèm doctrinam explicat n. 4. repetens argumentum ſæpè relatum. Nimirùm Spiritum Sanctum procedentem à Patre neceſſariò procedere à Filio, qui non procedit à Patre in ſenſu, quo Pater excludit Filium, vt Græci ſupponere videbantur, ſed potiùs è contrà; procedit enim non à relatione paternitatis, ſed ab eſſentia tanquàm à principio *quo*, vt in ſuperioribus dictum eſt, quo ſenſu Pater convenit cum Filio; ergo ita procedit à Patre, vt procedat etiam à Filio.

5 Quod ſi aliquis opponat, ſequi ex dictis Spiritum Sanctum procedere de ſe ipſo. Nam ideò dictum eſt, Spiritum Sanctum procedẽtem de Patre, procedere neceſſariò de Filio; quia procedit de deitate Patris, quę communis eſt Filio; ſed etiàm procedit de deitate Patris, quæ communis eſt eidem Spiritui Sancto; ergo quo titulo probatur, procedere de Filio, probari poteſt, procedere de ſe ipſo.

6 Reſpondet Anſelmus, ſe in ſuperioribus, ſcilicet c. 3. feciſſe ſatis, quia nulla Perſona poteſt à ſe ipſa procedere, ſed potiùs ex ipſa proceſsione probatur diſtinctio perſonalis reſpectu principij, à quo procedit. Quod iterùm confirmat ex paritate Filij, qui etiam procedit de eſſentia Patris, quæ eadem eſt in Filio; & tamen dici non poteſt, Filium à ſe ipſo procedere; ergo licèt Spiritus Sanctus procedat de eſſentia Patris, quæ eadem eſt in Spiritu Sancto, non ideò dici poteſt, Spiritum Sanctum procedere à ſe ipſo. Et ita exponit Sanctum Anſelmum Divus Thomas *in* 1. ſententia diſtinctione 11. quæſtione 1. articulò tertio ad primum vbi docet *naturam communicari per actum naturæ; attamen communicatio determinata eſt per actum naturę ſub aliqua propria ratione acceptæ. Et ideò communicatio, quæ eſt per ſpirationem, eſt actus divinæ naturæ, inquantum habet rationem ſpirationis. & hoc intendit Anſelmus.* Sed de hoc operoſius in 2. p. CAP.

ſcrupuloſum aſſerere. Impoſsibile namque eſt vnam quamlibet de illis tribus Perſonis inter illa omnia includere, & duas alias excludere. Quod ſi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt inter omnia, quæ ſunt ex Patre, & per Filium, & in Spiritu Sancto: videat mens rationalis, quanta ſequatur confuſio.

3 *Cum ergò dicit Apoſtolus*, ex ipſo, & per ipsũ, & in ipſo ſunt omnia, *intelligere debemus ſine dubio omnia creata à Deo, quæ ità ſunt*, ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, *ſicut aliud ex alio, & per aliud, & in alio. Quidquid enim factum eſt, non eſt idem Deo, ſed ab illo aliud. Spiritus autem Sanctus non eſt, aliud, ſed idem ipſum, quod eſt Pater, & Filius. Vtiquè nihil aliud intelligi poteſt, quo oſtendere poſsint Spiritum Sãctũ per Filiũ de* Patre (*ſicut aiunt.*) *procedere.*

4 *Cum enim Pater, & Filius non differant in vnitate Deitatis; nec Spiritus Sanctus procedat de Patre, niſi de Deitate: ſi eadem deitas eſt Filij, nequit intelligi, quo modo procedat de deitate Patris per deitatem Filij, & non de eiuſdem Filij deitate: niſi forte quis dicat, Spiritum Sanctum nõ procedere de deitate Patris, ſed de paternitate: nec per deitatem Filij, ſed per filiationem; quæ opinio ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat.*

5 *Quòd ſi dicit aliquis, quia cum dico, illum procedere de deitate Patris, & Filij, non poſſum deitatem Spiritus Sancti ab hac* Patris, *& Filij, deitate ſeparare, quoniàm vna, & eadem eſt deitas trium: & ideò ſequi, ſi de deitate* Patris, *& Filij procedit, de ſua quoque eum procedere; & ob hoc Spiritum Sanctum de ſe ipſo procedere.*

6 *Ad hoc iàm ſupra ſufficientèr me meminì reſpondiſſe, quia nulla perſona ex ſe ipſa eſſe poteſt, nã ſicut Filius cũ eſt de* Patris *eſſentia, quamvis non ſit alia ſed eadem Filij eſſentia, quæ eſt Patris; non tamen eſt de ſe ipſo, ſed de* Patre *ſolo: ita Spiritus Sanctus, cum eſt de eſſentia* Patris, *& Filij, quæ eſt eadem illi, non tamen eſt de ſe ipſo, ſed tantummodò de* Patre, *& Filio.*

Comment. in cap. 16.

1 Vt Græculi quidam nonnulla veritatis ſpecie in ſua contumacia perſiſterent, ſuum errorem protegere conabantur propoſitione illa à pluribus Sanctis Patribus orientalis Eccleſiæ traddita: *Spiritus Sanctus eſt à Patre per Filium*, & ita argumentantur in præſenti. Rectè dicitur, quod omnia ſunt à Patre per Verbum, iuxta illud Ioan. 1. *omnia per ipſum facta ſunt*; ergo rectè dici poteſt, Spiritum Sanctum eſſe à Patre per Filium. Et ratio eadem eſt. Rectè enim dicitur, omnia eſſe à Patre per Filium, quia omnia ſunt à Patre per eſſentialem poteſtatem, ſive per omnipotentiam; quæ eſt eadem in Patre, & Filio; ſed etiam Spiritus Sanctus eſt de Patre per eſſentialem deitatem, quæ eſt eadem in Patre, & Filio; ergò optimè dici poteſt, Spiritum S. eſſe à Patre per filium; ergo modus loquendi Græcorum, Latinorũ modo præferendus eſt.

2 Ex hoc Græcorum diſcurſu Anſelmus noſter ſe pacem, & concordiã cum Latinis obtinendam promittit. Ea namque propoſitio in ſanu ſenſu veriſsima eſt, eãque probant Latini Doctores. Nam Spiritus Sanctus eſſe á Patre per Filium non impedit, vt ſit à Filio; ſed potiùs probat, quod ex argumento facto manifeſtè evincitur; taliter enim omnia facta ſunt à Patre per Verbum, vt omnia

CAP. XVI.

Quòd Spiritus Sanctus non procedat à Patre per Filium; ſicut omnia à Patre per Verbum ſunt facta.

1 *Dicent: cùr non ſimiliter dicere poſſumus, Spiritum Sanctum de Patre per Filium procedere, ſicut dicimus à Patre omnia facta per Verbum, quod eſt Filius? Sicut enim cum Pater facit per Verbum ſuum nõ facit per aliud, quã per hoc, quod ipſe eſt, hoc eſt per eſſentialem poteſtatem, quæ eſt eadem Verbi; & tamen dicitur facere per Verbum. Cùr non ſimiliter dicimus Spiritum Sanctum à Patre procedere per Verbum; cum non procedat à Patre, niſi de hoc, & per hoc, quod idem eſt illi cum Filio; quamvis non vt creatura, ſed vt id ipſum de eodem ipſo?*

2 *Videamus, quid ſequatur, ſi hoc dicimus; & pax ſit inter nos. Nempè, quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ab ipſo Verbo: ipſum namque Verbum dicit:* quæcumque enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit, *Dicamus igitùr, quia Spiritus Sanctus, cum procedit à Patre per Filium, procedit, & à Filio ſimiliter: ſicut quæ facta ſunt à Patre per Verbum facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo.*

3 *Niſi fortè intelligunt Spiritum Sanctum procedere de Patre per Filium; quẽadmodùm, cum fons fluit in rivum, & rivus colligitur in lacum, dicitur lacus eſſe de fonte per rivum. Sed ibi non eſt rivus in fonte, ſed extra fontem; ſicut eſt Filius in Patre, & non extra Patrem. Quarè non ſic eſt Spiritus Sanctus de Patre per Filium; ſicut eſt lacus de fonte per rivum. Si tamen ſic eſt, negari nequit eſſe de Filio; quamvis ſit de Patre per Filium: ſicut fatendum eſt, lacum eſſe de rivo; quamvis ſit de fonte per rivum. Qui enim negat, lacum eſſe de rivo; quoniàm prius eſt de fonte rivus: dicat ſe non eſſe de Patre ſuo, ſed de Adam, quoniam per Patrem ſuum eſt de Adam. Dicat etiam Filium Virginis non eſſe de Maria, nec de David, nec de Abraham; quoniam iſti prius fuerunt de Adam; & dicat falſum eſſe, quod dictum eſt Abrahę:* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Et ad David:* De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Et ad Mariam;* Benedictus fructus ventris tui. *Dicatque Chriſtum non eſſe ſemen horum, vel fructum, ſed Adę; quoniàm iſti ab illo deſcenderunt. Sed nequè de Adam eſt Filius Virginis; ſecundum hunc ſenſum; ſed*

ſint à Verbo, ſicut à Patre, iuxta illud Ioan. 5. v. 19. *quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*; ergo Spiritus Sanctus taliter eſt à Patre per Filium, vt etiam ſit à Filio. Quare ea propoſitio in hoc ſenſu veriſsima eſt, & probat D. Thomas 1. p. q. 36. art. 3. ibi. *Quia igitur Filius habet à Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, quod Pater per Filium ſpiret Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus S. procedat à Patre per Filium, quod idem eſt.*

3 Sed quia Græci ſuæ doctrinæ vim reponebant in exemplo lacus, qui eſt á fonte per rivum, quin ſit á rivo; vt probarent, Spiritum Sãctũ eſſe à Patre per Filiũ, quin ſit à Filio. Reſpondet Anſelmus, hanc paritatem plures diſparitates permittere, & tandem nihil concludere. Nam lacus taliter eſt à fonte per rivum, vt procedat extra fontem, cũ tamen Spiritus Sanctus taliter ſit à Patre per Filium, vt non procedat extra Patrem, vt ijſdem Græcis notum eſt, & ex authoritate Apoſtoli ab ipſis allegata *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo* evidentiſsimè conſtat. Undé non eſt ſimile.

Sed gratis permiſſio ita eſſe Spiritum Sãctum de Patre per Flium ſicut lacus eſt de fonte per rivum, adhùc apertè convincitur, Spiritum Sanctum eſſe de Filio, nam lacus taliter eſt de fonte per rivum, vt etiã ſit à rivo; ergo Spiritus Sanctus taliter eſt de

Patre

Patre per Filium vt etiam ſit de Filio. Antecedens autem rationabiliter negari nō poteſt Quoniam ſi dicant lacum non eſſe de rivo, quia rivum prius deſcenderat à fonte, ſanè quicumque affirmare poterit ſe eſſe de Adā per Patrem ſuum, non tamen de Patre ſuo, quia Pater ſuus prius deſcenderat ex Adam. Similiter affirmare poterit Filium Virginis, ideſt Chriſtum vt hominem non eſſe de Maria, nec de David, nec de Abrahan, quia omnes iſti prius fuerant de Adam: quare neganda erit ea propoſitio dicta Abrahamo Gen. 22. v. 18. *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.* Et alia Pſalmi 131. vbi dicitur David. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam* Et alia Luc. 1. v. 42. vbi de Maria dicitur: *Benedictus fructus ventris tui.* Ergo à Græcis dicto modo diſcurrentibus dicendum erit Chriſtum vt hominem nec eſſe de Maria, nec de David, nec de Abrahan, quia omnes iſti prius deſcenderant de Adamo: immò nec eſſe de Adam, quia, & ipſe Adam priùs fuerat formatus de limo terræ; cum ergo hæc omnia ſint ſatis abſurda, dicendum eſt lacum taliter eſſe de fonte per rivum, vt etiam ſit à rivo; ergo & Spiritum Sanctum taliter eſſe de Patre per Filium, vt etiam ſit à Filio.

4 Occurrunt Græci. Ex dictis tantum probatur lacum eſſe de rivo non tamen à rivo procedere, cum procedat à ſolo fonte per rivum; ergo tantum probari poterit Spiritum Sanctum eſſe de Filio, non tamen procedere à Filio, cum procedat de ſolo Patre per Filium. Nam quæſtio (aiunt Græci) inter nos, & vos Latinos eſt de verbo *proceſsionis*; ergo hæc non verificatur de Spiritu Sancto reſpectu Filij nihil evincitur, quantumcumque probetur Spiritum Sanctum eſſe de Filio; at nō verificari patet ex dicto exemplo, nam lacus de ſolo fonte ducit originem, ac ideò de ſolo fonte procedit, licet colligatur de rivo, aut habet ſuum eſſe de rivo, aut per rivum.

Hic notandum quātum Anſelmus Græcos vrgeret, & ad veritatis agnitionem adduxerit. Quoniam ab ipſis primò negantibus Spiritum Sanctum vllo modo habere ſuum eſſe à Filio, iam obtinuit habere eſſe *per Filium*: poſtea ab eiſdem evicit habere *de Filio*: & tandem velint nolint fatentur ſitam eſſe controverſiam in ſolo verbo *proceſsionis*, quod idem eſt, ac ſolis verbis á Latinis differre. Quod verum eſſe notavit D. Aug. in Diſp. q. 10. de proceſ. Spirit. S. a. 5. ibi. *Reſpondeo dicendum, quod ſi quis rectè conſideret dicta Græcorum, inveniet quod à nobis magis differunt verbis quam in ſenſu.*

5 Nihilominùs reſpondet Anſelmus illum dicendi modum vtcumque probari poſſe, niſi obſtaret prælegatum diſcrimen. Id eſt ſi Filius taliter eſſet de Patre, vt procederet extra Patrem, & quodam interpoſito medio, aut intervallo priùs eſſe Fius de Patre, quàm Spiritus Sanctus de Filio, vt contigit in exem-

ſed de limo, de quo factus eſt Adam.

4 *At inferent: benè dicimus Spiritum Sanctum non procedere de Filio, ſed de Patre per Filium; quamvis ſit de Patre, & de Filio: ſicut dicis lacum eſſe de fonte, & de rivo. De proceſsionis namque Verbo quæſtio eſt inter nos, quàm vos aſſeritis eſſe de Filio, & nos negamus: Eccè enim videtis rivum de fonte procedere, quaſi de originali principio: lacus autem non procedit, ſed colligitur de rivo; quamvis habeat eſſe de illo. Ita igitur etſi Spiritus Sanctus habeat eſſe de Filio; non tamen procedere propriè dicitur de Filio, ſed de Patre, quaſi de principio.*

5 *Hoc forſitam diceretur rectè, ſi Filius naſcens de Patre procederet extra Patrem, & medio quodam ſpatio interveniente, prius intelligeretur eſſ Spiritus Sanctus de Patre, quam de Filio; ſicut rivus de fonte fluens extra fontem procedit, & quodam intervallo in lacum colligitur; & prius eſt lacus de fonte, quam de rivo: & ideo eſt de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Verum cum Filius naſcens de Patre non exeat extra Patrem, ſed in ipſo manens, nec loco, nec tempore, nec eſſentia diviſus ſit à Patre; & cum vnum ſit, idemque Patri, & Filio id, vnde procedit Spiritus Sanctus: neque intelligi poteſt, nec dici debet Spiritū Sanctum procedere de Patre, & non de Filio. Non ergo videtur, qua ratione dicatur Spiritus Sanctus non procedere de Filio ſed de Patre per Filium: cum etiam ſi per Filium, nequeat non de Filio.*

6 *Si quis tamen vult dicere Filium de Patre procedere magis propriè, quam Spiritum Sanctum de Filio; quamvis Spiritus Sanctus de illo ſit: ſicut rivus magis illi videtur procedere de fonte, quam lacus de rivo: ne concedat Spiritum Sanctum procedere de Filio, de quo habet eſſe, ſicut lacus de rivo: Nos non negamus naſcentē aliquo modo procedere de illo, de quo naſcitur: & Spiritum Sanctum aſſerimus ſuo modo, non quaſi de duobus fontibus, ſed vere de vno fonte procedere; ita tamen vt nomen nativitatis, nec proceſsio Filij amittat, nec Spiritus Sancti proceſsio recipiat. Non eſt igitur cur magis dici debeat Filius procedere de Patre, quàm Spiritus Sanctus de Filio.*

exemplo poſito, vbi rivus taliter eſt de fonte, vt procedat extra fontem, & medio quodam intervallo colligitur in lacum, vndè prius eſt rivus de fonte, quam lacus de rivo; immò prius eſt de ipſo fonte rivus, quam ſit de eodem fonte lacus: cum tamen nec Filius ſit prius à Patre, quam Spiritus Sanctus, nec Filius procedat extra Patrem, ſed in ipſo maneat propter vnitatem eſſentiæ; quâ propter intelligi non poteſt Spiritnm Sanctum eſſe de Patre per Filium quin pariter procedat à Filio, ſicut procedit à Patre, cum Pater, & Filius ſint idem Deus, idemque principium Spiritus Sancti.

6 Si quis tandem fortaſsè dicat magis proprié eſſe Filium de Patre, quàm Spiritum Sanctum de Filio, ſicut magis proprié eſt rivus de fonte, quàm lacus de rivo; ergo licet Filius taliter ſit à Patre, vt verè, & proprié procedat à Patre; Spiritus Sanctus taliter eſt de Filio, vt proprié loquendo dici non poſsit à Filio procedere. Reſpondet Anſelmus eadem proprietate, qua Filius eſt de Patre, Spiritum Sanctum eſſe de Filio, & procedere à Filio, quia non eſt de Patre, & Filio tanquam de duobus fontibus, ſed de vno, eodemque fonte: ita tamen vt nec proceſsio Filij nomen nativitatis amittat, nec proceſsio Spiritus Sancti nomen nativitatis permittat.

Confirmat prædictam doctrinam Doct. Ang. in 1. diſt. 12. q. 1 a. 2. ad 3. ibi: *Apud Græcos non dicitur, quod lacus ſit à rivo, ſed quod eſt à fonte: & inde eſt etiam, quod non concedunt, quod Spiritus Sanctus ſit à Filio, ſed à Patre: nihilominus tamen non eſt dicendum quin etiam à Filio procedat, qui cum Patre eſt vnum principium Spiritus Sancti, non autem ſit rivus, & fons ſunt vnum principium laci.*

Comment. in cap. 17.

CAP. XVII.

Quòd ſicut lacus eſt de rivo, & fonte; ita Spiritus Sanctus procedat de Patre, & Filio.

1 Cùm exemplo allegato fontis, rivi, & lacus, ſatis opportunè (quantum per res creatas fieri poteſt) exponatur ineffabile Trinitatis, ac divinarum proceſsionum miſterium; eoque vtatur Anſelmus noſter lib. de Incarnatione Verbi, & fide Trinitatis, ac nos eum ipſo tomo primo part. 1 cap. 7. Idemque etiam exemplū vrgerent Græci ad negandam proceſsionem Spiritus Sāncti à Filio; ideò Anſelmus, quamquam cap. antecedenti plura ſubtiliter dixiſſet, in præſenti vberius expendit, & proceſsionē Spiritus Sancti à Filio confirmat, vt per hæc viſibilia mens humana ad invisibilia Dei penetranda vteumque conſurgat.

2 Etenim fons, rivus, & lacus, conveniunt, & differunt, quia fons eſt aqua de abyſſo aſcendens, & ebulliens: rivus eſt aqua de fonte fluens, & deſcendens: lacus eſt aqua ibi coadunata, & manens. Vndè rivus eſt aqua, quæ eſt fons, non eſt tamen de eo, vnde aqua eſt fons: ſimiliter lacus eſt de aqua, quæ eſt fons, & rivus, non tamen de eo, vnde aqua eſt fons, & rivus. Quoniam fons eſt aqua vt aſcendens; rivus eſt aqua vt deſcendens, & fluens; lacus eſt aqua vt permanens; ergo fons, rivus, & lacus conveniunt, & differunt: conveniunt quidem in aqua: differunt in aſcenſu, deſcenſu, & permanentia; lacus ergo eſt de aqua, vndè fons, & rivus conveniunt; non de aſcenſu, & deſcenſu, vnde differunt.

3 Similiter. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus, & in hoc conveniunt. Sed Deus Pater, eſt gignens: Deus Filius eſt genitus: Deus Spiritus Sanctus ſingulari modo procedens. Rursús. Sicut

1 *Diligentius conſideremus quomodo lacus ſit de fonte pariter, & de rivo, vt per hoc, ſicut per temporale, & locale, aliquid poteſt intelligi, quod æternum eſt, cognoſcamus Spiritum Sanctum eſſe de Patre, & de Filio. Multa enim in horum conſideratione, ſicut in Epiſtola ad venerabilis memoriæ Vrbanum Papam de Incarnatione Verbi ſcripſi, inveniuntur, quæ vni Deo, & tribus perſonis per quandam ſimilitudinem aptantur.*

2 *Conſtat enim, quod vna, & eadem aqua eſt; & fons; & rivus; & lacus dicitur; non tres aquæ, quamvis tres ſint, fons, rivus, & lacus. Diſcernamus itaque inter fontem, rivum, & lacum, & videamus, quid ſingula hæc, cùm tria ſint, in vna intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abyſſo aſcendens ebullit: in rivo de fonte deſcendens fluit: in lacum colligitur, & manet. Per fontem, ergo intelligitur aqua de abyſſo ebulliens. Per rivum, quia de fonte fluit. Per lacum, quia ſimul ibi coadunatur. Videmus autem, quia rivus non eſt de hoc, vnde aqua fons dicitur, ſed de hoc, quod eſt, id eſt, de aqua: nec lacus eſt de hoc, vnde aqua dicitur fons, aut rivus, ſed de ipſa aqua, quæ vna, & eadem eſt in fonte, & rivo. Non ergo de hoc, vnde differunt fons, & rivus, ſed de hoc in quo vnum*

lacus

lacus eſt à fonte, & rivo, non ex eo vnde differunt, ſed ex eo vnde cõveniunt; ſic Spiritus Sanctus eſt à Patre, & Filio, non ex eodem vnde differunt, ſed ex eo vnde conveniunt; quiá ſicut lacus non eſt de aſcenſu, & diſcenſu, vnde fons, & rivus differunt, ſed de aqua conveniunt, ita Spiritus Sanctus non eſt de paternitate, & filiatione, in quo Pater, & Filius differunt, ſed à natura, & virtute ſpirativa, in qua conveniunt.

vnum ſint lacus exiſtit. Si ergo non magis fons eſt hoc; vndè lacus eſt, quàm rivus; nequit intelligi lacus magis eſſe de fonte, quàm de rivo.

3 *Sic itaque cùm dicitur, Deus Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, vna in tribus intelligitur eſſentia, & vnus Deus, quod nomen eſt ipſius ſignificativus eſſentiæ: ſed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, & in Spiritu Sancto ſingulari quodam, & ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non eſt de hoc, vndè diverſi ſunt abinvicem fons, & rivus, ſed de qua, in qua vnum ſunt; ità Spiritus Sanctus non eſt de hoc, vndè alij ſunt abinvicem Pater, & Filius, ſed de divina eſſentia, in qua vnum ſunt. Si ergo non magis eſt Pater hoc, vndè Spiritus Sanctus eſt, quàm Filius, intelligi nequit cur magis ſit de Patre, quàm de Filio.*

En exemplum luculenter ab Anſelmo expenſum, ac tanto Doctore dignum, quod tàm longè ab eſt, vt eo impugnari poſsit proceſsio Spiritus Sancti à Filio, quin potiùs oppor tune ſatis evincit eandẽ proceſsionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio.

CAPVT XVIII.

Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Comment. in cap. 18.

1 Ex eo præſertim negabant Græci proceſsionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quia putabant neceſſariò inferendum Spiritum Sanctum eſſe de duobus principijs, ſive (vt ipſi loquuntur) de duabus cauſis. Sed hunc ſcrupulum facilè diſpellit Sanctiſsimus Doctor cap. præſenti, enodatuſque manet ex ſuperioribus, ex quibus conſtat Spiritum Sanctum non eſſe de Patre, & Filio, vndè differunt, & ità non eſt de duobus; ſed ex illis, vndè conveniunt, & ſic de vno tantùm principio. Probat exẽplo Creatoris. Omnes namque creaturę ſunt à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, cùm ſint à tota Trinitate, non tamen à tribus principijs, vel creatoribus, ſed ab vno tantùm, quia creaturæ non ſunt à divinis perſonis, vndé differunt, ſed ab illis vndé conveniunt, nimirúm, eſſentia, & virtute creativa.

Ang. Doctor lib. 1. ad Annib. diſt. 11. q. vii. a. 4. alijſque in locis, relata hac doctrina, iuxta quam dicendum eſſe videtur Patrem, & Filium eſſe vnum ſpiratorem propter vnitatem virtutis ſpirativæ, licet non dicantur vnũ ſpirans propter diſtinctionem ſuppoſitorum ſpirantium: quemadmodum tres divinæ perſonæ dicuntur vnus Creator, licet non vnum creans; probat hunc dicendi modum. Inclinare tamen videtur in oppoſitum aſſereudo Patrem, & Filium eſſe duos ſpiratores. Et ad exemplum Creatoris reſpõdet tres divinas perſonas creare ſecundum quod ſunt vnum in eſſentia, cùm Pater, & Filius ſpirent vt aliquo modó plures. Sed quid quid ſit de modo loquendi, re ipſa docet ibid.

1 *QVOD Si dicunt non eum eſſe poſſe de duabus cauſis, ſive ex duobus principijs. Reſpondemus, quoniam ſicut non credimus Spiritum eſſe de hoc, vndè duo ſunt Pater, & Filius, ſed de hoc, in quo vnum ſunt: ita non dicimus duo eius principia, ſed vnum principium. Quippè cùm dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum principium, non tria principia: ſicut vnum creatorem, non tres creatores, quamvis tres ſint Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quoniam per hoc, in quo vnum ſunt, non per hoc, in quo tres ſunt, eſt Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus principium, ſive Creator. Si igitur quamvis Pater ſit principium, & Filius ſit principium, & Spiritus S. ſit principium, non tamen ſunt tria principia, ſed vnum: ita cum Spiritus Sanctus dicitur eſſe de Patre, & de Filio, non eſt de duobus principijs, ſed de vno, quod eſt Pater, & Filius; ſicut eſt de vno, qui eſt Pater, & Filius.*

2 *Si tamen dici debet Deum habere principium, & cauſam.* Principium *namque videtur non niſi rei incipientis eſſe: & cauſa non niſi effectus alicuius; & Spiritus Sanctus nunquam incepit eſſe, nec eſt effectu s alicuius. Quod enim incipit eſſe, proficit de non eſſe ad eſſe: & nomen effectus*

ibid. a. 2. Patrem, & Filium ſpirare ſecundum, quod ſunt vnum, quod ſufficit ad argumentum Anſelmi, & ad hoc inductum eſt exemplum creatoris.

2 Num. 2. notat admittendum non eſſe in divinis nomen *cauſæ* in ordine ad Filium, vel Spiritum Sanctum, & cum delectu admittendum nomen *principij*. Nàm cauſa dicitur per ordinem ad effectum; cum tamen Spiritus Sanctus non ſit effectus, quia eſſe effectum ſolum competit rei factæ. Nomen autem *principij* dicitur per ordinem ad *principatum*; cum tamen Spiritus Sanctus non ſit principiatus, nàm eſſe *principiatum* ſolum competit rei habenti eſſe in tempore, ac tranſeunti de non eſſe ad eſſe, quod alienum eſt à Spiritu Sancto, qui ſemper, & æternalitèr fuit: & hoc idem dicendum de Filio. Ni hilominùs Græci promiſcuè vtebantur nomine *cauſæ*, & *principij*, ac concedunt Filium, & Spiritum Sanctum eſſe principiatum. Sed in ſubſtantia conveniunt cum Latinis, qui purioribus terminis loquentes nec nomen *cauſæ* permittunt, nec nomen *principiati*, ſed ſolum nomen *principij*, non vt ſignificat priori-

fectus, *rei quæ ſit aptari videtur propriè.*

3 *Quoniam tamen verum eſt Filium eſſe de Patre, & Spiritum Sanctum de Patre, & Filio, ſi ſuo quodam, & ineffabili modo intelligitur, quoniam alitèr proferri nequit, dici non incongruè poteſt Pater quodam modo principium Filij; & Pater, & Filius principium Spiritus Sancti. Nec tamen duo confitemur principia, vnum, Patrem ad Filium, alterum, Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctum, ſicut non credimus alium Deum Patrem, de quo eſt Filius; & alium Deum, Patrem & Filium, de quo eſt Spiritus Sanctus, quamvis de eodem Deo, ſive de eodem principio, ſuo quiſque modo ſit: alter, ſcilicet, naſcendo: alter procedendo; ſed quodam ſingulari, & ineffabili modo intelligitur iſta proceſsio. Proceſsio namque multis modis dicitur, de quibus iſte ſolitarius intelligitur; ſicut nativitas Filij ſingularis cognoſcitur.*

4 *Id ipſum intelligitur, ſi dicimus Patrem eſſe cauſam Filij, & Patrem, & Filium cauſam Spiritus Sancti; non enim duas poſſumus dicere cauſas, aliam videlicet Filij, aliam Spiritus Sancti; ſed vnam: quemadmodum non duo Dij ſunt, ſed vnus Deus, de quo eſt Filius, & Spiritus Sanctus.*

tem, ſed originem, vt exponit D. Thomas 1. p. q. 33. a. 1.

3 Admittendum eſt ergo Patrem eſſe principium Filij, & Patrem ac Filium eſſe principium Spiritus Sancti, cum clariori termino explicari non poſsit proceſsio vnius ab alio. Sed non ideò dicendum duo eſſe principia; vnum Patris ad Filium; alterum Patris, & Filij ad Spiritum Sanctum, quia cum prima ratio generationis, & ſpirationis ſit eſſentia, quæ duplex eſſe non poteſt, idcircò nec duo principia admittenda ſunt: veruntamen quia eſſentia non eſt principium generationis, & ſpirationis abſolutè, ſed in tali perſona, aut determinata per talem virtutem generativam, aut ſpirativam, ità ſtante vnitate eſſentiæ ſalvatur differentia in modo procedendi Filij, & Spiritus Sancti, nimirùm ille naſcendo, hic ſingulari modo procedendo.

4 Denique notat totam hanc doctrinam applicandam eſſe nomini *cauſæ*, qua vtuntur Græci, videlicet, non duas eſſe cauſas, ſed vnam tantùm; ſalva tamen ſemper diverſitate generationis, & proceſsionis propter dicta, quæ repetere non oportet.

Commen. in cap. 19.

CAP. XIX.

Infringitur argumentum ductum ex eò, quod Chriſtus expreſſerit ſolam proceſsionem Spiritus Sancti à Patre.

1 Ex varijs Scripturæ locis enervandam aggreditur Anſelmus cap. præſenti obiectionem quandam Græcorum, quæ ſic procedebat. Si re ipſa Spiritus procederet à Filio Chriſtus Dominus loquens de eadem proceſsione id affirmaret, ac de eadem veritate nos inſtrueret; at id non affirmat, ſed potius expreſsè docet Spiritum Sanctũ procedere à Patre nulla facta mẽtione Filij; vt patet ex illo Ioan. 15. v. 26. *Cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* En argumentum, etſi negativum, in quo maximè fidebant quidam Græculi.

SI autem quæritur cum Dominus dixit: Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit; *cur non addidit, & à Filio, vel à me, ſi ſic voluit intelligi? Non eſt hoc inuſtatum in dictis illius, vt cùm attribuit aliquid Patri, quaſi ſoli, vel ſibi, vel Spiritui Sancto,*

Cui

Cui Anſelmus reſpondet nihil magis vſitatum in ſacris litteris, quàm Patri, aut alteri perſonæ attribui, quod omnibus commune eſt. Idque primó evincit ex illo Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.* En qualiter revelatio ſoli Patri tribuitur, cum certiſsimum ſit eam revelationem eſſe opus ad extrà, totique Trinitati commune. Ratio eſt, quia Pater non revelat, quia Pater, ſed quia Deus; cum ergo ea parte, qua Deus nullo pacto diſtinguatur à Filio, & Spiritu Sancto, conſequens eſt, vt ea revelatio facta Petro omnibus divinis perſonis conveniat.

2 Probat 2. ex illo Matth. 10. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* En qualitèr cognitio Filij attribuitur ſoli Patri, & cognitio Patris ſoli Filio, ſicut & revelatio; at non ideò dicendum cognitionem Patris, nec revelationem ſolius eſſe Filij; nec cognitionem Filij ſolius eſſe Patris, quia cognitio, & revelatio non convenit perſonis divinis ſecundùm proprietates perſonales, per quas differunt, ſed per divinitatem, in qua conveniunt; ergo, *Sancto, velit in alijs intelligi, quod in vno loquitur. Nam cum dicit*: Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt: *Nonnè ipſe Filius, & Spiritus Sanctus intelligendus eſt revelaſſe cũ Patre? Quoniam enim Pater nõ revelat per hoc, quia Pater eſt, ſed per hoc, quia Deus eſt, & idẽ Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. ſequitur, vt quod revelat Pater, revelat Filius, & Spiritus S.*

2 *Item cum dicit*: Nemo novit Filiũ, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit revelare: *quaſi ſolus Filius cognoſcat, & revelet Patrem, & ſe; & ſolus Pater cognoſcat Filium: intelligendum eſt ibi, revelare, & noſſe tribus perſonis eſſe commune: quoniam non per hoc, quod alij ſunt abinvicem, ſed per hoc, quod vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, cognoſcunt, & revelant. Cùm etiam dicit Patrẽ noſſe Filium, & Filium noſſe Patrem, & revelare ſe, & Patrẽ; apertè vult intelligi, quia Pater cognoſcit Spiritũ S. & Filius noſcit, & revelat Spiritum S. quoniã id ipſum, quod eſt Pater, & Filius, eſt & Spiritus Sanctus.*

3 *Similiter cùm dicit*: Qui me videt, videt & Patrem *nõ eſt ſeparandus Spiritus Sanctus: quoniam qui videt hoc, vndè vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nõ poteſt videre vnum de his tribus ſine alijs duobus. De Spiritu Sãcto dicit quoque Apoſtolus*: Cùm autẽ venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, *quaſi ſolus Spiritus Sanctus doceat omnem veritatem, cùm nec ſine Patre, nec ſine Filio doceat omnem veritatem. Non enim per hoc, quod eſt ſpiritus alicuius, ſcilicet Patris, & Filij Spiritus, ſed per hoc, quod vnum eſt cum Patre, & Filio, ideſt, per hoc, quod Deus eſt, docet omnem veritatem.*

3 *Videtis igitur quomodò in his, quæ propoſui, vni quaſi ſoli attribui, ab alijs non poſsit perſonis ſeparari. Multa huiuſmodi in Sacra Scriptura legimus, vt quod de vna perſona ſingulariter dicitur, indifferentèr de tribus intelligatur. Quidquid enim de vna perſona pronunciatur, de alijs pariter oportet intelligi, niſi cum hoc, vndè aliæ ſunt (vt dixi) abinvicem obviare cognoſcitur. Quapropter cum credimus Spiritum Sanctum de Patre procedere, quoniam Deus de Deo, ideſt. eſſentia Spiritus Sancti de eſſentia Patris, quæ vna eſt, in tribus eſſe intelligitur. Neceſſe eſt ergo, vt de Filio eum ſimiliter confiteamur, ſi Filius non eſt de illo. De hoc enim eſt Spiritus Sanctus, quod eſt Filius, & quod eſt Pater.*

3 Probat 3. ex illo Ioan. 14. vbi Chriſtus ait; *Qui videt me, videt & Patrem*, vbi nulla fit mentio Spiritus Sancti; ſed non ideò Spiritus Sanctus ſeparandus eſt ab obiecto illius viſionis, quia videns Patrem videt eſſentiam divinam; videns autem eſſentiam divinam neceſſariò videt Spiritum Sanctum, qui vnus eſt Deus cum Patre. 4. Probat ex illo Ioan. 16. *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; at veritatem docere non poteſt Spiritus Sanctus ſine Patre, & Filio propter dicta; ergo doctrina illa veritatis Spiritui Sancto applicata cæteris etiam convenit perſonis.

4 Ex quibus omnibus, alijſque ſimilibus, in Sacra Pagina frequentiſsimis aperte deducitur omnibus perſonis indifferenter competere, quæcumque de vna tantùm perſona dicuntur, niſi obſtet relativa oppoſitio, vt in præſenti non obſtat; ergo pariter licèt in prædicto teſtimonio ſolùm dicatur Spiritum Sanctum á Patre procedere, non ideò negandum eſt procedere à Filio; & ratio eadem eſt, vt ex dictis patet.

Et argumentum facilè retorqueri poteſt in Adverſarios ſumma veneratione accipientes [vti par eſt] Symbolum Nicænum; at in eo creatio viſibilium,

lium, & inviſibilium attribuitur ſoli Patri: ibi. *Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem, viſibilium omnium, & inviſibilium factorem*; ſed quia id convenit Patri vt Deo, qui vnus eſt in omnibus perſonis, ideò omnibus perſonis convenire fatentur & Græci; ergo quia proceſsio actiua convenit Patri ſecundùm virtutem ſpirativam communem Filio, non ſecundùm paternitatem, in qua relativè opponitur, convenire paritèr Filio fatendum eſt.

Quanquàm præfatum argumentum n. 1. propoſitum tot, tàmque manifeſtis refellatur exemplis. Nihilominùs Photius Romanæ Eccleſiæ infenſus hoſtis lib. adverſus Nicolaum vocat *acutum, & inevitabile telum.* Sed hoc telum in catholicam veritatem emiſſum facilè retorquetur in emiſſarios, vt evidenter patet ex teſtimonijs allegatis. Et vlteriùs retorquetur alio argumento Anſelmi ſupra cap. 10. Ideò namque probant Spiritum Sanctum non procedere à Filio, quia Chriſtus dixit à Patre procedere, & non dixit *à me*; ergo ſi hoc dixiſſet negari non poſſet à Filio procedere; ſed id pluribus àlijs in locis expreſsè dixit, vt cap. Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, alijſque locis cap. 10. citatis; ergo quod in prædicto loco expreſsè non dicatur nihil concluditur. Et ita ex Auguſtino docet Paſchaſius lib. 2. cap. 4. ibi. *Cùm vnum ſine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur, ſecundùm illam regulam, quam Antiſtes Auguſtinus inſinuat: non omnia, quæ tacentur, negantur.*

Comment. in cap. 20.

CAPVT XX.

Eiuſdem argumenti confirmatio refutatur.

1 Teſtimonijs ab Anſelmo allegatis cap. præcedenti occurrere conantur Græci aſſerentes. Ex eo, quod revelare, docere, & cognoſcere, quæ in prædictis authoritatibus de vna perſona dicuntur, de alijs quoque prædicentur, non probatur proceſsionem actiuam Spiritus Sancti, quæ de ſolo Patre dicitur, de Filio quoque eſſe dicendam. Nàm ideò primum verum eſt, quia quod in vno loco ſilentio præmitur, in alio ſatis expreſsè traditur: attamen proceſsio Spiritus Sancti ita dicto loco Patri tribuitur, vt in nullo alio Filio convenire tradatur.

2 At non ſolùm [inquit Anſelmus] certa fide tenenda ſunt, quæ expreſsis verbis in Sacra Pagina referuntur, ſed quæ ex illis aperto conſequentiæ filo deducuntur: quod licet ſatis, ſuperque demanſtratum ſit cap. antecedenti, adhùc alijs teſtimonijs rem ipſam magis illuſtrat. 1. ex illo Ioan. 17. ℣. 3. vbi Dominus ad Patrem ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* 2. ex illo Ioan. 5. ℣. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo.* 3. ex illo Ioan. 14. ℣. 9. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* 4. Ex illo Ioan. 10. *Qui videt me, videt & Patrem.*

1 *SED dicet aliquis: Ideò intelligimus Filium, & Spiritum Sanctum revelare, quod ſolus Pater revelare dicitur; & Patrem, & Spiritum Sanctum revelare, & noſſe, quod ſolus Filius facere dicitur, & Patrem, & Filium docere, quod ſolùm Spiritus Sanctus doctum ire promittitur: quia quod de vno ſolo in vno loco legitur, de alijs alibi apertè ſignificatur. Cùm verò dicit Spiritum Sanctum de Patre procedere, non legimus alicubi eum de Filio procedere. Per quod monemur non noſtro ſenſu, quod nuſquam dictum eſt aſſerere.*

2 *Ad quod reſpondemus, quia potiùs docemur per hæc, quæ ſic dicta ſunt, ea, quæ in ſimilibus dictis tacentur, ſimiliter intelligere; præſertim cum ex his, quæ dicuntur nulla ratione contradicente, ea quæ non dicuntur rationabili neceſsitate conſequi apertiſsimè viderimus. Cùm enim dicit Dominus ad Patrem*: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum. *An ideò debemus ſeparare ab hac ſalubri, & vitali cognitione Spiritum Sanctum, quia nuſquam legitur*: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant Patrem ſolum verum Deum, & Spiritum Sanctũ? *Aut*, Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant Filium ſolum verum Deum, & Spiritum Sanctum? *Aut*

En qualitèr in primo teſtimonio ſolùm conſtituitur vita æterna, ſive æterna beatitudo in videnti Patrem, & Filium, nunquid propterèa excludendus eſt ab obiecto beatitudinis Spiritus Sanctus?

tus? In ſecundo ſolùm dicitur Patrem habere vitam in ſemetipſo, eamque dediſſe Filio; nunquid negandum eſt Patrem dediſſe Spiritui Sancto vitam habere in ſemetipſo? In tertio dicitur duntaxat Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre, nimirũ (vt exponunt Theologi) per *circumince ſſionem*; nunquid Pater ſimul cum Filio non erit per *circumin ceſsionem* in Spiritu Sancto? In quarto denique tantùm dicitur videntem Filium videre ſimul & Patrem; ſed non ideò excluditur, nec etiam inſpecta poteſtate abſoluta excludi poteſt viſio Spiritus Sancti à vidente Patrem.

Hæc autem vera ſunt, non quia expreſsè in Sacra Pagina referantur, ſed quia ex alijs ſatis expreſsis facili, ac neceſſario conſequentiæ filo deducuntur; coquòd (vt ſæpius dictum eſt) cõveniunt determinatæ perſonæ, non ſecundùm proprietatem, per quam differt ab alijs, ſed ſecundùm quod cum alijs convenit, ideſt, ſecundùm rationem, in qua non intervenit aliqua relationis oppoſitio; ſed hoc idem contingit in Patre, & Filio ad ſpirandum Spiritum Sanctum; ergo ſi conſtat Spiritum Sanctum à Patre procedere, negari non poteſt pari titulo procedere à Filio.

3 *Aut cùm legimus*: quia ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit, & Filio habere vitam in ſemetipſo; *dicemus Spiritum Sanctum non habere à Patre, à quo eſt, vt habeat in ſemetipſo vitam, ſicut habet Pater, & Filius, quoniam hoc nuſquam dicit Filius de Spiritu Sancto, ſicut de ſe ipſo? Item cum dicit*: Pater in me eſt, & ego in Patre. *Et* qui videt me, videt & Patrem. *An negabimus Spiritum Sanctum eſſe in Patre, & Filio; & Patrem, & Filium eſſe in Spiritu Sancto? Aut eum, qui videt Filium, videre Spiritum Sanctum, ſicut videt Patrem, ſi hæc non eadem pronuntiatione leguntur, qua de Patre, & Filio proferuntur? Immò quoniam vnus, idemque Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, cum dicitur cognoſcere ſolum verum Deum Patrem, & Filium, eſſe vitam æternam, inſeparabiliter intelligendus eſt in illa cognitione Spiritus Sanctus. Et cum legimus*: quia ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo, *non debemus vitam eandem exiſtimare alienam à Spiritu Sancto, aut quod illam non in ſemetipſo habeat. Et cùm audimus* Pater in me eſt, & ego in Patre. *Et* qui me videt, videt & Patrem: *cognoſcere debemus per hæc, quæ ita dicuntur, quia Spiritus Sanctus non eſt extra Patrem, & Filium, aut Pater, & Filius extra Spiritum Sanctum, & quia per viſionem Filij videtur Spiritus Sanctus, ſicut & Pater. Sicut enim non eſt alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus Sanctus, ſic non habet Deus in ſe ipſo aliud, quàm Deum. Non eſt Deus extra Deum, neque Deus diſsimilis Deo.*

4 *Denique non legimus in Prophetâ, aut Evangeliſta, aut Apoſtolo his verbis: Deum vnum eſſe tres Perſonas, aut vnum Deum eſſe Trinitatem: aut Deum de Deo: ſed neque illo Symbolo, in quo non eſt prolata proceſsio Spiritus Sancti de Filio invenimus nomen Perſonæ, vel Trinitatis. Quoniam tamen ex his, quæ legimus, hæc apertiſsimè ſequuntur, conſtantèr ea, & corde credimus, & ore confitemur. Quarè non tantùm ſuſcipere cum certitudine debemus, quæ in Sacra Scriptura leguntur, ſed etiam ea, quæ ex his, nulla alia contradicente ratione, rationabili neceſsitate ſequuntur.*

3 Adhùc clariùs rem illuſtrat, & argumentum factum á Græcis in Græcos ipſos retorquet. Nec in Prophetis, nec in Evangeliſtis, nec in Epiſtolis Pauli legimus expreſsè has propoſitiones: *Deum vnum eſſe tres perſonas: vnum Deum eſſe Trinitatem: Deum eſſe de Deo*: Immò nec in Nicæno Symbolo legimus nomen *perſonæ*, nec nomen *Trinitatis*; at hoc nihilominùs certa fide confitemur, & credimus, quia ex his, quæ legimus apertiſsimè conſequuntur; ſi ergo legimus expreſsè Spiritum Sanctum procedere à Patre, credendum quoque procedere à Filio, quanquàm id expreſsè non tradatur, quia proceſsio à Filio aperte ſequitur ex proceſsione Patris, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Itaque fide divina credimus tres divinas perſonas, cum tamen nomine *perſonæ* vſque ad tempus Sabellij non vteretur Eccleſia, vt inquit Facũdus Hermanenſis Epiſcopus lib. 1. ibi. *Perſonarum autem nomen non niſi cum Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſariò in vſum prædicationis aſſumptum eſt.* Item *hypoſtaſis* nomen ab *vſiæ*, ſive eſſentiæ nomine non niſi ſeneſcente quarto Eccleſiæ ſæculo diſcriminatũ eſt; ergonec expreſsio perſonæ, nec diſcrimen hy-

hypoſtaſis ab eſſentia ex Sacris Litteris habetur explicite, cùm tamen ſignificatam per has voces ſemper Eccleſia conſtanter crederet.

Rurſus in prædicto Symbolo nihil legimus de deſcenſu ad inferos; nihil de mirabili Euchariſtiæ Sacramento; nihil de alijs pluribus; nunquid propterea ea credenda non ſunt? Additio autem *Filioque* optimo iure facta eſt à Latinis, quia vt inquit Petrus 2. c. vlt. *Perverſi homines Apoſtolicam doctrinam, & cæteras ſcripturas prævertunt ad ſui ipſorum perditionem*; ac ideò contra inſurgentes errores neceſſaria eſt explicatio eorundem articulorum, quos Eccleſia ſemper crediderat, quamvis non niſi vrgente neceſsitate expreſſa ſint.

Comment. in cap. 21.

CAPVT XXI.

Proceſsio Spiritus Sancti de Filio exprimitur, cum Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Filij.

1 Quanquám pręſens difficultas plenè ex dictis evacuata appareat, adhùc progreditur noſter Author ad plenioręm confirmationem ex eadem Grecorum doctrina, de qua plura dixerat ſupra c. 8. & nos ibi in Scholijs. Fatentur Greci Spiritum S. eſſe ſpiritum Dei, ſpiritum Patris, & ſpiritũ Filij; inquirit ergo, an eodem ſenſu ſit ſpiritus Filij, ac eſt ſpiritus Dei, & Patris, an diſsimili? non diſsimili; vt ex dicto loco conſtat; & ex dicendis vberius conſtabit, non enim eſt ſpiritus Filij, nec ſpiritus Patris, niſi quatenùs Pater eſt Deus; ergo nõ eſt aliter ſpiritus Filij, quàm ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris; ſed non aliter Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Dei, niſi quatenùs eſt Deus de Deo; nec ſpiritus Patris, niſi quatenús eſt de Patre; ergo non aliter eſt ſpiritus Filij, niſi quatenùs eſt de Filio, & procedit à Filio, ſicut à Patre. Nec dici poteſt Spiritum Sanctum dici ſpiritum Dei, vt res poſſeſſa, v. g. domus, dicitur poſsidentis, aliàs ſicut poſsidens eſt maior re poſſeſſa, & hæc minor; ità Spiritus Sanctus eſſet minor Deo, & hic maior, quod repugnat, cum Spiritus Sanctus ſit Deus. Nec dici poteſt ſpiritus Dei vt pars illius, ſicut manus dicitur pars hominis, quia Deus non habet partes; ergo ſupereſt vt ſolum dicatur ſpiritus Dei quatenùs eſt Deus de Deo; ergo & ſpiritus Filij quatenùs eſt de Filio.

1 *QVAMVIS, quæ ſupra iam dicta ſunt, ſufficere poſsint, adhuc tamen aliquod addam, vnde ſpiritus cognoſcatur eſſe de Filio. Confitentur Græci nobiſcum Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Dei, & ſpiritum Patris, & ſpiritum Filij. Quæro itaque ſi eodem modo intelligunt illum eſſe ſpiritum Dei, & ſpiritum Patris, & ſpiritum Filij; aut diſsimiliter? Certum eſt autem, quia non dicitur ſpiritus Dei, ſicut poſſeſsio, vt cum dicitur equus alicuius, vel domus. Maior autem eſt qui poſsidet, quàm quod poſsidetur: Deus autem non eſt maior Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus eſt Deus, nec Deus eſt maior Deo. Neque dicitur ſpiritus Dei, vt membrum Dei, ſicut manus, vel pes hominis; non enim Deus habet membrum, vel partem vllam. Quomodò ergo intelligendus eſt ſpiritus eſſe Dei, niſi quia hoc, quod eſt, ex Deo eſt?*

2 *Non autem ſignificat aliud nomen Patris, quàm Deum, qui eſt Pater, aut relationem eius ad Filium, ex qua nomen Patris habet. Similiter dicendum eſt de Filio. Quid namque intelligitur in nomine Filij, niſi Deus, qui Filius eſt, aut relatio, qua refertur ad Patrem, per quam Filius appellatur? Sed nullus ſenſus capit Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Patris, aut Filij, ſecundùm quod alter eſt Pater, alter Filius; ſed ſecundùm quod vterque, vnus ideque Deus eſt. Quarè idem eſt intellectus, cùm dicitur Spiritus Sanctus ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris, & ſpiritus Filij; ſed ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris dicitur, quia eſt, & procedit de Deo, & de Patre; itaque eſt, & procedit de Filio, quia eodem ſenſu ſpiritus Filij dicitur.*

2 Nomine Patris nihil aliud intelligitur niſi Deus, & relatio paternitatis; ſicut nomine Filij nihil aliud ſignificatur, quàm Deus, & relatio filiationis; at dici non poteſt Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Patris ſecnndùm relationem paternitatis, vt ſæpius dictum eſt; nàm Pater non refertur ad Spiritum Sanctum, media paternitate, nec filius filiatione; ergo eſt ſpiritus Patris vt Deus eſt; ſed in hoc Pater convenit cum Filio; ergo Spiritus Sanctus, quo titulo eſt ſpiritus Patris, eſt ſpiritus Filij; ſed eſt ſpiritus Patris vt procedens

Nam

á Patre; ergò eſt ſpiritus Filij vt procedens à Filio.

3 Rurſus. Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Dei, & ſpiritus Domini iuxta illud Pſalmi 32. ℣. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; at Deus, & Dominus, cuius ſpiritus eſt, non minus eſt Filius, quàm Pater; ergo non minus eſt ſpiritus Filij, quàm Patris. Minor conſtat, quoniam ex oppoſito ſequeretur Filium ſeparandum eſſe à vera ratione Dei, & Domini; vel neceſſariò dicendum erit ſpiritum Dei, & Domini bifariam accipi poſſe: quòd ſi dicant, oportebit oſtendere vndè duplicem illum ſenſum habeant, quo dicunt Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Patris, & non Filij, quod oſtendere non poterunt.

4 Reſpondent Spiritum Sanctum duplici titulo eſſe ſpiritum Patris, vno, quatenùs procedit à Patre; altero, quatenùs à Patre mittitur; eſt ergo Spiritus Sanctus eodem modo ſpiritus Filij, ac Patris hoc ſecundo modo, quia à Patre, & Filio mittitur, non tamen primo; quare nũquàm probatur procedere á Filio, ſicut procedit á Patre. Sed hæc ſolutio improbata eſt ſupra c. 8. eamque in præſenti retorquet in Adverſarios. Ideò Græci criminantur Latinos dicentes Spiritum Sanctum de Filio procedere, quia id ex Sacra Pagina expreſsè non conſtat; at ille duplex modus, quo dicũt Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Patris, & non Filij, non ex Scriptura, non ex Symbolo, non ex Concilijs, non ex aliqua pagina authentica conſtat; ergo immeritò criminantur Latinos.

5 Denique. Licèt proceſsio Spiritus Sancti de Filio in Sacris Litteris expreſsis verbis non legatur; ea tamen implicitè continetur; ex his, quæ credimus, & quæ traduntur in Symbolo neceſſariò cõſequentiæ filo deducitur; eam tandem apertiſsima ratione ex doctrina revelata deducta probant Latini: at é cõtrà Græci illum diverſum modum, quo adſtruunt Spiritũ Sanctum eſſe de Patre, quo non eſt de Filio, nec expreſsis verbis traditur in Sacris Litteris, nec implicitè continetur, nec ex alijs articulis Fidei deducunt; nec aliqua ratione probant; iudicent ergo ipſi quid potius tenendum? Profectò immeritò criminantur Latinos, nullo iure in ſua contumacia perſiſtunt; conſentiant ergo Eccleſiæ Latinæ, & nobiſcum fateantur proceſsionem Spiritus Sancti à Filio.

3 *Nam cum dicitur Spiritus Sanctus, ſpiritus Dei, & ſpiritus Domini, ſi non intelligimus ibi ſpiritum Filij eo ſenſu, quo ſpiritum Patris; aut ſeparabimus Filium à nomine Dei, vel Domini; aut bifariam intelligeretur ſpiritus Dei, ſive ſpiritus Domini, ſed vnde hunc habent ſenſum? Aut vbi legitur in Sacra Scriptura, quod ſimiliter non intelligatur de Patre, & de Filio, cùm legimus ſpiritum Dei, aut ſpiritum Domini? Aut quid invenitur vnde hoc non ſequatur?*

4 *Nàm ſi dicunt, cum dicitur ſpiritus Patris, duobus modis intelligitur: eſt enim ſpiritus Patris, quia eſt de Patre, & quia datur à Patre: Filij verò ſpiritus non eſt, niſi quia datur à Filio. Hoc eſt, quæro, vndè habeant? Et ſi dicunt, quod in nulla authentica dictum eſt pagina, nec ſequitur ex eo, quod ibi ſcriptum ſit, cur nos reprehendunt cum dicimus Spiritum Sanctum procedere de Filio, ideò, quia hæc verba non legunt? Cùm ex his, quæ legunt, & credunt, hoc ex neceſſitate ſequi intelligimus?*

5 *Iudicent quoque ipſi, quid potius ſuſcipiendum ſit, quamvis in Sacra Pagina vtrumque taceatur. An hoc, quod nos dicimus Spiritum Sanctum procedere de Filio (quod oſtendimus ex his conſequi, quæ veracitèr credimus) an quod ipſi dicunt Spiritum Sanctum aliter eſſe ſpiritum Patris, aliter eſſe Filij, quod nec authoritate, nec ratione, neque ex his, quæ certa ſunt poſſunt oſtendere. Vtique aut debent ceſſare ab hac ſua ſententia, ſi tamen hoc dicunt, vt audio, quod Spiritus Sanctus aliter eſt Filij ſpiritus, quàm ſpiritus Patris, cùm nuſquam hæc legant, vel vnde hoc probent: aut ſaltèm nos reprehendere non debent, qui dicimus Spiritum Sanctum procedere de Filio, quamvis his verbis non legamus, quoniam ex his, quæ pariter credimus, hoc conſequi monſtramus. Sed ſi ceſſant ab hac ſua aſſertione, credant pariter noliſcum Spiritum Sanctum ſimiliter eſſe Patris, & Filij ſpiritum, & intelligent eum à Filio, ſicut à Patre procedere. Et ſi nos reprehendere deſinunt, fateantur nobiſcum hoc, vnde cognoſcunt, nos reprehendi non debere.*

Comment. in cap. 22.

1 Quanquam de argumento huius capitis ſufficienter actum ſit in ſuperioribus, præſertim c. 5. oportet tundere incutem eandem, cùm Græci in eadem contumacia perſiſtant. Ad prædictam ergo, & antiquam Græcorum criminationem contra Latinos regreditur Anſelmus, & quærelam Adverſariorum proponit. Symbolum Nicænum trecentum decem & octo Patribus Spiritu Sancto dictante formatum ſuſcipimus omnes, Græci, & Latini; at in eo proceſsio Spiritus Sancti à Filio non traditur; ergo temerè, & imprudenter addita eſt á Latinis, ac ideò non credenda. Secũdó, quia articulus fidei ab omnibus credendus, & Symbolo addẽdus, omnium conſenſu addendus erat, quia *quod omnes tangit ab omnibus comprobandum eſt* c. *Accedentes* 11. de Præſcriptionibus, l. vlt. C. de authorit præſtanda; cum ergo hoc factum ſit in Eccleſia Latina, Orientali Eccleſia inconſulta, vt temerè factum reſpuendum eſt.

Vlterius. Quia nullo pacto corrumpi debuit Symbolum tanta authoritate formatum. 4. Quia noua Symboli Niceni additio interdicta fuit in geſtis primæ Epheſinæ Synodi; idque poſteà in Concilio Calcedonenſi cõfirmatum. 5. Quia vt idem Anſelmus docuit ſupra cap. 16. Spiritus Sanctus eſt perfectè de Patre; ergo Pater eſt ſufficiens principium Spiritus Sancti; non ergo oportet ſuperaddere Filium ad eum ſpirandum.

2 Solutio conſtat ex littera. Additio namque illa *à Filioque* non temerè, ſed prudenter facta eſt, neceſsitate vrgente, veritate ducente, & Fide præluente: nam vt inquit Petrus epiſt. 2. c. vlt. *Praverſi homines Apoſtolicam doctrinam, & cæteras ſcripturas prævertunt ad ſui ipſorum perditionem*, ac ideò contra noviter inſurgentes errores nova explicatio neceſſaria eſt. Neceſsitas autem palàm eſt ex ipſis Adverſarijs hanc veritatem protervè negantibus.

3 Nec enim duntaxat fide divina credenda ſunt, quæ ex Sacris Litteris verbis conſtant, ſed etiam, quæ ſenſu. Non ſolùm quæ expreſsè notantur, ſed quæ implicitè continentur. Vndè in Symbolo Conſtantin. addita eſt proceſsio Spiritus S. de Patre, quæ in Niceno expreſſa non erat. Ibi nihil legimus de deſcenſu ad inferos; nihil de mirabili Euchariſtiæ Sacramento, nihil de alijs pluribus, quæ Græci, & Latini certa fide credimus.

CAPVT XXII.

Cur in Symbolo non ſit expreſſa proceſsio Spiritus Sancti à Filio, & cur à Latinis fuerit adiecta Græcis inconſultis.

1 *AD hoc autem, quod nos reprehendunt, in Symbolo illo [quod pariter nos, & illi ſuſcipimus, & tenemus] addidiſſe Spiritum Sanctum à Filio procedere, & quærunt, cur hoc factum ſit, & quarè hoc prius eorum Eccleſiæ monſtratum non eſt; vt communiter conſideraretur, & communi conſenſu adderetur, quod addendum erat.*

2 *Ad hoc, inquam, reſponſum ſufficiens habemus. Nam ſi quæritur cùr factum ſit? Dicimus, quia neceſſe erat propter quoſdam minus intelligentes, qui non animadvertebant in illis, quæ vniverſa credit Eccleſia, contineri, & ex his ſequi Spiritum Sanctum de Filio procedere, ne fortè hoc credere dubitarent. Quod quam neceſſarium fuerit, per illos, qui hoc negant, quid in illo Symbolo poſitum non eſt, cognoſcimus. Quoniam igitur & neceſsitas cogebat, & nulla ratio prohibebat, & vera fides hoc admittebat, fiducialiter aſſeruit Latinitas, quod credendum, & confitendum eſſe cognoſcebat.*

3 *Scimus enim, quod non omnia, quæ credere, & confiteri debemus, ibi dicta ſunt: nec illi, qui Symbolum illud dictavere, voluerunt Fidem Chriſtianam eſſe contentam, ea tantummodo credere, & confiteri, quæ ibi poſuerunt. Vt enim alia taceam, non ibi dicitur Dominus ad infernum deſcendiſſe, quod tamen pariter & nos, & Græci credimus.*

4 *Si autem dicunt nullo modo debuiſſe corrumpi ſymbolum tanta authoritate firmatum. Nos non iudicamus eſſe corruptionem, vbi nihil addidimus, quod his, quæ ibi dicta ſunt, adverſetur. Et quamvis defendere poſſemus hanc adiectionem non eſſe corruptionem; ſi quis tamen hoc contentiosè voluerint aſſerere. Reſpondemus nos illud non corrupiſſe, ſed aliud novum edidiſſe: illud enim ſecundùm proprietatem Græci dictaminis tranſlatum cum illis integrum ſervamus, & veneramur. Illud autem, quo frequentius in populi audientia vtimur. Latino more dictatum, cum additamento ſupra dicto edidimus.*

Quod

Ad

Ad 2. Reſpondet Anſelmus Concilium generale, præcipuè ex tam diſsitis Provincijs ſæpè congregari non poſſe, nec ad id neceſſarium eſſe Græcorum aſſenſum; vt erudite traddit Doct. Ang. in Diſput. q. 10. de proceſs. Spiritu S. a 4. & 2. & q. 1. a. 10. vbi concludit id poſſe Pontificem. Quod enim ab omnibus dictus articulus credendus ſit ſolum probat neceſſariam eſſe authoritatem illius, qui eſt omnium caput, de quo in perſona Petri dictum eſt Luc. 22. *Ego rogavi pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

4 Ad 3. reſpondet eam non eſſe corruptionem, ſed expreſsionem, quia nihil additum eſt contrarium dictis in Nicæno ſymbolo, ſed manifeſtè conſequens illa, vel 2. dici poteſt Latinos ſymbolum Nicænum incorruptum, & omninò immutatum ſervare, ac venerari; aliud tamen ad vſum Populi Latini edidiſſe cum ea additione vera, & neceſſaria. Nec dici poteſt Concilium Conſtantinopolitanum corrupiſſe ſymbolum Nicænum, eo quod addiderit proceſsionem de Patre, quæ in Nicæno expreſſa non erat.

Ad 4. Iam conſtat ex c. 5. nam prohibitio illa ſe extendebat duntaxat ad privatas perſonas, quibus non competit in rebus fidei aliquid definire; non tamen ligavit alterius Synodi poteſtatem, multoque minus Pontificiam, nec ligare poterat, nec Eccleſiaſticæ providentiæ congruebat, quia inſurgentem Hæreticorum zizaniã oportet falce veritatis reſecare: vndè hic optimè addit Anſelmus: *Neque illi, qui ſymbolum illud dictavere, voluerunt tantummodò credere, & confiteri, quæ ibi poſſuerunt.* Ad 5. Reſpondet D. Thomàs citato art. 5. ex diſput. ad 9. & 10. Spiritum Sanctum eſſe perfectè à Patre, & Patrem eſſe ſufficiès principium Spiritus Sancti, nec alio indigere principio Filius autem aliud principium non eſt, ſed vnum cum Patre.

5 Denique n. 5. vberius oſtendit quàm iniuſta ſit Græcorum quærela contra Latinos eorum conſenſum non expectantes propter dicta, quibus addit Latinos piaculum iudicaſſe rem hanc in dubium vertere, ac Græcorum definitionem expectare. Præterquam quod ſi Concilium Nationale, ſive Eccleſia per vnicum Regnum dilatata conſtituere poteſt, vt aliquis fidei articulus publicè legatur, & canterur; cur non licebit Eccleſiæ Latinæ per tot Regna, Provincias, & Nationes diffuſa?

5 Quod autem quæritur, quarè hoc Græcorum Eccleſiæ conſenſu factum non eſt? Reſpondemus, quia & nimis erat difficile Latinis eorum Epiſcopos ad conſulendum de hac re colligere, nec erat neceſſe: vnde non dubitabant hoc in queſtionem adducere. Quæ eſt enim Eccleſia, quæ vel per amplitudinem vnius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid ſecundùm rectam fidem conſtituere, quod in conventu Populi vtiliter legatur, aut cantetur? Quantò ergo magis licuit Latinis hoc conſtanter proferre, in quo omnes gentes, & omnia regna, quæ Latinis vtuntur litteris, pariter concordant?

Comment. in cap. 23. CAP. XXIII.

Summa doctrinæ, & probationum proceſsionis Spiritus Sancti de Filio.

1 Doctrinam in ſuperioribus lato calamo propoſitam impreſentiarùm perſtringit Sanctiſs. Doctor. Conſtat enim ex dictis inexpugnabilibus rationibus: 1. Spiritum Sanctum eſſe de Filio, ſicut eſt de Patre. 2. Nõ eſſe de Patre, & Filio, veluti ex duplici principio, ſed de vno tantùm, quia Pater, & Filius ſunt vnus Deus; quarè Spiritus Sanctus non eſt de Patre, &

1 COlligamus breviter, quod ſupra pluribus rationibus effectum eſt. Conſtat inexpugnabili ratione Spiritum Sanctum eſſe de Filio, ſicuti eſt Patre: nec tamen eſſe quaſi de duobus diverſis, ſed quaſi de vno. Ex eo enim, quod Pater, & Filius vnum ſunt, id eſt, ex Deo, eſt Spiritus Sanctus; non ex eo, vndè alij ſunt ab invicem, ſed quoniàm Deus, de quo eſt Spiritus Sanctus, eſt Pater, & Filius; idcircò verè dicitur eſſe de Patre, & Filio, qui duo ſunt.

2 Et quoniàm Pater non eſt prior, aut poſterior Filio, aut maior, aut minor, nec

Filio, vndè alij ſunt ab invicem, nimirum ſecundum proprietates relativas, ſed ex eo, vndè ſunt vnum, nimirũ, divinitate, & virtute ſpirativa.

Ex quibus obiter notandum, quod licet Spiritus Sanctus ſit de Patre, & de Filio, non; ſecundum, quod ſunt alij ab invicem, quia non eſt ab illis ſecundũ quod importãt in rectò proprietates relativas paternitatis, & Filiationis, cum nec Pater refferatur ad Spiritum

ritũ Sanctũ per paternitatem, nec Filius per filiationẽ; eſt tamen eſt *de Patre, & Filio, qui duo ſunt*, quarè data opera dixit Spiritum Sanctum non eſſe de Patre, & Filio *quaſi* de duobus, ſed *quaſi* de vno, vt ſignificaret, nec relationes eſſe rationẽ agendi, nec de materiali ſe habere. Quod amplius exponit dicẽs Spiritum Sanctum eſſe de Patre, vt de toto Deo, & ſimiliter de Filio, vt de toto Deo.

Quæ omnia optimè expendit D. Thomas in 1. diſt. 11. q. 1. a. 2. 3. & 4. vbi docet in Deo ſpirante conſiderandam eſſe conditionem operantis, & cõditionem principij: ſi conſideretur ratio agentis, & operantis ſic Spiritus Sanctus eſt de Patre, & Filio, in quantùm ſunt plures, quia operationes ſunt ſuppoſitorum; cum ergo Pater, & Filius ſint ſuppoſita diverſa ſic procedit ab illis in quantum diverſis. Si tamen conſideretur ratio principij, ſic procedit ab illis in quantum ſunt vnum, quia vis ſpirativa, vna & eadem eſt.

2 Rurſus colligit ex dictis Spiritum Sanctum non eſſe prius de Patre, quàm de Filio, nec magis de vno, quã de alio, nec diverſo modo ab vno, quàm ab alio, quia nec Pater eſt maior Filio, nec Filius minor Patre; nec ille prior, & hic poſterior, ſed Pater, & Filius ſunt vnum per ſummam ſimplicitatem, quod profectò eſſe non poſſet ſi Spiritus Sanctus eſſet prius, aut magis, aut diverſo modo ab vno, quam ab alio. Quam rationem probat D. Thomas loco cito diſt. 12 q. 1. a. 2. vbi ait: *Reſpondeo. Dicendum quod Spiritus Sanctus, nec prius, nec plenius, nec magis procedit à Patre, quàm à Filio. Et ratio huius tota eſt, quia Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti; & vbi eſt vnitas non poteſt eſſe diſtinctio plenitudinis.*

nec alter magis, aut minus eſt Deus, quam alter, non eſt Spiritus Sanctus prius de Patre, quam de Filio; nec de Filio, quam de Patre; nec maior, nec minor eſt exiſtens de Patre, quam exiſtens de Filio; nec magis, nec minus eſt de vno, quam altero. Nam ſi prius, aut poſt, vel maior, vel minor, aut magis, aut minus de vno eſſet, quàm de altero, ex neceſsitate ſequeretur, vt aut Spiritus Sanctus non eſſet de hoc, in quo vnum ſunt Pater, & Filius; aut ipſum vnum non eſſet perfectè, & ſimpliciter vnum; ſed eſſet ibi aliqua diverſitas, de qua illa, quam dixi, in exiſtendo de eodem vno Spiritum Sanctum eſſet varietas; ſed dici non poteſt, quod Spiritus Sanctus non ſit de hoc, in quo vnum ſunt Pater, & Filius, alioquin non eſſet de Deo. Nec credi debet, quod in ipſo vno ſit, ſecundum, quod eſt aliqua diverſitas. Quæ res nec prius, nec poſt, nec maior, aut minor; nec magis, aut minus eſt Spiritus Sanctus de Patre, quam de Filio, aut de Filio, quam de Patre. Non enim vnus, idemque Spiritus Sanctus, qui ſemèl totus eſt de Deo toto, magis aut minus poteſt eſſe de vno, & ſummè ſimplici Deo.

CAP. XXIV.

Quod Spiritus Sanctus non ſit principaliter de Patre.

Comment. in cap. 24.

1 Dictum eſt in præcedentibus Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, ideòque non magis, nec plenius, nec prius eſſe de Patre, quàm de Filio. Sed quia nonnullis ex Patribus; immò & Scholaſticis cum D. Bonav. Marſilio, Durando, & alijs non diſplicet loquendi modus aſſerentium Spiritum Sanctum procedere à Patre *principaliter*; ideó Anſelmus in præſenti docet, quod eſſe *principaliter* de Patre duplicem ſenſum habere poteſt. Si enim *principaliter* ſignificet prioritatem, maioritatem, aut diverſitatem in ſpirando, omninò negandum eſt, quia Pater, nec prius, nec magis, nec principaliùs, eſt Deus, & Spirator, quam Filius.

Si autem *principaliter* ſignificet duntaxàt Patrem habere virtutem ſpirativam à ſe; Filium verò à Patre, ille loquendi modus permitti poteſt: at hoc non impedit, vt omnimoda æqualitate Pater, & Filius ſpirent Spiritum Sanctum per modũ vnius principij. Quod clariſsimè oſten-

QVOD ſi dicitur, quia Spiritus Sanctus, principaliter eſt de Patre: quaſi magis ſit de Patre, quàm de Filio. Non ita dicendum eſt, vt intelligatur vlla prædictarum varietatum in eſſe; ſed quoniàm Filius hoc, quod eſt, de Patre habet; id circo hoc ipſum quod Spiritus Sanctus eſt de Filio, habere de Patre, de quo habet eſſe, non inconvenienter aſſeritur. Quoniàm tamen ſic habet eſſe de Patre Filius, vt omninò id ipſum ſit, quod Pater, & vnus idemque Deus, ſicut ſolus, & ſimplex Deus non poteſt eſſe maior, vel minor ſe ipſo, nec prior, nec poſterior, nec aliquid in ſe habet diverſum: ſic Filius, nec prior, nec poſterior, nec maior, nec minor eſt Patre, nec habet aliquid in ſe diverſum

ab

dit Anſelmus ex paritate Filij. Nam Filius eſt Deus de Deo Patre, & genitus à Patre, hoc tamen non probat Patrem eſſe, prius, aut magis, aut principaliùs, Deum, quàm Filium eſſe Deum, aut aliquam inter vtrumq; eſſe diverſitatem ſeclusa oppoſitione relativa; ergo licet Filius habeat virtutem ſpirativam à Patre, non ideò eſt magis, prius, aut principalius, à Patre, quàm à Filio; nec inter Patrē, & Filium quantūm ad vim ſpirandi admittenda eſt vlla diverſitas. In eodem ſenſu loquitur D. Thomas pluribus in locis, & in 1. diſt. 12. q. 1. a. 2. ad 2. ait: *Quamvis Filius habeat à Patre hoc, quod ſpirat Spiritum Sanctum, nihilominus tamen non eſt hoc diverſum in Patre, & Filio, quia eamdem virtutem ſpirativam, quàm Pater habet, Filio communicat; & ideò per illam æqualiter Pater, & Filius Spiritum Sanctum ſpirant.*

2 Numero 2. eandē confirmat doctrinam, quia Filius eſt idem Deus cum Patre; & licet ſit Deus de Deo, nulla tamen eſt diverſitas in divinitate, ſed in perſona: ſicut ergo in divinitate nulla permittitur diverſitas, ita nec in virtute ſpirativa, vt eleganter exponit D. Thomas 1. p. q. 36. ar. 2. ad 2. his verbis: *Si Filius acciperet à Patre aliam ab eo, ſed ſicut habet ab illo perfectè eſſe, ita habet per omnia ab eodem æqualem illi, & ſimilem; immo id ipſum eſſe. Qua propter ſicut Pater non eſt magis Deus, quàm Filius, quamvis Filius habeat eſſe de Patre; ita non eſt magis Spiritus Sanctus de Patre, quàm de Filio; licèt Filius à Patre habeat, vt de illo ſit Spiritus Sanctus.*

2 *In eo enim, inquo eſt vnus, idemque cum Patre, ideſt, in eo quod Deus eſt, nec eſt alius ille, & alius Pater, neque diſſimiliter habet aliquid, quia non eſt alius Deus Pater, & alius Deus Filius: neque diſſimiliter ſunt id, quod ſunt, ſed in eo, quod ille eſt Pater, iſte Filius, alius eſt ille; & alius eſt iſte. Et ſicut Filius non eſt alius Deus, quàm Pater, ita ſecundum quod Deus eſt, non habet aliquid ab alio, quam à ſe ipſo. Nam cum dicimus Deum de Deo, Filium de Patre, non alium intelligimus Deum de Deo alio, ſed eundem ipſum Deum de eodem ipſo Deo, quamvis dicamus alium de alio, Filium ſcilicet de Patre. Sicut enim ſupra dictum eſt, quemadmodum Deus ſecundùm nomen ſignificans vnitatem, nullam recipit diverſitatem; ita ſecundùm nomina ſignificantia Deum eſſe de Deo, neceſſariò admittit pluralitatem.*

3 *Si ergo dicitur, quod Spiritus S. principaliter à Patre ſit, non aliud ſignificatur, quàm quia ipſe Filius, de quo eſt Spiritus Sanctus, à Patre habet hoc ipſum, vt Spiritus Sanctus ſit de illo, quoniam id, quod eſt, habet à Patre. Non quemadmodum in rebus creatis, cùm aliquid aſſerimus eſſe principaliter, volumus ſignificare, quod magis ſit hoc, quod dicitur eſſe principaliter, quàm illud, ad quod refertur: vt cùm diſpenſator alicuius Domini, eius præcepto paſcit familiam domus; Dominus principaliter, & magis eam paſcere rectè dicitur, quàm diſpenſator. Nam non omnia, quæ ſunt Domini, ſunt diſpenſatoris æqualiter; ſicut ea, quæ ſunt Patris, Filij quoque ſunt non inæqualiter.*

Comment. in cap. 25.

CAPVT XXV.

Proceſsio hæc intra Deum nullam prioritatem inducit, niſi originis.

1 Cùm dictum ſit cap. antecedenti Spiritum Sanctum eſſe de Patre; & Filio omninò

2 Quæret forſitan aliquis, & mirabitur dicens: *Quomodò poteſt*

virtutē numero ad ſpirandum Spiritum Sanctum ſequeretur, quod eſſet ſicut cauſa ſecunda, & inſtrumentalis: & ſic magis procederet à Patre, quàm à Filio: ſed vna, & eadem numerò virtus ſpirativa eſt in Patre, & Filio, & ideò æqualiter procedit ab vtroque, licèt aliquando dicatur ſecundùm prædictam habitudinem principaliter, vel propriè procedere de Patre propter hoc, quod Filius habet hanc virtutem à Patre.

3 Propter hæc concludit Sāctiſs. Doctor cautè permitendam eſſe eam particulam *principaliter*, eòquod in rebus creatis maximam ſignificat diverſitatem, qualis eſt inter cauſam principalem, & inſtrumentalem: inter principale, & ſubſtitutum, & probat exemplo Domini, ac Diſpenſatoris in ordine ad gubernationem domus, ac res familiares diſtribuendas: in his enim eſt aperta inæqualitas, quia bona diſtribuenda ſunt propriè, & principaliter Domini: ad Diſpenſatorem verò, ſive æconomum non ſpectant niſi iuxta præſcriptum, & diſpoſitionem Domini, attamen bona Patris ſunt ſimiliter Filij omni inæqualitate ſecluſa: ideòque emiſsio, aut proceſsio tanti boni, nimirùm Spiritus Sancti, vtrique æqualiter convenit.

æqualiter, quamquam Filius habeat eſſe, & virtutem ſpirativam à Patre: videri poteſt alicui hæc doctrina prorſus imperceptibilis. Quoniam repugnare vi-

videtur aliquid habere eſſe de alio, & id non eſſe principalius, & dignius in dante, quàm in accipiente: in eo quaſi primariò; & in hoc quaſi ſecundariò; at virtutem ſpirativam habet Pater à ſe, Filius autem à Patre; ergo dignius, & principalius, & quaſi primariò eſt in Patre; in Filio verò quaſi ſecundariò, & minus principaliter; ergo Spiritus Sanctus eſt de Patre tanquam de primo, ac digniori principio, ac ideò non eſt æqualiter de Patre, & Filio. Et ratio maioris eſt, quia qui habet aliquod eſſe à ſe; nullo alio indiget, qui autem id habet ab alio, illo indigere videtur; ergo veritas ſpirativa præſtantiùs eſt in Patre, qui nullo indiget, quàm in Filio indigente.

2 Hæc impugnatio (inquit noſter Author) locum habere poteſt in creatis, non in Deo; creatura nãque non aliter eſt ab alio, niſi per diſtinctionem realem naturæ, per dependentiam, cauſalitatem, inferioritatem, poſterioritatem durationis, aut naturæ, aliaſque imperfectiones, & inæqualitates, quæ locum non habent in Deo, vbi nulla indigentia, dependentia nulla, nec cauſalitas, nec poſterioritas, aut prioritas temporis, aut naturæ, ſed omnia æterna, omnia ſimul, nulla diſtinctio in natura, ſed omnes divinæ perſonæ ſunt vnus Deus; quare divina illa proceſsio eſt à noſtris proceſsionibus prorſus elevata, & humanis mentibus prorſus inacceſſa; non ergo quia impenetrabilis, eſt neganda, ſed humiliter credenda, & veneranda; nam (vt inquit Bernardus Epiſt. 189.) *Nihil magis cõtra rationem, quàm velle ratione tranſcendere: nihil magis contra fidem, quam credere velle quidquid non poſsis rutione attingere.*

Ratio diſparitatis eſt, quia licet Filius habeat eſſe de Patre, & Spiritus Sanctus de Patre, & Filio, non tamen veluti tranſiens de non eſſe ad eſſe, vel de nihilo ad aliquid, vt hic traddit Anſelmus, & optimè exponit D. Thomas in 1. diſt. 5. q. 3. a. 2. tum quia quod eſt ex nihilo eſt vertibile in nihil: tum quia importat poſterioritatem temporis, vel naturę, quod totum Filio Dei repugnat, cum ſit Deus, & æternus, & dependentiam non habeat, ſicut habere opotet, quod eſt poterius natura, nam quod eſt natura poſterius, ex ſe non habet, niſi non eſſe.

3 Denique eandem doctrinam corroborat, nam ſicut æternitas humanæ mentis aciem ita ſupergreditur, vt de eius principio iudicare non poſsit, vbi nullum eſt principium: ita humana mens nequit digne concipere eminentiam illius nativitatis, & proceſsionis, vbi non naſcitur, aut procedit alius Deus à generante, vel ſpirante, ſed per communicationem eiuſdem prorſus divinitatis eſt Deus de Deo, vel naſcendo, vel procedendo.

poteſt intelligi, vt aliquid habet eſſe de aliquo, & non ſit aliquo modo id, de quo eſt, principalius, & dignius? Et hoc, quod ex eo eſt, quodammodò minus, & quaſi ſecundarium; præſertim cum id, quod eſt de aliquo, videatur indigere, vt ſit, eo de quo eſt; illud verò, de quo eſt nequaquam egeat eo quod de ſe eſt?

2 *Ad quod reſpondendum, quod ſicut eſſentia Dei valdè diverſa, & aliena eſt à creata eſſentia: ita cum dicimus Deum de Deo exiſtere naſcendo, vel procedendo, longè aliter intelligenda eſt iſta nativitas, ſivè pro eſſio; quàm cùm dicimus in alijs rebus aliquid naſci, vel procedere. Ibi enim nihil eſt, aut natura, aut tempore, aut in aliquo, prius, aut poſterius; magis, aut minus; aut vlla ratione aliquo indigens: ſed totum, quod eſt, non tàm æquale, vel ſimile ſibi & coæternum, quàm idem ſibi ipſi, & per ſe ſibi ipſi omninò ſufficiens; nec naſcitur, vel procedit ibi aliquid quaſi de non eſſe proficiens ad eſſe.*

3 *Sicut igitur intellectus noſter non poteſt tranſire vltra æternitatem, vt quaſi de principio eius iudicet: ſic non poteſt de hac nativitate, vel proceſsione, nec debet ad ſimilitudinem creaturæ ſentire, vel iudicare. Sed quoniam & quod naſcitur, & quod procedit non eſt aliud, quàm id, de quo eſt naſcens, vel procedens, quod eſt ſolus, & vnus Deus: ſicut idem Deus non eſt ſe ipſo maior, vel minor; ita in tribus, hoc eſt, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non eſt aliquid maius, vel minus; nec eſt alius alio hoc, quod eſt maius, vel minus: quamvis verum ſit, quia Deus eſt de Deo naſcendo, & procedendo.*

CAPVT XXVI.

Veritas proceſsionis Spiritus Sancti à Filio, ideò maximè firmatur, quia Fide certa ſunt, ex quibus neceſſariò ſequitur.

Comment. in cap. 26.

1 Colligit ex dictis, quàm verè, & quàm neceſſario conſequentiæ filio deducatur Spiritum Sanctum de Filio procedere. Quapropter eam proceſsionem negantes, vel negare debent principia, ex quibus deducta eſt, vel aſſerere conſequentiam non eſſe optimé illatam: at primum non dicent, quia deducta eſt ex principijs Fide Catholica certis., & quæ Græci cum Latinis fatentur. Secundum autem nec á Græcis oſtenditur, nec oſtendi poteſt; vt latè ex ſuperioribus conſtat.

2 Sed quia ex vero non niſi verum deduci poteſt; ſi principia vera ſunt, conſequentia optimé illata vera eſſe debet; vel ſi falſa eſt concluſio, principia, ex quibus deducitur, vera eſſe non poſſunt, quod Chriſtiana Fides non permittit. Eò vel maximè, quia poſito Spiritum Sanctum à Filio procedere, cætera omnia conſonant, & inoffenſo pede decurrunt: ſic enim facilè percipitur id ipſum, quod Græci fatentur; nimirum Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Filij, ſicut & Patris, & ſic mitti à Filio, ſicut à Patre: Patrem ſpirantem eſſe vnum Deum cum Filio, & ſic de alijs; ſi ergo ex aſſerta proceſsione Spiritus Sancti de Filio nulla deducitur falſitas; adſtruitur veritas, alia Chriſtianæ Fidei dogmata optimo conſequentiæ nexu fæderantur: totumque ex oppoſito contingat ea proceſsione negata, nulla ratione negari poteſt, ſedomni iure adſtruenda eſt.

3 Denique confidenter aſſerit cum Ricardo Victorino lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine ſi error eſt, quem credimus, à te decepti ſumus*; ſi ergo Latini credentes Spiritum Sanctum à Filio procedere decipimur, á Deo quidem decipimur, cum ex doctrina à Deo revelata credamus. Quod ſi opponant divinas ſcripturas nuſquam eam proceſsionem tradidiſſe. Ex ſuperioribus patet ſolutio; & hic addendum, nec vnquam negaſſe, nec aliquid proferre, quod repugnet, ſed plura, ex quibus neceſſariò probetur.

1 *ECCE vidimus quanta veritate, & quanta neceſsitate ſequatur Spiritum Sanctum de Filio procedere. Quod ſi verum non eſt; aut aliquid eorum ex quibus hoc diximus conſequi falſum eſt; quod eſt contra Chriſtianam Fidem, quam cum Græcis tenemus; aut non conſequenter concluſimus, quod oſtendi nequit. Quarè ſi verum non eſt, Fedes Chriſtiana deſtruitur.*

2 *Palàm etiam eſt intelligenti, ſi falſum eſſe ponitur, quia nulla indè veritas naſcitur. Conſideremus quoque quid eveniat, cum pro vero aſſeritur. Vtique ſi verum eſt Spiritum Sanctum procedere à Filio, ſicut à Patre; ſequitur, quia Filij Spiritus eſt, ſicut Patris, & mittitur, & datur à Frlio, ſicut à Patre, quod divina docet authoritas, & nulla penitùs ſequitur falſitas. Cum autem proceſsio Spiritus Sancti à Filio negata tantam inducat falſitatem, vt illa, ex quibus conſequi monſtravimus, deſtruat contra Fidem Chriſtianam, nec vllam generet veritatem; & aſſertam tantam probent veritatem [ſicut oſtendimus] nec aliquam vllatenùs ſecum trahat falſitatem: cogitet cor rationale, qua ratione illam excludat à Fide Chriſtiana.*

3 *Denique. Si error eſt hanc credere de Filio Spiritus Sancti pr ceſsionem; ipſa divina authoritas nos in errrorem inducit, cum & illa, ex quibus hæc ſequitur proceſsio, & quæ illam ſequuntur, nos docet; nec alicubi, aut illam negat, aut quod illi repugnet aliquo modo pronuntiat. Si ergo opponitur, quia nuſquam eam profert divina authoritas, ideò non eſſe dicendam. Dicatur ſimiliter, quia nuſquam illam negat, nec aliquid dicit, quod repugnet; non eſſe negandam. Dicimus etiam, quia ſatis illam affirmat, cum illa aſſerit; vndè probatur; & nullo modo aliquid ſignificet, vndè negetur.*

Comment. in cap. 27.

1 Properans Anſelmus noſter in opuſculi finem varias illationes ex toto diſcurſu proponit. Primó colligit Spiritũ Sanctũ differre à Filio, non ſolũ quia Filius habet eſſe naſcẽdo, & Spiritus Sanctus procedẽdo, *ſed hac quoque cauſa*, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio; & hoc ſolo titulo Filius nõ eſt de Spiritu Sancto: alterutrũ enim neceſſarium eſt; aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio; aut Filium eſſe de Spiritu Sãcto, alioquìn non eſſet, vndè Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, ſi alterum non eſſet ex altero, vt c. 4. latè oſtenderat.

Ex quibus notandũ Spiritum Sanctũ differre à Filio, quia habet eſſe procedendo, tanquam ex cauſa inadæquata, & illativa, non formali; quaſi dicens: Spiritus Sanctus differt à Filio, quia habet eſſe procedendo, nõ vtcũque, ſed hac quoque de cauſa, ideſt, à Filio. Et ratio eſt in promptu, quoniam Spiritus Sãctus differt à Filio, quia habet eſſe procedẽdo; at in expreſſa ſententia eiuſdem S. Doctoris toto hoc opuſculo latè probata neceſſariò procedit à Patre, & Filio; ergo ideò differt à Filio, quia à Filio, procedit, ergo quo pacto repugnat à Filio non procedere, eo repugnat à Filio diſtingui, ſi ab eodem non procedat.

2 Ex his colligit hanc eſſe differentiam inter divinas perſonas. Nam Pater eſt Deus, de quo eſt Deus; ipſe tamen nõ eſt Deus de Deo. Filius eſt Deus de Deo, & Deus, de quo eſt Deus, quia eſt à Patre, & ab ipſo eſt Spiritus Sãctus. Spiritus Sanctus eſt Deus de Deo, non tamen Deus de quo eſt Deus. Hanc autem differentiã allegat S. Doctor, vt aperte demonſtret hanc eſſe conditionem divinarum perſonarum, vt vna procedat; & altera ſit neceſſariò proceſsionis principium, vndè ſecluſa proceſsione ſalvari non poteſt perſonalis diſtinctio.

Præterea. Facta collatione vnius perſonæ ad aliã procedit ad cõparationẽ vnius ad alias duas, & primò Patris ad Filiũ, & Spiritum Sanctum, ſunt enim de Patre duo, non tamen duo Dij, ſed vnus Deus, qui eſt Filius, & Spiritus Sanctus, Filius refertur ad Patrem, & Spiritum Sãctum, quia eſt de Patre, & de ipſo eſt Spiritus Sanctus; non tamen comparatur ad duos Deos, ſed vnũ Deum, qui eſt Pater, & Spiritus Sanctus. Spiritus Sanctus eſt à duobus, nimirùm Patre & Filio; nõ tamen à duob⁹ Dijs, ſed vno Deo, qui eſt Pater, & Filius.

Igitur. Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus conſiderentur vt bini, ideſt, ſi fiat collatio inter duas perſonas, vnam ad alteram comparãdo, neceſſe eſt alterũ ex altero procedere: v. g. ſi fiat collatio inter Patrẽ, & Fi-

CAPVT XXVII.

Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet; non eſſet cur Filius non procederet de Spiritu Sancto.

1 *PATET ergo, ſicut ſuprà præmiſsi, præter hoc quia Filius exiſtit naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo; hac quoque cauſa, quia ſcilicet Spiritus S. eſt de Filio, eos adinvicem non poſſe dici, & propter hoc ſolum Filium non poſſe eſſe de Spiritu Sancto. Nam quoniam (vt dictum eſt) aut Filius eſt de Spiritu Sancto; aut Spiritus Sanctus de Filio; ſi non eſſet Spiritus Sanctus de Filio, ſequeretur de Spiritu Sancto Filium eſſe.*

2 *Apparet itaque per ſupradictas rationes, quia Pater eſt Deus, de quo Deus eſt, & non eſt Deus de Deo: & Filius eſt Deus de Deo, & Deus, de quo eſt Deus: & Spiritus Sanctus Deus de Deo, nec eſt Deus de quo eſt Deus. Et quamvis de Patre ſint duo, ideſt, Filius, & Spiritus Sanctus, non tamen duo Dij ſunt de Patre, ſed vnus eſt Deus, qui eſt Filius, & Spiritus Sanctus. Et licèt duo ſint, de quo eſt Filius, & qui eſt de Filio, ideſt Pater, Spiritus Sanctus, non tamen ſunt duo Dij, ſed vnus Deus, qui eſt Pater, & Spiritus Sanctus: & quanquàm Spiritus Sanctus ſit de duobus, ideſt, de Patre, & Filio, non tamen de duobus eſt Dijs, ſed de vno Deo, qui eſt Pater, & Filius.*

3 *Si autem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus bini conſiderentur, liquet ex his, quæ dicta ſunt, quia neceſſe eſt alterum ex altero, aut eſſe, quia ille non eſt ex ſe, aut non eſſe, quia ille eſt ex ſe. Nam ſi conferamus Patrem, & Filium, videmus Filium eſſe de Patre, quia Pater non eſt de illo; & Patrem non eſſe de Filio, quia Filius eſt de Patre. Et ſimilitèr ſi non conſideremus Patrem, & Spiritum Sanctum, inveniemus Spiritum Sanctum eſſe de Patre, quia non eſt de illo Pater; & Patrem non eſſe de Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus de illo eſt. Ita quoque ſi Filius, & Spiritus Sanctus, quomodò ſint adinvicem ſpeculamur, intelligimus Spiritum Sanctum eſſe de Filio, quia Filius nõ eſt de illo; & Filium non eſſe de Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio. Apparet igitur, quod ſupra dixi, quia relationes prædictæ*

Filium ; oportet Filium eſſe ex Patre, quia Pater non eſt ex Filio. Si inter Patrem, & Spiritum Sanctum ; Spiritus Sanctus eſt de Patre, quia Pater non eſt de Spiritu Sancto. Si tandem inter Filium, & Spiritum Sanctum ; Spiritus Sanctus eſt de Filio, quia Filius non eſt de Spiritu Sancto. Sicut ergo Filius non eſſet alius à Patre, ſi non eſſet de Patre ; nec Spiritus Sanctus eſſet alius ab eodem Patre, ſi non eſſet de ipſo Patre ; ita Spiritus Sanctus non eſſet alius à Filio, ſi non eſſet de Filio. Denique colligit pluralitatem relationum, quæ ſola facit diſtinctionem in divinis, in nullo lædere ſummam Dei vnitatem ; quapropter licèt plures relationes ſint in vno Deo non impediunt vnitatem eſſentiæ, nec vnitas eſſentiæ reſtringit numerum relationum, quæ perſonas conſtituunt.

dictæ licèt ſint in vno, non poſſunt vnitati immittere pluralitatem ſuam, nec vnitas relationibus ſingularitatem ſuam.

Comment. in cap. 28.

CAPVT XXVIII.

Communia, & propria Patri, ac Filio, & Spiritui Sancto.

1 Vlterius colligit ex ſuperioribus ſex differentias, quæ ex nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti naſcuntur, eaſque proponit ſub triplici capite bimembri. Prima eſt habere, & non habere Patrem. Secunda habere, & non habere Filium. Tertia habere, & non habere Spiritum Sanctum de ſe procedentem. Ex his differentijs vna talitèr eſt propria vnius perſonæ, vt nulli alteri conveniat. Aliæ duæ ſunt communes, & propriæ : *communes*, quatenùs in eis vna perſona communicat cum altera ex alijs duabus perſonis : *propriæ*, quatenùs per eas differt ab altera.

2 Has autem differentias ita ſubtilitèr diſtribuit. Pater habet Filium, & Spiritum Sanctum de ſe procedentem : primum eſt proprium ſolius Patris, quia nec Filius, nec Spiritus habet Filium : ſecundum ita eſt proprium Patris, vt etiam competat Filio, differt tamen à Spiritu Sancto, quia etiam

1 *PORRO ſex ſunt differentiæ Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ex his naſcentes nominibus ; ideſt habere, & non habere Patrem. Habere Filium, & non habere Filium. Habere Spiritum Sanctum de ſe procedentem, & non habere Spiritum Sanctum de ſe procedentem. Harum differentiarum ſingulus quiſque habet vnam propriam, qua differt ab alijs duobus : & duas ita communes, & proprias, vt qua communicat vni, ea differat ab altero.*

2 *Pater namque habet Filium ſolus, quo differt ab alijs duobus ; habet Spiritum Sanctum procedentem de ſe, quod commune eſt illi cum Filio, & quo differt à Spiritu Sancto. Patrem autem non habet, ſicut nec Spiritus Sanctus ; & in hoc differt à Filio. Filius ſolus habet Patrem, in quo differt à Patre, & Spiritu Sancto. Et illi commune cum Patre ; ſicut dictum eſt, quia procedit de illo Spiritus Sanctus ; vndè ab eodem Spiritu Sancto diverſus eſt : caret autem Filio, ſicut Spiritus Sanctus ; vndè diſcrepat à Patre. Spiritus Sanctus ſolus eſt, de quo alius non procedit : commune eſt illi cum Patre, vt dixi, non habere Patrem, in quo diſſimilis eſt Filio. Cum Filio quoque eſt illi commune, vt iam monſtratum eſt ; vndè Patri non concordat.*

3 *Solus itaque Pater eſt, qui eſt de nullo, & de quo ſunt alij duo. Solus è contrà Spiritus Sanctus eſt, qui de duobus, & de quo nullus. Solus Filius, qui de vno, & de quo vnus. Eſt autem tribus commune ad duos habere relationem : Pater enim ad Filium,*

Filius habet Spiritum Sanctum de ſe procedentem, non verò Spiritus Sanctus. Rurſus. Pater non habet Patrem ; in hoc differt à Filio, & convenit cum Spiritu Sancto.

Filius habet Patrem, & Spiritum Sanctum de ſe procedentem : Primum eſt proprium ſolius Filij : ſecundum ita eſt proprium Filij, vt in eo conveniat cum Patre, & differat à Spiritu Sancto. Rurſus. Filius non habet Filium, in quo convenit cum Spiritu Sancto, & differt à Patre. Denique Spiritus Sanctus habet eſſe, de quo nullus alius procedit, & non habet Patrem. Primum eſt proprium ſolius Spiritus Sancti : Secundùm ita eſt proprium ſolius Spiritus Sancti, vt in eo conveniat cum Patre, & differat à Filio. Rurſus. Spiritus Sanctus non habet Filium, in quo convenit cũ Filio, & differt à Patre.

3 Hanc doctrinam amplius expendit hoc modo. Solus Pater eſt de nullo, & de illo ſunt alij duo. Solus Spiritus

Sanctus eſt de duobus, & de illo nullus. Solus Filius eſt de vno, & de illo vnus. Inſuper. Quælibet perſona importat relationem ad alias duas, quia Pater refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum, cùm Filius, & Spiritus Sanctus ab ipſo procedant. Filius refertur ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia procedit à Patre, & de ipſo procedit Spiritus Sanctus. Spiritus Sanctus refertur ad Patrem, & Filium, quia eſt de vtroque.

4 Sequitur ex dictis in qualibet perſona talem eſſe collectionem proprietatum, quę non eſt in alia: ſicut etiam cõtingit in quolibet individuo naturæ humanæ; cum ea ramẽ differentia, quod individuum naturæ humanæ eſt vna perſona, & vnus homo; & pluralitas perſonarum eſſe non poteſt ſine pluralitate humanitatum. Attamen in Deo talitèr vna perſona eſt vnus Deus, vt ſimul plures perſonæ ſint vnus Deus, & vnus Deus plures perſonæ, cum tota perſonarum diſtinctio ortum ducat ab oppoſitione relativa, non à limitatione, proindeque natura non dividitur in perſonis.

lium, & Spiritum Sanctum refertur, ſicut ad illos, qui de ſe ſunt. Filius ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus Sanctus eſt de illo. Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, quia eſt de vtroque.

4 *Poſsidet ergo vnuſquiſque ſuas proprietates, quarum collectio in alio non eſt eadem ad ſimilitudinem diverſarum hominum perſonarum. Per hoc enim hominum perſonæ diverſæ ſunt abinvicem, quia vniuſcuiuſque proprietatum collectio non eſt in alio eadem. Intereſt tamen aliquid. Nam in perſonis hominum, ſi vna eſt perſona, vnus eſt homo, & ſi vnus eſt homo, vna eſt perſona. Item, ſi plures ſunt perſonæ, plures quoque ſunt homines; & ſi iſti plures ſunt, illæ & pluralitatem non effugiant.*

5 *In Deo verò quamvis tres perſonæ vnus tamen eſt Deus; & licèt ſit vnus Deus, nequaquam tamen perſonæ pluralitatem amittunt. In hoc itaque, quod relativè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines, perſonarum admittit pluralitatem, & diverſitatem. In hoc verò, quod per ſe, ideſt, in Deo, inſeparabilem ad ſimilitudinem vnius hominis ſervat ſingularitatem: pluralitas namque humanarum perſonarum non eſt, niſi pluribus hominibus; nec vnus homo pluralitatem accipit perſonarum. Deus verò vnus eſt tres perſonæ; & perſonæ tres vnus Deus. Hoc itaque modo, nec vnius, nec diverſarum integrè ſervet aliarum perſonarum proprietatem.*

Comment. in cap. 29.

CAPVT XXIX.

In Deo per ea propria eſt perſonarum pluralitas: per communia verò eſſentiæ vnitas.

1 Unitatem in eſſentia, & pluralitatem in perſonis opuſculo de Incarn. cap 8. Author noſter iam ante luculentèr expreſſerat eodem exemplo puncti, quo in præſenti vtitur, & quidem ſatis opportuno, ſed inadæquato, vt ibidem notat Sanctiſſimus Doctor, quoniam arcanum illud prorſus ſine exemplo, & ab omni creatura infinitè diſsitum, adæquatam ſimilitudinem non patitur. Itaque docet ſæpè contingere, vt plura eiuſdem rationis, & nominis, dùm in vnum coeunt vnum fiant, vt ſi punctum addatur immediatè pũcto, vnũ duntaxat punctum conſurgit: idem contingit in linea addita lineę; in ſuperficie addita ſuperficiei, & in alijs homogęneis; quarè ex aqua addita aquæ nõ plures aquæ, ſed vna aqua conſurgit.

1 *CVR autem ita ſit, quamvis in præfata epiſtola de Incarnatione Verbi, de hoc aliquantulum dixerim, brevitèr tamen hic repetam. Sæpè fit vt plura conveniant in vnum ſub eodem nomine, & eadem qualitate, quam habebant ſingula, ante quam vnum fierent. Quippè ſi punctum addimus puncto ſine intervallo, aut æqualem lineam in æquali linea: aut ſuperficiem æqualem in æquali ſuperficie collocamus, non fit niſi vnus punctus, vna linea, vna ſuperficies. In multis ſi quis voluerit quærere inveniet ſimile.*

2 Hoc modo æternitas (cùm indiviſibiliter omnia ambiat) dividi non poteſt in plures æternitates; vndé æternitas in æternitate non eſt niſi vna æternitas, lumen in lumine vnum tantúm eſt lumen, & ſic de omnibus, quæ de divina eſſentia dicuntur; licet ergo quęlibet divina perſona

2 *Hoc itaque modo, quamvis non ſint plures æternitates, ſi tamen dicitur æternitas in æternitate, non eſt niſi vna æternitas, & lumen in lumine, vnum tamen lumen eſt. Eodem modo quæcumque*

ſit

ſit æterna, nõ ideò multiplicatur æternitas; cũ ergo Deus ſit ipſa æternitas, quemadmodum extra æternitatem nihil eſt, ita extra Deum nihil eſſe poteſt, ſed quidquid Deus eſt intra Deum neceſſariò eſt; dùm ergo certa fide credimus Deum eſſe de Deo naſcendo, & procedendo, non ſignificamus eſſe Deum extra Deum, ſed in Deo; at Deus in Deo non eſt niſi vnus Deus; ergo Deus procedens, & Deus à quo procedit; Deus genitus, & Deus à quo gignitur, vnus tantùm eſt Deus, non plures Dij; ergo nõ obſtãte pluralitate, quę ex nativitate, & proceſsione naſcitur, nulla fit pluralitas in natura divina.

3 Sequitur inevitabiliter, quod cum Deus nullas habeat partes, nõ eſt partim Deus Pater; partim Filius, & partim ſpiritus; nec alius Deus Pater; alius Deus Filius; alius Deus Spiritus S. ſed quęlibet perſona eſt totus Deus, & omnes perſonæ vnus, & idem Deus. Hoc tamen non impedit diſtinctionem realem perſonarũ, quam cauſant nomina relationes ſignificantia; ideſt, quæ provenit à relatione, quia non obſtante vnitate divinitatis, adhùc eſt Deus de Deo naſcẽdo, & procedẽdo; conſtat enim ex præcedentibus, idem eſſe non poſſe à ſe ipſo.

4 Notandum tamen (inquit S. Doctor) nec perſonã eſſe ſine Deo, nec Deum ſine perſona; *cumque de Dei dicuntur eſſentia, ſi in ſe replicentur, nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus eſt æternitas, ſicut extrà æternitatem nihil eſt omnino, ità extra Deum penitùs nõ eſt aliquid; atque ſicut æternitas in æternitate non eſt, niſi vna æternitas, ſic Deus in Deo, vnus ſolus eſt Deus. Habemus autem ex vera fide Deum eſſe de Deo naſcendo, & Deum de Deo procedendo. Sed quoniam non eſt aliquid extra Deum, cum naſcitur Deus de Deo; vel cum procedit Deus de Deo; non erit naſcens, vel procedens extra Deum, ſed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo, non eſt niſi vnus Deus, cum naſcitur Deus de Deo, vnus ſolus eſt Deus gigneus; & genitus; cum procedit Deus de Deo, vnus tantummodò Deus eſt; & procedens, & de quo procedit.*

3 *Undè inevitabiliter ſequitur, quoniam Deus nullas habet partes, ſed totus eſt, quidquid eſt; vnum, eundemque, & non alium Deum, totum eſſe Patrem, totum eſſe Filium, totum eſſe Spiritum Sanctum. Quarè Pater, & Filius, & Spiritus Sãctus per hoc, quia cum eſt Deus de Deo, & Deus in Deo non eſt, niſi vnus Deus; ſervant in Deitate ad ſimilitudinem vnius hominis ſingularitatem. Per hoc verò, quia cum Deus eſt de Deo, aut naſcendo, aut procedendo, non poteſt vnus, idemque eſſe, qui eſt de aliquo, & de quo eſt; ſecundùm nomina has relationes ſignificantia tenent, ſicut diverſæ hominum perſonæ pluralitatem.*

4 *Notandum tamen, quia nec Deus eſt ſine perſona, nec perſona ſine Deo; & quia ſingulis perſonis attribuimus aliquando propria ſingularium; aliquando vni, quaſi proprium; quod commune eſt alijs: nam cùm dicimus, ſolus Pater eſt in tribus Perſonis, qui à nullo eſt; ſolus Filius, qui eſt de vno, & de quo vnus; ſolus Spiritus Sanctus, de quo nullus eſt; ſingulas perſonas nominantes, ſingulis propria attribuimus. Cùm verò legimus:* Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius. *Et,* quæ ſunt Dei, nemo cognovit niſi ſpiritus Dei, *quamvis videatur ſcriptura, quod de vno dicit perſona, negare de alijs; commune tamen eſt omnibus, quod ſingulis quaſi proprium attribuit. Non enim ignorat Pater, aut Filius ſe ipſum, & quæ Dei ſunt: neque Spiritus Sanctus Patrem, aut Filium. Cùr autem, & quando, quod de vno, quaſi de ſolo dicitur, de alijs intelligatur, ſatis ſupra dictum eſt.*

vndè cum nomen *Deus* ſit abſolutum, & commune: nomẽ verò *perſona*, relativum, & proprium, oritur vt interdũ attribuatur determinatę perſonæ, quod propriũ eſt illius perſonę; interdũ autẽ quod cõmune eſt omnibus. Cũ enim dicimus: ſolus Pater, qui de nullo eſt, eſt in tribus Perſonis: ſolus Filius, qui eſt de vno, & de quo vnus, eſt in tribus Perſonis: ſolus Spiritus, de quo nullus, eſt in tribus Perſonis, ſignificamus aliquid particulare talis perſonæ alijs nõ conveniens. Attamen è contra cùm legimus: *Nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrẽ quis novit niſi Filius.* Matth. 11. ℣. 27. Itẽ. *Quæ ſunt Dei nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* 1. Cor. 2. ℣. 11. non ſignificatur aliquid proprium, & ſpeciale Patris, aut alterius perſonæ, ſed quod eſt omnibus commune. Non enim ita cognoſcit Pater Filiũ, aut Filius Patrẽ, vt ab eadẽ cognitione excludendus ſit Spiritus S. nec ita Spiritus S. cognoſcit, quæ Dei ſunt, vt aliarũ perſonarũ cognitio excludatur. Quando ergo, & quomodo verba applicata determinatæ perſonę, de tali perſona determinatè intelligenda ſint, aut de omnibus, ex ſuperioribus exploratũ eſt, nimirũ, quando dicitur de determinata perſona aliquid dei competens ſecundũ perfectionẽ abſolutã, erit cõmune; ſi verò ſecundũ proprietatẽ relativam, erit ſpeciale. In

In operis clauſulam.

OPERIS CLAVSVLA.

CAPVT vltimum, ac totius operis ſignaculum aureum, non expoſitione indiget, ſed imitatione. In eo ſatis oſtenditur, quàm alienus eſſet Anſelmus ab elato ſupercilio Græcorum, & à faſtu eorum, qui *dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias, amant primas cathedras in ſynagogis, & vocari ab hominibus Rabbi.* Matth. 23. V. 6. Itaque acutiſsimam diſputationem concludit verbis modeſtiam, profundiſsimamque humilitatem ſpirantibus, ſed quæ in Concilio Barenſi protulit [vt Edmeri in eius vita vtar eloquio] *Regente cor eius, & linguam Spiritu Sancto*; vnde in eadem Synodo diſputationi finem faciens, in eius laudibus ſacro annuente Concilio finem non fecit Urbanus II. qui in Anſelmum intendens dixit: *Benedictum ſit cor, & ſenſus tuus, & os, & ſermo oris tui ſit benedictus, &c.* Sed nec ego finem facerem, ſi in clariſsimi Doctoris, Archiepiſcopi, Primatis, ſanctitate, & doctrina conſpicui, fertili elogiorum campo expatiari liceret. *Eius namque dogmata* [vt cũ Antonio Demochare, Doctore Sorbonico, epiſt. ad Angeſteum, Comitem, & Epiſcopum Novioduni loquar] *Divinitatem quandam ſpirabant, loquutuſque fuit dictante ſpiritu Sancto.* Vel vt inquit in Prologo ad opera Sãcti Doctoris ab ipſo prælo data Pariſijs anno 1550. *Anſelmus brevibus opuſculis penè omnia firmis rationibus demonſtravit, quæ Petrus Lombardus Magiſter Sententiarum in quatuor plenis voluminibus multis Sanctorum Doctorum authoritatibus poſteà confirmavit.* Interim Anſelmo dicam, quod Hieronimo Auguſtinus, epiſt. 9. *Ingenium tuum divino dono aureum.* Et cum Vincentio Lyrinenſi, common. 1. adverſus Hæreſes, cap. 27. concludam: *Intelligitur te exponente illuſtriùs, quod antà obſcuriùs credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetuſtas nonintellectum venerabatur.*

HÆC de Proceſsione Spiritus Sancti alijs cogentibus, non de me, ſed de eodem Spiritu confidens, pro Latinis contra Græcos ſcribere; & ea occaſione de vnitate Deitatis, & de Trinitate Perſonarum aliquid addere præſumpſi; quamvis innumerabiles ſint inter illos, qui Latinis vtuntur litteris, qui hoc melius, quàm ego, facere poſſint. Quicquid ergo dixi, quod ſuſcipiendum ſit, non mihi attribuatur, ſed ſpiritui veritatis. Si autem aliquid protuli, quod aliquatenùs corrigendum ſit, mihi imputetur, non ſenſui Latinitatis.



S. AN-

S. ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, LIBER DE VOLVNTATE DEI

Comment. in cap. 12.

1 Acturus de voluntate Dei egregius Doctor Anſelmus, in ipſo operis veſtibulo ſupponit in ampliſsima humanæ mentis aula non aliam diſputationem dignum locum habere, niſi de Deo iuxta monitum Apoſtoli ad Philip. 3. v. 20. *Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt*, quaſi dicat Apoſtolus, quæ terrena ſunt, deſpicimus, calcamus, & execramus; quæ cœleſtia ſunt ſolummodò curantes, & ſapientes; Cœlo affixi ſumus, ibi manemus, agimus, & verſamur, quin alterius cura animum noſtrum diſtrahat, aut occupet: vndè o portuné noſter Greg. lib. 8. Mor. c. 31. *Corpore ambulamus in terra, ſed corde habitamus in Cœlo; ſicut enim domus exterioris converſationis eſt ædificium, quod inhabitat corpus, ita domus noſtræ congregatio-*

CAPVT I.

Voluntas Dei, quæ dicatur.

1 *HVMANA ratio cum de Deo ſemper debeat tractare, & ad laudem eius aliquid convenienter dicere, nomina, per quæ propriè loquatur non habet, ſed nomina hominibus data, & impoſita accipit, & per ipſum effectum omnipotentiam eius ſaltem, vel tenui oratione aperire conatur, & hoc facit ex iſtis rebus colligens effectum voluntatis Dei ſecundùm occultam iuſtitiam, vel ſecundùm miſericordiam, vel ſecundùm iræ ipſius vindictam; ad incomprehenſibilem enim Deitatis proprietatem aſpirare non poteſt.*

2 *Hinc nos quoque de voluntate Dei aliquid dicere cupientes, actum rerum attendimus, quoniam ad ipſius celſitudinis culmen anhelare non valemus. Voluntatem igitur Dei appellamus quidquid in nobis ipſe miſericorditèr operatur, revocando nos ab errore, & piè confirmando iuſtitiæ. Voluntas quoque dicitur pœna, & reprobatio quorundam Dei occulta diſtrictione facta iuſtitiæ. Voluntas Dei eſt (vt brevitèr dicam) quidquid fit, aut fieri invenitur in creaturis. Sed dicitur. Si omnia procedunt ex voluntate Dei, quam conſtat ſemper bonam, & rectam eſſe; tunc omnia bona, & recta ſunt; & ſi hoc eſt; tunc fruſtra iudicatur aliquis iniquus, vel damnatur impius, quod fateri, contrarium invenitur Catholicæ Fidei.*

nis eſt res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus; omne enim quod diligimus, quaſi in hoc quieſcentes habitamus.

2 Edoctus ergo Anſelmus á Sanctiſsimo Parente, ac Patriarcha Benedicto [de quo idem dixerat Gregor. Dial. 2. *Soli Deo placere cupiens ſanctæ converſationis habitum quæſivit*] in prima parte huius capitis inquit: *Humana ratio cum de Deo ſemper tractare debeat, &c.* Sed quia divina in hac mortali vita cernimus in enigmate, & adhùc in via ambulantes ad perfectam Deitatis notitiam aſpirare non poſſumus, à Patre luminum prius implorandum eſt lumen, & interim res divinas reverentèr tractare, noſtrarum mentium agnoſcentem caliginem Ethnicis ipſis hortantibus; nam teſte Seneca lib. 7. de nat. Deorum, c. 30.

Egregiè Ariſtoteles ait nunquam nos eſſe debere verecundiores, quàm cum de Dijs agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum demittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiè fingimur; quantò hoc magis facere debemus, cùm de Deorum natura diſputamus, nequid temerè, nequid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur?

3 Hæc quidem veriſsima ſunt, ſive de natura Dei, ſive de aliquo divinæ naturæ attributo ſermo procedat, ſed præcipue ſi divinæ voluntatis arcana rimari ſtudeamus: *Eſt enim hæc ſapientia abſcondita ab oculis omnium viventium, volucres quoque Cœli latet.* Job 28. V. 21. quod ergo volucres Cœli, intellectuales aquilas, nimirùm Angelos latet; humanis noctuis penetrare non permittitur. Unde Hilarius lib. 2. de Trin. *Ego neſcio, nec requiro, conſolabor tamen, Archangeli neſciunt; Angeli non audierunt, ſæcula non tenent, Prophetę non ſentiunt, Apoſtolus non interrogat, Filius ipſe non edidit; quis divinabit?*

4 Sed quia humanis mentibus per ea, quæ facta ſunt inviſibilia Dei vtcumque penetrare permittitur, idcircò per effectus creatos ad incomprehenſibilem Deitatis proprietatem, divinæque voluntatis celſitudinem Sanctiſsimus Doctor aſſurgere, eamque exponere, & explorare diſponit: ibi. *Hinc nos quoque de voluntate Dei aliquid dicere cupientes, actum rerum attendimus*; etenim quæcumque facta ſunt voluntatem Dei appellamus, effectum pro cauſa vſurpantes, quo ſenſu loquebatur Apoſtolus dùm dixit ad Theſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*: etenim *operatio* eſt vnum ex ſignis divinæ voluntatis, quæ tradunt communiter Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 19. a. 12. Quod vlterius oſtendit Anſelmus in ſubſequentibus. ibi. *Voluntatem igitur Dei appellamus quidquid in nobis ipſe miſericorditer operatur, revocando nos ab errore, & pię confirmando iuſtitiæ.* Revocat autem Deus ab errore, & in iuſtitia confirmat, præcipiendo bonum, conſulendo optimum, operando vtrumque, & prohibendo mala, ex quibus conſtant quatuor ſigna voluntatis, vt infra expreſsius demonſtrat.

5 Proſequitur oſtendendo quintum divinæ voluntatis ſignum, quod eſt *punitio*: ibi. *Voluntas quoque Dei dicitur pœna, & reprobatio, &c.* Ex quibus claré deducitur in Deo eſſe voluntatem ſigni, ac eſſe quinque divinæ voluntatis ſigna: primum circa bonum, vt eſt *præceptum*. Secundum circa melius, ideſt, *conſilium*. Tertium circa vtrumque, videlicet *operatio*. Et alia duo circa mala, nimirùm *punitio*, & *prohibitio*.

6 Ex dictis colligit *voluntatem Dei eſſe, quidquid fit, aut fieri invenitur in creaturis*, ideſt omnia, quæ fiunt, ex voluntate Dei fiunt, & procedunt. Ex quo inſurgit graviſsima dubitandi ratio. Si enim quidquid fit, aut factum eſt, voluntas Dei eſt, neceſſe eſt omnia eſſe iuſta, honeſta, & recta, quoniam voluntas Dei rectiſsima eſt. ibi. *Si omnia procedunt ex voluntate Dei, &c.* Ad hanc difficultatem dirimendam opere pretium duxit priùs voluntatem Dei in ſequentibus dividere.

Comment. in cap. 2.

CAPVT II.

Voluntas Dei multipliciter dicitur.

1 Ad controverſiam capite antecedenti propoſitam dirimendam, viam parat in præſenti aperiendo varios ſenſus, & modos, quibus voluntas Dei in Sacra Pagina ſignificari ſolet. Primò. Pro præſcientia, qua omnia futura prævidet, ſive pro ordinatione divina omnia ſagaciter diſponenti, de qua voluntate dixit Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et Pſalmo 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Et Pſalmo 135. *Qui fecit Cœlos in intellectu.* Sumitur hæc voluntas pro præſcientia, non quia præſcientia ſit formaliter voluntas, ſed quaſi *æquipollens omnipotenti ſuæ præſcientiæ*, quia quidquid ſapientia faciendum, aut permittendum dictat, id voluntas decernit, & permittit,

Dicendum eſt igitur voluntatem Dei multipliciter accipi, vt quicquid poſteà opponatur, ſine omni difficultate opulentius aperiatur. Voluntas itaque Dei accipitur aliquando in ſcripturis, æquipollens omnipotenti ſuę præſcientiæ, & ordinationi ſagaciter omnia diſponenti. Vnde dicitur: Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, *hoc eſt, quicquid ab æterno facturum ſe ordinavit, nihil inexpletum reliquit. Accipitur etiam Dei voluntas ſecundùm quendam affectum miſericordiæ Dei: vt ibi.* Vult Deus

&

& nihil inexpletum reliquit. Vndè dicitur in Pſalmo 113. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit.* Et hæc eſt voluntas, quæ dici ſolet efficax, & conſequens, quatenùs vult prævisis omnibus circunſtantijs, quæ in executione contingunt.

2 Secundò. Accipitur voluntas Dei pro affectu miſericordiæ, ſecundùm quem dicitur 1. ad Thim. 2. *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri*, id eſt, diſponit, & vult Sanctos velle, vt omnes ſalvi fiant, & ad hunc affectum excitat in Sanctis dilectionem Dei, & proximi, ac virtute huius dilectionis fiunt vtiliter à Sanctis in Eccleſia orationes pro Schiſmaticis, Hæreticis, Iudæis, atque Gentilibus: quam propoſitionem: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, inxta aliorum Sanctorum Patrum doctrinam infra cap. 5. diverſimodè exponit, & nos ibidem expendam relinquimus.

Deus omnes ſalvos fieri, *quod eſt dicere, facit Sanctos velle, vt omnes ſalvi fiant, quod ipſe tamen vult, hoc eſt, ipſe diſpoſuit: ſed Sanctos facit velle Dei, & proximè inſpirando dilectionem, qua dilectione non inconvenienter fiunt in Eccleſia orationes à Sanctis pro Schiſmaticis, & Hæreticis, Iudæis quoque, & Gentilibus.*

2 *Inſtitutio divina. Dei voluntas non impropriè appellatur, Dei autem inſtitutio in duo dividi poteſt; in præcepta divinarum Scripturarum, & in legem naturalem: quæcumque homini inſita eſt lex naturalis, quæ eſt:* Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris, &c. *Cui quicunque obviat, Dei voluntatem non ſervat. Præcepta etiam divinarum Scripturarum; & rectæ obſervationes Eccleſiarum, voluntas Dei non immeritò appellantur, quibus quicumque obſervanter non acquieſcit, à Dei voluntate deviare penitus dicitur, cum tamen ab ordine præſcientiæ eius nullatenùs valeat exorbitare.*

3 Tertio, ſumitur voluntas Dei pro divina inſtitutione, ſive pro ordinatione præceptiva. Præcepta autẽ alia ſunt naturalia, & alia poſitiva, ſive à Deo poſita, & in ſacris litteris revelata: inſita enim ſunt naturæ rationali quædam præcepta, ac generalia principia omnibus nota: vt patet ex illo Job 4. *Quod tibi nolueris, alteri nè feceris, &c.* Præcepta autem à divina voluntate impoſita conſtant ex Sacra Pagina; quibus accedunt quæcumque conſtant ex traditionibus Apoſtolicis, ac verbo non ſcripto, quæ parem cum ſuperioribus authoritatem habent, vt in Trid. ſeſſ. 4. declaratum eſt; quicumque ergo ſimilia præcepta non ſervat, à voluntate divina deviare probatur, ideoque non incongruè ea omnia *voluntas Dei* appellantur.

Comment. in cap. 3.

CAPUT III.

Quarundam ambiguitatum elucidatio ex dictis.

1 *ECCE voluntas Dei quatuor modis accipitur à Doctoribus Magiſtris. Primò, pro ſcientia Dei. Secundo, pro voluntate Sanctorum, qui volunt, & iniuſtos charitativè ſalvari. Tertio, pro ratione humana. Quarto, pro præceptis divinis. Si quis verò oculo mentis hos modos conſiderat, non vlterius in Dei voluntate determinanda impeditus laborabit: ſed vocis acceptione fideli intendens ingenio, de verbis facilè diiudicabit.*

2 *Itaque cum dicitur, adulterium, vel homicidium vult, vel non vult Deus fieri: hæ propoſitiones non repugnant ſibi, nec contradicunt: ambæ enim veræ ſunt, & indubitabiles, ſi quis huius vocis æquivocationem multiplicem, quæ eſt* vult *fideliter attendat. Nam Deus vult adulterium, hoc eſt præſcit, prævidet. Vndè nullus dubitat, quia omnia videt, & omnia præſcit. Item non vult hoc eſt* Deus movet, & inſpirat Sanctis hominibus, vt ex charitate velint omnium ſalutem, ſive fidelium, ſive infidelium, ſive iuſtorum, ſive iniuſtorum; omnibus enim ſalutem ardenter deſiderant, & poſtulãt. Tertiò, pro ratione humana, quatenùs humana ratio eſt quædam lex inſita à natura, ſive ab Authore naturæ, cuique præſcribens velle bonum, & nolle malum iuxta illud Pſalmi 5. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; quod ſi bonum agant, & malum fugiant voluntas Dei eſt, vt ita ſit. Denique voluntas Dei accipitur pro divinis præceptis, quæ bona præ-

1 Diviſionem voluntatis in antecedentibus propoſitam vberiùs expendendo inquit voluntatem Dei quatuor modis accipi: Primo, pro ſcientia. Secundo, pro voluntate Sanctorum. Tertiò, pro voluntate humana. Quartò, pro præceptis divinis. Sumitur ergo pro præſcientia, quia omnia futura prævidet, etiam mala, quæ tamen futura non ſunt nolente Deo, ſed permittente, vt infra cap. 5. ex Auguſtino docet; ea tamen mala, nec approbat, nec præcipit. Secundò, pro voluntate Sanctorum, quatenùs

præcipiunt, prava autem prohibent. Ex quibus iterum habes ſigna voluntatis divinæ.

2 Ex his deſcendit Anſelmus ad dirimendam controverſiam cap. 1. propoſitam. Nam licèt quæcumque facta ſint ex voluntate prævidente, & permittente facta ſint, non ideó bona ſunt, quia nec ea præcipit, nec approbat, nec inſpirat, nec movet, aut ſuadet hominibus, vt velint: Nec item homines mala eligunt ex lege naturali, ſive rationis dictamine à Deo indito, quare nullo iure Deo imputanda ſunt. Conſonat hæc doctrina dicendis ab eodem Anſelmo infra cap. 5. Et dictis lib. de concordia gratiæ cum libero arb. cap. 3. de caſu Diab. cap. 20. ac tandém ad Rom. 1. exponens ea verba Apoſtoli: *Propter quod Deus tradidit illos in deſideria cordis eorum*, inquit: *Tradidit, ideſt, dimiſsit illos in deſideria cordis eorum, tradere enim dicitur Deus, cùm non retinet.* Sed hæc, & alia ex dicendis facilius innoteſcent.

eſt, non præcipit, vel mentibus fidelium inſpirando non facit velle. Vel non vult Deus adulterium, ideſt, ex vi rationis animæ, ex naturali ſcilicet lege data à Deo; non habemus quod quis in hoc, nec etiam in alio debeat offendere proximum. Iuxta has autem determinationes, poteſt quilibet has Dei voluntates determinare oportè.

Comment. in cap. 4.

CAPVT IV.

Aliæ dubitationes tolluntur.

1 Ex dictis inſurgit alia dubitandi ratio, quam in præſenti Magiſter exponit, & breviter dirimit. Etenim ſæpè voluntas humana adhæret divinæ, ſuamque voluntatem homo cum divina conformat; & tamen damnatur: ſæpè à voluntate divina deviare videtur; & tamen remuneratur. Ideſt, ſæpé homo vult, quod non vult Deus: vel homo non vult, quod Deus vult; & tamen præmium, ac laudem cõſequitur à Deo. Sæpé homo vult id ipſum, quod vult Deus; ex quo tamen non habet præmium, ſed pœnam; vel ergo dicendum divinam voluntatem non ſemper eſſe iuſtam; vel creaturam nullo iure compelli ad conformandam ſuam voluntatem cum voluntate Creatoris.

2 Reſpondet Sãctiſsimus Doctor hominem ſæpè velle, quæ Deus vult voluntate præcipiente, aut approbante, & in hoc laudem, ac premium meretur: ſæpè etiam

SED videndum eſt quoddam ſatis ſubtilius, quod occurrit huic de voluntate diſputationi. Nam voluntati Dei voluntas hominis adhæret plerumque, ſed inde damnatur homo: voluntati Dei quoque non adhæret hominis voluntas, & indè remuneratur homo. Item. Vult homo, quod non vult Deus, & habet inde præmium à Deo: non vult homo, quod vult Deus, & inde conſequitur laudem: & multis alijs hanc voluntatem variari modis ſagacium induſtria per ſe poterit indagare.

2 *Sed nunc ad expoſitionem ſupradictorum redeamus: vult Deus, quod vult homo, ſi damnosè, vt homicidium, vel adulterium, quod vult Deus, hoc eſt, præſcivit: ſed homo etiam hac voluntate damnatur, prohibitum eſt enim ei. Vult Deus, vt Pater alicuius moriatur, vel vult alicuius hominis mortem, quam homo non vult affectu naturali, vel compaſsione proximi, & remuneratur ex hoc tali affectu, ſi in cæteris regulam rectè vivendi non exceſſerit: in omnibus tamen, quæ vult, & quæ facit, divinæ voluntati concordare intendit, & nihil contra eum facere diſponit, quia tunc tantùm eſt bona voluntas humana, quando vult illud, quod Deus vult illam velle, & ſic concordat divinæ, quæ magiſtra eſt humanæ.*

velle, quæ Deus vult voluntate permittere, aut voluntate ſumpta pro præſcientia, quæ non ſemper eſt boni, ſed potiùs mali; & in hoc non meretur laudem, ſed pœnam; nam quæ Deus ita vult, re ipſa prohibet. Præterea. Sæpè contingit Deum plura velle etiã voluntate approbante, quæ me velle abſolutè non licet. Ponit exemplum in voluntate Dei de morte Patris, à qua poſſum licitè affectu naturali diſſentire, quia nullo iure compellitur homo ad conformandã voluntatem ſuam cum divina in volito materi ali.

3 Hanc doctrinam eodem exemplo probat Auguſtinus in Enchir. cap. 101. ibi. *Aliquando bona voluntate vult homo aliquid, quod Deus non vult, tanquam ſi bonus filius patrẽ velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Rationem reddit Author in littera, quia ad honeſtatem voluntatis humanæ ſatis eſt, ſi humana velit, & amplectetur, quod divina vult eam

eam velle,& amplecti ; at plura vult Deus, quæ tamen non vult me velle, & deſiderare, vt patet exemplo allegato, alijſque infra allegandis ; conſequens ergo eſt vt ſæpé homo aſſentiens voluntati divinæ in volito materiali ſit dignus pœna, ac diſſentiens mereatur laudem, & præmium. Notat tamen Anſelmus in hac voluntate prudenter procedendum, quia modo dicto erit honeſtus diſſenſus à voluntate Dei, ſi *in cæteris regulam rectè vivendi non exceſſerit*, id eſt, ſi diſſenſus in volito materiali conſenſum in volito formali non impediat.

4 Ex his inſurgit non levis controverſia. An hæc voluntas, qua Deus aliquid præcipit, vel prohibet, ſit verè, & formaliter in Deo, aut metaphoricè tantum? Et pars negativa videtur evinci ex eo, quod præceptum eſt voluntas *ſigni*, vt patet ex cap. 1. ſed voluntas ſigni non eſt verè, & propriè in Deo; per quod diſtinguitur à voluntate *beneplaciti*; & patet exemplo allegato, quoniam mihi præcipit deſiderare vitam Patris, quam Deus non vult; ergo Deus non habet voluntatem rei præceptæ; ergo voluntas ſigni non eſt verè, & propriè in Deo. Secundo, probatur alio exemplo Gen. 22. vbi Deus præcepit Abrahæ vt immolaret filium ſuum Iſaac; & tamen noluit Deus, vt eum immolaret, vt patet ex facto, Gen. 22.

5 Tertiò, probari poteſt ex eodem Anſelmo cap. ſequenti, vbi ait: *Secundùm hanc voluntatem etiam velle dicitur, quod ipſe non vult, ſed ipſe ſuos id volentes facit.* Quartò. Suaderi poteſt ex D. Thoma 1. p. q. 19. a. 11. vbi ait: *Voluntas propriè dicta vocatur voluntas beneplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta eſt voluntas ſigni*; ergo voluntas ſigni non eſt propriè, & verè in Deo, ſed metaphoricè tantùm; ſicut dici ſolet de ira, quæ ſolùm improprié dicitur de Deo; & ita exponunt voluntatem ſigni plures Theologi.

6 Sed in oppoſitum vrget, quod voluntas ſigni prædicto modo expoſita eſt voluntas ſimulata, & ficta; non vera, & ſincera voluntas; quod de Deo dici non poteſt, nec illius bonitate, & veracitati eſt ſatis conſentaneum. Secundo. Præceptum, conſilium, & prohibitio ſpectant ad voluntatem ſigni; ſed quis dicet Deum non verè, & ſincerè præcipere bonum, conſulere optimũ, & prohibere malum? Eſt ergo voluntas ſigni verè, & propriè in Deo, ſicut voluntas beneplaciti: quapropter Anſelmus eam ſæpé vocat affectum voluntatis, & affectum miſericordiæ, quos eſſe propriè in Deo facilè conſtat.

7 Sed hæc differentia (ni fallor) verbalis eſt. Unde dicendum voluntatem ſigni poſſe referri ad obiectum ſigni, vel ad finem, quem Deus habet in tali ſigno: ſi ad finem referatur ſemper eſt vere, & propriè in Deo: ſi ad obiectum, non ſemper. V. g. Dum Deus mihi præcipit deſiderare vitam Patris, finis intentus à Deo eſt deſiderium meum, quod verè, proprie, ac ſincerè vult; obiectum eſt vita, quam Deus proprie non vult, ſed metaphoricè tantũ, quatenus in eo eſt aliquod ſignum, quod in nobis ſignificat voluntatem, non in Deo, vt expreſsè docet Ang. Doctor loco citato ad 2. *Dicendum quod ſigna voluntatis dicuntur voluntates divinæ, non quia ſint ſigna, quod Deus velit, ſed quia ea, quæ in nobis ſolent eſſe ſigna volendi, in Deo divinæ voluntates dicuntur.* Explicari poteſt hæc doctrina in Chriſto Domino, in quo facta eſt circunciſio, quæ in cæteris hominibus eſt ſignum peccati; & hoc modo dici poteſt in Chriſto eſſe peccatum per modum ſigni, quatenus in eo eſt ſignum, quod in alijs ſignificat peccatum.

8 Idem dicendum ad exemplum Abrahæ, in quo Deus noluit immolationem Iſaac, voluit tamen obedientiam eiuſdem Abrahæ, quæ fuit finis præcepti. Per quod conſtat ad alia. Nec ideò voluntas ſigni erga obiectum dicenda eſt ſimulata, aut ficta, quia Deus re ipſa vult tale obiectum, non in ſe, ſed in deſiderio creaturæ. Cuius rei exemplum eſt ſatis opportunum in prophetia, quæ quandoque enunciat vt futura, quæ re ipſa non evenient, quin propterea prophetia ſit falſa, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 171. a. 6. ad 2. quia Prophetæ quandoque imprimitur ſpecies futurorum in ſe ipſis, & hoc modo prophetia eſt infallibilis; quandoque verò revelantur futura non in ſe ipſis, ſed vt contenta in ſuis cauſis, & hoc modo non ſemper eveniunt; nec ideò prophetia eſt falſa, quia ſenſus illius eſt rem eſſe futuram ſecundum diſpoſitionem cauſarum: ſic Deus præcepit Abrahę immolationem filij, quam re ipſa nolebat; non ideó tamen præceptum fuit ſimulatum, nec voluntas ſigni ficta, quia re ipſa voluit immolationem in actu, & obedientia Abrahæ.

****

CAPUT

Comment. in cap. 5.

1 Capite 5. & vltimo ſupponit Magiſter voluntatem divinam ita eſſe nobis incomprehenſibilem, ſicut & ipſa Dei eſſentia humanis mentibus inacceſſa, ideoque humana voluntas ſæpè divinæ ſeſe opponere tentat, quia divina conſilia humana vota non capiunt, & inſcrutabilia eius decreta non penetrant, nam homines in hac mortali vita degẽtes vidẽt in enigmate, viſuri clarius in futuro, dùm facie ad faciem videant; idcircó Beati veritatem incommutabilem, legemque æternam ſemper legunt, intelligunt, diligunt; vtque omnia ſigillatim à divina voluntate conſtituta intuentur, ita invariabilitèr exequuntur: qua ratione dixit Auguſtinus lib. 13. Confeſſ. c. 15. *Faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum; quid velit æterna tua voluntas legunt, eligunt, & diligunt, ſemper legunt, & nunquam præterit, quod legunt; eligendo enim, & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilij ſui.*

2 Nihilominùs aliquas affectiones divinæ voluntatis percipimus, quatenùs aliqua percipiuntur, & prohibentur, vel alijs ſignis indicantur; quòd ſi homo iuxta præſcriptum divinæ voluntatis operetur, obediens erit; ſi verò divinę voluntati ſe oppo-

CAPVT V.

De divina voluntate, efficiente, approbante, & concedente, & permittente.

1 *MAGNA quidem voluntas Dei incomprehenſibilis eſt, ſicut ipſe Deus, contra quam vult homo, quia non plenè eam cognoſcit, quod in futuro erit. In præſenti verò quoſdam affectus eius percipit ſecundùm perceptionem, vel prohibitionem, & ille obeait. In his autem ſupradictis non eſt æquum intelligere aliquod falſum, vel ſuperfluum dictum fuiſſe, vel contra Sanctorum authoritatem. Dicit enim Auguſtinus in Euchir. cap.* 100. Propterea magna voluntas eiuſdem Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt & miro, & ineffabili modo non fiat præter voluntatem eius, quod etiam contra eius voluntatem fit, quod non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonum fieri malè, niſi omnipotens, & de malo poſſet facere benè.

2 *Eſt & alia voluntatis diviſio. Alia enim poteſt dici efficiens; alia approbans; alia concedens; alia permittens. Efficiens voluntas, in Deo facit quidquid vult; efficiens in homine, quod poteſt homo, & vult ipſo actu. Approbans eſt, quæ approbat aliquid, hæc ad hominem pertinet, & ad Deum. Approbans in Deo eſt, quæ vult omnes ſalvos fieri, quoniam nullum prohibet quantum ad ſe ſalvum fieri: immò ſi quis ad hoc laborat, approbat. Patens eſt quidem, quæ ſit approbans in homine. Concedens eſt, quæ concedit vt fiat aliquid; concedente autem voluntate vult Deus, vt homo, qui melius non propoſuit, vxorem ducat. Permittens voluntas eſt, quæ permittit aliquid fierì, & ſi diſpliceat quandoque, & hoc modo dicitur Deus velle mala, quæ permittit fieri; vndè dicitur.* Quem vult indurat, & cui vult miſeretur. *Auguſtinus, de Civit. Dei.* Cum dicitur Deus mutare voluntatem, vt quibus lenis erat, v. g. reddatur aſper, illi potiùs, quàm ipſe, mutantur, ſicut muratur Sol oculis ſauciatis; & aſper quodam modo ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur; cum ipſe apud ſe maneat idem, qui fuit.

3 *Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis*

nere tentaverit, non ideò præter divinam voluntatem operatur, quia dùm ab vna voluntate ſe ſubtrahit, relabitur in aliã: quod probat authoritate Auguſtini dicentis authoritate ſupra relata, quod facta contra voluntatem Dei, non ideò prætèr illius voluntatem fiunt, quia non fierent, ſi Deus nollet, aut non permitteret; nam quæ Deus permittit, non permittit nolens, ſed volens; ergo etiam opera prava fiunt volente, licèt non approbante Deo; in quibus omnibus [inquit Anſelmus] nihil ſuperfluum, nihil falſum, nihil contra Sanctorum Patrum doctrinam.

3 Dividit vlteriùs voluntatem in efficientem, approbantem, concedentem, & permittentem. Voluntas *efficiens* in Deo eſt illa, qua facit quidquid vult. iuxta illud Pſalmi 113. *Quæcumque voluit, fecit in Cælo, & in terra.* Voluntas *approbativa* eſt illa, quâ agenda probat, & placent, vt cum *vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. ad Tim. 2. neminem enim ſalvari prohibet, ſed potiùs quantùm eſt ex ſe omnium ſalutem deſiderat, probat, & placet. Voluntas *concedens*, eſt illa, qua liberam electionem minoris boni cõcedit, dùm melius non præcipit, nec homo promiſsit, concedit namque vxorem

duce-

ducere, qui caſtitatem ſervare non ſtatuit. Voluntas *permittens* eſt illa, qua operationes etiam pravas, ne libertatem creatam evertat, permittit; & hac voluntate dicimus Deum velle etiam ea, quæ voluntate concedente, & approbante non vult, ſed potius diſplicent, & prohibet, quo ſenſu dicitur ad Rom. 3 *Quẽ vult indurat*: quod confirmat authoritate Auguſtini loco citato in littera: eandemque doctrinam repetit Auguſtinus pluribus alijs in locis, præſertim Epiſt. 105. exponens eandem propoſitionem Apoſtoli inquit: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam, quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; aut potius vt non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur.* Et lib. 1. qq. q. 1. *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, vt obduratio Dei ſit nolle miſereri, vt non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior non erogetur.*

4 Rurſus docet voluntatem Dei etiam quoad ea, quæ non vult, ſed in cordibus piorum facit velle iuxtà expoſitionem datam capite antecedenti; ſæpè enim vult Deus nos velle, quæ ipſe fieri non vult, quo ſenſu dixit Apoſtolus ad Philip. 2. *Deus, qui operatur in nobis, & velle. &c.* quoniam ſæpe Deus inſpirat ſanctis hominibus, vt velint, poſtulent, & ardenter deſiderent, quæ tamen fieri non decrevit. Si tamen de voluntate efficienti; & efficaci, quæ præſcientiam importat, ſermo procedat, hæc ſemper impletur, de qua dictum eſt: *Omnia quæcumque Dominus voluit, fecit.*

5 Totam hanc doctrinam luculenter tradit idem Anſelmus opuſc. de voluntate in communi loquens de vtraque voluntate creata, & increata: ibi: Dici etiam poteſt hæc voluntas, alia efficiens, alia approbans, alia permittens: efficientem dico, quæ efficit quæ vult; & quæ efficeret, ſi poſſet. Approbantem verò, quæ approbat, quod eſt; & quæ approbaret, ſi eſſet: efficiens quidem eſt etiam approbans, & permittens; approbans autem eſt, & permittens: permittens verò, nec approbans, nec efficiens rectè dici poteſt. Secundùm efficientem dictũeſt: *omnia quæcũque voluit, Dominus fecit*: ſecundùm approbantem verò dicitur, quia Deus vult omnem hominem ſalvum fieri; approbat enim Deus, & placet illi de omnibus iuſtis, quia iuſti ſunt, vt ſalvi fiant; & nihilhominus placeret eis de iniuſtis, ſi iuſti eſſent, vt ſalvi fierent. Tale eſt enim, quod dictum eſt, ac ſi dicatur: Deus, nullum facit iniuſtum, ſed vnuſquiſque habet iniuſtitiam, vt damnetur, & ideò non poteſt dici diſplicere Deo, ſi iuſtus ſit, & ſalvetur. Nec poteſt dicit Deum repugnare ſaluti alicuius, ſed approbare, ſi ſit qui ſalvetur. Secundum permittentem verò voluntatem dicitur, quia *quem vult indurat*, quoniam permittit indurari: quod enim præmiſſum eſt: *cui vult miſeretur*, ſecundum efficientem voluntatem dictum eſt. Hucuſque Anſelmus dicto loco.

6 Denique præter expoſitionem illius propoſitionis Apoſtoli: *vult Deus omnes homines ſalvo fieri*; ſupra allegatam, proponit Anſelmus alias ex mente Gregorij, vt apertè conſtat ex texru; ſed credo incuria, aut Amanuenſis, aut Typographi loco *Auguſtini* irrepſiſſe *Gregorium*: prædictas namque interpretationes expreſsè in Auguſtino locis referendis, non in Gregorio, Lector inveniet: Magnus namque Gregorius duntaxat ſecundã breviter allegat in 1 Reg. c. 14. ibi: *Scriptum eſt, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; omnes quippè homines vult ſalvos fieri, qui de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium æternæ ſalutis trahit.* Et Anſelmum loqui de Auguſtino, non de Gregorio, adhuc clarius colligitur ex alijs duobus locis ſuperadditis de coniungio infidelium, ac de parvulorum baptiſmo, de quibus agit Auguſtinus, non Gregorius.

7 In fine capitis, & totius opuſculi inquit Anſelmus, quod etſi liceat dimittere con-

coniugem infidelem,non tamen expedit:quæ doctrina difficilis apparet. Nam ex ſola converſione vnius coniungis ad fidem, matrimonium non diſolvitur, quarè ſi coniux infidelis velit cohabitare ſine iniuria Creatoris, nec expedit, nec licet dimittere: & ita docet Apoſtolus 1. Cor. 7. *Si quis autem infidelem habet vxorem,& hæc conſentit habitare cum eo, non dimittat.* Et ita definitur in cap. *Gaudemus* de Divort. ibi: *Crimina in baptiſmo ſolvuntur,non coniugia.*

8 Si autem cohabitatio coniungis fidelis con coniunge infideli peccatum,& iniuriam Creatoris, aut ſubverſionem fidelis inducat, nec expedit, nec licet cohabitare, ſed dimittere oportet, vt conſtat ex eodem Apoſtolo docente: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubiectus in huiuſmodi.* Et ita definit Innoc. III. in cap. *Quanto* de Divort. in primo ergo caſu, nec expedit, nec licet dimittere: in ſecundo, nec expedit; nec licet cohabitare; ergo malè aſſerit Anſelmus, quod *etſi liceat, non expedit*; atque adeó perperam probatur Deum velle omnes ſalvos fieri, quatenùs neminem cogit damnari;ſicut vult coniugem fidelem nó dimittere infidelem, licet non cogat retinere.

9 Sed facile dicendum veram eſſe doctrinam Anſelmi in primo caſu, in quo tametſi ex ſolo baptiſmo, vel fide vnius coniugis matrimonium non diſolvatur, licet tamen coniungi fideli dimittere vxorem infidelem, vt patet ex dicta authoritate Apoſtoli; ibi enim inducitur conſilium habitationis, non præceptum; & ita ex voluntate Dei concedente(de qua hic loquitur Anſelmus)licet dimittere, quamquam multotiés non expediat, præſertim dum fideli ſupeſt ſpes convertendi infidelem.

10 Dices. Diviſio propoſita ab Anſelmo voluntatis divinæ non eſt adæquata, nec ſufficiens ad exponendam voluntatem erga ſalutem omnium, ideòque à D. Thoma, & Theologis communiter poſt Damaſcenum,dividitur in antecedentem, & conſequentem:abſolutam,& conditionatam. Efficacem,& inefficacem: ergo Anſelmus in allegata doctrina diminute procedit. Sed prædictam diviſionem Anſelmi vel leviter meditanti, facile omnes iſtæ voluntates (quanquam ſub alio nomine) occurrent: Unde *cùm res ipſa intelligitur* [inquit Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium c. 13.] *minus laborandum eſt, quid eam hominibus vocare placuerit.* Etenim nomine voluntatis approbantis, & concedentis, ſæpe voluntatem, quam vocant, antecedentem ſignificare perſpicuum eſt: inquit enim voluntatem approbantem eſſe illam, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quatenùs omnium ſalutem approbat, & placet, quam eſſe voluntatem antecedentem facilè conſtat. Rurſum. Dum inquit per voluntatem approbantem Deo placere de iuſtis,quod iuſti ſint, & ſalvi fiant,quod placeret de iniuſtis, ſi iuſti eſſent, & ſalvifierent,quid aliud ſignificat, niſi voluntatem conſequentem, abſolutam, & efficacem erga iuſtos; ac conditionatam, & antecedentem erga iniuſtos? Quod adhuc clarius oſtendit, dum inquid per hanc voluntatem nemini prohibere ſalutem,ſed potius placere, quod omnes ſalvi fiant, cum tamen omnes ſalutem non conſequantur, ſed de hoc operoſius agendum

2. p. tact. 3.

***

IN

IN S. ANSELMVM,
ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM,
COMMENTARIA
DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO.

PARS ALTERA.

PROÆMIVM.

QUANQVAM Naufragari deſiderat, qui in Altiſsimum Trinitatis pelagus ingenij ratem committit, nihilominus Anſelmo regente navim periculum facere præſumam, ſed præmittendum Auguſtini monitum, lib. 2. de Trinit. *Cùm homines* [inquit] *Deum quærunt, & ad intelligentiam Trinitatis pro captu infirmitatis humanæ animum intendunt, Cùm ad aliquid certum diſcuſſa omni ambiguitate perveneruntfacillimè debent ignoſcere errantibus in tanta perveſtigatione ſecreti. Sed duo ſunt, quæ in errore hominum difficillimè tolerantur; præſumptio, priuſquàm veritas pateat; & cum patuerit præſumptæ defenſio falſitatis.* De vtroque errore chriſtiana pietate dolentes Orthodoxi Doctores falſa dogmata evertere fœlici curant labore; & myſterium, quamquàm naturæ viribus inſcrutabile, vtcumque ſcrutari ex doctrina revelata vtiliter fatagunt, imitantes Auguſtinum, Anſelmum, Hilarium, Doctorem Angelicum, & alios Sacræ Theologiæ Principes, qui libros, tractatus, opuſcula plurima, ad noſtram mentem illuminandam ſcripſerunt. Eaque propter nos eorum ſequentes veſtigia pro modulo noſtro, non quæ volumus, ſed quæ poſſumus explorare, & explanare curabimus.

TRACTATUS PRIMUS,

DE COGNOSCIBILITATE, ET VERITATE MYSTERII TRINITATIS.

SI Paris damni, pariſque delicti eſt, neſcire quod debeas, & velle ſcire, quod non poſſis, ad vtrumque malum vitandum diligenter ſatagendum eſt ſcire quod debemus, & humiliter credere, quod penetrare non poſſumus. Qua ratione in altiſsimo Trinitatis Myſterio duo vitãda occurrunt, *ignorantia*, videlicet, & *præſumptio*. In vtramque ſirtim ſui ingenij, animæ, & fidei, periculum fecère Græci, quos ex profeſſo in opuſculo de Proceſsione Spiritus Sancti impugnat Anſelmus Parens, & ad vtramque vitandam hęc Commentaria diſponimus, ac primò *ignorantiæ* malo, præfixo de Cognoſcibilitate tractatu occurrere curabimus.

DUBIVM I.

An Trinitas Perſonarum lumine naturæ cognoſci poſsit?

§. I.

1 DVbium eſſe poteſt de cognitione evidenti; aut probabili: intuitiva, vel abſtractiva: idque revelatione ſecluſa, aut ea ſuppoſita; & licèt ex Sacra Pagina, ſacriſque Scripturæ oraculis ſatis compertum ſit nos non poſſe ſola natura duce in cognitionem Trinitatis venire; nihilominús plura proponi poſſunt in oppoſitum argumenta, quæ diſcuſione indigent. Ab hac tamen difficultate me breviter expediam, cum maxima ex parte evacuata maneat ex tomo antecedenti, vbi de cognoſcibilitate Incarnationis egimus tract. 1. dub. 2.

2 Nec immorandum eſt in examinanda opinione Raymundi Lulij aſſerentis Trinitatem perſonarum poſſe demonſtrari ratione naturali ipſos Gentiles, & Mahometanos aperté convincenti: tùm quia rationes Lulio evidentes, nè quidèm probabiles cæteris videntur: tùm quia ea ſententia damnata eſt à Greg. XI. vt refert Eymericus in Directorio Inquiſitorum, p. 2. q. 9. a. 96. quanquàm ab hac calumnia defendere conatur P. Vazquez, t. 2. in 1. p. diſp. 53. quaſi id non affirmaverit, niſi ſuppoſito lumine Fidei. Eandem cum hac limitatione ſententiam (nimirùm ſuppoſita revelatione, & illuſtratione Fidei) docent Ricardus à S. Vict. Henricus, Gerſon, Mayor. & alij. Secunda tamen, & oppoſita eſt communis Theologorum ſententia, quam pluribus in locis docet S. Anſelmus,

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

2 DIcendum primò. Sola natura ducé Trinitatem perſonarum demonſtrari non poſſe. Conſtat ex doctrina revelata Matth. 11. *Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, quia vt inquit Apoſt. 1. ad Cor. 2. *Loquimur ſapientiam, quam nemo Principum huius ſæculi cognovit.*

3 Accedit S. Anſelmus, qui in præſenti opuſc. de Proceſſ. Spiritus Sancti docet c. 23. Nativitatem Filij, & proceſsionem Spiritus Sancti eſſe longè diſsitam à nativitate, & proceſsione rerum inferiorum. ibi. *Longè aliter intelligenda eſt iſta nativitas, ſive proceſsio, quàm cum dicimus in alijs rebus aliquid naſci; vel procedere. Nec intellectus noſter poteſt, nec debet ad ſimilitudinem creaturæ ſentire, vel iudicare;* cum ergo lumine naturæ ſolùm ad ſimilitudinem creaturæ, ſive ex creaturis iudicare poſsit, conſequens eſt vt lumine naturæ vtraque proceſsio, & conſequenter Myſterium Trinitatis demonſtrari non poſsit.

4 Clariùs in Monol. c. 62. *Videtur mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani, & idcircò conatum explicandi qualiter hoc ſit continendum puto.* Idem repetit opuſc. de Fide Trin. & Incarn. Verbi, c. 6.

5 Dices. Iuxta doctrinam Anſelmi datur effectus naturalis ducens in cognitionem Trinitatis; nam anima rationalis eſt quidam naturalis effectus; ſed anima rationalis ducit in cognitionem Trinitatis, cum eaque connectitur. Eſt enim imago illius, vt inquit SS. Doctor in Monol. c. 65. ibi. *Non video cur negetur in illa eſſe vera imago illius eſſentiæ,*

quæ

quæ per ſui memoriam, & intelligentiam, & amorem in Trinitate ineffabili conſiſtit; ergo anima rationalis ducit in cognitionem Trinitatis.

6 Explicatur hæc ratio. De ratione imaginis eſt ſimilitudo, non vtcumque, ſed expreſſa ſui exemplaris, vt probat D. Thomas 1. p. q. 93. a. 1. & ſeqq ſed anima rationalis eſt imago Trinitatis, vt tradit ide D. Thom. ibid. a. 5. expreſsè docens animam rationalem factam eſſe ad imaginem Dei, non ſolùm vt Dei, ſed quoad Trinitatem perſonarum; idque colligunt Auguſt. Ambroſius. Et alij Interpretes ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Quoniam verbum *faciamus* aperté denotat ea verba prolata eſſe ab omnibus perſonis. Et vlterius oſtendi poteſt, quia ſicut in vna divina eſſentia ſunt tres perſonæ, ita in vna anima tres potentiæ; ergo anima rationalis eſt vera imago, & ſimilitudo Trinitatis; ergo ex cognitione quidditativa, & comprehenſiva animæ rationalis deveniri poteſt in cognitionem Trinitatis.

7 Occurrit D. Aug. dicto a. 5. ad 3. *Dicendum, quod ratio illa procederet ſi imago illa eſſet in homine perfectè repræſentans Deum, ſed ſicut Auguſtinus dicit lib. 15. de Trin. maxima eſt differentia huius Trinitatis, quæ eſt in nobis ad Trinitatem divinam, & ideò vt ipſe ibidem dicit: Trinitatem, quæ in nobis eſt, videmus potiùs, quàm credimus; Deum verò eſſe Trinitatem credimus potiùs, quàm videmus.* Eſt ergo anima rationalis imago Trinitatis, ſed imperfecta, analoga, vmbratilis, & inadæquata; non perfecta, vnivoca, & adæquata, ideoque nullatenùs idonea, vt ducat in cognitionem Trinitatis. Nec potentiæ animæ ſunt ſimul diſtinctæ inter ſe, & diſtinctæ ab anima, ſed potiùs diſtinctæ, aut indiſtinctæ inter ſe, ſicut & ab anima, vndè hìc potiùs reperitur quaternitas, quatè ratio naturalis ex cognitione animæ, & potentiarum nullo pacto aſcendere poteſt in cognitionem Trinitatis. Vt pater in intellectu humano producente verbum, quo exemplo vtcumque explicari ſolet proceſsio Verbi Divini ab intellectu Patris, ſed eo exemplo non obſtante proceſsio Verbi Divini eſt viribus naturæ prorſus inacceſſa.

8 Ratione probatur concluſio. Naturalis cognitio Dei ſolùm ex naturalibus effectibus haberi poteſt; at ex illis cognoſci non poteſt Myſterium Trinitatis; ergo naturalis cognitio Trinitatis repugnat. Minor probatur. Nullus effectus naturalis habet neceſſariam connexionem cum Deo vt Trino; ergo ex illis cognoſci non poteſt Trinitas perſonarum. Antecedens prob. Effectus tantùm habet neceſſariam connexionem cum cauſa per ſe exacta; at cauſa per ſe exacta ad effectum non eſt Deus vt Trinus, ſed vnus; ergo effectus naturalis non habet connexionem cum Deo vt Trino, ſed vno. Minor probatur. Virtus productiva effectus ad extra eſt toti Trinitati communis, nempè Omnipotentia, quæ eſt prædicatum abſolutum, quarè ſi per poſſibile, aut impoſsibile Deus Trinus non eſſet, cum adhùc per locum ab intrinſeco maneret omnipotens, eſſet ſufficiens creaturarum principium; non ergo creaturæ connexionem habent cum Deo vt Trino, ac proinde ex illis adhùc comprehenſivè cognitis naturali cognitione deveniri non poteſt in cognitionem Trinitatis.

9 Dices. Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam cognovit Myſterium Trinitatis per relationem dependentiæ, quam dicit quælibet creatura ad Deum, vt diximus tract. de ſcientia animæ Chriſti; ergo ex creaturis deveniri poteſt in cognitionem Trinitatis. Secundo. Lumine gloriæ cognoſcimus Myſterium Trinitatis; ſed lumen gloriæ eſt quid creatum; ergo per creaturas cognoſcere poſſumus Trinitatem perſonarum. Tertiò, & vrgentiùs. Creatura producta non tantùm connectitur cum Deo vt vno, ſed vt Trino; ergo ex creatura cognoſci poteſt Deus vt Trinus. Antecedens prob. Licèt in Deo principium *quo* ſit abſolutum, & commune Trinitati, non tamen principium *quod*; ergo creatura producta non tantùm connectitur cum Deo vt vno, ſed vt Trino. Prob. anteced. ſupponendo in divinis nullam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, quod ſatis probabilitèr plures tuentur. Principiũ *quod* productivum ad extra debet eſſe ſubſiſtens; at Deus non eſt ſubſiſtens per abſolutum, ſed relativum, cum ſubſiſtentia ſi relativa; ergo principium *quod* productivum ad extra eſt quid relativum, non abſolutum.

10 Quartò. Licèt in Deo admittatur ſubſiſtentia abſoluta, ea tamen non

conſtituit ſuppoſitum ; at actiones ſunt ſuppoſitorum ; ergo actio productiva creaturarum non tantùm eſt à Deo ſecundùm aliquid abſolutum, ſed à Deo vt dicente aliquid relativum ; ergo ex effectibus creatis non ſolùm cognoſcitur cauſa ſecundùm aliquid abſolutum, ſed etiam ſecundùm relativum. Denique. Licet effectus creatus non exigat principium vt trinum, re vera tamen principium illud eſt trinum ; ergo comprehendens effectum creatum cognoſcit neceſſariò Trinitatem. Conſequentia probatur. Comprehendens effectum cognoſcit cauſam, quæ re vera concurrit ad talem effectum, licèt effectus eam neceſſariò non exigat; vnde cognoſcens calorem productum à Sole, neceſſariò cognoſcit Solem, quamquàm calor ad ſui exiſtentiam neceſſariò non exigat Solem; ergo.

11 Ad primum reſpondeo ; eam cognitionem eſſe ſupernaturalem, & comprehenſivam dependentię creaturæ à Deo, ideoque cognoſcit talem creaturam non ſolùm ſecundùm id, quod exigit, ſed etiam ſecundùm quod re ipſa habet, & conſequenter cognoſcit creaturam non ſolùm vt dependentem à Deo vt principio *quo*, nimirùm vt vno, ſed etiam vt principio *quod*, ideſt vt Trino. Præſens autem controverſia procedit de cognitione naturali, & creatura naturaliter cognita duntaxat ducit in cognitionem cauſæ per ſe à creatura exactæ, quo ſenſu non eſt Deus vt Trinus. Ad ſecundum dico, cognitionem illam procedentem á lumine gloriæ etiam eſſe ſupernaturalem ; nec fit per medium aliquod creatum licèt ſit à potentia, & lumine creato, ſed attingit immediatè Deum per eſſentiam divinam vnitam per modum ſpeciei.

12 Ad tertium, diſtinguo antec. Sed vt Trino, tanquám cum cauſa per ſe exacta ab effectu, nego antec. non per ſe exacta, concedo antec. Licèt enim re vera principium productivum non tantúm ſit vnum, ſed etiam trinum, id tamen non provenit ex indigentia, vel exigentia effectus; ſed ex indigentia cauſæ; cognitio autẽ naturalis ex effectu tantum cognoſcit cauſam ſecundùm quod requiritur ad effectũ. Ad prob. dico: cognoſcentẽ effectum naturaliter ſolũ cognoſcere principium eſſe ſubſiſtẽs, quin propterea cognoſcat, an ſubſiſtat ſubſiſtentia relativa, vel abſoluta ; ſicut etiã Angelus cognoſcit humanitatem aſſumptam à verbo eſſe ſubſiſtentem, quin propterea cognoſcat, an ſubſiſtat ſubſiſtentia propria, vel aliena, aut alio modo ipſi occulto.

13 Ad quartum. Conceſsis præmiſsis, nego conſeq. quia cognitio naturalis ſolùm infert ex effectu cognitionem cauſæ, ſecundùm quod requiritur ad effectum, vt dictum eſt, ad effectum autem creatum non requiritur concurſus ſuppoſiti conſtituti per relativum. Ad vlt. conceſſo antec. nego conſeq. quia id, quod eſt in cauſa non exactum ab effectu non relucet in effectu, quare huius cognitio non infert cognitionem illius. Nec vrget paritas caloris. Nam talis calor in individuo, vel pendet eſſentialiter à tali cauſa, nempè à Sole, vt plures opinantur; vel non pender, vt alijs placet. Si primum. Non mirum ſi ex cognitione talis caloris cognoſcatur Sol, cum in ea opinione ſit eſſentialis connexio. Si ſecundum. Dico ex cognitione talis caloris nullo pacto inferri cognitionem cauſæ ſolaris; vt patet in eodem Sole, in quo non tantum eſt virtus productiva caloris, ſed etiam auri, & argenti ; & tamen cognitio caloris non manuducit in cognitionem virtutis productivæ auri, vel argenti, quia hęc virtus non exigitur à calore.

SECUNDA CONCLVSIO.

§ III.

14 DICENDVM ſecundò. Adhùc poſita illuſtratione Fidei Trinitatem perſonarum ratione naturali demonſtrari non poſſe. Conſtat ex dictis. Nam ideò ſecluſa revelatione Trinitas perſonarum ratione naturali demonſtrari non poteſt, quia in creatis nullũ eſt medium naturale per ſe connexum cum Trinitate ; ſed revelatione ſuppoſita nulla eſt connexio, quandoquidem revelatio nullam connexionem ponit in effectu creato cum Trinitate ; ergo adhúc poſita revelatione, aut illuſtratione divina nullum eſt medium naturale ducens in cognitionem Trinitatis.

15 Confirmatur. Suppoſitio revelationis omninò de materiali ſe habet ad cognitionẽ naturalem ; ergo nihil prodeſt. Probo antec. Naturaliter cognoſcens non procedit ex vi revelationis, ſed ex viribus naturæ, aliàs cognitio, non naturalis, ſed ſupernaturalis eſſet ; ergo ea ſuppoſitio

poſitis ſe habet de materiali. Explicatur. Revelatio eſt omninò extrinſeca reſpectu naturæ; at medium extrinſecum non immutat intrinſecam rei naturam; ergo adhuc poſita revelatione nulla eſt connexio in natura cum Trinitate; cum ergo intellectus, poſita revelatione, eiſdem medijs, ſpeciebus, motivis, eadem intellectiva virtute, omnibuſque comprincipijs vtatur, quibus anteà, æquè manet impotens ad cognitionem Trinitatis, ſicut anteà.

16 Oppones. Lumine fidei illuſtratur natura, ſicut etiam doctrina Magiſtri illuminatur Diſcipulus: & potentiæ ſenſitivæ creaturæ rationalis tendere poſſunt in obiectum materiale honeſtum ex coniunctione ad intellectum, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 55. a. 4. quod non habent potentiæ ſenſitivæ creaturæ irrationalis ex defectu talis coniunctionis; ergo natura ex coniunctione ad fidem excitari poteſt ad inquirenda media, & ad cognoſcendum, quod anteà cognoſcere non poterat. Reſpondeo illuſtratione Fidei ſine dubio illuminari naturam, & excitari ad inquirenda media vt cognoſcat, quod anteà non cognoſcebat, ſed media, quæ re ipſa ſint in effectu naturali, nam quæ non ſunt, inveniri non poſſunt; cum ergo in effectu naturali nulla ſit connexio cum Trinitate, illam ſcrutari non poteſt adhuc poſita revelatione Fidei.

17 Ex his facilè deducit Ang. Doctor 1. p. q. 32. a. 1. Myſteria noſtræ Fidei non eſſe Infidelibus perſuadenda ratione naturali: tùm quia ſupernaturalibus myſterijs irrogaret iniuriam: tùm quia ea irriſioni exponerer, quatenùs Gentiles Philoſophi crederent nos ſimili ratione ducti aſſenſum præſtare. Nihilominùs Trinitatem iam revelatam licet, & expedit exemplis naturalibus naturali imbecilitati accommodatis vtcumque exponere, vt optimè Anſelmus exemplo fontis, rivi, & lacus, opuſculo de Fide Trinitatis, & Incarnatione Verbi, c. vlt. necnon in præſenti c. 16. Et nos cum ipſo eiſdem locis in ſcholijs. Exemplum pariter Solis, caloris, & ſplendoris, eſt quantum ad hoc ſatis opportunum; quamquàm eo perperam vterentur Græci ad negandam proceſsionem Spiritus Sancti de Filio,

vt probat idem
Anſelmus.

***

TERTIA CONCLVSIO.

§. IV.

18 DICENDUM tertio. Lumine naturæ cognoſci non poſſe Myſterium Trinitatis adhùc ſub ratione poſsibilis. Conſtat ex Anſelmo §. 2. allegato. Et vlterius ſuadetur. Vbi nullum eſt medium cognitionis eſt impoſsibilis cognitio; at in tota natura nullum eſt medium cognitionis tanti Myſterij, cum nulla ſit cum ipſo connexio, vt in ſuperioribus dictum eſt; ergo non eſt poſsibilis talis cognitio. Cõfirmatur. Quidquid eſt in creatura potiùs ſuadet impoſsibilitatem, quàm poſsibilitatem tanti Myſterij, quia tota natura clamat: *Qui ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quare nullum eſt in tota natura medium opportunum, ſaltim adæquatum, ad ſuadendam poſsibilem realem diſtinctionem inter entitates re ipſa identificatas cum tertio.

19 Oppones. Lumine Fidei notum eſt Deum poſſe quidquid impoſsibile non eſt; at lumine naturæ monſtrari poteſt Trinitatem perſonarum cum vnitate naturæ non eſſe impoſsibilem; ergo monſtrari poteſt eſſe poſsibilem. Minor probatur. Tùm ex D. Thoma dicto a. 1. probante nos poſſe defendere Trinitatis Myſterium non eſſe impoſsibile; ergo lumine naturali cognoſci poteſt non eſſe impoſsibile: tùm etiam, quia in tota natura nihil eſſe poteſt, quod impoſsibilitatem huius Myſterij evincat; cum nullum ſit poſsibile medium convincens verum eſſe falſum; at Myſterium Trinitatis verum eſt; ergo nihil eſſe poteſt in natura aliquid in oppoſitum convincens; ergo Angelus totam naturam comprehenſivè cognoſcens, deprehendit in ea nullam eſſe repugnantiam Myſterij Trinitatis; ergo cognoſcit illud non eſſe impoſsibile.

20 Reſpondeo, conceſſa maiori, negando min. Quoniam ſi ſtemus ſolis naturæ viribus rationes ſuadentes Myſterium Trinitatis non eſſe impoſsibile nihil evincunt in conſpectu Philoſophici dogmatis: *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Ratio eſt, quia ſolo lumine naturæ ſola naturalia cognoſcuntur; in materia autem naturali repugnat Trinitas perſonarum cum vnitate eſſentiæ. Ad primam prob. ex D. Thoma, dico nos poſſe defen-

dere myſterium Trinitatis non eſſe impoſſibile ſuppoſita illuſtratione Fidei, non ſolis naturæ viribus. Nec adhuc illuſtratione ſuppoſita demonſtrari poteſt evidenter, ſed duntaxat argumenta oppoſita probabiliter diſſolvendo.

21 Ad ſecundam probationem, nego ſuppoſitum maioris, quia hoc Myſterium non eſt de rebus, quæ inveniri poſſint in natura, nec eius poſsibilitas, aut impoſsibilitas probanda eſt ex natura, vndè Angelus totam naturam comprehendens, nec veſtigium Summæ Trinitatis inveniet, ſed in materia naturali oppoſitum deprehendet.

22 Dices. Ergo Angelus ſeclusa illuſtratione ſupernaturali negabit poſſibilitatem Trinitatis; ſed hoc dici non poteſt, quia ſicut Angelus cognoſcit comprehenſivè naturam, ità perfectè cognoſcit Authorem naturæ; ergo de Authore naturæ propoſitionem falſam, qualis eſſet propoſitio negans eſſe Trinum, affirmare non poteſt. Reſpondeo ſimili argumento probari poſſe Angelum cognoſcere ſeclusa illuſtratione ſupernaturali, non ſolum poſsibilitatem, ſed exiſtentiam Trinitatis, eadem vi, & efficacia. Vndè dico non mirum ſi Angelus relictus ſolis naturæ viribus decipiatur in re ſupernaturali, quæ indiget ſapientia, quam nemo Principum huius ſæculi cognovit.

Argumenta oppoſita ſolvuntur.

§ V.

23 ARGUITVR Primò. Omnis effectus naturalis eſt medium connexum cum Trinitate; ergo ex illius cognitione poteſt ratio naturalis devenire in cognitionẽ Trinitatis. Antecedens probo. Effectus naturalis connexionem habet cum omnipotentia; ſed omnipotentia connectitur eſſentialiter cum Trinitate; ergo. Si reſpondeas omnipotentiam connecti cum Trinitate materialiter per ordinem ad effectum naturalem. Contra eſt. Effectus naturalis connectitur cum hac omnipotentia, & diſtincta ab alia omnipotentia impoſsibili; ſed hæc omnipotentia vt diſtincta ab alia impoſsibili connectitur cum Trinitate; ergo comprehendens effectum naturalem cognoſcit omnipotentiam connexam cum Trinitate.

24 Reſpondeo optimam eſſe ſolutionem datam, quia cognoſcens effectum ſolum poteſt devenire in cognitionem cauſæ ſecundum quod exigitur ab effectu, vt dictum eſt. Ad prob. dico cognoſcentem effectum cognoſcere cauſam productivam eſſe poſsibilem, ac diſtinctam ab impoſsibili; verumtamèn ad hoc non requiritur cognitio aliarum perfectionum, nimirùm iuſtitiæ, miſericordiæ, & ſimilium, quæ ſolùm de materiali, & identicè ſpectant ad virtutem productivam effectus, quoniam omnipotentia per ſe ipſam, & per ſuam virtutem productivam diſtinguitur ab alia omnipotentia impoſsibili independenter à Trinitate perſonarum.

25 Arguitur ſecundo. Lumine naturæ notum eſt Deum eſſe ſummum bonum; ergo lumine naturæ notum eſt eſſe ſummè diffuſivum ſui, quia hoc ſpectat ad ſummam bonitatem; ergo lumine naturæ notum eſt Deum eſſe communicativum ſui, non ſolùm ad extrà, ſed etiam ad intrà, quod eſt cognoſcere proceſsiones divinarum perſonarum, & conſequentèr Trinitatem. Conſequentia verò probatur. Communicatio ad extrà non eſt ſumma, & infinita; ergo ſi lumine naturæ cognoſcitur Deum eſſe ſummè, & infinitè communicativum, cognoſcitur eſſe communicativum ad intrà.

26 Secundò naturali lumine notum eſt in Deo eſſe omnem perfectionem poſsibilem; ſed fœcunditas ad intrà eſt perfectio poſsibilis; ergo lumine naturæ cognoſcitur. Tertiò. Lumine naturæ notum eſt Deum eſſe ſummè fœlicem; at ſumma fœlicitas non ſalvatur in ſolitudine, & ſine conſortio perſonarum; ergo.

27 Reſpondeo hæc omnia exceſsivè probare. Nam Deus non eſſet ſummè bonum, ſi non eſſet communicativus ſuæ bonitatis omnibus creaturis poſſibilibus; tàm in communi, quàm in particulari; ergo cognoſcens aliquem effectum naturalem cognoſcet Deum vt communicativum ſuæ bonitatis omnibus creaturis poſsibilibus; ſed hoc eſſe falſum conſtat ex ipſa viſione beata, quæ cum ſit ſupernaturalis, & intuitiva Dei, id non cognoſcit; ergo multo minus cognitio naturalis. Quare lumine naturæ cognoſcitur Deus ſummè bonus, ac diffuſivus ſuæ bonitatis, ſed in ordine naturali duntaxat.

Ad

Ad ſecundum conceſſa mai. diſtinguo min. eſt perfectio poſsibil s intra ordinem naturæ, nego min. longè excedens vires naturæ concedo min. & nego conſeq. Ad tertium pariter dico notum eſſe lumine naturæ Deum eſſe ſummè fœlicem fœlicitate eiuſdem ordinis, quoniam alterius fœlicitatis nullum habet veſtigium, nec habere poteſt.

28 Arg. 3. Effectus creatus non tantum manuducit in cognitionem cauſæ effectivę, verumetiam exemplaris, quam effectus imitatur; ſed cauſa exemplaris ſæpe eſt aliquid relativum; ergo ex vi effectus cognoſcitur in prima cauſa aliquid relativum, ac deinde Trinitas perſonarum. Probo min. ſubſiſtentia creata eſt participatio ſubſiſtentiæ divinæ; ſed ſubſiſtentia divina eſt relativa, vel quia in Deo nulla datur ſubſiſtentia abſoluta, vel quia ſubſiſtentia creata vt reddens naturam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito non eſt participatio ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed relativæ; ergo.

29 Secundò. Paternitas creata eſt participatio paternitatis divinæ; ſicut filiatio filiationis, & vniverſim relatio creata eſt participatio relationis divinæ; ergo ex harum cognitione deveneri poteſt in cognitionem paternitatis, & filiationis divinæ, omniumque divinarum relationum, ac proinde trium perſonarum.

30 Reſpondeo, conceſſa mai. negando min. Nam Idæa, ſive cauſa exemplaris in Deo, nec eſt paternitas, nec aliqua relatio, ſed ipſa eſſentia divina vt diverſimodè imitabilis à creaturis, vt docent cum D. Thom. 1.p.q.15. communiter Theologi præter Scotum aſſerentem eſſe creaturam ipſam vt obiectivè cognitam; in nulla tamen ſententia eſt quid relativum. Ad prob. diſtinguo antec. eſt participatio ſubſiſtentiæ divinæ provt contentæ in eſſentia concedo antec. Secundùm id, quod ſuperaddit eſſentiæ, nego antec. nam perſonalitas creata eſt participatio perſonalitatis divinę vt præcontentæ in eſſentia; id eſt participat eſſentiam divinam vt ita imitabilem à creatura, nimirum, perſonalitèr. Quare ex eo, quod detur realis relatio paternitatis in creatis non ſequitur ſequela formali, & immediata dari realem relationem paternitatis in divinis: ſicut ex reali relatione ſimilitudinis in creatis non probatur realis ſimilitudo in Deo: nec ex formali diſcurſu probatur, niſi diſcurſus eminenter, per quod conſtat ad ſecundum.

31 Arg. 4. In creatura datur aliquid naturale connexum cum Trinitate; ergo Angelus comprehendens naturam poterit cognoſcere Trinitatem. Antec. probatur. Datur in creatura potentia obedientialis ad videndam Trinitatem; ſed hæc eſt naturalis, vtpotè identificata cum ipſa creatura; ergo. Confirmatur. Viſio beata connectitur neceſſariò cum Deo vt trino tanquam cum proprio obiecto; ſed poſsibilitas viſionis beatæ demonſtrari poteſt lumine naturæ, vt plures docent Theologi: ergo, & poſsibilitas Trinitatis.

32 Reſpondeo potentiam obedientialem taliter eſſe entitativè ſupernaturalem, vt ſit terminativè ſupernaturalis; cùm ergo ad cognitionem naturalem quanquam comprehenſivam ſatis ſit cognoſcere rem ſecundum, quod eſt in ſe, quia eam cognoſcat per ordinem ad omnia connotata præſertim ſupernaturalia, conſequens eſt vt Angelus tantùm cognoſcat potentiam creaturæ ſecundùm quod naturalis eſt, non ſecundùm quod obedientialis. Ad confirmationem reſpondeo eoſdem Authores adſtruentes viſionis beatæ poſsibilitem eſſe demonſtrabilem, id negant in myſtero Trinitatis, an autem debito conſequentiæ filo, ipſi viderint, mihi enim videtur eam opinionem eſſe eodem itulo impugnandam. Fortaſſe dicent ſed tantum tueri poſſe lumine naturæ demonſtrari poſsibilitatem viſionis beatæ, non vt ſupernaturalis eſt, ſed tantum vt eſt viſio clara ſummi boni, quęcumque illa ſit. Ex quo non probatur poſſe evidenter cognoſci poſsibilitatem myſterij Trinitatis, de quo nullum veſtigium in natura, cum è contra in natura ſit inclinatio ad beatitudinem, & ad viſionem claram ſummi boni.

33 Arguitur quinto. Myſterium Trinitatis eſt evidenter credibile; ergo eſt evidenter poſsibile. Patet conſequent. nam quod iudicatur impoſsibile, iudicatur etiam incredibile; ergo è contra, quod iudicatur credibile, iudicatur paritèr poſsibile. Hoc argumentum nihil convincit. Primo. Quia Myſterium Trinitatis non eſt evidentèr credibile ſola natura duce, ſed fide divina, & ex motivis ſupernaturalibus. Secundo. Quia credibilitas ſumitur ex teſtimonio dicentis; poſsibilitas verò ſicut, & veritas, ex intrinſeca connexione terminorũ cum ergo hæc connexio in re tam elevata non cognoſcatur naturali lumine, non mirùm; ſi ratione naturali non attingatur.

De-

Denique, quia miſteria noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia in communi, non in particulari, vt docent Theologi tract. de fide: quin immó infideles convicti argumentis credibilitatis noſtræ fidei, dum ad particularia deſcendunt, refugiunt, quare dum in particulari proponitur Deus vnus, & trinus: Deus homo: Deum pati, & mori, & quod maius eſt à ſuis fidelibus ſub ſpecie panis manducari, reſipiſcunt.

DUBIVM II.

An in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ? Referuntur varij Hæreticorum errores.

§. I.

1 VERITAS Fide Catholica certa ſub præfixo titulo examinanda proponitur, non quaſi dubitando, ſed *vt eorum* (inquit S. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo, c. 1.) *quæ credunt, & delectentur contemplatione, & parati ſint, quantum poſſunt, ſemper ad ſatisfactionem, omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe.*

2 Hæreſes in Eccleſia hydræ ſimilitudinem gerunt, quoniam reſecatis capitibus, quotidie renaſcuntur. Dixerunt enim Sabelliani, Praxeani, & Hermogeniani, in Deo vnam tantùm eſſe perſonam, quam propter diverſitatem effectuum ab ipſa procedentium diverſis nominibus appellabant: vocabant *Patrem*, quatenùs eſt Author creaturarum: *Filium*, quatenus humanam aſſumpſit naturam: *Spiritum Sanctum* quatenus homines ſua gratia ſanctificat; vnde compulſi ſunt concedere eandem perſonam Patris, & Spiritus Sancti fuiſſe incarnatam, & mortuam; qua propter præfati Hæretici à Beato Optato Mileuitano lib. 1. contra Parmenianum; & à Cypriano Epiſt. 73. ad Iubaianum, *Patripaſſiani* appellati ſunt. Et quod pias aures offendit, veriti non ſunt nuperi Sabelliani Sanctiſsimam Trinitatem appellare Cerberum tricipitem, & tricorporeum Gerionem teſte Becano in præſenti.

3 Arrius ê contra ex diſtinctione perſonarum intulit diſtinctionem eſſentiæ, & conſubſtantialitatem negavit. Macedonius Spiritum Sanctum duntaxat Miniſtrum Dei, ſicut & Angelos, non verum Deum, agnovit; propterèa Auguſtinus lib. de hæreſibus hæreſi 52. Macedonianos appellat Semiarrianos. Hæc & alia falſitatis monſtra ſe mutuo collidẽtia eruditè depinxit Vigilius Epiſcopus, & Martir, lib. 2. contra Euthich. *Sabellij, & Arrij, Manichæi, & Photini, Neſtorij, & Euthicetis ſententiarum dogmata conferamus, quibus eos ita ſibi invicem extitiſſe contrarios invenimus, vt quod magis mirum ſit, eorum error veritati teſtimonium dicat; & inconſonæ perfidorum ſententiæ, in vnum rectæ fidei modulum concinant, trophæumque noſtræ victoriæ eorum caſſa certamina gignant.*

4 *Sabellij enim perfidia Arrij damnat errorem: rurſus Arriani dogmatis error Sabellij impietatem excludit. Siquidem Sabellius vnius naturæ probabili quidem confeſsione deceptus, Trinitatis vnam putavit eſſe perſonam; vt ex hoc, quod trium vna natura eſt, vna intelligeretur eſſe perſona. Contrà Arrius tres ſubſtantias, atque diſtinctas, ſicuti verè ſunt, perſonas accipiens, tres eorum diſimiles credidit eſſe naturas, &c. Audiat Sabellius in tantũ Patris, & Filij, & Spiritus Sancti tres eſſe perſonas, vt eos Arrius, & poteſtate diſsimilis, & natura adverſos audeat profiteri. Audiat rurſus hic idem Arrius, in tantum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnius poteſtatis, vninſque eſſe naturæ, vt Sabellius vnam eorum dicat eſſe perſonam. Malum ergo tuum è Arrij, illius corrige malo: & malum ſuum de tuo corrigat malo, vt bonum, quod vterque vobiſcum tenet, commune ſit vobis.*

5 Accedit Mahumetes, qui teſte Damaſceno lib. de hæreſibus, anno Domini 630. ex Sabellio, & Arrio venenum bibit, & evomuit. Dixit enim vnum eſſe Deum, qui nec generans, nec genitus ſit: negavit Filium Dei, quia Deus non habet vxorem: falſus eſt Chriſtum eſſe verbum Dei, eiuſque Spiritum, ſed creatum, ex Maria ſine ſemine genitum, Prophetam, & ſervum Dei, à Iudæis in propria perſona non crucifixum, ſed vmbram illius, vndé Chriſtus mortuus non fuit, ſed à Deo in Cœlum translatus, ideóque negabat Redemptionem Chriſti, Sacramentorum efficaciam, aliaque figmenta diſſeminavit in perditionem multorum.

Catholicum dogma ex ſacra pagina oſtenditur.

§. II.

6 INdubitata fide tenendum contra Sabellium dari in Deo tres perſonas realiter, & perſonaliter diſtinctas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

Hoc

Hoc enim fidei Catholicæ dogma in veteri testamento adumbratur, & in novo meridiana luce proponitur. Pluralitas namque personarum ostenditur Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et c. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Et cap. 18. v. 2. *Apparuerunt ei tres viri stantes.* Nec non Psalm. 68. v. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*, vbi obiter prætermittere non licet, quod hic non indocti notarunt Interpretes, quod *Deus* secundo loco positus specialiter dicitur *noster*, quia Filius quasi medius inter Patrem, & Spiritum Sanctum nostram assumpsit naturam, & homo factus est. Trinitas ergo personarum in trina receptione proponitur. Ac nō obscurè colligitur ex illo Isaiæ 6. ℣. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.*

7 Clariùs constat eadem veritas ex pluribus locis Novi Testamenti. Satis sit illud Matth. 28. ℣. 19. *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et illud Ioan. 5. ℣. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ex quibus testimonijs, & alijs pluribus aperte satis deducitur Filium, & Spiritum Sanctum non convenire in eadem persona cum Patre.

8 Unum tamen ex illis sub hac forma proponitur. Si Spiritus Sanctus conveniret in eadem persona cum Patre non diceretur alius à Patre; sed proprie dicitur, & est alius à Patre; ergo non convenit in eadem persona cum Patre. Maior constat, quia enim Spiritus Sanctus convenit in eadem divinitate cum Patre, non est alius Deus à Patre: & quia Carolus ex gr. coincidit in eadem persona cum Rege Hispanię nullo iure dici potest alia persona à Rege Hispaniæ. M nor autem prob. ex illo Ioan. 14. ℣. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis spiritum veritatis.* En Patrem rogatum: Filium rogantem: & alium Paraclitum spiritum veritatis missum, & datum; est ergo alius, qui rogat, nempè Filius; & alius rogatus, nempe Pater; & alius dandus, & mittendus, nempe Spiritus Sanctus; ergo in divinis sunt tres personæ realiter distinctæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

9 Hoc argumento vtitur S. Anselmus, lib. de Fide, Trin. & Incarn. Verbi, c. 3. & confirmat in præsenti opusc. c. 3. vbi posita vnitate essentiæ sic pluralitatem personarum ostendit: *Supradicta verò relationis oppositio, quæ ex eo nascitur* [nempè ex nativitate, & processione] *prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum de invicem dici.* Et infrà rationem reddit: *Quia nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo esse de quo existit; existit autem Filius, & Spiritus Sanctus de Patre; quarè non potest Filius, & Spiritus Sanctus esse Pater.*

10 Confirmat eandem veritatem Anselmus ex pluribus alijs Sacræ Paginæ testimonijs c. 8 præsertim ex illo Ioan. 15. ℣. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*; sed persona procedens distinguitur à procedente, quia nemo procedit á se ipso; ergo Filius procedens à Patre distinguitur realiter á Patre; & Spiritus Sanctus ab vtroque procedenss distinguitur ab vtroque. Alia plura videri possunt in 1. part. huius operis, quæ repetere non licet.

11 Hucusque contra Hæreticos, & Iudæos actum est: non nihil contra Mahometanos agendum. Mahometes (vt sæpiùs constat ex Alcorano) fatetur Christum esse Prophetam, & Nuncium Dei; at Nuncius Dei falsa annuciare non potest; ergo verum est, & credendum, quod annunciat *Si enim Deo non credimus, cui credemus?* inquit Ambr. in Luc. lib. 4. c. 5. qua ratione enixè persuadere conabatur Mahumetes credenda esse omnia ab ipso prolata, quia Prophetam, & Nuncium Dei se esse dicebat; at Christus Dominus trinam personarum distinctionem sæpiùs annunciat, vt ex præfatis testimonijs constat; ergo vt consequentiæ filo procedat ea realis personarum distinctio ab ipsis Mahometanis tenenda est.

12 Nec alicuius est momenti si respondeat adulteratam esse Scripturam. Nam ipsis incumbebat probandum vndè quando, & quomodō sit falsata, quod non probant, nec specie tenus probare possunt, vt latè, & eruditè probat Suarez in Regem Angliæ; immò eadem Catholica veritas ex Hæbraicis, Græcis, Syriacis, alijsque versionibus per totum orbem dispersis, clarissime constat; & vlterius demonstrari potest omnibus argumentis, quibus tract. de Fide convincitur Mysteria nostræ Fidei esse evidenter credibilia. Id enim Prophetæ prædicaverunt, Martyres innumeri textantur; mirabilis puellarum constantia in tormentis; Confessores Sanctissimi, pariterque

terque doctiſsimi : ſigna , & miracula penè infinita , confirmant, aliaque ſuadent argumenta , quæ dicto loco videri poſſunt.

13 Nec etiam alicuius ponderis eſt, quod Mahometes ait , videlicet Trinitatem perſonam non poſſe ſolida ratione monſtrari. Quoniam ſine probatione , ſine miraculis , ſine teſte, omnique penitùs deſtitutus fundamento ſuadere curabat ſe eſſe verum Prophetam , ipſique in omnibus ſola ſua authoritate credendum; ergo potiori titulo credendum eſt doctrinæ Chriſti Domini revelantis Trinitatem , cum tantis ſit firmata miraculis , teſtibus , & argumentis.

Solvuntur impugnationes contrariæ.

§. III.

14 HÆRETICI nullum non movent lapidem, vt Catholicę veritatis dogmata evertant. Opponunt 1. illud Deutor. 32. v. 39. *Vidite , quod ego ſim ſolus , & non ſit alius Deus præter me.* Et Iſaiæ 45. v. 5. *Ego Dominus , & non alius.* Ex quibus formatur ratio. Quicumque eſt alius à Patre non eſt Deus; ergo vel Filius , & Spiritus Sanctus non ſunt Deus , vel nullus eorum eſt alius à Patre ; ergo oportet omnes in eandem convinire perſonam. 2. opponunt illud Ioann. 10. v. 7. *Ego , & Pater vnum ſumus* ; ergo nulla eſt diſtincto inter Patrem, & Filium. Et c. 14. v. 9. *Qui videt me , videt , & Patrem meum* ; ſed hæc illatio nulla eſſet , ſi inter Patrem , & Filium daretur realis diſtinctio ; ergo non datur.

15 His tamen omnibus facile reſpondetur ex dictis optimè probari vnitatem in eſſentia divina , non tamen in perſonis; non enim Pater dixit : non eſt alia perſona præter me ; ſed *non eſt alius Deus.* Ex quo Verbum Divinum incarnatum optimè deducebat , quod quicumque cognoſceret ex patratis miraculis eius divinitatem conſequens erat , vt cognoſceret divinitatem Patris, quia eadem eſt. Attamen loquendo de perſona dixit Filius Ioann. 16. *Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Et c. 8. *Qui me miſit me cum eſt, & non reliquit me ſolum.* Vel applicari poteſt expoſitio Parentis Anſelmi in Monol. c. 56. vbi docet qualiter Pater ſit ſolus ſolitudine generantis ; & Filius ſolitudine geniti ; ac Spiritus Sanctus ſolitudine procedentis , & non geniti. Ibi: *Poteſt itaque , immò debet dici ſolus ille , cuius Verbum eſt , Genitor , & ingenitus , quia ſolus eſt Pater , & Parens , & nullo modo ab alio eſt. Solum autem Verbum genitum , quia ſolum Filius, & proles eſt. Solus verò amor vtriuſque, nec genitus , nec ingenitus , quia nec Filius, nec proles eſt.*

16 Dices. Perſona eſt individua ſubſtantia naturæ rationalis; at in Deo non ſunt tres ſubſtantiæ, ſicut nec tres eſſentiæ; ergo non ſunt tres perſonæ. Reſpondeo conceſsis præmiſsis, negando conſequentiam, quia quod faciunt plures ſubſtantiæ in creatis, operatur vna , & eadem in Deo propter ſuam infinitatem , & eminentiam ; diſtinctio autem provenit , non à ſubſtantia , ſed à relatione.

17 Replic. Id , à quo provenit diſtinctio non eſt accidens, quod in Deo locum non habet ; ergo ſubſtantia ; ergo, vel concedendæ tres ſubſtantiæ diſtinctæ , vel neganda diſtinctio perſonarum. Reſpondeo diſtinctionem provenire á relatione , quæ non eſt accidens , nec ſubſtantia formaliter, & expreſsè, ſed realitèt, & identicè ; ſubſtantia enim divina propter ſuam infinitatem , & eminentiam, eſt ſubſtantia , & relatio ; primo modo eſt ad ſe , & importat vnitatem : ſecundo modo dicitur ad aliud, & importat diſtinctionem. Alia plura opponi poſſunt , de quibus commodius in ſequentibus, ne eadem repetamus.

DUBIUM III.

An Quælibet ex tribus Perſonis realitèr diſtinctis ſit verus Deus?

§. I.

1 NON dubitando , ſed errores improbando , veritatemque catholicam oſtendendo , diſputationem teximus. Dubio enim præcedenti lis erat cum Sabellianis , alijſque Hæreticis ; nec non Gentilibus negantibus pluralitatem Perſonarum ; in præſenti oportet manum inſerere cum Arrianis , & Macedonianis , quoniam priores Filio; poſteriores Spiritui Sancto divinitatem negabant. Nec defuere teſte Auguſtino de Hæreſibus hæreſi 74. qui perſonæ Patris per ſe conſideratæ divinitatem negaverint, quia aſſerebant Deum eſſe vnum ex collectione perſonarum , ſicut ex collectione fidelium vna conſtituitur Eccleſia : *Eſt alia hæreſis* [inquit Auguſt.] *quæ triformem ſic effert Deum , vt quædam pars eius ſit Pater ;*

quæ-

quædam Filius; *quædam Spiritus Sanctus*. In hac ergo controverſia omnium errores aggredimur improbandos cum Anſelmo: tum in præſenti opuſculo: tum in Monologi opluribus in locis,& Divo Thoma 1. p. q. 31. a. 2.

ASSERTIO PRIMA.

§. II.

2 DICENDVM primo Patrem eſſe verum Deum. Ita definitum eſt in Conc. Later. in cap. *Damnamus* de ſumma Trinitat. Et conſtat ex illo Ioann. 1. v. 6. *Verbum erat apud Deum*; ſed erat apud Patrem; ergo Pater eſt Deus. Manifeſta pariter ratione concluditur. Perſona Patris, aut habet eandem naturam individuam cum cæteris perſonis, aut diſtinctam ab illis? Si primum, ergo ſicut omnes tres perſonæ habent naturam divinam, ita & Pater; ſed habens naturam divinam eſt Deus; ergo Pater eſt Deus. Si ſecundum. Concluditur etiam naturam Patris, ſicut & aliarum perſonarum, eſſe divinam, quia ex naturis creatis non conſurgit natura divina; ergo ſi ex tribus perſonis conſtituitur Deus, conſequens eſt, vt quælibet earum ſit Deus; ergo & Pater.

3 Rurſus. Si natura Patris eſt à natura aliarum perſonarum diſtincta; ergo vel eſt æqualis perfectionis; vel perfectior illis? Si perfectior; ergo potiori titulo erit Deus. Si æqualis; ergo quælibet perſona erit Deus, & conſequenter etiam Pater. Præterquamquod in Deo nullas eſſe partes, nec divinitatem ex partibus conſurgere traddit Anſelm. in præſenti opuſculo c. 4. vbi probat Filium, & Spiritum Sanctum eſſe totum Deum de toto Deo, proindeque Patrem habere eandem ſimpliciſsimam eſſentiam, quam cæteris perſonis communicat.

4 Sed oppones. Trinitas eſt de eſſentia Dei; at Pater non eſt tota Trinitas; ergo non eſt Deus. Minor conſtat. Et maior prob. quicquid eſt in Deo eſt de eſſentia Dei, cum in Deo nihil ſit accidentale, ſed in Deo eſt ſumma Trinitas; ergo Trinitas eſt de eſſentia Dei, ſed hæc prædicari non poteſt de ſolo Patre; ergo aliquid eſt de eſſentia Dei, quod prædicari non poteſt de Patre; ergo de Patre dici non poteſt, quod ſit Deus. Hæc impugnatio formari poteſt de quacumque alia perſona, eiuſque ſolutio pendet ex dicendis. Interim dico Trinitatem, ſive perſonalitates relativas, quæ Trinitatem conſtituunt non eſſe de eſſentia Dei conſtitutivè, & metaphiſicè, ſed identicè, quatenùs ſunt idem cum eſſentia Dei, quod non obſtat, vt quælibet perſona ſit Deus.

ASSERTIO SECVNDA.

§. III.

5 DICENDVM 2. Filium eſſe verum Deum. Ita contra Arrium fides catholica docet. Et definitur in ſimbolo Athanaſij dicentis, quod *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna eſt divinitas*. Conſtat etiam ex Iſaia 36. v. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos*; ſed venit Uerbum, ſive Filius; ergo Filius eſt Deus. Item. Ex Ioann. c. 10. v. 30. vbi Filius de ſe ipſo ait: *Ego, & Pater vnum ſumus*; ſed Pater eſt Deus, vt dictum eſt, & fatetur Arrius; ergo Uerbum eſt Deus. Quod apertè convincit Auguſtinus tract. 67. in Ionnn. Sic ex eodem Evangeliſta loquente: *Creditis* (inquid) *in Deum, & in me credite*; *conſequens enim eſt, vt ſi in Deum creditis, & in me credere debeatis*; *quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus non eſſe Deus.*

6 His, & alijs teſtimonijs: tum ex ſacra pagina: tum ex Concilijs, & Patribus, quæ cauſa brevitatis omitto, nullo vel apparenti fundamento occurere poſſunt Arriani, niſi vel ea negando, quod eſt novam hæreſim inducere; vel affirmando Uerbum Divinum appellari in ſacra pagina Deum analogicè, aut quaſi per excellentiorem participationem divinitatis præ cæteris creaturis; non verò vnivocè, & per omnimodam æqualitatem cum Patre.

7 Sed hic error facile improbatur; 1. ad hominem, nam iuxta Arrianos Pater eſt verus Deus; ſed Uerbum Divinum eſt vnum cum Patre, vt de ſe ipſo ait Ioann. 10. ergo Verbum Divinum eſt verus Deus, ſicut & Pater. 2. Arriani colligunt veram divinitatem Patris ex præfatis Scripturæ teſtimonijs; ergo ex eiſdem colligere debent veram divinitatem Filij, cum Scriptura eiſdem terminis de vtroque loquatur. 3. Inter Patrem, & Filium naturalem datur convenientia vnivoca; ſed Uerbum Divinum eſt filius naturalis Patris, vt conſtat Matth. 13.

&

& alibi paſsim; ergo non analogicè tantùm, ſed vnivocè convenit in natura cum Patre; cum ergo natura divina multiplicari non poſsit, conſequens eſt vt Filius conveniat in natura cum Patre per ſummam identitatem.

8 Nihilominùs ſuum errorem ſuadere conantur Arriani ex varijs Scripturæ locis. Primò. Ex illo Ioan. 14. V. 28. *Pater maior me eſt?* Et Ioan. 3. V. 17. *Miſsit Deus Filium ſuum.* Sed mittens eſt maior miſſo; ergo Pater eſt maior Filio; ergo Filius eſt minor; ergo non Deus. Tertiò. Ex illo Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtũ*; ergo Pater eſt ſolus Deus verus, cum in ſola cognitione Patris vitam æternam conſtituat; ergo non Filius. Et Matth. 24. ac Marci 13. *De illa hora nemo ſcit, neque Angeli Dei, neque Filius, niſi ſolus Pater*; ſed ſi Filius eſſet Deus diem iudicij non ignoraret; non ergo eſt Deus.

9 In horum omnium, & aliorum expoſitionem facilè allegari poſſent plura teſtimonia Patrum, quæ quia omnibus obvia omittere decrevi. Ad primum brevitèr dico eam minoritatem Chriſti intelligendam eſſe ſecundùm humanitatem, non ſecundùm divinitatem. Ad ſecundum dico, quod maior eſt qui mittit ex imperio, & cogit quaſi ſuperior, non tamen oportet eſſe maiorem illum, qui mittit volentem.

10 Ad tertium dico eam particulam *ſolum* ibi poni ad excludendos falſos Deos, non ad excludendas alias Trinitatis perſonas. Vel ſecundo, dico cum Athanaſio, Cypriano, & Ambroſio, ibi potiùs manifeſtari divinitatem Filij, quàm negari, quia dicitur Patrem eſſe verum Deum, & *quem miſiſti Jeſum-Chriſtum*; ergo non ſolùm Pater, ſed etiam Jeſus-Chriſtus miſſus eſt verus Deus.

11 Ad vltimum dico, ea verba accipienda eſſe de Chriſto vt homine. Si autem oppones nec Chriſtum vt hominem ignoraſſe diem iudicij, cùm Deus Chriſto vt homini diem illum revelaverit. Reſpondent frequentiùs Interpretes dixiſſe Chriſtum ſe neſciſſe, non quia talem diem ignoraverit, ſed quia totum myſterium ſub ſecreto nulli revelando ſciebat. Vel dic cum Maluenda lib. 2. de Ante-Chriſto c. 23. Chriſtum illam diem neſcire ſcientia humana, quia finis mundi non eſt attingibilis ſcientia humana, ſed ſola revelatione divina. Denique. Si Chriſtus Dominus nullo modo diem iudicij ignoravit; ergo prædicta authoritas nihil favet Adverſarijs; ergo ex ea perperam probatur Filium non eſſe Deum.

12 Opponunt ſecundo. Ex Sacra Paginæ teſtimonijs, quibus Verbum Divinum dicitur Deus, aut Filius Dei, non probatur eſſe Deum. Nam etiam varijs in locis iuſti dicuntur Dij, & filij Dei, & tamen non probatur eſſe Deos: etenim Moiſi dicitur Exod. 3. *Ego conſtitui te Deum Pharaonis.* Et Pſalmo 8. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ioan. 4. *Vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.*

13 Reſpondeò, iuſtos appellari quidem Deos, ſed non veros Deos, ſicut Verbum: non ſalvatores, & Redemptores, ſed ſalvatos, & redemptos: non filios Dei naturales per eandem naturam communicatam á Patre; per quam ipſe Filius dixit: *Ego, & Pater vnum ſumus*, ſed adoptivos, nimirùm per gratiam, quia non neceſſariò, & naturalitèr, ſed *voluntariè nos genuit verbo veritatis.* Jacobi 1.

14 Opponunt tertiò. Filius non eſt ab æterno; ergo non eſt Deus. Probatur antec. Quod habet principium ſui non eſt ab æterno; ſed Filius habet principium ſui, quia eſt à Patre; ergo non eſt ab æterno. Secundò. Quod habet finem, habet neceſſariò initium, ac deindè non eſt ab æterno; ſed generatio Filij habet finem, quia iam eſt abſoluta; ergo habet initium. Si dicas non eſſe hucuſque abſolutam. Contrà. Nam ſequitur, quod Filius non ſit hucuſque perfectus; ergo Deus eſſe non poteſt. Confirmatur. Quando Filius genitus eſt, vel erat, vel non erat? Si erat, quarè genitus eſt? Si non erat; ergo aliquando non fuit; ergo non eſt æternus; ergo non eſt Deus. Denique. Filius pro priori ad generationem, vel erat actu in Patre, vel ſolum in potentia, vel nullo modo? Si actu; ergo erat in actu ante quam generaretur, quod dici non poteſt. Si potentia tantùm; ergo in Deo datur potentia paſsiva, aut potentialitas, quæ neceſſariò arguit imperfectionem. Si nullo modo; ergo factus eſt ex nihilo, & conſequenter creatus.

15 Sed hæc leviſsima ſunt. Ad primum, nego antec. ad prob. dico Filium habere principium productionis, & generationis; non tamen inchoationis, quia Filius

lius Dei non incepit eſſe, ſed ſemper fuit, & ab æterno genitus eſt. Nàm generatio Verbi Divini contemplari poteſt, vel ſecundùm menſuram æternitatis, & ſic ſemper gignitur, quia menſura æternitatis eſt indiviſibilis, & omnia tempora indiviſibiliter comprehendens, vnde in Pſalmo dicitur: *Ego hodie genui te*, & Auguſt. epiſt. 174. ad Paſcentium ait: *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius.* Si verò conſideretur per reſpectum ad noſtrum tempus, Filius iam genitus eſt, quia in noſtro tempore datur præſens, præteritum, & futurum. Per quod conſtat ad alias impugnationes, nam generatio Verbi Divini, nec finem, nec initium habet, ſicut nec ipſe Pater generans. Nec ante quam gigneretur erat, ſed ab æterno genitus eſt, æternitas autem anterioritatem non permittit. Undè optimè dixit Baſilius: *Quod Filius non erat ante quam gigneretur, ſed erat cum gigneretur, ſemper autem genitus eſt, ſemper ergo fuit.*

16 Ad vltimam impugnationem dico, in Deo nullam eſſe prioritatem realem, quia in eo *nihil prius, & poſterius*, ſed ſolam prioritatem originis infra exponendam; pro eo autem priori originis Filius erat in potentia activa Patris, quod nullam arguit imperfectionem; quæ ſolutio intelligenda eſt de perſona Filij, non verò de eſſentia divina, nàm hæc erat actu in Patre, & hæc non generatur, ſed communicatur.

17 Replicabis. Filius genitus eſt á Patre libere, quia Deus cogi non poteſt ad aliquid operandum; ergo potuit non eſſe; ergo non eſt Deus. Secundò. Aliqua perfectio deficit Filio; ergo non eſt Deus. Antecedens probatur. Generatio eſt perfectio, & ideò convenit Patri; ſed hæc non convenit Filio; ergo. Ad primum dico; Filium eſſe genitum libere libertate á coactione, non libertate indifferentiæ, vt patet de cognitione, amore ſuæ bonitatis, & alijs ad propriam perfectionem neceſſariò ſpectantibus, quia Deus non liberè, ſed neceſſariò perfectiſsimus eſt. Ad ſecundum dico, quod generare in divinis non dicit actionem, ſed relationem per modum actionis ſignificatam, quæ vel ſpecialem non importat perfectionem; vel eſt per circumincſsionem in Filio. Sed de his proprio loco ſermo redibit.

[†] ASSERTIO TERTIA.

§. IV.

18 DICENDUM tertiò. Spiritum Sanctum eſſe verum Deum conſubſtantialem Patri, & Filio. Hanc aſſertionem negant Macedoniani, quam tamen definitam habemus ex Symbolo allegato Athanaſij, vbi dicitur, quod *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna eſt divinitas.* Undè Macedonius aſſerens Spiritum Sanctum ſimul cum Angelis eſſe Miniſtrum Dei, teſte Auguſtino, lib. de Hæreſibus, hereſi 52. damnatus eſt in Synodo Conſtantinopolitana, actione 18 à centumquinquaginta Patribus præſente Sancto Gregorio Nazianzeno ſub Damaſo Papa: Sic enim Nazianzenus Macedonianos arguebat: *Si Spiritus Sanctus non eſt Deus adorandus, quomodò me Deum per Baptiſma efficit?* quaſi dicat: Invocatione Spiritus Sancti efficior per participationem Deus, & ſanctificor; ergo ille eſt vt verus Deus adorandus; ergo ſolus verus Deus poteſt ſanctificare, & per ſolam participationem veri Dei effici poſſumus Dij per participationem.

19 Convincitur idem Fidei dogma ex loco allegato Matth. vbi præcipitur miniſtrari Baptimum in nomine etiam Spiritus Sancti. Et conſtat ex illo Act. 5. V. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo*; ergo Spiritus Sanctus eſt Deus.

20 Sed quia Macedonij error duplicem ſenſum habere poteſt, quoad vtrumque improbandus eſt. Primus ſenſus eſt, quod Spiritus Sanctus in Sacra Pagina ſumatur pro charitate, & alijs donis gratiæ, ac deinde non ſit Deus, ſed quid creatum. Secundus ſenſus eſt, quod Spiritus Sanctus ſit aliqua intellectualis perſona, maior Angelis, minor Patre, & Filio. Primum ſenſum improbat Apoſtolus ad Rom. 5. dùm dicit: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ergo charitas diffuſa per Spiritum Sanctum non eſt Spiritus Sanctus, ſed diſtinguitur ab illo, veluti effectus à cauſa. Improbat

ſecundum ſenſum idem Apoſtolus 1. ad Cor. 2. dûm ait: *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*; ſed ſcrutari profunda Dei non poteſt alius à Deo, quia *quæ ſunt Dei nemo novit niſi ſpiritus Dei*, vt ibidem docet Apoſtolus; ergo Spiritus Sanctus eſt verus Deus.

21 Opponunt Macedoniani. Si Spiritus Sanctus ſcrutatur profunda Dei; ergo profunda Dei ignorat; nemo enim ſcrutatur, aut ſcire contendit, quæ non ignorat; ſed profunda Dei ignorans non eſt Deus; ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. Reſpondeo *ſcrutari* in ſenſu Scripturæ non denotare ignorantiam, ſed penetrationem, & comprehenſionem, eo ſenſu, quo dicitur Pſalmo 7. ℣. 10. *Scrutans corda, & renes Deus.*

22 Opponunt ſecundò. Illud Ioann. 1. ℣. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo per Verbum facta ſunt omnia; ergo & Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus eſt factus; ergo eſt creatura. Agit de hoc argumento Anſelmus, in præſenti opuſculo, cap. 14. & ait: *Quod Spiritus Sanctus ſit inter* omnia *nimis ſcrupuloſum eſt aſſerere*, vndè reſpondet, quod omnia facta ſunt, quæcumque facta ſunt, & ſunt extra Deum; at Spiritus Sanctus, nec factus eſt, nec eſt extra Deum. Et retorqueri poteſt argumentum quaſi probans per Verbum factum eſſe etiam Patrem, quia *omnia per ipſum facta ſunt*; ergo & Pater; ergo etiam Pater eſt creatura. Ulteriùs probat etiam poſsibilia eſſe facta, & creata, quia *per ipſum omnia facta ſunt*; ergo nihil faciendum remanet; ergo omnia poſsibilia facta, & producta ſunt.

23 Opponunt tertio. Orare, plorare, & triſtari, aliena ſunt à natura Dei, at hæc conveniunt Spiritui Sancto, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare ſpiritum Sanctum Dei.* Ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. Hæc tamen, & alia huiuſmodi anilia ſunt; dicitur namque Spiritus Sanctus orans, & poſtulans activè, quatenùs nos orantes, & poſtulantes facit. Item dici poteſt gemens, & plorans etiam effectivè; vel dictis, ac ſimilibus verbis ſæpè ſignificatur in Sacra Pagina noſtrorum conditio peccatorum, quæ talia ſunt, vt quantum eſt ex ſe movere poſſint Deum ad planctum, ſicut ad pœnitentiam, vt dicitur Gen. 6. ℣. 6. *Pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, &c.* Et 1. Regum 15. ℣. 11. *Pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem.* Ad quæ Ambr. lib. de Noe, & Arca, cap. 4. inquit: *Neque enim Deus cogitat ſicut homines, vt aliqua ei nova ſuccedat ſententia, neque iraſcitur quaſi mutabilis; ſed ideò hæc legantur, vt exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruit offenſam, tanquàm eouſque increverit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non movetur, aut ira, aut odio, aut paſsione vlla provocatus videatur ad iracundiam.* Alia plura videri poſſunt apud Emin. Card. de Aguirre, t. 2. diſp. 55. vbi ſolita eruditione catholicum dogma expendit, ac oppoſitos expellit errores.

DVBIVM QUARTUM.

An tres Divinæ Perſonæ realiter diſtinctæ ſint vnus Deus?

§. I.

1 OSTENSA eſt in ſuperioribus Trinitas perſonarum, earumque divinitas contra Arrianos, Sabellianos, Macedonianos, & alios Eccleſiæ infenſos hoſtes. Exponendum ſupereſt qualiter tres Divinæ Perſonæ realiter diſtinctæ ſint vnus Deus, quæ controverſia ſub alijs terminis proponi ſolet, nimirùm, quomodò realis diſtinctio perſonarum, aut relationum cohæreat cum vnitate in eſſentia? In quo liberè debachantur *Tritheitæ*, ità dicti, eo quod tres Deos, aut tres ſubſtantias propugnabant, quem errorem primò ſuſcitaſſe videtur Ualentinus Gentilis; nec noſtra tempeſtate deficiunt eiuſdem inſaniæ Sectatores, præſertim in Tranſylvania. Locum habet controverſia apud Anſelmum in præſenti opuſculo pluribus in locis, præſertim cap. 16. & 28. & in Monol. cap. 51. & cap. 78. & Ang. Doctorem 1. p. q. 28. a. 3. & q. 39. a. 2.

2 Triteitas, ſive novæ Trinitatis inventores optimè, & eruditè impugnat Emin. Aguirre, t. 2. diſp. 59. nobis ergo diſſerendum erit cum Catholicis, qui in modo exponendi maximè diſsident. Præcipua dubitandi ratio, in qua potiſsimum nan-

naufragantur Hæretici, deſumitur ex illo communi axiomate: *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe*; ergo ſi tres Divinæ Perſonæ ſunt idem in eſſentia, ſunt idem inter ſe; ergo vel dicendum erit non eſſe in divinis tres perſonas diſtinctas, vel non eſſe idem in eſſentia, & conſequenter non eſſe vnum Deum.

3 Hac oppreſſus ratione Gilbertus Porretanus, teſte noſtro Bernardo, ſerm. 80. in Cantica. Et lib. 5. de conſiderat. dixit relationes diſtingui realiter ab eſſentia, eaſque ponebat eſſentiæ realiter affixas, & aſsiſtentes, vt tradit D. Thomas 1. p. q. 28. a. 2. Eodem pariter oppreſſus argumento Ruzelinus dixit, aut naturam divinam eſſe in perſonis diſtinctam, aut Incarnato Filio, carnem paſſi & aſſumpſiſſe Patrem, & Spiritum Sanctum. Sed eum late impugnat Anſelmus, opuſculo de Fide Trinit. & Incarn. Uerbi; noſque eodem loco eundem errorem improbavimus.

4 Gilbertum optimè, & efficacitèr impugnat, ac expugnat Bernardus loco citato. Primo. Quia ſi relatio divina realitèr diſtinguitur à natura divina; ergo Deus non erit entitas ſimplex, ſed compoſita, quod Fides Catholica non patitur. Secundo. Si relatio realitèr diſtinguitur à natura divina non poteſt eſſe divina, ſed creata; ergo Deus conſtituendus erit in ſuo eſſe per aliquid creatum. Antecedens probatur. Quidquid in ſuo eſſe non includit divinitatem non eſt divinum; ſed ſi relatio realiter diſtinguitur á natura divina non includit in ſuo eſſe divinitatem; ergo non eſt prædicatum divinum; ſed creatum, niſi fortasè fingat præfatus Author aliquid medium inter Deum, & creaturam.

5 Reſpondet ſecundo. Doctor Eximius, lib. 4 de Trinitate, cap. 3. n. 7. Principium illud, in quo fundatur argumentum non eſſe vniverſaliter verum, vnde locum non habet in Deo, quia in rigore fit argumentum ex puris particularibus. Sed contra. Et in primis axioma illud, ex quo formatur prima argumenti propoſitio, vniverſaliter ſumitur, vt intuenti conſtabit; non ergo fit illatio ex puris particularibus. Secundo. Si ea illatio eſſet ex puris particularibus, nec in materia naturali conuinceret; quod tamen omnibus conſtat eſſe falſum. Tertio. Licèt Myſterium Trinitatis ſit ſupra naturam, vtpote ſupernaturale, non tamen contra naturam, vt communitèr docent Theologi; at in naturalibus probat præfatum argumentum, & principium; ergo etiam in ſupernaturalibus, & conſequenter in Myſterio Trinitatis. Quarto. Si dicta ſolutio vera eſſet, recta argumentandi methodus docens ex illo principio per ſe noto extremitates coniunctas cum medio in præmiſsis coniungendas eſſe inter ſe in concluſione, non haberet locum in divinis; quod dici non poteſt. Quinto. Oportet aſsignare rationem aliquam cur non probet in divinis, cum probet in creatis, quoniam illud negare in divinis ex ſolo inconvenienti allegato in argumento eſt difficultati ſuccumbere, non eam ſolvere.

6 Ad reſolutionem præmittendum eſt duplex eſſe principium diſtinctionis realis. Primum eſt limitatio; & hoc reperitur in quacumque re creata, quæ ex eo ipſo, quod finita, & limitata eſt, non poteſt identificare naturam, & perfectionem alterius rei, ideoque ab altera neceſſariò diſtinguitur; at eſſentia divina eſt omninò illimitata, & infinita, ideircò ſibi identificat omnem perfectionem in omne genere entis. Secundum diſtinctionis principium eſt oppoſitio relativa, quia cum relatio ſit ad alterum, opus eſt vt ab alio realiter diſtinguatur.

7 Hæc doctrina, qua tota argumentorum acrimonia enervatur, traditur expreſsè à N. Anſelmo in præſenti opuſculo de Proceſsione Spiritus Sancti, cap. 2. vbi ait: *Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis conſequentiæ ſe contemperant, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem tranſeat ad ea, in quibus prædicta ſimplicitas ſonat vnitatis, nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi relatio ſignificatur; quatenùs nec vnitas amittat aliquandò ſuam conſequentiam vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio, nec relatio perdat, quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis.*

His poſitis ſit.

***

NOSTRA CONCLVSIO.

§. II.

8 DICENDUM prædictum axioma *quæcumque ſunt eadem vni tertio ſunt idem inter ſe*, locum habere, tàm in creatis, quàm in divinis, quo non obſtante divinæ relationes, quamquàm identificatæ cum eſſentia, diſtinguntur realiter inter ſe, ideòque in divinis ſunt tres divinę perſonę realiter diſtinctæ, & vnus Deus.

9 Prima pars concluſionis, nimirùm axioma illud locum habere in divinis ex eo conſtat, quia principium illud eſt lumine naturæ notum, ac in omni re naturali evidentiſsimè convincit; at Myſterium Trinitatis licèt ſit ſupra naturam, non tamen contra naturam, vt communiter tradunt Theologi, & ex ſuperioribus conſtat; ergo etiam in ſumma Trinitate convincit, niſi aliundè, ſive ex alio ſpeciali titulo oppoſitum probetur. Confirmatur. Optimè probatur potentiam, & actionem in Deo identificari inter ſe, quia identificantur cum ſubſtantia Dei; ergo etiam in Deo quæcumque ſunt eadem vni tertio ſunt idem inter ſe. Antecedens conſtat ex Divo Thoma, 2. contra Gentes, cap. 9. ibi. *Quæ vni, & eidem, ſunt eadem ſibi invicem ſunt eadem; divina autem potentia eſt eius ſubſtantia, eius etiam actio eſt eius ſubſtantia; ergo in Deo non eſt aliud potentia, & aliud actio.*

10 Secunda pars concluſionis ſuadetur. Eſſentia divina vtpotè infinita petit identitatem realem cum omnibus divinis attributis, & perfectionibus, alioquin eſſet limitata ad aliquod genus entis, cum careret perfectione illa, à qua realitèr diſtingueretur; ergo eſſentia divina non ſolùm identificat perfectiones abſolutas, verùm etiam relativas; at perfectiones relativæ diſtinguntur realiter inter ſe, quia cum relatio ſit ad alterum, diſtinguitur neceſſariò ab altero, & importat incomunicabilitatem cum altero; ergo diſtinctio realis inter divinas relationes optimè fœderatur cum identitate in eſſentia; at relationes conſtituunt perſonas; ergo optimè componitur diſtinctio realis perſonarum cum vnitate in eſſentia. Et hæc eſt expreſſa doctrina Anſelmi loco citato dicentis, quòd *nec vnitas amittit aliquando ſuam conſequentiam vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio; nec relatio perdit, quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis.*

11 Confirmatur. Non implicat eſſentiam divinam identificare extrema inter ſe oppoſita; at extrema inter ſe oppoſita realitèr diſtinguntur; ergo non implicat eſſentiam divinam identificare extrema realitèr inter ſe diſtincta. Maior probatur. Non implicat aliquod tertium virtualitèr multiplex identificare relationes oppoſitas, niſi aliundè ex parte materiæ, nimirùm ex limitatione, repugnet; at eſſentia divina, quantumvis ſimplex, & indiviſibilis, eſt virtualiter multiplex, infinita, & illimitata; ergo identificare poteſt relationes oppoſitas; at vbi eſt oppoſitio, ibi & realis diſtinctio; ergo ponenda eſt realis diſtinctio inter divinas relationes, & perſonas, non obſtante vnitate in eſſentia.

12 Sumitur hæc ratio ex Angelico Præceptore in 1. diſt. 33. q. 1. a. 1. ad 2. ita loquente: *Si aliquando duo ſunt idem, ſecundum id quod ſunt idem, in quocumque eſt vnum, & alterum; Paternitas autem, & eſſentia divina ſunt idem ſecundum eſſe, & ideò ſicut in Filio eſt eſſe eſſentiæ, ita & in Filio eſt eſſe paternitatis; quia in divinis non eſt, niſi vnum eſſe; ſed paternitas habet aliquid, in quo non vnitur cum eſſentia, ſcilicet ratione paternitatis, quæ eſt alia à ratione eſſentiæ; vndè ſecundùm illam rationem reſpectus poteſt eſſe in Patre; & non in Filio, ſeu diſtinguere Patrem à Filio*; ergo iuxta D. Thomam, quia paternitas, & filiatio taliter identificantur cum eſſentia ſecundum eſſe, vt diſtinguantur ſecundùm rationem paternitatis, & filiationis, diſtinguntur inter ſe non obſtante identitate cum eſſentia; ergo ideò paternitas diſtinguitur à filiatione, quia paternitas, & filiatio non identificantur adæquatè cum eſſentia, ſed potiùs diſtinguntur virtualiter, ſive adæquatè, ſivè inadæquatè.

13 Non incongruè exponi poteſt hæc doctrina in ſimilibus argumentationibus factis in aliena materia, v. g. Omnis homo eſt formaliter ſenſibilis: omnis homo eſt formaliter

ratio-

rationalis; ergo rationale est formalitèr sensibile. En qualitèr in hoc sylogismo præmissis veris consequentia est falsa, nam rationale, vtpotè differentia inferior, non includit formalitèr sensibile, quod est differentia superior. Rursus. Omne lac est formalitèr dulce: omne lac est formalitèr albùm: ergo album est formalitèr dulce. Item. Homo essentialitèr includit corpus: homo essentialitàr includit animam: ergo anima essentialitèr includit corpus. Homo est formaliter risibilis: homo est formalitèr admirativus; ergo admirativum est formalitèr risibile; quæ illationes sunt falsæ. Et ratio est, quia *homo*, qui est medium, sive tertium in primo sylogismo, est virtualitèr multiplex, & secundùm vnam virtualitatem est idem formalitèr cum sensibili, & secundùm alteram cum rationali, vndè non sequitur rationale esse idem formalitèr cum sensibili, quia rationale non est idem cum homine secundùm omnem virtualitatem, sive adæquatè, & sic de alijs exemplis; essentia ergo divina est idem cum paternitate, & filiatione, non tamen secundum eandem virtualitatem, ac ideó supereſt locus, vt distinguantur inter se.

14 Dices ex his convinci extrema distingui inter se formaliter, & virtualiter, quamquàm vniantur formalitèr cum medio, non tamen probari extrema identificata cum medio distingui inter se entitativè, & realitèr. Respondeo, doctrinam, & exempla allegata esse à nobis proposita ad ostendendum ex identitate extremorum cum medio non inferri identitatem extremorum inter se eodem identitatis genere, quo identificantur cum medio quantum est ex parte formæ. Ex parte ergo materiæ, si sit res creata, non permittet distinctionem realem extremorum stante identitate cum medio propter sui limitationem; si verò res, de qua agitur, sit increata eam distinctionem extremorum permittet propter oppositam rationem.

15 Hæc doctrina alijs Doctoribus non placet, ideoque respondent ea tantùm identificari inter se, quæ identificantur cum tertio re, & ratione; non tamen quæ identificantur cum tertio re, & distinguntur ratione, vt contingit in præsenti, quæ solutio traditur expressè à D. Thoma 1. p. q. 28. a. 3. ad 1. Sed ego non video quo titulo Authores huius solutionis superiorem impugnent, cum ab ea sit re ipsa indistincta, nàm distinctio rationis in distinctione virtuali fundatur; immò distinctio rationis, vtpotè ficta, esset prorsùs inutilis, nisi ad distinctionem veram, & virtualem, sive fundamentalem, à qua desumitur, fiat recursus.

16 Dices. Licèt essentia divina sit virtualiter multiplex, & potentia, bonitas, sapientia, & alia distinguantur ratione, & virtualitèr ab eadem essentia, non ideò distinguntur realiter inter se; ergo non obstante multiplicitate virtuali essentiæ, & distinctione rationis relationum ab essentia, non ideò relationes distinguntur realiter inter se. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, quòniam nos non probavimus distinctionem realem relationum inter se ex infinitate, multiplicitate virtuali essentiæ, aut distinctione rationis relationum ab essentia, tanqnàm ex principio positivé influente, sed permittente; itaque infinitas essentiæ permittit distinctionem realem extremorum, quæ cum ipsa identificantur, si aliundè probetur, vti probatur in relationibus propter oppositionem, & non in alijs absolutis propter oppositam rationem, vt expressè tradit Anselmus loco citato. Et confirmat D. Thomas loco citato. ibi. *Ad secundum dicendum, quod potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem, vndè non est similis ratio.* & in 1. dist. 2. q. 1. a. 5. ad 4. *Licèt sapientia divina secundùm suam rationem differat ab alijs attributis, non tamen illis opponitur, cum sapientia bonitatem, & alia attributa secum compatiatur esse in eodem subiecto, & ideò non habet rationem distinguendi suppositа divinæ naturæ, sicut habent relationes oppositæ, &c.*

Solvuntur impugnationes contra prædictam doctrinam.

§. III.

17 AD Argumentum §. 1. propositũ constat ex dictis. Quæcũque enim sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, vbi non obviat relationis oppositio, non tamen vbi

relationis obſiſtit oppoſitio, vt ex D. Anſelmo dictum eſt; quia cum eſſentia divina ex conceptu infinitatis identificet perfectiones abſolutas,& relativas; & rurſus perfectio relativa ex cõceptu relationes importet diſtinctionem ab altera,conſequens eſt vt ſtante vnitate in eſſentia diſtinguãtur inter ſe.

18 Oppones. Eſſentia divina eſt realiter paternitas, ſed eſſentia divina eſt realiter filiatio; ergo filiatio eſt realiter paternitas; ergo ſi paternitas, & filiatio identificantur realiter cum eſſentia, neceſſariò identificari debent inter ſe, alias ſylogiſmus expoſitorius eſſet inutilis. Reſpondeo ſylogiſmum expoſitorium optimum eſſe ſi recte formetur; attamen ſylogiſmus præfatus in multis deficit, nam medium, nimirùm, eſſentia non diſtribuitur completè in prima propoſitione, vndè procedit à non diſtributo ad diſtributum, nam eſſentia divina ratione ſummæ eminentiæ comprehendit paternitatem, & filiationem, veruntamen in maiori propoſitione *eſſentia* non ſumitur prout vtramque relationem comprehendens, ſed prout identificata tantùm cum paternitate: qua ratione non concludit hic ſyllogiſmus. Homo eſt formaliter rationalis: homo eſt formaliter ſenſibilis; ergo ſenſibile eſt formaliter rationale. Eſſentia eſt communicabilis; Paternitas non eſt communicabilis; ergo paternitas non eſt eſſentia.

19 Inſuper. Medium ſylogiſmi expoſitorij debebet eſſe incommunicabile alteri; vnde non valet: Petrus eſt homo: Ioannes eſt homo: ergo Ioannes eſt Petrus, quia homo eſt terminus alteri communicabilis, ſicut & eſſentia divina. In forma tamen tota æquivocatio tollitur diſtinguendo maiorem. Eſſentia divina eſt eſſentialiter paternitas adæquatè, & ſecundùm omnem virtualitatem,nego mai. inadęquatè, ſive ſecundùm vnam virtualitatem, concedo mai. vel conceſſa mai. diſtinguo min. Sed eſſentia eſt filiatio ſecundùm eandem virtualitem, qua eſt paternitas, nego min. ſecundùm diverſam, concedo minorem, & nego conſeq.

20 Arguitur ſecundò. Implicat vnũ, & eundem Deum eſſe genitum, & ingenitum, quia genitum, & ingenitum contradictorie opponuntur; ſed Pater eſt ingenitus, Filius eſt genitus; ergo implicat Patrem, & Filium eſſe vnum Deum; non ergo identificantur in eadem eſſentia divina. Reſpondeo hoc nomen *Deus* quandoque ſupponere pro eſſentia, quãdoque pro perſona, vt obſervat D. Thomas 1. p. q. 39. a. 4. & colligi poteſt ex termino adiuncto, vt cum dico, Deus creat hominem, ſupponit pro eſſentia, quia creare, & producere ad extra eſt commune toti Trinitati: cùm verò dico, Deus generat, ſupponit pro perſona, quia generare eſt proprium ſolius primæ perſonæ, nempe Patris. In præfato autem ſylogiſmo *Deus* poſitus in maiori, ſupponit perſonaliter, quia eſſe genitum, vel ingenitum eſt proprietas perſonalis: in concluſione ſupponit pro eſſentia, quia ſupponit pro divinitate, in qua conveniunt Pater ingenitus, & Filius genitus; vndè non rectè concludit, ſed potiùs procedit á reſtricto ad non reſtrictum,& variatur ſuppoſitio terminorum. Eadem ratione non concludit hic ſylogiſmus: Qui nec generat, nec genitus eſt, nec procedens, non eſt verus Deus: ſed tres perſonæ nec generant, nec genitæ ſunt, nec procedentes; ergo non ſunt verus Deus.

21 Tota doctrina allegata expoſiti poteſt exemplo æternitatis. Licèt enim tempus præſens, & futurum coexiſtant æternitati, non coexiſtunt inter ſe, quia non coexiſtunt æternitati adæquatè, & ideò non oportet, vt præſens, aut futurum, ſe extendat ad omnem menſuram, ſicut æternitas: ſic ſimiliter paternitas, & filiatio ſunt idem cum eſſentia inadæquate tantùm, & ideò non oportet vt ſit idem inter ſe, nec ſe extendant, ſicut eſſentia. Sed de his ſermo reddibit, dùm de diſtinctione relationum ab eſſentia agamus.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS,

DE DIVINIS PROCESSIONIBVS.

DVBIUM. I.

An ſint proceſsiones in Deo?

§. I.

1 PROCESSIONIS Nomen dupicitér accipi poteſt. Primò. Pro motu locali, quo quis de vno locó procedit in alium. Secundo. Pro origine, ſive emanatione vnius ab alio, vel tanquam á cauſa, vel tanquam à principio. Rurſus. Hæc emanatio eſt duplex iuxtá duplex actionum genus. Prima dicitur immanens, & ex proceſsio ad intrá, quo ſenſu Uerbum procedit ab intellectu, & manet in ipſo. Secunda dicitur tranſiens, & eſt proceſsio ad extrà, quo ſenſu calor procedit ab igne. Impreſentiarùm nõ loquimur de motu locali; aut proceſsione formaliter, vel virtualitér tranſeunte, ſed de immanente.

Veritas Catholica authoritate, & ratione oſtenditur.

§. II.

2 DICENDVM eſſe proceſsiones in Deo, eaſque eſſe duas, nimirum Filij, & Spiritus Sancti, eſt fidei Catholicæ dogma. Prima proceſsio conſtat ex illo Eccleſiaſt. 24. vbi Sapientia genita ait: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi.* Ex illo Ioann. 8. v. 42. vbi Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego ex Deo proceſsi.* Et Ioan. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Unde Pater de Filio ait Pſalmo 2. *Ego hodie genui te.* Et Iſaiæ 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si Ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? Ait Dominus Deus tuus.* En prima proceſsio, nempè Filij, expreſsè tradita.

3 Secunda, nempé Spiritus Sancti, conſtat ex illo Ioann. 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* alijsque locis innumeris allegatis ab Anſelmo in 1. part. huius operis, prælertim cap. 8. & 9. vnde in Conc. Nicæno dicitur Filius *ex Patre natus, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.* Et in Conſtatin. de Spiritu Sancto dicitur: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, & ex Patre procedentem.*

4 Ratio conſtat ex dubio præcedenti, vbi dicimus eſſe in Deo tres divinas perſonas cum vnitate eſſentiæ; ſed hoc eſſe non poteſt ſine proceſsione vnius ab alia; ergo dantur proceſsiones in Deo. Minor prob. ſecluſa proceſsione nulla datur origo, & conſequentèr nulla oppoſitio relativa; at ſecluſa oppoſitione relativa non eſt poſsibilis diſtinctio perſonarum cum vnitate eſſentiæ; qua ratione Anſelmus c. 2. ait: *Hæc itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſsint de invicem, ſed alij ſint ab invicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatiue, nam quoniam*

Fi-

Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diverſitate proceſſionis, & nativitatis referuntur adinvicem, vt diverſi, & alij abinvicem. Ergo ex ſola diverſitate proceſſionis provenit diſtinctio perſonarum; ergo quo titulo credimus tres perſonas diſtinctas, eo ponenda eſt duplex proceſſio. Quam rationem confirmat Doct. Ang. in Diſput. q. 10. a. 5. ad 2. *Id, quod dicit Anſelmus, quod Filius, & Spiritus Sanctus per hoc ſolum adinvicem diſtinguntur, quod diverſo modo procedunt, eſt omninò verum, &c.*

5 Explicatur hæc ratio. Implicat diſtinctio perſonarum in vnitate eſſentiæ ſine proceſſione; ergo vel neganda eſt diſtinctio perſonarum, vel concedenda proceſſio. Antecedens prob. ſine proceſſione diſtinctio non tantùm erit in perſona, ſed etiam in natura, nam perſonæ diſtinctæ ſine proceſſione vnius ab alia, eſſent innaſcibiles, & improductæ; at perſonæ innaſcibiles, & improductæ diſtinguntur non tantùm in perſona, ſed in natura; ergo implicat diſtinctio perſonarum in vnitate naturæ ſine proceſſione. Minor probatur. Perſonæ innaſcibiles, & improductæ habent naturam non communicatam ab alia perſona; ſed habentes naturam non communicatam ab alia perſona ſunt alterius naturæ; ergo perſonæ innaſcibiles, & improductæ ſunt alterius naturæ.

6 Confirmatur primò. Pro primo ad proceſſionem nullum eſt principium diſtinctionis; ergo implicat diſtinctio perſonarum ſine proceſſione. Anteced. prob. Nullum eſt principium diſtinctionis, niſi limitatio, vel relatio, nec hucuſque aliud aſſignatum eſt à Philoſophis, nec aſſignari poteſt; at diſtinctio in divinis non provenit à limitatione, cum Deus ſit infinitus in omni genere perfectionis; ergo à relatione; at relatio eſſe non poteſt ſecluſa proceſſione; ergo. probo min. Non enim eſſe poteſt relatio fundata in vnitate, & numero, quia ſimiles relationes non conſtituunt extrema diſtincta, ſed ſupponunt; ſunt enim relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis: æqualitatis, vel inæqualitatis, quæ ſupponunt in extremis, aut diverſitatem, vi cuius ſint inæqualia; aut rationem diſtinctam, vi cuius, vel in qua, ſint æqualia, ideoque ratio fundandi, vt communiter tradunt Philoſophi, debet eſſe diſtincta ex parte vtriuſque extremi.

7 Nec fundari poſſunt in menſura, & menſurabili, nam menſura eſt perfectior menſurabili; in divinis autem vna perſona non eſt perfectior altera; immò nulla eſſet ratio cur vna eſſet menſura, & alia menſurabilis; ergo ſupereſt vt divinæ relationes fundari debeant in actione, & paſſione, cum nullum aliud aſſignetur à Philoſopho 5. Met. fundamentum, nec à cæteris Philoſophis agnoſcatur; ergo ſecluſa actione, ſive origine, & proceſſione repugnat in Deo relatio, & conſequenter diſtinctio perſonarum orta à relatione; ergo vel in Deo eſt admittenda proceſſio, vel neganda perſonarum diſtinctio.

8 Confirmatur ſecundò. Negata proceſſione nulla ſupereſt ratio, cur potius vna perſona ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quàm alia; ſi enim omnes ſunt improductæ, & innaſcibiles, nulla perſona erit Filius, cum à Patre non procedat; nec Pater, cum Filium non generet; ergo vel neganda eſt in divinis vera ratio Patris, Filij, & Spiritus Sancti (quod planè eſt hæreticum, & contra expreſſa Scripturæ teſtimonia) vel admittenda proceſſio.

9 Denique. Omnis diſtinctio facit aliquam diviſionē; ergo ſi in divinis eſt diſtinctio nō orta á relatione, erit diviſio in abſoluto; ſed diviſio in abſoluto penitùs evertit infinitatem, & rationem ſummi boni, vt latè probat Anſelm. in Monol. c. 1. & ſeqq. nam infinitum, & ſummum bonum nullam diviſionem patitur, non enim eſſe poteſt ſummum bonum, & infinitum, quod caret perfectione, quam haberet aliud ſummum bonum à ſe diviſum, vt ipſa ratione naturali facilè demonſtratur; ergo repugnat in Deo diſtinctio non orta à relatione, ſive in abſoluto; ſed relatio eſſe non poteſt ſine proceſſione, vt dictum eſt; ergo in Deo proceſſiones admittendæ ſunt.

10 His omnibus occurri poteſt primò. Hanc vltimam rationem pari difficultate laborare in noſtra ſententia, nam quælibet perſona diſtincta ab alia per relationem eſt ſummum bonum, & infinitum ſine prædicto inconvenienti; ergo quamquàm diſtinguerentur in abſoluto quælibet earum ſine aliquo præiudicio ſummi boni eſſet ſummum bonum, & infinitum. Secundò occurri poteſt ex Scoto docente perſonas divinas re ipſa ſolis relationibus diſtingui, non tamen oppoſitis, ſed diſparatè ſe habentibus; relationes autem diſparatę

paraté ſe habẽtes non fundatur in proceſsione; quapropter etſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio adhuc diſtingueretur ab illo. Tertio, dici poteſt perſonas divinas diſtingui per relationes oppoſitas; attamen relationes oppoſitæ proceſsione non indigent, vt patet in relationibus ſimilitudinis, & æqualitatis, quæ ſunt oppoſitæ; & tamen vna non procedit ab alia; ergo ex eo quod perſonæ divinæ diſtinguantur per relationes oppoſitas non probatur in Deo ponendas eſſe proceſsiones.

11 Sed nulla ex his ſolutionibus ſufficienter occurrit. Et prima facilè improbatur. Nam relativum non negat ex ſuo conceptu eſſentialem incluſionem alterius quoad eſſe, & quod perfectionem, & bonitatem, ſed ſolum importat eſſe ad alterum, quarè diſtinctio relativa componitur cum ſumma vnitate eſſentiæ, eo quod relatio ſolùm facit diſtinctionem per ordinem ad terminum oppoſitum, non per ordinem ad eſſentiam, & naturam, cui non opponitur; poſita ergo diſtinctione relativa perſonarum, adhuc Deus eſt vnicum, & ſummum bonum: attamen abſolutum non eſt ad alterum, ſed ad ſe, vndè diſtinctio in abſoluto eſt diſtinctio in eſſe, ideòque negat eſſe alterius, quod manifeſtè arguit limitationem, ac deſtruit rationem ſummi boni; & infiniti; qua ratione dixit D. Thomas 1. ad Annib. diſt. 26. q. 2. a. 2. quod *diſtinctio orta à contrarietate, negatione, aut privatione, imperfectionem dicit.*

12 Secunda, & tertia ſolutio ex dictis impugnata manet, quia relatio non fundata in origine non facit diſtipctionem, ſed ſupponit; relatio namque ſimilitudinis, & æqualitatis non facit duo extrema, ſed ſupponit; ideò namque duo extrema ſunt ſimilia, & æqualia, quia ſunt duo, quoniam in vno tantùm non eſt ſimilitudo, & hac ratione ſimiles relationes reales locum non habent in Deo. Præterea. Relatio non dicit incõmunicabilitatem, niſi reſpectu termini correlativi; cum ergo relationes diſparatæ, nec reſpiciant terminum correlativum, nec importent oppoſitionem, nullam probant diſtinctionem, niſi in creatis ratione limitationis, ſed de hoc operoſiùs, dum agam, de proceſsione Spiritus Sancti á Filio.

13 Probatur 2. concluſio ex S. Anſelmo in Monol. c. 33. *Habet igitur mens rationalis, cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam... hoc itaque modo quis neget ſummam ſapientiam, cum ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, ideſt Verbum ſuum.* Quaſi dicat Si creatura rationalis intelligendo producit verbum, potiori titulo ſumma ſapientia Patris dum ſe dicendo intelligit Verbum ſuum producit; & conſequenter negari non poteſt proceſsio Verbi. Ex quibus Doctor Angelic. hanc vniverſalem propoſitionem deducit: *Omne intelligens ex hoc ipſo, quod intelligit, producit Verbum.*

14 Ex his omnibus formatur hæc ratio. Deus eſt naturæ intellectivæ, & in ſupremo intellectualitatis gradu; atomnis natura intellectiva exhoc ipſo quod intelligit, producit verbum: ergo Deus Pater ex hoc ipſo, quod intelligit, producit Verbum; at nõ Verbum accidentale, quod in Deo repugnat; ergo Verbum ſibi conſubſtantiale. Quod idem argumentum fit de voluntate, nam ſicut intellectus intelligendo producit Verbum ita voluntas amando producit impulſum, ſivé amorem; ergo ſicut ab intellectu procedit Verbum, nempé Filius; ita à voluntate amor, ſive Spiritus Sanctus; ſunt ergo in divinis duæ proceſsiones, vna Filij, & alia Spiritus Sancti. Sed de his latius dubio ſequenti.

Solvuntur impugnationes.

§. III.

15 ARguitur primò. Primum principium nequit ab alio procedere; ſed verbum divinum eſt primum principium; ergo non procedit ab alio; ergo nec Spiritus Sanctus propter eandem rationem; ergo non dantur proceſsiones in divinis. Maior conſtat, nam quod procedit ab alio aliud ſupponit. Minor prob. Uerbum Divinum eſt Deus, ſed Deus eſt primum principium; ergo Uerbum Divinum eſt primum principium. Confirmatur. Ens á ſe non poteſt ab alio procedere, alioquin non eſſet à ſe, & ideò prima perſona ab alia non procedit; ſed ſecunda, & tetia perſona eſt ens à ſe; ergo nulla ex his ab alia procedit; ergo nulla eſt proceſsio in divinis.

16 Reſpondeo diſtinguendomaiorem. Primum principium ad intra concedo maior. ad extra nego mai. namVerbum divinum licet ſit primum principium per ordinem ad effectus a b extra, non eſt tamen primum principium ab intra, cum ſupponat Parrem prioritate originis. Et eodem

mo-

modo diſtincta min. nego conſeq. vel aliter diſtinguo mai. primum principium nequit procedere ab alio alietate naturæ, & tamquam à cauſa concedo mai. ab alio alietate ſuppoſiti; & tanquam à principio eiuſdem numero naturæ nego maiorem, ac eodem ſenſu diſtincta minori, nego conſequentiam. Per quod patet ad confirmationem.

17 Dices primo. Procedere ab alio tamquam à principio eſt eſſe poſterius illo; ergo ſi Filius procedit á Patre tamquam à principio erit poſterior illo; ergo non Deus, antecedens probatur. Inter principium, & principiatum datur ordo prioris, & poſterioris; ſed Pater eſt principium, & Filius principiatus; ergo Filius eſt poſterior Patre. Secundò. Filius pro eò priori, quo procedit à Patre, vel habet eſſe, vel non habet? Si haber; ergo non procedit; ſi non habet, ergo eſt poſterior. Tertiò. Vel antequam producatur habet eſſe, vel non habet? Si habet, ergo non producitur, & conſequenter non procedit á Patre. Si non habet, ergo producitur ex nihilo; ergo veré creatur; ergo Uerbum Divinum eſt creatura. Quartò. Procedere ab alio eſt abalio pẽdere; ergo ſi Verbum Divinum procedit ab alio pẽdet ab alio; ergo datur depẽdentia in Deo. Antecedens probatur, procedere ab alio eſt habere ſuum eſſe ab illo; ſed habere ſuum eſſe ab alio eſt ab illo pendere; ergo. Quintò. Habere ſuum eſſe ab alio eſt illo indigere ad ſuum eſſe; ſed indigentia dicit imperfectionem; ergo vel ponenda erit in Deo indigentia, vel neganda proceſsio.

18 Reſpondeo aliam eſſe prioritatem *in quo*, ſive temporis, aut durationis: aliam *à quo*, ſivè naturæ: aliam verò *originis*. Prima, & ſecunda includunt imperfectionem relegandam à Deo. Tertiam pariter aliqui negant, ſolùmque permittunt ordinem originis, non prioritatem, quia ordo (inquiunt) excludit confuſionem, prioritas verò excludit æqualitatem. Sed quia prioritate originis re ipſa non niſi ordo ſignificatur, ideò à communi modo loquendi admittente eam prioritatem recedendum non eſt; vt traddit Anſelmus in præſenti opuſc. c. 17. ibi: *Quoniam verum eſt Filium eſſe de Patre::: dici non incongruè poteſt Pater principium Filij.* Quibus addit D. Thomas 1. p. q. 33. a. 1. ad 3. *Licet hoc nomen principium videatur à prioritate ſumptum, non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem.*

19 Ex his ad primam impugnationem diſtinguo antecedens. Eſt eſſe poſterius poſterioritate temporis, vel naturæ nego antecedens, originis, concedo antecedens, ad probationem, dico, quod licet admittatur in Patre ratio *principij*, attamen in Filio, & Spiritu Sancto non eſt concedenda ratio *principiati*, vt inquit Doct. Ang. loco citato ad 2. ibi: *Apud Græcos invenitur de Filio, & Spiritu Sancto dici quod principientur. ſed non eſt in vſu noſtrorum Doctorum, &c.* Ad ſecundùm dico Filium pro priori originis habere eſſe vt originatum, & quaſi in fieri; vel nego illius propoſitionis implicationem, quia tranſit à prioritate originis ad poſterioritatem in eſſe; neque enim Filius vnquam tranſijt de non eſſe ad eſſe, ſed ſemper, & ab æterno fuit, & in ſymbolo Nicæno anathematizantur illi, qui de Spiritu Sancto *dicunt, erat aliquando, quando non erat.*

20 Ad tertium negandum eſt ſuppoſitum, quia cum productio ſit æterna, reſpectu illius non eſt *antequam*, vt in ea propoſitione ſupponitur. Ad quartam diſtinctinguo antecedens. Procedere ab alio tanquam à cauſa eſt pendere concedo antecedens, tanquam à principio nego antecedens, ad probationem diſtinguo maiorem, eſt habere ſuum eſſe ab illo ſecundùm identitatem naturæ, concedo maiorem. Secundùm naturæ diverſitatem, nego maiorem. Stante autem identitate naturæ nulla eſt dependentia. Ad quintum dico, quod habere ſuum eſſe ab alio via ſubordinationis, & cauſalitatis, importat indigentiam, non tamen ſi ſit cum ſumma æqualitate, vt contigit in præſenti. Undé Divus Thomas q. 10. de potentia a. 1. ad 13. ait: *Filius autem non ſic accipit à Patre, quaſi prius non habens, & poſteà accipiens, ſed quia hoc ipſum, quod eſt, habet à Patre, undè non ſequitur, quod ſit indigens.*

21 Ex his ſequitur duas tantum eſſe proceſsiones in divinis. Ratio eſt, quia proceſsiones in divinis ſumuntur ſecnndùm operationes immanentes; at operationes ſunt tantùm duæ, & non plures, nempé intelligere, & velle; ergo duæ tantùm proceſsiones: duæ [inquam] proceſsiones activæ, de quibus loquimur in præſenti, nam ſi paſsivè loquamur, aliæ duæ proceſsiones reſpondent; ſicut enim ex parte Patris datur proceſsio activa in ordine ad Filium; & rursùs ex parte vtriuſque in eſſe Spiratoris datur alia proceſsio activa in ordine ad Spiritum Sanctum; ita é contra datur proceſ-

ceſsio paſsiva ex parte Filij in ordine ad Patrem, & Spiritus Sancti in ordine ad ſpiratorem.

22 Dices. Licèt proceſsio ſit ſecundùm actiones immanentes intelligendi, & volendi, adhuc plures eſſe poſſunt in Deo proceſsiones, quia plures ſunt actiones intelligendi, & volendi, vt patet in nobis; ergo plures ſunt proceſsiones quàm duæ. Reſpondeo in Deo non eſſe, nec eſſe poſſe, niſi vnicum actum intelligendi, & volendi, quo omnia cognoſcit, attingit, & comprehendit, quia eſt infinitæ perfectionis, & virtutis; nos tamen qui vnico actu omnia attingere non poſſumus, pluribus indigemus.

23 Dices ſecundò. Sicut Filius procedit à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, ita paternitas manat ab eſſentia; ergo tres ſunt emanationes in divinis; ergo tres ſunt proceſsiones divinæ activè ſumptæ. Reſpondeo hic ſermonem non eſſe de emanatione attributorum, ſed perſonarum, non de reſultantia, aut ſequela vnius ab alio, ſed de vera proceſsione, ſive productione, quæ ſolùm poteſt eſſe duplex propter dicta.

24 Probatur ſecundò. In Deo duas tantùm eſſe proceſsiones, eaſque diverſas. In Deo duæ tantùm ſunt potentiæ productivæ, nempè intellectus, ſive memoria fœcunda, & voluntas; ergo duæ tantùm ſunt proceſsiones, aut productiones activæ. Secundò. In Deo ſunt tantùm tres perſonæ diſtinctæ; ſed vna eſt improducta; ergo duæ tantùm producentes, aut productæ; ergo duæ tantùm proceſsiones.

25 Præterea. Memoria fœcunda, ſive intellectus, & voluntas ſunt potentiæ diverſæ: termini paritèr, nempè Filius, & Spiritus Sanctus ſunt diverſi; ergo & actiones, ſive proceſsiones, quarum vna eſt generatio; alia verò ſpiratio.

DUBIUM SECUNDVM.

An divinæ proceſsiones ſint immediatè à natura.

§. I.

1 DIVINAS proceſsiones eſſe immediatè à natura docuit Durandus in 1. diſt. 6. q. 2. intellectu, & voluntate quaſi de materiali ſe habente, non minus, ac virtus intellectiva de materiali ſe haberet in calore ignis ad calorem ſibi ſimilem producendum, vt tradit expreſsè ibi n. 11. *Quæ opinio* (inquit Mag. Ioann. à S. Thoma in præſenti n. 17.) *opponitur propriæ loquutioni, & ſenſui Scripturæ in locis vbi explicat hoc myſterium, & per bonam conſequentiam opponitur ipſis principijs fidei, quibus tradit veritatem huius myſterij.*

2 In ſubſidium eiuſdem ſententiæ citat Gonet P. Suarez, ex lib. 1. de Trinit. c. 8. ſed ibi oppoſitum docet, vt apertè conſtat ex eodem loco n. 2. Verosimilius citari poterat ex lib. 6. c. 2. vbi tamen non negat actionem abſolutè, ſed ſolùm actionem mediam diſtinctam á principio, & termino, cum ipſe in divinis ſolum cognoſcat actionem identificatam cum principio, quia *in Deo* (inquit) *non eſt tàm intellectus, quàm intelligere.* Nec obſtat, ſi quandoque concedat emanationem, aut naturalem reſultantiam, quia in illius ſententia (vt conſtat ex t. 1. Met diſp. 18. ſect. 3.) datur duplex reſultantia, vna cauſativa, & alia illativa: prima dicit verum influxum: ſecunda, ſolam ſequelam vnius ab alio ſine influxu; de prima ergo reſultantiá, & emanatione loquitur in præſenti, quæ eſt cum vero, & reali influxu, & ita in ſubſtantia à communi ſententia non differt.

NOSTRA ASSERTIO.

§. II.

3 DICENDVM proceſsiones divinas non eſſe immediatè à natura. Et conſtat ex omnibus Scripturæ locis, quibus Filius dicitur *Verbum*, ex illo Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, & Apoc. 19. *Vocatur nomen*

eius

eius Verbum Dei; at Verbum eſt terminus intellectus, non emanatio à natura. Qua ratione Anſelmus illius productionem vocat *locutionem* in Monol. c. 29. & c. 48. docet Filium eſſe productum ex memoria fœcunda; ergo proceſsio Verbi divini eſt ab intellectu, & non immediate à natura. Quod idem dicendum de Spiritu S. qui in Sacra Pagina ſæpè dicitur amor, charitas, dilectio, &c. quæ ad voluntatem ſpectant, non verò ad naturam nudè ſumptam.

4 Reſpondet Durandus Filium in Sacra Pagina dici Verbum, & Spiritum Sanctum amorem, non propriè, ſed metaphoricè, ſive per appropriationem, non per per proprietatem. Sed hæc ſolutio veritatem myſterij Trinitatis funditus evertit, quoniam ex Scripturæ locis, in quibus vna perſona dicitur Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus, necnon vna dicitur Verbum, alia amor, colligunt Doctores Catholici realem diſtinctionem perſonarum, & ita expreſsè conſtat ex illo Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; ſed hæc illatio nullius eſſet momenti, ſi dicta verba liceret in ſenſum metaphoricum detorquere; non ergo licet.

5 Probatur concluſio ratione. Fide Catholica certum eſt proceſsiones divinas eſſe diverſæ rationis, vnam eſſe generationem, & alteram ſpirationem; terminum vnius eſſe Filium, & alterius Spiritum Sanctum; ſed huius diverſitatis nulla poſſet aſsignari ratio, ſi ſunt immediatè à natura; ergo non ſunt, nec eſſe poſſunt. Minor probatur quoties nulla eſt diverſitas in principio *quo*, ſeu virtute productiva, nulla eſt diverſitas in productione, nec termino producto; ſed ſi dictæ proceſsiones ſunt immediatè á natura nude ſumpta nulla eſt diverſitas in principio *quo*, aut virtute productiva, ergo nec in productione, nec in termino producto; ergo nulla eſt ratio cur vna ſit generatio, altera ſpiratio; cur terminus vnius ſit Filius, & Verbum; & alterius Spiritus Sanctus, & amor; oportet ergo aſsignare aliquam diverſitatem virtualem in principio *quo* divinarum proceſsionum, vt vna differat ab alia; at hæc alia eſſe non poteſt, niſi vna ſit à natura vt intellectiva, & altera ab eadem natura vt volitiva, quod eſt eſſe à natura intellectiva, & volitiva tanquam à principio radicali; & ab intellectu, & voluntate tanquam á principio proximo, vt dubio ſequenti exponemus.

6 Reſponderi poteſt ex Durando, quod licèt proceſsiones ſint immediatè à natura, adhuc ſupereſt congrua diſparitatis ratio inter vtramque proceſsionem quoniam vna eſt prima communicatio naturæ, & ita generatio; altera verò eſt communicatio ſecunda, & ita ſpiratio; quod ſufficeret ad diverſitatem vtriuſque proceſsionis patet in ipſis potentijs intellectus, & voluntatis, quæ ſunt inter ſe diverſæ, quamquam ſint immediatè à natura, eo quod ordine quodam ſecundùm prius, & poſterius á natura dimanant. Sed hoc effugium operoſius impugnabimus dum de diſcrimine vtriuſque proceſsionis agamus infra dub. 6. Interim reijcitur ex eo, quod divinæ proceſsiones non ſunt emanationes ſimplices, ſed veræ actiones; nec perſonæ procedentes habent eſſe per ſimplicem emanationem, ſicut potentiæ intellectus, & voluntatis, aliæque proprietates, & attributa, quia perſonæ divinæ non ſunt proprietates naturæ divinæ, ſed ſuppoſita ſubſiſtentia in eadem natura, comparanturque inter ſe permodum principij, & termini procedentis.

7 Præterea. Proceſsiones ſunt actiones vitales naturæ intellectualis; ergo procedunt immediate ab aliqua potentia, ſicut & omnes operationes cuiuſcumque naturæ; at non ab alia, niſi ab intellectu, & voluntate, cum nulla alia ſit potentia naturæ purè intellectualis; ergo ab his potentijs, & non immediatè à natura procedunt: & ita contingit in natura intellectuali creata, à qua conſurgere poteſt humana ratio ad proceſsiones divinas vtcumque oſtendendas. Denique in Conc. Florent. citato in cap. *damnamus*, de ſumma Trinitate, reprobatur hæc propoſitio *eſſentia generat*: ibi enim dicitur: *Et illa res* [id eſt eſſentia] *non eſt generans, nec genita, nec procedens*; ſed in ſententia Durandi verè eſt generans, ſi generatio eſt immediatè à natura nudè ſumpta; ergo nec eſt, nec eſſe poteſt.

Solvuntur impugnationes contrariæ.

§. III.

8 ARGUITUR Primo. Ex Patrente Anſelmus in præſenti opuſc. ſæpè docente Spiritum Sanctum procedere ab eſſentia, & à Divinitate, & probat procedere à Patre, & Filio, quia procedit à Patre vt Deo, in quo convenit cum Filio, & ab eo, in quo

Pa-

Pater, & Filius ſunt vnum, nempè in eſſentia; quas propoſitiones ſæpè repetit, præſertim, cap. 14. 17. 20. 22. & alijs; ergo iuxtà Anſelmum emanant proceſsiones immediatè ab eſſentia. Verùm ex 1. parte huius operis, & expoſitione litteræ, manifeſta apparet ſolutio. Procedit enim Spiritus Sanctus ſicut, & Filius ab eſſentia Patris, vt frequentius loquuntur ſancti Patres, vt probent non procedere à relatione; ab eſſentia quidem tamquam à principio radicali; & ab hac non abſolutè ſumpta, ſed modificata relatione, vt commodius dubio ſequenti expendemus.

9 Arguitur ſecundo. Diuinæ proceſsiones non conſiſtunt in alioquo communi omnibus perſonis, aliás omnes perſonæ eſſent principium generationis, & proceſsionis; ſed actus intellectus, & voluntatis ſunt actus eſſentiales omnibus perſonis communes; ergo non ſunt actus intellectus, & voluntatis, ſed emanationes immediatè à natura. Secundo. Sancti Patres frequentiſsimè docent Filium eſſe de ſubſtantia Patris, & procedere per modum naturæ; ergo quia illius proceſsio eſt immediatè à natura vt principio *quo*. Tertio natura humana eſt principium *quo* generationis; ergo & diuina, quia non minus eſt fœcunda natura diuina, quàm humana.

10 Hoc argumento fortiùs innodatur Durandus, quoniam nihil magis commune omnibus perſonis, quàm natura diuina; ſi ergo proceſsiones diuinæ ſunt immediatè à natura erunt communes omnibus perſonis; actus autem intellectus, & voluntatis, in quibus diuinas proceſsiones collocamus, non ſunt actus eſſentiales, & communes, ſed notionales, & relationibus modificati, vt ex ſequentibus conſtabit. Ad ſecundùm dico Sanctos Patres docere Filium procedere per modum naturæ, id eſt neceſſariò, ad impugnandos Hæreticos aſſerentes procedere liberè tamquam aliquid creatum. Ad tertium nego antecedens; quia nulla natura eſt principium immediatum *quo* generationis, ſed media qualitate ſuperaddita, quæ eſt principium proximum.

11 Arguitur tertio. Perſonæ diuinæ dimanant immediatè à natura; ergo proceſsiones perſonarum ſunt immediatè à natura. Antecedens probatur. Perſonæ conſtituuntur per relationes; ſed relationes ſunt immediatè à natura, nam relationes ſunt proprietates relativæ; ſed omnes proprietates ſunt immediatè à natura; ergo & relationes. Reſpondeo proprietates abſolutas eſſe immediatè à natura, non relativas, quia relationes non conueniunt naturæ niſi media ratione fundandi, & hæc in diuinis eſt actio, ſive activa proceſsio; aliàs ſecunda, & tertia perſona, eſſent improductæ, ſicut Pater, quod Durandus non dicet. Præter quam quod procedere non convenit relationibus in abſtracto, ſed perſonis in concreto.

DUBIVM TERTIVM.
In quo diuinæ proceſsiones conſiſtant?

§. I.

1 CONTAT ex dubio præcedenti proceſsiones divinas non emanare immediatè à natura, ſed ab intellectu, & voluntate tamquam à principio proximo; actus autem vtriuſque potentiæ alij ſunt eſſentiales; & alij notionales: primi generis ſunt *intelligere*, & *velle*: ſecundi generis ſunt *dicere*, & *ſpirare*. Quos inter actus ea eſt differentia, quod *intelligere* eſt eſſentiale, & commune tribus perſonis, dicitque habitudinem ad rem intellectam: *dicere* autem eſt intelligendo producere, eſtque ſpeciale Patris, & importat habitudinem ad Verbum vt dictum; quod idem ſuo modo dicendum de ſpiratione: in hac autem actione *dicendi* frequentius conſtituunt Doctores proceſsionem Verbi diuini, ſicut & in activa ſpiratione proceſsionem Spiritus Sancti.

2 Supereſt tamen controverſia, eaque gravis in expoſitione eorum actuum. Nam Scotus ait, quod *intelligere* eſt pura contemplatio, & ſpeculatio, ad quam ſequitur alius actus cum præcedenti omnino inconnexus, & dicitur generatio, & in hoc actu ab intellectione prorſus diverſo conſtituit proceſsionem Verbi divini. Eximius Suarez, quem ſequuntur alij, tenet *dictionem* importare in recto ſaltim indæquate relationem, & ita docet proceſsionem Verbi non eſſe actum à relatione adæquate diſtinctum. Alij tandem ipſam *dictionem* in qua proceſsionem Ver-

bi conſtituunt, ab actu intelligendi adæquatè diſtingunt; Alij frequentius in ipſo actu eſſentiali intelligendi modificato relatione conſtituunt.

(†)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDVM Primo. Proceſsiones divinas non conſiſtere in relatione producentis; vnde proceſsio, ſive generatio Verbi Divini ſita non eſt in relatione paternitatis; nec ſpiratio activa in relatione Spiratoris. Suadetur primo, ex Parente Anſelmo in Monol. c. 54. vbi de Spiritu Sancto ait: *Non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo vnum ſunt; non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt, &c.* & opuſc. de proceſs. Spiritus Sancti, ca. 7. latè probat Spiritum Sanctum eſſe de Patre, vt Deo, aliàs *eſſet divina eſſentia in Spiritu Sancto, non Deitate Patris, ſed de relatione, quod ſtultiſsimum eſt dicere.* Idem repetit cap. 15. *Cùm enim Pater, & Filius non differant in vnitate Deitatis; nec Spiritus Sanctus procedat de Patre, niſi de Deitatate, ſi eadem Deitas eſt Filij, nequit intelligi, quomodò procedat de Deitate Patris per Deitatem Filij, & non de eiuſdem Filij Deitate, niſi fortè quis dicat Spiritum Sanctum non procedere de Deitate Patris, ſed de paternitate; nec per Deitatem Filij, ſed per filiationem, quæ opinio ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat.*

3 Confirmatur ex Angelico Doct. q. 3. de potentia a. 5. vbi ait: *Similitèr ergo dicendum de actione, & potentia, nam generatio ſignificat actionem cum aliquo reſpectu, & potentia generandi ſignificat potentiam cum reſpectu; vndè ipſa generatio eſt Dei actio, ſed prout Patris tantùm.* Ergo proceſsio Verbi, ſivè illius generatio non eſt relatio, ſed actio, quanquam modificata relatione, vt infra dicemus.

4 Probatur ratione. Proceſsio activa Verbi originę præcedit ipſum Verbum Divinum, tanquam principium à quo procedat; ſed pro priori originis ad Verbum Divinum non datur relatio producentis ſecundum conceptum proprium, & vltimum relationis; ergo proceſsio Verbi Divini non conſiſtit in ea relatione. Minor probatur: tum, quia relatio ſecundum conceptum proprium, & vltimum requirit in eodem ſigno terminum, ad quem refertur: tum quia relatio procedentis eſt relatio ſecundi generis, quæ fundatur in actione; ergo datur pro priori originis actio, ſivé proceſsio, aut generatio Verbi Divini. Quod idem ſuo modo dicendum de proceſsione Spiritus Sancti.

5 Confirmatur. Principium *quo* generationis nequit eſſe, id, in quo generans diſtinguitur à genito; ſed in relatione generans diſtinguitur à genito; ergo principium *quo* generationis nequit eſſe relatio. Maior, in qua ſola eſt difficultas, probatur. Omne agens intendit producere ſibi ſimile, proindeque ſi fuerit infinitæ virtutis aſsimilat ſecundùm identitatem naturæ; ergo principium *quo* produtionis exigit identitatem in natura; at relatio potius probat diſtinctionem, & diverſitatem, quàm identitatem, & ſimilitudinem; ergo generatio, & proceſsio Verbi non conſiſtit in relatione.

6 Reſpondet Durandus generationem Verbi divini non eſſe vnivocam, ſed æquivocam, ideoque non tendere in ſimilitudinem naturæ, alias communicaret Filio potentiam generativam alterius Fili. Contra. Maior convenientia eſt in divinis inter generantem, & genitum, quàm in humanis; ſed in humanis potentia generativa, & generatio eſt vnivoca; ergo potiori titulo in divinis. Maior probatur, quoniam in divinis vtriuſque natura eſt eadem numero, cum in humanis tantùm ſit vna in ſpecie.

7 Dices. Identitas in naturâ, vel alia ſimili perfectione potiùs deſtruit proceſsionem, aut generationem Verbi, quam conſtituat, nam proceſsio debet conſtitui per id, per quod generans diſtinguitur à genito, vel principium proceſsionis à procedente; at hoc ſolum poteſt verificari de relatione; ergo proceſsio per relationem conſtituitur. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, per quod gene-

rans

rans distinguitur à genito adæquatè, & ex parte recti, nego maiorem. Inadæquatè, & ex parte connotati, concedo maiorem, nam licèt in creatis principium generans, vtpote limitatum, distinguatur adæquatè à genito, & ita constituatur per aliquid distinctum; attamen in divinis generans non distinguitur adæquatè à genito, alioquin ponenda esset distinctio, & everteretur mysterium Trinitatis, quare satis est modificatio facta per relationem, vt eadem actio in Patre sit generatio, in Filio autem generatio non sit.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

8 DICENDVM secundò, processiones divinas non esse motus distinctos ab intellectione, & volitione, sed potius in eadem intellectione, & volitione modificatis relationibus consistere. Deducitur ex dictis claro consequentiæ filo, præsertim ex Anselmo in Monol. cap. 33. sic loquente; *Hoc itaque modo quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligit, gignere sibi consubstantialem similitudinem suam, ideſt Verbum suum?* ergo ex intellectione, quæ dicitur dictio procedit Verbum; ergo non ab actu, sive motu ab intellectione distincto. Et cap. 29. *Hæc ipsa locutio nihil aliud potest intelligi, quàm eiusdem Spiritus* [ideſt Patris] *intelligentia, qua cuncta intelligit; quid enim est aliud illi rem loqui aliquam hoc loquendi modo, quàm intelligere?*

9 Ex his formatur ratio. Processio Verbi Divini est locutio, & dictio, sicut & Spiritus Sancti spiratio; sed locutio, & dictio est intellectio formaliter talis; ergo non actus ab intellectione adæquatè distinctus. Minor probatur. Ea locutio, & dictio, est actus intellectus, vt Scotus, & alij Adversarij fatentur; sed omnis actus intellectus est formaliter intellectio, vt constat ex Anselmo allegato, & probatur, quia omnis actus intellectus attingit obiectum sub ratione cognoscibilis, cum ratio cognoscibilitatis sit formale specificativum illius; sed actus attingens obiectum sub ratione cognoscibilis est vera cognitio, & intellectio; ergo omnis actus intellectus est vera cognitio, & intellectio.

10 Confirmatur. Ea dictio est locutio expressiva rei intellectæ, sive formativa Uerbi, in quo exprimitur obiectum, ac redditur actu intellectum; at obiectum redditur actu intellectum per intellectionem; ergo ea locutio est vera intellectio, & non actus ab intellectione distinctus. Secundo. Ea dictio formativa Uerbi est vitalis; non vitalitate voluntatis; ergo intellectus, cum sit vitalitas naturæ intellectivæ; ergo est vitalitas, qua vivit intellectus; sed vitalitas, qua vivit intellectus est vera intellectio, nec facilè exponi poterit, quænam sit illa vita, qua in actu secundo vivit intellectus, si intellectio non est; ergo. Tertiò. Si dictio esset actus ab intellectione distinctus, & inconnexus, vt ait Scotus, posset intellectus dicere, quamquàm non intelligeret, ac in actu secundo diceret, & Uerbum produceret nihil cogitando, nec intelligendo, quod planè est absurdum.

11 Explicatur hæc ratio ex frequentiori loquendi modo apud Anselmum, & alios Patres asserentes Verbum Divinum esse sapientiam Patris, & idcircò procedere medio actu sapientiæ divinæ; sed actus sapientiæ divinæ est vera cognitio, & intellectio; ergo procedit media intellectione: qua ratione dixit Augustinus lib. 15. de Trinitat. cap. 7. *Ubi non est intelligentia, nec sapientia esse potest*, & infra: *Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus.* Secundò. Explicatur ex communi sententia, qua dicitur generationem Uerbi Divini esse assimilativam, & ideo de linea intelligibili; qua ratione Anselmus loco citato dixit; quod *summa sapientia cum se dicendo intelligit gignit consubstantialem sibi similitudinem suam, ideſt Verbum suum.* Tertiò. Denique explicatur ex communi etiam sententia docente Verbũ procedere

dere ex cognitione ſui, & aliorum cognoſcibilium; ergo dicendum eſt procedere ex actu cognoſcitivo; ergo non ex actu à cognitione, vel intellectione diſtincto.

12 Reſpondebis, Verbum divinum procedere ex actu intellectus, eoque vitali in eſſe intelligibili, diſtincto tamen ab intellectione; quia dictio eſt intellectione poſterior, & propter illam; nam Pater prius intelligendo eſſentiam divinam, poſteà dicit, & producit Verbum; præſertim cum intellectio ſit actus eſſentialis, dictio verò notionalis.

13 Sed hæc ſolutio ex dictis præocupata manet, eamque impugnat Anſelmus in Monol. c. 63. vbi poſt alia inquit: *Nihil autem aliud eſt ſummo Spiritui huiuſmodi dicere, quàm quaſi cogitando intueri.* Nec facilè exponi poterit qualitèr ille actus ſit vitalis vitalitate intelligibili, ſi intellectio non eſt. Nam, vt optimè notat Pater Suarez lib. 1. de Trinitat. c. 7. n. 5. ſi poſsibilis eſſet duplex vitalitas intellectus, paritèr ponenda eſſet duplex eſſentia, duplex omnipotentia, & ſic de alijs attributis, cum eadem ſit ratio de omnibus; ſed hoc dici non poteſt; ergo ea duplex vitalitas intellectus admitti non poteſt. Quod autem dictio ſit actus notionalis non probat diſtinctionem ab intellectione, ſed modificationem per relationem, vt docet D. Thomas §. 2. n. 3. allegato docente *generationem Verbi eſſe actionem cum aliquo reſpectu.*

14 Reſpondebis ab eadem potentia poſſe procedere plures actus adæquatè diſtinctos. Sed contra. Actus divinæ potentiæ, vtpotè infinitus, adæquat virtutem ſuæ potentiæ, alioquin infinitus non eſſet, ſed finitus, & limitatus, cum ei deficeret perfectio alterius actus; ergo admittenda non eſt in divinis ea pluralitas actuum in eadem potentia. Secundo. Una, & eadem potentia attingit obiectum adæquatum, & ſpecificativum comprehenſivè; ergo ſine periculo limitationis elicere non poteſt actus adæquatè diſtinctos; ergo dictio non eſt actus adæquatè diſtinctus ab intellectione eſſentiali.

15 Denique contra hanc ſolutionem, & doctrinam obſtant omnia incommoda, propter quæ reijcitur communiter ſententia Durandi, cuius ſententia potiſsimum improbatur ex eo, quod in re tam gravi opponitur modo loquendi Scripturæ, & Patrum, quia licet ſecundæ perſonæ concedat rationem Filij, negat propriam rationem Verbi, cum aſſerat non procedere per intellectum; ſed eadem ratione præfati Authores negare debent propriam rationem Verbi aſſerentes non procedere per actum intellectionis; ergo eiſdem rationibus reijcienda eſt hæc doctrina. Minor probatur, ſicut Verbum eſt terminus intellectus, ita terminus intellectionis, vt conſtat ex dictis; etenim ſicut voluntas volendo producit amorem, ita intellectus intelligendo producit Verbum; ergo negantes Verbum Divinum procedere per actum intellectionis, negari ei debent propriam rationem Verbi; perinde enim eſt non procedere per intellectionem, ac non procedere per intellectum quantum ad rationem Verbi.

TERTIA CONCLVSIO.

§. IV.

16 DICENDUM Tertio. Prrincipium *quo* remotum divinarum proceſsionum eſſe divinam eſſentiam modificatam relationibus; proximum verò intellectum, & voluntatem eiſdem relationibus connotatis. Sequitur etiam ex dictis, & ſpecialitèr ex Anſelmo in Monol. c. 64. ibi: *Non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt, ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum bonum, nimirum Spiritum Sanctum.* Idem repetit pluribus in locis. Præſertim in præſenti opuſculo c. 9. c. 17. & alijs; at Pater, & Filius non emittunt Spiritum Sanctum de eſſentia ſua abſolutè ſumpta, & vt communi tribus perſonis; ergo, vt modificata relationibus. Quod etiam oſtendit idem Anſelmus citato c. 17. vbi ait, quod *vnus, & idem Deus in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, & in Spiritu*

Sanc-

Sanctus ſingulari quodam, & ineffabili modo procedens; ergo idem Deus ex modificatione paternitatis redditur generans, & in Filio ex modificatione filiationis genitus; ergo pariter eadem eſſentia modificata paternitate erit principium *quo* remotum generationis Uerbi, ſicut, & modificata ſpiratione principium *quo* radicale proceſsionis Spiritus Sancti.

17 Conſtat etiam ex locis citatis Ang. Doct. aſſerentis generationem Uerbi divini eſſe ipſam Dei actionem, ſed provt Patris tantùm; ergo principium *quo* radicale eſt ipſa eſſentia divina connotata paternitate; & hoc modo in toto rigore ſalvatur modus loquendi Patrum aſſerentium Filium generari de ſubſtantia Patris; quo ſenſu loquitur Auguſtinus locis citatis. Damaſcenus de fide orthodoxa, c. 9. Ioannes Theologus in Concil. Florentino, ſect. 8 & alij, de quibus videnda dicta 1. p. in Scholijs.

18 Ratione probatur. Principium remotum eſt id, in quo radicatur principium proximum; ſed hoc radicatur in eſſentia, ſeu natura; ergo eſſentia, aut natura eſt principium remotum. Minor probatur. Principium proximum eſt intellectus, & voluntas; ſed intellectus, & voluntas radicantur in natura; ergo principium proximum radicatur in natura. Minor ex ſuperioribus ſatis conſtat; quoniam Uerbum eſt terminus potentiæ intellectivæ; ergo principium proximum proceſsionis Uerbi eſt intellectus: ſimiliter impulſus, amor, aut Spiritus Sanctus eſt terminus voluntatis; ergo principium proximum divinarum proceſsionum eſt intellectus, & voluntas.

19 Denique. Si Filius, & Spiritus Sanctus non procederent à natura medio intellectu, & voluntate, nullus eſſet ordo inter divinas proceſsiones, nam ordo proceſsionum fundatur in ordine reperto in earum principijs, nempè intellectu, & voluntate: immò aliter nulla eſſet ratio cur vna ſit generatio, & non alia: cur vna perſona ſit Filius, & non alia, vt dubio antecedenti dictum eſt, & in ſequenti amplius expendemus; ergo dicendum eſt vtramque perſonam procedere tanquàm à principio radicali à natura; & ab intellectu, & voluntate tamquàm à principio proximo.

20 Nec prodeſt ſi reſpondeant ſalvari debitum ordinem inter proceſsiones quamquam non ſint ab intellectu, & voluntate; vt patet in eiſdem potentijs intellectus, & voluntatis, cæteriſque attributis, qui procedunt debito ordine ſecundùm prius, & poſteſterius immediatè à natura. Non, inquam, prodeſt. Nam alia eſt ratio potentiarum, & alia actuum, quia potentiæ, & attributa conveniunt naturæ immediatè, & ratione ſui; actus autem ratione potentiarum; qua ratione natura radicat potentias ſecundùm ordinem earundem potentiarum, & actus conveniunt naturæ ſecundùm ordinem, quem habent potentiæ inter ſe; ſecluſis ergo potentijs totus ordo, & proceſsionum removetur; poſſunt ergo potentiæ, & attributa manare immediatè à natura cum debito ordine, non tamen actus, ſive proceſsiones divinæ.

21 Secunda pars concluſionis, nimirùm rationem principij proximi non convenire intellectui, & voluntati abſolutè ſumptis, ſed modificatis relationibus conſtat etiam ex dictis. Et vlterius oſtenditur, nam potentiæ illæ abſolutè ſumptæ ſunt communes toti Trinitati; non ita potentia generativa, & ſpiratvia; vnde optimè dixit Anſelmus potentiam generativam convenire eſſentiæ vt in Patre; ergo eſſentia eſt principium *quo* remotum, & intellectus eſt principium proximum generationis vt modificatus paternitate. Confirmatur. Principium productivum debet determinari per aliquid, per quod à termino producto diſtinguatur; ſed prædictæ potentiæ abſolutè ſumptæ à termino producto non diſtinguntur, ſed potius ſummè aſsimilantur ſecundùm identitatem naturæ, vt ſuperius dictum eſt; ergo dictæ potentiæ non conſtituunt principium proximum divinarum proceſsionum abſolutè ſumptæ, ſed modificatæ relationibus.

22 Dices. Optimè cohæret potentiam generativam eſſe in Filio, quin conveniat generare; & ita non implicabit intellectum eſſe communem toti Trinitati, quin Trinitati conveniat generare; ergo ex hac ratione non probatur intellectum abſolutè ſumptum non eſſe potentiam generativam. Antecedens probatur, poteſt aliqua forma convenire ſubiecto, quin illi præſtet ſuum effectum formalem, aut propter indiſpoſitionem, aut propter

incapacitatem ſubiecti ; ergo pariter poterit potentia generativa convenire Filio, quin illum conſtituat potentem generare.

23 Sed contra. Nam poſſe generare iuxta hanc ſolutionem non importat aliquid relativum ; ergo nulla eſt incapacitas in Filio , nec in tota Trinitate ad illud; quandoquidem in Filio , totaque Trinitate eſt potentia , & capacitas ad omne prædicatum abſolutum , cum abſoluta ſint communia ; ergo vel dicendum erit potentiam generativam importare aliquid relativum, & notionale , quod intendimus ; vel convenire Filio, ac toti Trinitati, quod repugnat : vnde ſi quandoque Auguſtinus, & alij Patres aſſerunt potentiam generativam eſſe in Filio , id intelligendum eſt in ſenſu materiali; ideſt in Filio eſſe potentiam, quæ in Patre eſt potentia generativa ; ſicut dicitur eſſe in Chriſto Domino eam potentiam, quæ in alijs eſt potentia peccandi.

Argumentorum ſolutio.

§. V.

24 ARguitur primo , contra primam concluſionem ex D. Thoma 1. p. q. 41. a. 1. ad 2. In actione divina ſecluſo motu non manet niſi ſola relatio ; ſed in actione divina non eſt motus , quoniam motus , vtpote tranſiens de potentia in actum , arguit imperfectionem; ergo manet ſola relatio; ergo proceſsio divinarum perſonarum in ſola relatione conſiſtit, inquit D. Thomas; *Remoto igitur motu actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis ſecundùm quod à cauſa aliqua , vel potentia procedit in id, quod eſt à principio ; vnde cum in divinis non ſit motus , actio perſonalis producentis perſonam nihil aliud eſt , quam habitudo principij ad perſonam , quæ eſt à principio, quæ quidem habitudines ſunt ipſæ relationes , vel notiones.* Item q. 9. de potent. a. 9. ad 3. ait: *Generare verò , & generari in divinis non ſignificant aliquid abſolutum, ſed relativum.*

25 Varie occurrunt Doctores ; ſed tota authoritas vt iacet mihi admittenda videtur, nimirum in divina actione nullam eſſe imperfectionem motus , ac ſecluſo motu manere duntaxat ſolam relationem, & ordinem ; *ſed ordinem originis* , vt inquit Sanctus Doctor, id eſt, non relationem ſecundùm conceptum *ad*, ſed ſecundùm conceptum originis, quæ veré poteſt dici relatio, quatenús eſt fundamentum , ſive ratio fundandi eandem relationem ſecundùm vltimum conceptum , nimirum , ſecundùm conceptum oppoſitionis.

26 Arguitur ſecundo. Ex Auguſtino lib. 5. de Trinit. c. 6. ſic arguente : *Filius eò Filius, quo genitus ; ergo Pater eò Pater quò generans , & eò generans quò Pater* ; ſed conſtituitur Pater in eſſe Patris per relationem; ergo in eſſe generantis per relationem ; ergo generatio , ſivé proceſsio Verbi divini ſita eſt in relatione. Reſpondeo Patrem, ſivé in creatis , ſivè in divinis eò eſſe Patrem, quia generat , ſi enim non generaret Pater non eſſet: ſimilitèr hoc ſubiectum eſt ſimile alteri, quia eandem habet qualitatem; & æquale, quia eandem habet quantitatem ; & tamen nemo conſtituitur formaliter in eſſe Patris , ſimilis , & æqualis, per genetationem , qualitatem , & quantitatem , ſed conſtituitur in eſſe Patris per relationem paternitatis ; ſimile , & æquale formaliter , per relationem ſimilitudinis, & æqualitatis : illæ ergo propoſitiones ſolum reduplicant rationem fundandi, non formam , vt mille exemplis exponi poſſet.

27 Arguitur tertio. Proceſsio paſſiva Filij conſiſtit in filiatione ; ergo proceſsio activa Patris in paternitate. Patet conſequentia , quia ita comparatur activa proceſsio ad producentem, ſicut paſsiva ad productum. Antecedens autem probatur. Nullum aliud prædicatum poteſt conſtituere Filium in eſſe producti , niſi filiatio; ergo proceſsio paſiva Filij in filiatione conſiſtit. Probatur antecedens. Filius conſtituitur in eſſe producti , & geniti per id, per quod diſtinguitur à Patre generante; ſed per ſolam filiationem diſtinguitur; ergo per ſolam filiationem conſtituitur in eſſe producti,& geniti.

28 Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Conſiſtit in filiatione per modum complementi , concedo antecedens. Per modum formæ,nego antecedens. Ad probationem diſtincto eodem modo antecedenti,nego conſequentiã, quod idem dicẽdum ad vltimam probationem ; nam ſicut Pater eſt generans per aliquid abſolutum vt completum per relationem, ita generari in filio. eſt aliquid abſolutum , vt completum , & & determinatum per relationem.

Ar-

29 Arguitur quartò. Generatio convenit Patri, & non Filio; ergo convenit Patri per id, per quod differt à Filio; etenim quia diſcurſus convenit homini, & non æquo, convenit homini, per quod differt ab æquo; ſed id, per quod Pater differt à Filio, eſt relatio; ergo generatio convenit Patri ratione relationis; ergo generatio, ſive proceſsio Uerbi Divini in generatione conſiſtit.

30 Huic argumento reſpondet D. Thomas q. 2. de potent. a. 2. ad 5. his verbis: *Paternitas non eſt in Patre per modum formæ ſpecificæ, ſicut humanitas in homine, ſic enim in eo eſt divina natura, ſed eſt in eo, vt ita dicam, ſicut principium individuale, eſt enim proprietas perſonalis, & ideò non oportet, quod ſit generationis principium, &c.* Ex his conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens claritatis gratia. Per quod differt completivè, concedo conſequentiam, formalitèr, nego conſequentiam, ad probationem incluſam dico maximum eſſe diſcrimen, nam diſcurſus convenit homini ratione formæ, ſive differentiæ eſſentialis, & ſpecificæ; paternitas verò non eſt forma eſſentialis, & ſpecifica, ſed quaſi individualis, & proprietas perſonalis, qua ratione forma ſpecifica hominis eſt principium diſcurſus; paternitas verò non eſt principium generationis.

31 Dices. Hæc propoſitio: *intellectus generat* eſt falſa, ſicut & iſta: *eſſentia generat*, vt definitum eſt in cap. *damnamus*, de ſumma Trinitate; ergo nec intellectus eſt principium proximum, nec eſſentia remotum. Reſpondeo nõ obſtãte falſitate illius propoſitionis: *eſſentia generat*, proceſsionem iuxtá Durandum eſſe immediatè ab eſſentia; ergo ea non obſtante eſſe poterit immediatè ab intellectu, & mediatè ab eſſentia vt à principio *quo*. Rurſus. Sicut falſa eſt illa propoſitio *eſſentia generat*, ita & iſta: *Paternitas generat*, vt docet D. Thomas 1. p. q. 32. a. 3. ſicut & iſta: *Filiatio generatur*: immò aſſerere Filium, aut Spiritum Sanctum procedere de relatione, vocat Anſelmus locis citatis ſtultiſsimum; & tamen iuxtà Adverſarios relatio eſt principium generationis; ergo non obſtante falſitate illius propoſitionis intellectus erit principium generationis.

32 Reſpondeo igitur eas propoſitiones eſſe falſas, quia eſſentia, & intellectus ſolum ſunt principium *quo*, & non *quod*; illæ autem denominationes non ſpectant ad principium *quo*, ſed *quod*, ſive ad perſonam, aut ſuppoſitum. Inſuper. Eſſentia, & intellectus ex modo ſignificandi ſunt abſtracta; illæ autem denominationes non conveniunt abſtractis, ſed concretis, & ſuppoſitis. Nihilominús ea propoſitio diſtingui poteſt: eſſentia generat vt ſignificata in abſtracto, nego; vt ſignificata in concreto, concedo; quod idem dicendum de alia: intellectus generat: voluntas ſpirat.

33 Arguitur quinto. Inter principium producens, & terminum productum neceſſaria eſt realis diſtinctio; ſed hæc tantùm poteſt eſſe inter relationes; ergo non intellectus, & voluntas, ſed ſola relatio habet rationem principij productivi, & conſequenter ſola relatio eſt principium proceſsionis in divinis. Maior probatur. Quod realitér diſtinctum non eſt, realitèr productum non eſt; quia quod realitér diſtinctum non eſt, abſolutum eſt, abſolutum autem non producitur, omnia namque abſoluta reperiuntur in Patre, in quo nihil eſt productum; at in divinis datur terminus realitèr productus, aliàs productiones, aut proceſsiones in divinis non eſſent reales; ergo terminus debet eſſe realitér diſtinctus, cum ergo diſtinctio ſolùm poſsit eſſe in relatione; cõſequens eſt vt ſola relatio ſit principiũ, & terminus proceſsionis.

34 Hoc argumentum ab omnibus ſolvendum eſt, niſi Myſterium Trinitatis penitús deſtruatur. Certum namque eſt principium diſtingui realitér à termino, nimirùm Patrem à Filio; & tamen Pater importat non ſolùm paternitatem, ſed etiam eſſentiam, quæ non eſt diſtincta in Filio, vndè ſalvatur realis diſtinctio, realiſque proceſsio ſine diſtinctione in omnibus, quæ conſtituunt principium producens, & terminum productum. In forma, diſtinguo maiorem. Neceſſaria eſt realis diſtinctio ſecundùm totum, quod habet, nego maiorem, ſecundùm aliquid, concedo maiorem, & licèt ſola relatio ſit ratio diſtinguendi vt *quo*. Denominatio tamen diſtincti vt *quod*, cadit in perſonas, principium, & terminum.

35 Arguitur ſecundò. Quoties principia ſunt adæquatè diſtinctæ, etiam actus debent eſſe adæquatè diſtincti; ita ſe habent principia intellectionis, & dictionis; ergo dictio, & intellectio ſunt actus adæquatè diſtincti. Minor probatur. Prin-

cipium

cipium intellectionis eſt intellectus abſolutè ſumptus, & vt communis Trinitati, principium dictionis eſt idem intellectus vt in Patre, & vt ſpecialis primæ perſonæ. Præterea. Termini vtriuſque actionis ſunt pariter adæquatè diſtincti, nam terminus intellectionis eſt eſſentia divina per modum obiecti cogniti, terminus verò dictionis eſt Uerbum divinum vt dictum, & genitum; ergo dictio, & intellectio habent principia, & terminos adæquatè diſtinctos.

36 Secundò. Ideò diximus dictionem non diſtingui ab intellectione, quia eſt actus intellectus, proindeque intellectio; ſed hoc nihil probat; nam poteſt eſſe actus intellectus duntaxat productivus Uerbi, vt patet in actu intellectus agentis, qui non eſt intellectio, ſed productio ſpeciei impreſſæ. Tertiò. Quia dictio creata eſt prior intellectione, prius enim producitur Uerbum, quàm in Verbo cognoſcatur obiectum. Quartò. Quia Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ, & poſsibilium; ergo ad proceſsionem, ſeu dictionem Uerbi præſupponenda eſt cognitio, & intellectio. Quintò. Quia eſſentialia in divinis ſunt priora notionalibus; ſed intellectio eſt actus eſſentialis, dictio verò notionalis; ergo vna aliam antecedit; ergo diſtinguntur.

37 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Nam ratio intellectivi, & dictivi ſpectat ad eundem intellectum per modum primarij, & ſecundarij, & dictio ſequitur ad intellectionem per modum exercitij ſecundarij, quarè non probat diſtinctionem adæquatam; quod idem dicendum reſpectu termini. Ad ſecundum, conceſſa maiori, nego minorem. Quæ non evincitur ex paritate intellectus agentis, quoniam in Deo non eſt duplex intellectus, ſicut nec duplex eſſentia. Rurſus. Actus intellectus agentis non eſt locutio, nec intellectio formaliter, nec præſuppoſitivè; cum tamen dictio Uerbi Divini ſit vera locutio; immò & intellectio ſaltim præſuppoſitivè adhuc in ſententia oppoſita; vnde non eſt ſimile. Ad tertium dico etiam eandem actionem creatam eſſe dictionem, & intellectionem, licèt priùs ſecundùm conceptum inadæquatum dicat, & producat Verbum, & ſecundùm alium conceptum eiuſdem actionis poſteà cognoſcat obiectum in Verbo. Ad quartum, dico, quod licèt eſſentialia abſolutè ſumpta ſint priora notionalibus, eſſentialia tamen vt in tali perſona non ſunt priora, ſed potiùs è contrà. Sed conceſsis abſolutè præmiſsis, diſtinguo cõſequens; ergo vna aliam antecedit exnoſtro modo concipiendi, cõcedo conſequẽtiam: re ipſa, nego conſequentiam, ex quo nihil evincitur.

DUBIVM QVARTUM.

Quot ſint proceſsiones divinæ?

§. I.

1 EXPLORATA Divinarum proceſsionum exiſtentia, & natura, ad earum numerum oſtendẽdum deſcendimus, in quo non leviùs innodamur; etenim ad ſecundam exponendam proceſsionem humana ratio caligat non modò in ſubſtantia rei, ſed etiam in vocibus, ideoque dixit D. Thomas 1. p. q. 37. a. 1. proceſsionem per intellectum eſſe nobis magis notam, quàm ſit proceſsio per voluntatem. Tertiam namque perſonam *Spiritum Sanctum* appellamus, cum certum ſit cæteras quoque perſonas eſſe *Spiritum*, & *Sanctum*. Illius originem *proceſsionem* dicimus, cum exploratum ſit generationem Verbi eſſe pariter proceſsionem. Denique Spiritus Sanctus *amoris* ſignificatur vocabulo, cum nomen amoris magis proprium ſit actionis, quàm termini.

2 Vndè D. Thomas 1. p. q. 37. a. 1. inquit: *Ex parte autem voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non ſunt aliqua vocabula impoſita, quæ importent habitudinem ipſius affectionis, & impreſsionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc, quod amat; & ideò propter vocabulorum inopiam huiuſmodi habitudinem ſignificamus vocabulo amoris. Sic igitur in quantum in amore, vel dilectione non importatur niſi habitudo amantis ad rem amatam, amor, & diligere eſſentialiter dicuntur. In quantum verò his vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris ad principium ſuum, ita quod per amorem intelligitur amor procedens, ſic* amor *eſt nomen perſonale.*

3 Arrius, Sabellius, ac Macedonius, divinam perturbantes Trinitatem, divi-

divinas quoque evertere proceſsiones curabant. Nàm Arrius non audens negare proceſsiones in Deo, eas poſuit ad extra, & non ad intrà, ideòque dixit Filium procedere á Patre veluti prima creatura: & Spiritum Sanctum, vt creatura vtriuſque. Accedit Macedonius negans Spiritum Sanctum eſſe Deum, ideòque docens procedere per actionem tranſeuntem ad extra. Suffragatur Sabellius ponens proceſsiones in Deo ſecundùm quod cauſa dicitur procedere in effectum quorum errores ſuperius improbatos amplius improbandos aggredimur.

Duplex in divinis proceſsio ſtatuitur.

§. II.

4 DICENDVM in divinis duas tantùm eſſe proceſsiones, eaſque immanentes. Conſtat ex hoc tract. dub. 1. tûm authoritate, tùm ratione, vbi probatum eſt eſſe duas. Vlteriùs ſuadetur non eſſe plures. Proceſsiones in divinis ſumuntur ſecundùm actiones immanentes; at actiones immanentes ſunt tantùm duæ, & non plures, nempé intelligere, & velle; ergo duæ tantùm proceſsiones. Duæ, inquam, proceſsiones activæ, de quibus loquimur in præſenti, nam ſi paſsivé loquamur aliæ duæ paſsivæ reſpondent; ſicut enim ex parte Patris datur proceſsio activa in ordine ad Filium: & rurſus ex parte vtriuſque datur proceſsio in eſſe Spiratoris in ordine ad Spiritum Sanctum; ità è contrà datur proceſsio paſsiva ex parte Filij in ordine ad Patrem, & Spiritus Sancti in ordine ad Spiratorem.

5 Dices. Licèt proceſsio ſit ſecundùm operationem immanentem intelligendi, & volendi, adhuc plures eſſe poſſunt proceſsiones in Deo, quia plures ſunt operationes intelligendi, & volendi, vt patet in nobis; ergo. Reſpondeo. In Deo non eſſe, nec eſſe poſſe, niſi vnicum actum intelligendi, & volendi, quo omnia cognoſcit, attingit, & comprehendit, cum ſit infinitæ perfectionis, & virtutis; nos tamen, qui vnico actu omnia attingere non poſſumus, pluribus indigemus.

6 Oppones ex Macedonio. Ex hoc probatur negandam eſſe proceſsionem Spiritus Sancti, quia natura adæquatè cõmunicata non manet amplius communicabilis; ſed natura divina adæquatè communicatur Filio per generationem; ergo non manet amplius communicabilis per aliam actionem; ergo natura divina non communicatur Spiritui Sancto, ac ideò corruit proceſsio Spiritus Sancti. Hoc argumentum optimè convincit vnicam eſſe proceſsionem per intellectum, vnicum eſſe Filium, & vnicam eſſe generationem, quia communicata adæquatè natura per generationem non manet amplius per generationem, ſive per intellectum communicabilis; manet tamen communicabilis per alteram potentiam, nimirùm voluntatem, quæ non minus eſt infinitè fœcunda, ac intellectus.

7 Dices ſecundò. Sicut Filius procedit à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, ita paternitas procedit ab eſſentia; ergo tres ſunt emanationes in divinis, & conſequenter tres proceſsiones activè ſumptæ. Reſpondeo, hic ſermonem non eſſe de emanatione attributorum, ſed perſonarum; non de reſultantia, aut ſequela vnius ab alio, ſed de vera proceſsione, aut productione, quæ ſolùm poteſt eſſe duplex propter dicta.

8 Probatur ſecundò concluſio. In Deo duæ tantùm ſunt potentiæ productivæ, nimirùm voluntas, & intellectus, qui memoria fœcunda dicitur; ergo duæ tantùm ſunt productiones, aut activæ proceſsiones. Secundò. In Deo tres ſunt perſonæ diſtinctæ, & non plures; ſed vna eſt improducta; ergo duæ tantùm procedentes, & productæ; ergo duæ tantúm proceſsiones.

Solvuntur obiectiones contrariæ.

§. III.

9 ARguitur primò contra primam proceſsionem, quæ probata eſt ex eo, quod *ſumma ſapientia, cùm ſe dicendo intelligit, gignit ſibi conſubſtantialem ſimilitudinem ſuam, ſive Verbum ſuum*, vt inquit Anſelmus dubio 1. huius tractatus allegatus, vel quia *omne intelligens ex hoc ipſo, quod intelligit producit Verbum*, vt inquit D. Thomas ibidem citatus; ſed hæc ratio non probat.

10 Primò. Quia Angelus ſe ipſum cognoſcit; ſed in tali cognitione non producit Verbum, quia eius ſubſtantia eſt

eſt per ſe ipſam intimè coniuncta; ergo non omnis intellectio eſt productiva Verbi. Secundò, & efficaciùs. Viſio beata eſt vera intellectio; & tamen non eſt productiva Verbi, cùm Deus intimè coniunctus gerat vices ſpeciei, tàm impreſſæ, quàm expreſſæ. Tertiò. Ipſum Verbum Divinum eſt naturæ intellectivæ; & tamen aliud Verbum non producit; quod idem dicendum de Spiritu Sancto; ergo non omnè intelligens intelligendo producit Uerbum; ergo ex ea ratione perperam probatur proceſsio per intellectum. Sed his iam conſtat ex hoc tract. dub. 1. n. 22.

11 Ad primum facilè reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, quia etſi ſubſtantia Angeli gerat vices ſpeciei impreſſæ in cognitione ſui, non tamen expreſſæ, ſive Verbi, alioquin eſſet per ſe ipſam in actu ſecundo intelligendi, & actus purus. Hanc eandem ſolutionem non renuunt aliqui applicare viſioni beatæ, quam dicunt producere ſpeciem expreſſam, ſive Uerbum mentis, quamquàm Deus intimè coniunctus gerat vices ſpeciei impreſſæ. Quæ tamen opinio alijs non arridet, & meritò: tùm quia contradicit communi ſententiæ neganti ſpeciem creatam repræſentativam Dei vt eſt in ſe, tàm impreſſam, quàm expreſſam: tùm quia pari laborat difficultate ſpecies expreſſa, ac impreſſa reſpectu Dei intuitivè cogniti; à qua ſententia propter difficultatem argumenti impreſentiarum recedere non licet.

12 Unde reſpondent ad ſecundam, & tertiam impugnationem Godoy, & Gonet propoſitionem D. Thomæ intelligendam eſſe per diſtributionem completam ex parte intelligentium, & incompletam ex parte intellectionum; videlicet, omne intelligens producere Uerbum, non tamen per omnem intellectionem, ſed per aliquam. Sed hæc ſolutio difficultatem non enervat, quoniam Verbum Divinum eſt intelligens, ſicut & Spiritus Sanctus; ergo ſaltim per aliquam intellectionem aliud Uerbum producunt. Secundò. Dicta ſolutio litteræ non congruit, nam Doct. Ang. non ait præcisè omne intelligens producere Uerbum, ſed addit ex hoc ipſo, quod intelligit; ergo non loquitur de diſtributione completa præcisè ex parte intelligentium, ſed etiam intellectionum. Tertiò. Si agens ex hoc ipſo, quod intelligit producit Verbum; ergo formatio Uerbi convenit illi ex ratione communi intellectionis; ſed hæc eſt eadem in omnibus intellectionibus; ergo ei convenit formare Uerbum per omnem intellectionem, vel aliqua diſparitatis ratio aſsignanda erit, quam prædicti Doctores non aſsignant.

13 Reſpondent alij per omnem intellectionem produci Uerbum [vt inquit D. Thomas] non tamen in omni intelligenti, ſed in illo tantùm, qui primò per talem intellectionem intelligit; cum ergo tres Divinæ Perſonæ per eandem intellectionem intelligant non omnes producunt Verbum, ſed ſolùm prima perſona, quæ cæteras prioritate originis antecedit. Sed hæc ſolutio eſt voluntaria, nec vllam rationem prædictæ doctrinæ aſsignat. Secundò. Contradicit litteræ D. Thomę aſſerentis: *Quicumque intelligit, &c.* ergo loquitur de omni intelligenti, & non ſolùm de omni intellectione.

14 Reſpondet Arauxo omni intellectioni competere, quod aliquid ex ipſo procedat ex conceptu generico, repugnare tamen ex conceptu differentiali; vt patet in ſententia conſtituente peccatum commiſsionis in aliquo poſitivo, cui ex conceptu entis poſitivi competit cauſari à Deo; cum tamen id repugnet ex conceptu differentiali. Et in Talpa, cui competit videre ex conceptu animalis, & repugnat ex conceptu particulari. Contrà. Licèt alicui ſubiecto repugnare poſsint ex conceptu differentiali, quæ ex ratione generica tantùm permiſsivè, aut negativè conveniunt; attamen prorsùs implicatorium eſt repugnare ex conceptu differentiali, quæ eſſentialitèr, & poſitivè conveniunt ex ratione generica, cùm differentia contrahat rationem genericam ſecundùm omnia ſua prædicata eſſentialia, & poſitiva, aliàs Petro repugnare poſſet diſcurſus ex ratione ſpecifica homini poſitivè conveniens.

15 Reſpondet denique Mag. Ferre D. Thomam non aſſumere eam propoſitionem ad probandam proceſsionem divinam, cùm loquatur de intellectione humana, ſed proceſsionis qualitatem, nimirùm, ad intra, nam proceſsio divina, non ratione, ſed authoritate probatur: vnde ea propoſitio facit hunc ſenſum: quicumque intelligit intellectione, per quam aliquid ab ipſa procedit, manet intra ipſum intelligentem.

16 Sed contra. Inutilitèr probatur proceſsionis modus, & qualitas, non

pro-

probata proceſsione ; ergo. D. Thomas vtrumque probat,& proceſsionem, & modum. Nec obſtat proceſsionem divinam authoritate probandam eſſe , vt ratione illuſtrata fidei lumine probetur, cum myſteria Fidei non ſint contra naturam , & Doctor Sanctus myſteria Fidei congruentiſsimis rationibus ſæpé probat.Quod enim loquatur de intellectione humana nihil obſtat , ſed potius ab humanis nos manu ducit ad divina , quia perfectio fœcunditatis,quæ eſt in intellectu humano,neganda non eſt in divino;alioquin ſi ex hac proceſſione verbi creati ab intellectu humano non poſſet probari proceſsio Uerbi Divini, nec illius qualitas , & modus probari poſſet; ſed hoc ſecundum probatur à D. Thoma iuxta ipſum ; ergo & primum.

17 Ueriùs ergo dicendum propoſitionem D. Thomæ eſſe vniverſaliter veram per ſe loquendo , licèt intellectio beata de facto verbum non producat , eo quod verbum ab ipſa producibile non eſt ſufficiens ad repræſentandum Deum , vt eſt in ſe , & ideò eſſentia divina intimè coniuncta ſupplet illius defectum ; hoc tamen non impedit eam intellectionem eſſe productivam verbi , nec veritatem illius propoſitionis : *Omne intelligens ex hoc ipſo, quod intelligit producit Verbum* : ſicut vera eſt hæc propoſitio : *Ab omni natura dimanat propria ſubſiſtentia* , quamquàm ab humana Chriſti natura non dimanet , eo quod à ſubſiſtentia divina impeditur.

18 Ad tertium , diſtinguo maiorem. Verbum Divinum eſt virtutis intellectivæ fœcundæ , nego maiorem. Non fœcundæ, concedo maiorem, idque non ex defectu virtutis , ſive ex parte recti , ſed ex defectu connotati ; vndè ea intellectio etiam in Verbo eſt productiva Uerbi quantum eſt ex parte virtutis , licet non producat ex defectu conditionis , & ex repugnantia alterius Uerbi ; ſi enim eſſet duplex Verbum , neutrum eſſet infinitum, quoniam ea pluralitas Uerbi non eſſet ex oppoſitione, ſed ex limitatione , quia duæ filiationes non opponuntur inter ſe ; immò daretur proceſſus in infinitum ſi Filius alium filium produceret , cum de alio filio producto eſſet eadem ratio. Rurſus. Filius eſſet pater alterius Filij , vndè eſſent duo Patres , non quidem eadem paternitate, quia paternitas eſt incommunicabilis filio; ſed duo patres paternitate diſtincta non minus ſunt finiti , & limitati , ac ſi eſſent Dij divinitate diſtincta , vt inſuperioribus dictum eſt. Non ergo Verbum , aut Spiritus Sanctus aliud Uerbum producunt,quia ratio proxima producendi Uerbum eſt intellectus, qui terminum adæquatum habet in Verbo producto ; ſicut & voluntas in Spiritu Sancto.

19 Vel tandèm dici poteſt D.Thomam non aſſerere , quod omne intelligens producit Uerbum , ſed quod procedit aliquid intra ipſum , quod poteſt eſſe , vel Verbum, vel ſola intellectio : erit Uerbum vbi datur fœcunditas , vt in Patre ; vel vbi datur indigentia , vt in creatura ; vel erit ſola intellectio, vbi nec eſt fœcunditas, nec indigentia, vt in Filio , & in Spiritu Sancto; non quidem *indigentia* , quia eſt actus purus ſine vlla potentialitate; non *fœcunditas*, quia hæc præcedit in Patre.

20 Arguitur ſecundo contra ſecundam proceſsionem. Ideò daretur in divinis ſecunda proceſsio , quia datur tertia perſona procedens per volùtatem ; ſed hoc eſt falſum; ergo talis proceſsio admittenda non eſt. Minor probatur ex D. Thoma q. 4. de ver. a. 2. ad 7. vbi ponit differentiam inter intellectum, & voluntatem, quod ille producit terminum ad intra ; hæc autem non ita per hæc verba : *Hæc autem eſt differentia inter intellectum , & voluntatem, quod operatio voluntatis terminatur ad res , in quibus eſt bonum, & malum ; ſed operatio intellectus terminatur in mente , in qua eſt verum, & falſum ; & ideò voluntas non habet aliquid progrediens à ſe ipſa , quod in ea ſit , niſi per modum operationis, ſed intellectus habet in ſe ipſo aliquid progrediens ab eo , non ſolum per modum operationis , ſed etiam per modum rei operatæ.*

21 Sed de mente D. Thomæ dubitare non licet , qnoniam 1. p. q. 37. a. 1. expreſsè docet, quod ſicut ab intellectu procedit aliquid per modum rei intellectæ in intelligente , ita à voluntate procedit aliquid per modum rei amatæ in affectu amantis. Ad auctoritatem autem allegatam relictis alijs dicendi modis vera ſolutio conſtat ex eodem D. Thoma loco ſupra §. 1. allegato , ex quo reſpondeo S. Doct. non negare voluntati terminum ad intra productum , ſed negare terminum, qui ex modo ſignificandi modum termini habeat , cum terminus voluntatis ob inopiam vocabulorum vocem operationis ſervet.

DV-

DUBIVM QVINTUM.

Vtrùm proceſsio Verbi ſit generatio?

§. I.

1 AD vtriuſque proceſsionis diſcriminem in ſequenti dubio faciliùs examinandum, propoſitam præmittimus controverſiam. Inter myſteria noſtræ Fidei mortalibus prorſus inacceſſa primatum obtinet generatio Verbi Divini: *generationem* enim *eius quis enarrabit?* inquit Iſaias c. 53. quandoquidem. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare?* Matth. 11. Eaque propter nec ad eam evidenter demonſtrandam; nec ad curioſius, quàm par eſt, inveſtigandam; ac multo minus ad impugnandam, preſentem aggredimur controverſiam, ne *ſcrutator Maieſtatis opprimatur à gloria.* Prov. 25. Sed vt inquit Anſelmus opuſc. *Cùr Deus homo*, c. 1. *non vt per rationem ad fidem accedant, ſed vt eorum quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione, & vt parati ſint, quantum poſſunt ſemper ad reddendam ſatisfactionem omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt ſpe.*

2 Dupliex eſt generationis definitio: alia generationis communiter dictæ; & eſt *mutatio de non eſſe ad eſſe*: hanc autem non competere Verbo Divino exploratum eſt, quoniam *apud ipſum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Alia eſt *origo viventis à vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Quæ definitio non modò à Philoſophis, ſed Theologis omnibus probatur, & tradit D. Thomas 1. p. q. 27. a. 2.

Catholica veritas oſtenditur.

§. II.

3 DIcendum proceſsionem Verbi Divini eſſe verè, & propriè generationem. Eſt Fidei Catholicæ dogma, & conſtat ex illo Pſalmi 2. *Ego hodie genui te.* Et ex omnibus locis, in quibus Verbum dicitur Filius, & genitus, ac Pater dicitur Pater, & genitor. Vndè Anſelmus hom. 4. in Evang. Matth. ad ea verba: *Et ecce vox de nube dicens:* Math. 17. inquit. *De prædicta verò nube venit vox Patris dicens de Chriſto: hic eſt Filius meus, quia de immenſa obſcuritate divinæ incomprehenſibilitatis procedit ad nos alta notitia generationis ſempiterni Filij Dei, in qua nec genitor eſt genito prior, nec genitus genitore poſterior, quia conſtat, & Patrem ſempiternè genuiſſe, & Filium ſempiternè natum eſſe.*

4 Ratio autem conſtat ex eodem SS Doctore in Monol. cap. 39. & ſequentibus. Quæ ſub hac forma proponitur. *Generatio eſt origo viventis à vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*; ſed proceſsio Verbi Divini eſt huiuſmodi; ergo eſt vera generatio. Minor probatur. Eſt enim *origo viventis à vivente*, nempè Deus de Deo: *principio coniuncto*, videlicet, ab eſſentia divina coniuncta intellectui paterno, ipſumque fœcundante ad productionem Verbi: *in ſimilitudinem naturæ*, quoniam ipſa natura divina coniuncta cum intellectu paterno ipſum fœcundat ad eandem numero naturam communicandam, quæ eſt ſimilitudo naturalis, qua maior eſſe non poteſt; ergo eſt origo viventis á vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ: vndè Anſelm. loco citato inquit: *Cum igitur pateat Verbum ſummi Spiritus ſic eſſe ex ipſo ſolo, vt perfectam eius quaſi proles teneat ſimilitudinem. Profectò nullo modo convenientius cogitari poteſt ex illo eſſe, quàm naſcendo.*

5 Confirmat eandem rationem cap. ſequenti: vbi docet Verbum habere eſſe ex Patre: *Non ſicut ea, quæ facta ſunt, ſed ſicut creator de creatore, ſummum de ſummo*, quod quidem eſſe habet ſecundùm perfectam ſimilitudinem: ibi. *Si ergo Verbum ſummi Spiritus ſic eſt omninò ex ipſius ſola eſſentia, & ſic ſingularitèr eſt illi ſimile, vt nulla proles ſic ſit omninò ex ſola Parentis eſſentia, aut ſic ſimilis Parenti, profectò nullis rebus tàm convenientèr videtur adaptari habitudo Parentis, & prolis, quàm ſummo Spiritui, & Verbo eius*, quaſi dicat. Quod habet eſſe ex alio, non tanquam aliquid factum, ſed ſecundùm perfectam ſimilitudinem naturæ verè naſcitur, eiuſque origo eſt nativitas, & generatio; ita habet eſſe Verbum Divinum de Patre vt patet; ergo verè naſcitur, eiuſque origo eſt vera nativitas, & generatio.

Con-

6 Confirmat aſſumptum hoc exemplo. Capilli dicuntur quodam modo naſci ex capite, poma ex arbore, quia habent eſſe de arbore, & capite, quamquàm nulla ſit ſimilitudo in natura cum capite, & arbore; ergo potiori titulo dicendum naſci ex alio quicumque habet eſſe ex illo ſecundùm perfectam ſimilitudinem naturæ; at Verbum Divinum ita habet eſſe de Patre, vt ex vi ſuæ proceſsionis perfectam obtineat ſimilitudinem naturæ; ergo verè naſcitur, eiuſque proceſsio eſt generatio.

7 Dices. Generatio non eſt perfectio ſimplicitèr ſimplex; ergo ponenda non eſt formalitèr in Deo. Antecedens probatur. Perfectio ſimplicitèr ſimplex eſt melior ipſa, quàm non ipſa; at generatio non eſt huiuſmodi, aliàs ponenda eſſet pariter in Filio, & Spiritu Sancto; ergo. Reſpondeo negando antecedens, ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ponenda eſt enim generatio, ſive intellectio, quæ eſt generatio in Filio, & Spiritu Sancto ſecundùm eſſe abſolutum, ex quo habet perfectionem, non ſecundùm eſſe relativum, ex quo intellectio abſoluta determinatur ad eſſe generationis, ex quo nullam ſortitur perfectionem, & denominationem generationis, quo ſenſu non eſt in Filio, & Spiritu Sancto, vt dictum eſt dub. 3. huius tract.

(†)

Obiectiones contrariæ ſolvuntur.

§. III.

8 ARguitur primò. Proceſsioni Verbi Divini non competit conceptus generationis cõmunitèr dictæ; ergo nec conceptus generationis viventium, & conſequenter non eſt vera generatio. Antecedens conſtat ex dictis §. 1. quia in Deo repugnat mutatio, & conſequentèr generatio illa, quæ eſt *mutatio de non eſſe ad eſſe*, præterquam quod Deus nunquam tranſit de non eſſe ad eſſe, cum ſemper fuerit, vt dictum eſt dubio antecedenti. Conſequentia probatur. Cui repugnat genus, & ſpeciem repugnare neceſſe eſt, nàm à genere ad ſpeciem, à ſuperiori ad inferius, eſt optima conſequentia negativè; ſed proceſsioni Verbi Divini repugnat mutatio communitèr dicta, quæ eſt genus ad generationem ſpecialem viventium; ergo illa repugnante, hæc etiam repugnat.

9 Reſpondeo, generationem communitèr dictam non eſſe genus ad omnia generabilia in communi, ſed ſpecialem corruptibilium, vt colligitur ex D. Thoma loco citato dicente: *Sciendum, quod nomine generationis duplicitèr vtimur, vno modo communitèr ad omnia generabilia, & corruptibilia, & ſic generatio non eſt aliud, quàm mutatio de non eſſe ad eſſe*; eſt ergo optima definitio ad omnia generabilia corruptibilia, non ad omnia abſolutè; quarè genus generationis viventium eſt origo, aut productio, non mutatio.

10 Arguitur ſecundò. Ideò proceſsio Verbi Divini eſſet generatio, quia tendit in ſimilitudinem naturæ; at non tendit; ergo generatio non eſt. Minor probatur. Pater primò communicat Verbo id, per quod Verbum in ſuo eſſe conſtituitur; ſed hoc non eſt ſimilitudo in natura, ſive eadem numero natura, quia natura divina, vel conſtituitur per eſſe à ſe, vel per intelligere radicale, aut actuale; ſed Verbum nec conſtituitur per eſſe à ſe, cum ſit ab alio, nec per intelligere radicale, aut actuale, ſed per intelligi, cum ſit expreſsio rei intellectę; ergo.

11 Reſpondeo, hoc argumentum omnem prorſus generationem etiam creatam deſtruere, quia generatio creata tendere debet in ſimilitudinem ſpecificam naturæ; ac nulla actio tendere poteſt in ſimilitudinem naturæ iuxta doctrinam argumenti, quia natura in generante eſt radicalitèr producens, & generans; in termino autem eſt producta, & genita; ſi ergo hoc obſtat ad veram ſimilitudinem, veramque generationem, nulla prorſus erit generatio. Vndé reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo minorem, ſed Verbum conſtituitur per intelligi importans per ſe primò naturam communicatam, concedo minorem, non importans, nego minorem. Nam generatio tendit in communicationem naturæ, licèt in termino producto diverſam ſortiatur denominationem, quod ad veram generationem non obſtat, aliàs ad veram generationem opus eſſet vt Pater produceret Patrem in eſſe talis, & non Filium.

DVBIVM. VI.

Vtrùm proceſsio amoris ſit generatio?

§. I.

1 TANQUAM Fidei catholicæ dogma ſupponendum eſt in præſenti idipſum ; cuius rationem inquiritimus. Nimirum, proceſsionẽ Verbi munus generationis ſortiri, vt dubio antecedenti dictum eſt, non verò proceſsionem Spiritus Sancti ; eàque propter impreſentiarum non tàm diſputamus. An hoc ita ſit quàm qualiter hoc intelligendum ſit? Veritas ergo fidei catholicæ conſtat ex vtroque Symbolo Conſtantin. & Athanaſij .·. in illo dicitur : *Credimus in Spiritum ex Patre procedentem.* In hoc autem : *Spiritus Sanctus à Patre , & Filio , non factus, nec creatus ; nec genitus , ſed procedens.*

2 Quamquàm hæc ita ſint laudabiliter inſudant Theologi in eiuſdem veritatis expoſitione, vt diſcrimen inter vtramque proceſsionem aperiant, & Hæreticorum confundãt errorem. Res ita mortalibus inacceſſa viſa fuit ſententia Magiſtro in 1. diſt. 13. vt humanæ menti impoſsibilem iudicaverit, dum dixit: *Inter generationem verò Filij, & proceſsionem Spiritus Sancti dum hic vivimus diſtinguere non ſufficimus.* Et Auguſt. lib. 3. contra Maximin. ita loquitur: *Diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſsionem neſcio, non valeo , non ſufficio.*

3 Eandem difficultatem agnovit Parens Bernardus Serm. 1. de Pentecoſt. aſſerens *proceſsionem Spiritus Sancti poſuiſſe tenebras latibulum.* Nihilominus pro modulo noſtro oportet diſparitatem vtriuſque proceſsionis explorare, & exponere, non demonſtrativa ratione procedendo, ſed congruenti illatione ex doctrina revelata, Anſelmo, aliiſque Patribus deducta.

4 Tota dubitandi ratio oritur ex ipſa definitione generationis, quæ eſt *origo viventis à vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ* ; ſed proceſsio Spiritus Sancti eſt origo viventis à vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, ſicut proceſsio Verbi Divini ; ergo proceſsio Spiritus Sancti erit vera generatio, ſicut proceſsio Verbi divini, cum argumentum procedat à definitione ad definitum, vt dicitur in logica ; vel à ſimili, vt dicitur in iure, eſt enim vtrobique ratio, & vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. Et hæc eſt ratio dubitandi, quam proponit Anſelmus in Monol. c. 55. *Quid ergo ? Cum hic amor paritèr habeat eſſe à Patre, & Filio, & ſic ſimilis ſit amoribus, vt nullatenùs diſsimilis ſit illis, ſed omninò idem ſit, quod illi, numquid Filius eorum, aut proles æſtimandus eſt ?*

5 Hoc eſt argumentum, quod à tempore Concilij Nicæni Sanctorum Patrum torſit, & vſque adeò Theologorum torquet ingenia ; & vt facilius nos expedire poſsimus, nonnullos dicendi modos referre, & refellere oportet. Primò igitur reſpondet Durandus in 1. diſt. 6. q. 2. n. 17. Verbum eſſe genitum, quia eſt ab vno principio, nempè à ſolo Patre : Spiritum Sanctum non eſſe genitum, quia eſt à duplici principio, nimirum à Patre, & Filio ; quia quod eſt ab vno principio, procedit per modum naturæ ; quod autem proceditur à pluribus, procedit per modum voluntatis moderando ſuam virtutem.

6 Urgeri poſſet idem dicendi modus ex Anſelmo in Monol. c. 55. ibi. *Amor apertè ſe prolem negat, quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non ſtatim perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem. Denique. Si proles eorum eſt, aut alter eorum erit Pater, aut alter Mater, &c.* Clarius adſtipulatur Auguſt. 15. de Trinitat. c. 26. & 27. docens Spiritum Sanctum non eſſe Filium, eo quod ex ſua characteriſtica proprietate exigit ex parte principij duo ſuppoſita.

7 Sed contra. Primo. Quia Spiritus Sanctus etſi procedat à Patre, & Filio, non tamen tanquam à duplici principio, ſed vno tantum ; vndè D. Thomás impugnans ſententiam aſſerentium Spiritum Sanctum non eſſe imaginem, quia eſſet imago duorum 1. p. q. 35. a. 2. ait: *Sed hoc nihil eſt, quia Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti* ; ergo ſi proceſsio Verbi Divini ea ratione eſt generatio, etiam proceſsio Spiritus Sancti Secundo. Etſi Spiritus Sanctus eſſet à ſolo Patre per voluntatem, non ideò procederet vt Filius, nec illius proceſsio eſſet generatio ; & ita re ipſa tuebantur Græci, quos Latini Patres ex hoc titulo nunquam impugnarunt, quodque argumentũ non omiſiſſent, ſi alicuius ponderis eſſet. Tertio. Quia eſſe ab vno, vel pluribus de materiali ſe habet ad generationem, quoniam vtroque modo poteſt eſſe origo viventis à vivente coniuncto in ſimilitudinem naturæ.

Anſel-

8 Anſelmus ergo tàm longe abeſt ab ea ſententia, quin potius illam dicto loco impugnat hoc diſcurſu : Filius ſolùm dicitur talis per ordinem ad Patrem, vel matrem; ergo ſi Spiritus Sanctus procedens á Patre, & Filio eſſet eorum Filius, aut alter eſſet pater, & alter mater, aut vterque pater, vel vterque mater, quod repugnat; quia non aliter procedit à Patre, quàm á Filio. Auguſtinus autem ea ratione vtitur in concione ad Populum veluti populo accommodata, ac re ipſa ſufficienti ad eam veritatem pro modulo ſuo ſuadendam, ſed inadæquata, vndè alibi eadem re operoſius agens longè aliter loquitur.

9 Reſpondet ſecundo D. Bonav. in 1. diſt. 13. q. 2. Scotus in 1. diſt. 13. q. vnic. & in 3. diſt. 8. q.vn. ac latè Maſtrius diſp. 7.q.3. a. 3. aſſerentes Uerbum Diuinum eſſe genitum, quia procedit per intellectum, & ideò naturaliter, ſive per modũ naturæ: Spiritum Sanctum non eſſe genitũ, quia procedit per voluntatem,& ideò liberè. Hic dicẽdi modus communiter impugnatur, quia Spiritus Sanctus non libere,ſed neceſſariò procedit. Sed ex principijs Scoti hæc impugnatio facilè evaneſcit, ſumit enim liberum pro libertate eſſentiali, quæ neceſsitatem non excludit, ideoque docet Deum ſe liberè amare, ac Beatos liberè Deum diligere,non libertate indifferentiæ, ſed libertate, quam vocat eſſentialem, & dominij, vt tract. 7. dub. 7. expendemus.

10 Nihilominus ex hoc ipſo reintegratur impugnatio, quamquàm proceſſio Spiritus Sancti ſit per voluntatem, & libera libertate dicta, eſt tamen neceſſaria, & cum determinatione ad vnum; ergo eſt per modum naturæ non minus, ac generatio Uerbi, quæ etiam eſt ſpontanea, & non coacta; ergo ex hoc titulo non diſtinguitur proceſsio Uerbi à proceſsione Spiritus Sancti. Aliorum, quæ in ſubſidium prædictæ ſententiæ proponit Maſtrius, impugnationem habes infra dicto tract. 7. dub. 7.

11 Reſpondet tertio Ricardus à S. Victore, lib. de Trinit. à cap. 18. vſque ad 21. Verbum eſſe genitum, quia recipit naturam fęcundam; non ita Spiritus Sanctus ex oppoſita ratione. Urgeri poteſt ex Conc. Florentino, ſeſſ. vlt. in litteris vnionis : *Credentes Spiritum Sanctum nequaquam à Filio procedere, neceſſe eſt vt Spiritum Sanctum intelligant à ſolo Patre procedere, ac conſequenter non eſſe Filium*; ergo iuxta Concilium negantes Spiritum Sanctum à Filio procedere negare debent Filium in Deo; ergo quia Filius conſtituitur in eſſe talis per naturam fęcundam ſpirandi aliam perſonam.

12 Sed contra. Ex defectu prædicati accidentalis non deſtruitur eſſentialis ratio Filij, & geniti, ſed fœcunditas eſt prædicatum accidentale filio ſumpto præcisè in eſſe filij; ergo ex hac ratione perperam negatur Spiritui Sancto ratio Filij, & geniti. Minor probatur. Ratio eſſentialis Filij attenditur per ordinem ad Patrem, non per ordinem ad alium filium generandum, nam ſive alium generet, ſive non, ſemper dicit relationem Filij ad Patrem; at fœcunditas naturæ non attenditur per ordinem ad Patrem, ſed per ordinem ad alium filium generandum; ergo fœcunditas naturæ eſt extra conceptum eſſentialem filij in eſſe talis; ergo ex illius conceptu nõ deſtruitur conceptus eſſentialis Filij. Et ita docet Anſ. de proceſſ. Spiritus Sancti c. 5. ibi. *Non quia alius Filium habet, alius non habet, idcircò ſunt diverſi, &c.*

13 Secundò. Conceptus eſſentialis Filij eſt de linea paſsiva, vtpotè geniti ab alio; ſed fœcunditas eſt de linea activa, cum ſit propria generantis alterum; ergo hoc non eſt de conceptu illius. Tertiò. Per fœcunditatem non conſtituitur perſona fęcundà in eſſe Filij, ſed in eſſe Patris, vel Spiratoris; ergo fœcunditas de materiali ſe habet ad eſſe Filij. Quartò. Sicut Pater conſtituitur per paternitatem, ità Filius per filiationem; ergo ſicut ordo Patris ad Spiritum Sanctum in eſſe Spiratoris de materiali ſe habet ad eſſe Patris, ità ordo Filij ad eundem Spiritum Sanctum, de materiali ſe habet ad eſſe Filij, nàm ordo Spiratoris ortus à fœcunditate non habet maiorem connexionem cum Filio, quàm cnm Patre; ergo ſicut reſpectu Patris eſt accidentalis, ità reſpectu Filij.

14 Quintò. Filius conſtituitur in eſſe talis per filiationem diſtinguentem illum à Patre; ſed á Patre non diſtinguitur per fœcunditatem; ergo fœcunditas non eſt de conceptu Filij. Denique. Pater eſt fœcundus ad ſpirandum; ſed Pater non eſt Filius; ergo fœcunditas ad ſpirandum eſt extra conceptum Filij; ergo ex hoc titulo non allegatur ſufficiens vtriuſque proceſsionis diſcrimen. Sed quod ſuperadditur de Conc. Florent. infra tract. 7.

dub. 2. & ſequentibus commodius enodabimus.

15 Dices ex Auguſt. tomo. 6. lib. contra Maximin. *Filius à Patre procedit, quoniam Pater eius Author eſt, qui talem Filium genuit, & gignendo dedit ei, vt etiam de illo procederet Spiritus Sanctus*; ergo Filius iuxta Auguſtinum conſtituitur in eſſe geniti ex eo, quod accipit à Patre, vt ex ipſo procedat Spiritus Sanctus; ergo conſtituitur in eſſe talis per fœcunditatem. Reſpondeo re ipſa Patrem dediſſe Filio virtutem productivam Spiritus Sancti; quod ait Auguſtinus; nego tamen per id conſtitui formaliter in eſſe Filij, quod Auguſtinus non dicit.

16 Reſpondet quarto P. Vazquez, diſp. 113. c. 7. Spiritum Sanctum non eſſe natum, nec Filium, quia non procedit per modum imaginis, cui favere videtur Parens Anſelmus in Monol. c. 55. ita loquens: *Sed ſicut Verbum mox vt conſideratur ſe prolem eius, à quo procedit, evidentiſsimè prolat promptam præferendo Parentis imaginem: ſic amor apertè ſe prolem negat, quia dum à Patre, Filioque procedere intelligitur, non ſtatim tàm perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.*

17 Hic dicendi modus ea parte, qua diſtinguit ſimilitudinem ſui principij ab imagine mihi arridere non poteſt, id enim evidentiſsimè contradicit Anſelmo, ad quod ſuadendum non alia indigemus authoritate, quàm relata, in qua primò proponens Filium vt Parentis *imaginem*, poſteà per *ſimilitudinem* exprimit; ſed in ſententia P. Uazquez Uerbum eſt Filius, quia procedit vt imago; ergo erit Filius, quia ex vi ſuæ proceſsionis procedit vt ſimilis.

18 Confirmatur ex eodem Anſel. c. 33. ibi. *Verbum ſicut non inconvenientèr dicitur ſimilitudo, ita imago, & figura, & character eius dici poteſt.* Idem repetit c. 33. c. 39. 53. & alijs frequentiſsimè, quaré in ſententia Anſelmi Verbum Divinum, quo titulo dicitur imago, eo dicitur ſimilitudo; cui adſtipulatur Doctor Ang. vt infra evidentiùs oſtendemus; ergo ſi eſt Filius, quia procedit vt imago, perperam impugnat Vazquez ſententiam docentem eſſe Filium, quia procedit vt ſimilis. Rurſus. Nihil excogitari poteſt, quid ſuperaddat imago ad perfectam, & formalem ſimilitudinem ſui principij; eſt enim Filius in creatis naturalis imago Patris, quia ex vi ſuæ generationis aſsimilatur; ergo ſimilitudo formalis in natura non differt à ratione imaginis; ergo ſi primum, nimirùm ſimilitudinem, habet Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, habet pariter ſecundum.

19 Dices imaginem ſuperaddere ad ſimilitudinem, quod procedat ea intentione, vt Patrem repræſentet. Sed inquiro. Cùr Spiritus Sanctus, ſi procedit vt ſimilis ſuo principio ex vi ſuæ proceſsionis, vt inquit Uazquez, non procedet ea intentione vt ſuum principium repræſentet? Eadem eſt enim vtrobique ratio, cum idem ſit procedendi modus.

20 Dices diſparitatem in eo ſitam eſſe, quod imago alteri repræſentat, quod habet Verbum, non Spiritus Sanctus, non enim repræſentare poteſt intellectui creato, qui ab æterno non eſt; non Patri, & Filio, quia in Spiritu Sancto ſe diligunt, non ſe cognoſcunt; non ergo Spiritus Sanctus procedit vt imago. Sed contra. Nam ad rationem imaginis ſatis eſt vis repræſentativa in actu primo, aut repræſentatio in actu ſignato, non exercito; ergo ex dicta ratione negari non poteſt Spiritui Sancto ratio imaginis. Secundò, quod Pater, & Filius in Spiritu Sancto ſe diligant, non obſtat ad rationem imaginis, quoniam ad veram imaginem non requiritur vt repræſentet eidem potentiæ, per quam procedit, quandoquidem Filius in creatis non repræſentat potentiæ generativæ, per quam producitur, ſed intellectui; ergo.

21 Denique. Ratio imaginis, ſi aliquid ſuperaddit ad ſimilitudinem (vt putat Vazquez) inſufficiens eſt ad exponendam rationem formalem generationis, & geniti. Et probatur. Si imago aliquid ſuperaddit erit conſequens ad paſsivam generationem, vt patet in filio creato, qui eſt naturalis imago Patris ex eo, quod eſt genitus ſimilis in natura; ergo illud ſuperadditum, ſi quid eſt, conſequitur ad paſsivam generationem; ergo non exponitur verus generationis conceptus per rationem à priori; ergo vel dicendum erit imaginem non diſtinguià ſimilitudine, quod verius iudico, vel hanc expoſitionem eſſe inſufficientem. His ergo, & alijs opinandi modis relictis.

***

Proe

Probabilior diſcriminis ratio eruta ex Anſelmo; necnon Auguſtino, Angelico Doctore, & alijs Patribus proponitur.

§. II.

22 DIcendum proceſsionem Verbi à proceſsione Spiritus Sancti maximè diſtingui, vnamque eſſe generationem, non alteram, ex eo quod prima eſt *à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, non ita ſecunda. Hæc concluſio apertè ſequitur ex communi conſenſu tenente primam proceſsionem eſſe per intellectum, ſecundam verò per voluntatem. Diſcrimen autem inter vtramque potentiam in modo operandi optimè exponit D. Thomas 4. contra Gent. c. 19. nam intellectus antequam Verbum media intellectione producat trahit res ad ſe per ſpeciem impreſſam, quæ per modum ſeminis fœcundat potentiam ad termini productionem, quia *ex obiecto, & potentia paritur notitia*: vndè per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſimilitudo obiecti, conſtituitur intellectus potens in actu primo ad intellectionem; qua ratione dixit Ariſt. 6. Met. tex. 8 quod *verum eſt in mente, bonum in rebus.*

23 Voluntas verò non trahit res ad ſe, ſed fertur à rebus, quapropter in intellectu priùs ſupponitur terminus producendus ſeminaliter, non ità reſpectu voluntatis; vndè potentia intellectiva nequit terminum producere, niſi prius determinata per coniunctionem ſpeciei intelligibilis; & voluntas hanc intrinſecam determinationem non exigit, ſed ſola extrinſeca oſtenſione obiecti concurrente per modum conditionis ad amorem contenta eſt; vndè cum dicitur generationem eſſe *à vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, nihil aliud ſignificatur, quam eſſe à principio coniuncto cum vivente, & ſimili in natura cum termino producendo, aut ſimilitudine ſpecifica, ſi fuerit generatio creata, & limitata, aut numerica ſi fuerit divina, & infinita, ex quibus facilè deducitur generationem tendere ex natura ſua ad productionem termini ſimilis in natura.

24 His poſitis probatur concluſio. Generatio eſt origo viventis á vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ſed hoc ſolùm competit primæ proceſsioni, non ſecundæ; ergo ſolùm illa, & non iſta eſt vera generatio. Maior eſt definitio generationis. Minor probatur. Sola proceſsio prima, vtpotè per intellectum, eſt *à principio coniuncto*; ergo definitio generationis ſolum convenit primæ proceſsioni. Antecedens probatur. Modus producendi intellectus, & non voluntatis, eſt per coniunctionem termini producendi vt contenti in ſemine, vel ſpecie intelligibili coniuncta cum ipſo intellectu, quæ illum fœcundat ad productionem eiuſdem termini, vt ex dictis apparet; ergo proceſſio per intellectum eſt á principio coniuncto in ſimilitudinẽ naturæ, nõ per voluntatẽ.

25 Confirmatur. Sola operatio productiva termini ex natura ſua ſimilis in natura eſt vera generatio; ſed ſola operatio procedens á vivente coniuncto cum principio ſimili in natura eſt productiva termini ſimilis in natura; ergo ſola illa eſt generatio; ſed hoc habet proceſsio per intellectum, non proceſsio per voluntatem; ergo hæc, & non illa eſt vera generatio. Aſſumptum probat Anſelmus citato c. 55. Monol. ibi. *Sed ſicut Verbum mox vt conſideratur ſe prolem eius, à quo procedit, evidentiſsimè probat, promptam præferendo Parentis imaginem; ſicut amor apertè ſe prolem negat, quia dùm à Patre, & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tàm perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.*

26 Et cap. 38. dixerat: *Verbum ſummi Spiritus ſic eſſe ex ipſo ſolo* [ideſt Patre] *vt perfectam eius, quaſi proles Parentis, teneat ſimilitudinẽ.* Item. *Tantò congruentius dici poteſt Verbum ſummi Spiritus ex illo exiſtere naſcendo, quantò perfectius, quaſi proles Parentis, trahit eius ſimilitudinem ex ipſo exiſtendo.* Quæ eadem claritate ſæpè repetit, præcipuè c. 31. 32. 34. 49. Ex quibus apertè colligitur Verbum, & nõ amorem, eſſe Filium, quia licèat etiam amor procedat in ſimilitudinem naturæ, non tamen *tàm perſpicuam*, ſicut verbum, quod *mox vt conſideratur procedit promptam præferendo Parentis imaginem.*

27 Quod autem hoc ortum habeat ex eo, quod Verbum eſt à principio coniuncto cum intellectu Patris, & Verbo perfectè ſimile docet cap. 32. per hæc verba: *Nulla ratione negari poteſt, cum mens rationalis ſe ipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione tanquam ex eius impreſſione formatam: quamcumque enim*

enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem, quantum valet, in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere, quod quantò verius facit, tanto rem ipſam verius cogitat: Hoc itaque modo quis neget ſummam ſapientiam cum ſe dicendo intelligat, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, ideſt Verbum ſuum? Ergo ſumma ſapientia Patris producit Uerbum *cum ſe dicendo intelligit*, quod non fit niſi media *imagine* ex obiecti *impreſſione formata* in mente, aut intellectu; ideſt, media ſpecie intelligibili coniuncta cum intellectu, aut impreſſa in mente.

28 Accedit Ang. Doct. 1. p. q. 27. a. 4. vbi eiſdem feré verbis eandem difficultatem exponit: *Ad eius evidentiam ſciendum eſt, quod hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundùm ſuam ſimilitudinem; voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua ſimilitudo obiecti ſit in voluntate, ſed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam.. Et ideò quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit vt genitum, & vt Filius, ſed magis procedit vt Spiritus*; at res intellecta in intellectu ſecundùm ſuam ſimilitudinem non eſt aliud, quàm eſſentia coniuncta cum intellectu per modum ſpeciei intelligibilis, ac ſimilis in natura termino producendo, ſive Verbo; ergo ideò proceſsio Verbi, & non amoris eſt generatio, quia illa eſt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, non iſta.

29 Probatur ſecundò, concluſio alia ratione à præcedenti non diſsimili. Obiectum intellectus eſt verum, ſicut voluntatis eſt bonum; ſed verum, & non bonum petit ſimilitudinē in potentia; ergo proceſsio per intellectum petit ſimilitudinem coniunctam cum ipſa potentia, non verò proceſsio per voluntatem. Minor probatur. Ueritas, & non bonitas, ſita eſt in conformitate actus cum obiecto; ſed eſſe non poteſt conformitas actus cum obiecto niſi præcedat ſimilitudo obiecti in ipſa potentia, quia tota conformitas actus manat à potentia informata ſpecie, vel ſimilitudine obiecti; quarē optimē dixit Philoſophus, quod *verum eſt in mente, bonum in rebus.* Cui conſonat Auguſt. lib. 13. Confeſſ. *Voluntas magis eſt vbi amat, quàm vbi animat*; ergo.

30 Tradit etiam hanc rationem Doct. Ang. in 1. diſt. 13. a. 3. *Dicendum, quod Spiritus procedit vt amor, proceſsio autem amoris in quantum huiuſmodi non eſt in conformitate naturæ; ſic enim vbicumque eſt amoris proceſsio inveniretur naturæ conformitas, quod patet in nobis eſſe falſum.. Sic ergo proceſsio Spiritus Sancti ex ratione modi procedendi non dicit conformitatem naturæ, quam importat generatio Filij ex ratione generationis.* Ergo quia proceſsio per intellectum ex modo procedendi exigit conformitatem, non verò proceſsio per voluntatem, illa eſt generatio, & non iſta.

31 Oppones. Licèt Spiritus Sanctus ex modo procedendi per voluntatem non habeat conformitatem, & ſimilitudinem, re vera tamen eſt ſimilis in natura ſuo principio; ergo Spiritus re vera eſt Filius, ſi ratio filij ex tali ſimilitudine ortum habet. Reſpondet D. Thomas 4. contra Gent. cap. 23. per hæc verba: *Si duplici modo poſſet vnus homo facere alterum hominem, ſcilicet, per genituram, aut alio modo, ſcilicet, modo artificiali ex propria carne, ille diceretur Filius, non iſte, licèt vterque eſſet ſimilis in ſubſtantia ſolùm propter diverſum modum procedendi.* Ergo Spiritus Sanctus licèt ſit ſimilis in ſubſtantia, non eſt filius, quia eam ſimilitudinem non habet per genituram propter ſolum diverſum modum procedendi.

(†)

Solvuntur argumenta oppoſita.

§. III.

32 ARguitur primo. Secunda proceſsio eſt *à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, ſicut prima; ergo vtraque eſt generatio, vel nulla. Antecedens probatur. Nulla maior coniunctio, quàm coniunctio per identitatem; ſed hæc datur in ſecunda proceſsione; ergo ſecunda proceſsio eſt *à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, ſicut prima. Minor probatur. Per ſecundam proceſsionem communicatur eadem natura principij; ergo datur coniunctio per identitatem, qua maior eſſe non poteſt. Et inſtauratur argumentum contra ſecundam rationem ſupra factam, quoniam nulla conformitas perfectior naturæ, quàm identitas in natura; ſed hæc

iden-

identitas in natura datur in proceſsione Spiritus Sancti ; ergo in proceſsione Spiritus Sancti datur perfectiſsima conformitas; ergo ſi hac ratione prima proceſsio eſt generatio, ita ſecunda.

33 Reſpondeo, hoc argumentum procedere de coniunctione principij cum termino, cum ratio facta procedat de coniunctione ex parte principij, nimirùm de coniunctione eſſentiæ diuinæ per modum ſpeciei intelligibilis fœcundantem intellectum Patris ad generationem, quæ eſſentia diuina eſt perfectiſsimè ſimilis in natura cum termino. Vndè in forma, nego antecedens, ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Sed hæc datur in ſecunda proceſsione ex parte principi, nego minorem, ex parte termini cum principio, ſubdiſtinguo, datur formaliter, & ex vi proceſsionis, nego minorem, materialiter, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nam cum proceſsio per voluntatem non exigat ex parte principij coniunctionem ſimilitudinis in natura cum termino, conſequens eſt vt eam ſimilitudinem naturalem non exigat in termino ex vi, & natura proceſsionis. Quod ſi terminus eſt eiuſdem numero naturæ aliundè provenit, nimirùm, ex titulo perſonæ diuinæ, cuius natura multiplicari non poteſt.

34 Dices primò. Ideò prima proceſsio eſt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ ex parte principij, quia eſſentia diuina coniuncta cum intellectu eſt ratio producendi Uerbum ; ſed etiam eſſentia diuina in voluntate eſt ratio producendi amorem ; ergo etiam ſecunda proceſsio eſt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Minor probatur, ſicut ex eſſentia divina, & intellectu conſtituitur principium *quo* proximum communicativum naturæ, ita etiam ex eſſentia divina, & voluntate, nàm ſicut ex eſſentia divina fœcundatur intellectus, ita etiam ex eadem eſſentia fœcundatur voluntas ; quia etſi voluntas creata ſit cauſa adæquata ſuæ operationis, & termini [cum è contra intellectus indigeat ſpecie intelligibili] non ita voluntas divina, quam doctrinam (inquit Maſtrius) amplectuntur omnes Theologi, ac deſumitur ex conc. Florent. ſeſſ. 18. & 19. ac ex Ioanne Theologo, & Mag. in 1. diſt. 7. Conſequentia autem optimè deducitur. Id enim communicatur termino ex vi productionis, quod eſt in producente ratio producendi ; ſed eſſentia divina eſt in voluntate ratio producendi amorem, ſicut in intellectu ratio producendi Uerbum ; ergo non minus ex vi productionis per intellectum communicatur eſſentia, ſive natura, quàm per voluntatem.

35 Reſp. conceſſa maiori, negando minorem, quæ nec ex Conc. Florent. colligitur, nec Magiſter eo loco de hac re verbum habet. Igitur eſſentia per modum primæ radicis concurrit cum intellectu, & voluntate ; ſed vlterius intellectus conſtituitur proximè potens per ſimilitudinem obiecti. quæ in Deo eſt ipſa eſſentia divina ; hoc autem non habet voluntas, vt conſtat ex dictis : vndè D. Thomas in 1. diſt. 13. q. 1. a. 3. ait : *Ad quartum dicendum, quod natura non eſt principium proceſsionis Spiritus Sancti ſub ratione naturæ, ſed ſub ratione voluntatis, à qua procedit amor, & ideò ſua proceſsio non dicitur nativitas.*

36 Inſurges. Ideò prima proceſsio eſt à principio coniuncto, quia intellectus fit in actu per ſimilitudinem obiecti intelligibilis ; at etiam voluntas fit in actu per ſimilitudinem obiecti amabilis ; ergo etiam ſecunda proceſsio eſt à principio coniuncto. Minor probatur. Ideò primum eſt verum, quia intellectus eſt indifferens ad hoc, & illud intelligibile ; ſed etiam voluntas eſt indifferens ad hoc, & illud amabile ; ergo. Reſpondeo intellectum eſſe indifferentem indifferentia inauferibili ab extrinſeca oſtenſione obiecti, quia eſt potentia trahens res ad ſe, ideôque totum eſſe obiecti debet eſſe in intellectu, vel per ſe ipſum, ſi ſit ſummè intelligibile, vel per ſpeciem diſtinctam afficientem intrinſecè ipſum intellectum : attamen voluntas non eſt attractiva rerum, vndè eius indifferentia determinatur ab extrinſeca oſtenſione obiecti amabilis, ſive à bonitate apprehenſa præcedente per modum conditionis ex parte intellectus.

37 Arguitur ſecundo. Actio tendens per ſe primo in terminum ſimilem naturaliter eſt vera generatio ; ita ſe habet proceſsio Spiritus Sancti ; ergo eſt vera generatio. Minor probatur. *Omne agens intendit producere ſibi ſimile* ; ergo etiam voluntas intendit producere ſibi ſimile; ergo proceſsio Spiritus Sancti, quæ eſt per voluntatem tendit in terminum ſimilem naturaliter. Secundò. Omnis potentia productiva alicuius effectus debet fœcundari

per

per ſimilitudinem talis effectus, ſive per aliquam formam præcontinentem effectum; at voluntas eſt potentia productiva amoris; ergo fœcundatur per ſimilitudinem amoris præcontentam in ipſa voluntate. Maior probatur, nulla potentia producit, quod in ſe non præcontinet, quia nemo dat non habet; ergo debet præcontinere terminum producendum per aliquam ſimilitudinem coniunctam cum ipſa potentia.

28 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorē ad prabationē conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens; ergo voluntas intendit producere ſimile, vt *quod* concedo conſequentiam, vt *quo* nego conſequentiam, nam licet agens intendat ſimile, attamen non omne agens indiget ſimilitudine coniuncta ex parte principij, ideoque non ſemper ſimilitudo in natura eſt ratio terminandi ex parte termini, ſed hoc tantum habet agens producens per potentiā aſsimilativam, id eſt intellectū. Secunda impugnatio laborat in equivoco: aliud enim eſt potentiam productivam præcontinere effectum; & aliud fœcundari per ſimilitudinem effectus; præcontinentia namque virtualis ſemper neceſſaria eſt, & hoc modo voluntas ex natura ſua eſt præcontentiva amoris: attamen fœcundari per ſimilitudinem effectus neceſſarium non eſt in voluntate, ſed ſatis eſt ſi ea ſimilitudo præcedat per modum conditionis ex parte intellectus.

29 Arguitur tertio. Voluntas tendit per ſe, & primariò in comunicationem naturæ; ſed hac ratione intellectus tendit in ſimile; ergo & voluntas. Probo maiorem. Voluntas tendit per ſe, & primario in id, quod primariò terminat proceſsionem ex parte Spiritus Sancti; ſed hoc eſt natura; ergo tendit per ſe primò in naturam. Minor probatur, id primò terminat ex parte Spiritus Sancti; quod primò ei convenit; ſed quod primò ei convenit eſt natura divina, quoniam hæc eſt radix cæterorum; ergo. Secundo cuilibet rei primò communicatur natura, & ſecundò proprietates eiuſdem naturæ; ſed impulſus, & cætera attributa ſunt proprietates naturæ divinæ; ergo primò communicatur Spiritui Sancto natura divina. Tertio ſi Spiritui Sancto primò communicaretur impulſus, & deindè natura demonſtrari poſſet natura ex impulſu tanquam ex ratione à priori; ſed hoc dici non poteſt; ergo.

30 Si reſpondeas in executione primò communicari naturam, veruntamen in intentione, ſive ex modo procedendi poſſe primò communicari attributum. Contra inſurgunt Adverſarij. Quoties eadem actione communicatur natura, & attributum, priùs commmunicanda eſt natura, quam attributum tam in intentione, quam in executione, quare omnis actio tendens in naturam, & proprietates, priùs tendit in naturam, quam in proprietates; ſed Spiritui Sancto eadem actione communicatur natura, & impulſus; ergo prius communicatur natura, quam impulſus tam in intentione, quàm executione.

31 Ad argumentum nego maiorem, vel diſtinguo claritatis gratia: tendit primariò in communicationem naturæ ſub ratione naturæ, nego maiorē, ſub ratione impulſus, concedo maiorem. Undè ratio, quæ primò terminat proceſsionem ex parte Spiritus Sancti eſt ratio amoris, & impulſus: nec obſtat, quod ratio amoris, & impulſus non ſit primarius conceptus Spiritus Sancti, nam licet primarius conceptus primariò communicetur in executione, non tamen in intentione, vt dictum eſt. Quarè actio augmētativa primariò terminatur ad quantitatem, licet primus conceptus rei ſit ſubſtantia: actio ſolis primò terminatur ad corpus, licet in re corporea ſit prior ratio entis: viſio primò terminatur ad colorem: licet in ſubiecto albo priùs ſit ſubſtantia, quam albedo; ergo paritèr in præſenti.

32 Ad ſecundum. Similitèr dico cuilibet rei primò communicari naturam, quàm proprietates in executione, nō in intentione, aut ex vi actionis, & potentiæ. Ad tertium nego ſequelam, nam ratio à priori; ex qua procedit demonſtratio, non eſt illa, quæ primò producitur ex vi alicuius actionis, ſed quæ primò convenit rei in ſe ipſa. Nec obſtat, quod natura, & proprietates communicētur ex vi eiuſdem actionis, vt patet in alteratione, qua primò producitur qualitas, & ſecundò ſubſtantia; & generalitèr actio, vtpotè actus potentiæ accidentalis immediatè operantis, primò terminatur ad accidens, & ſecundò ad ſubſtantiam, quod mille exemplis corroborari poſſet.

33 Arguitur quarto. Ideò diximus Uerbum divinum eſſe Filium, quia procedit per intellectum, cui proprium eſt operari ex principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ſed hæc ratio nulla

eſt

eſt; ergo ex ea non probatur Verbum Divinum eſſe Filium, nec illius proceſsionem eſſe generationem. Minor probatur. Filius debet eſſe ſimilis in eſſe naturali; at de ratione intellectus, quantumvis operetur ex principio coniuncto, ſolùm eſt ſimilitudo intentionalis; ergo. Si reſpondeas eam ſimilitudinem naturalem competere intellectui, quia divino. Contra inſurgunt, quia etiam voluntas, ex qua procedit Spiritus Sanctus eſt divina; ergo vel etiam Spiritus Sanctus procedit vt ſimilis in natura, & conſequenter vt Filius; vel ita non procedit Verbum.

34 Confirmatur. Ideò Verbum Divinum procederet vt ſimile in eſſe naturali, quia procedit vt notitia perfecta divinæ eſſentiæ; ſed hoc non probat, nam etiam procedit vt perfecta notitia poſsibilium; & tamen non procedit Verbum vt ſimile in natura poſsibilibus. Rurſus. Procedit vt perfecta notitia non tantùm naturæ divinę, ſed etiam perſonarum; & tamen non procedit vt ſimile in natura perſonis, aliàs procederet vt Pater, & vt Spiritus Sanctus; ergo.

35 Ad argumentum reſpondeo Uerbum creatum, vtpotè imperfectum gaudere ſola ſimilitudine in eſſe intentionali; attamen Uerbum Divinum perfectiſsimum, & procedens à potentia intellectiva divina infinitè aſsimilativa, eſt ſimile non tantùm in eſſe intentionali, ſed naturali. Quod autem voluntas ſit divina nihil prodeſt quoniam voluntas ex natura ſua non eſt aſsimilativa, nec operatur ex principio coniuncto ſimili in natura, vndè non poteſt contrahi per divinitatem ad producendum ſimile in natura ex modo operandi.

36 Ad confirmationem dico Verbũ procedere vt notitiam poſsibilium, & à cognitione poſsibilium, non tamen à poſsibilibus, vndè non oportet, quod exeat ſimile poſsibilibus. Ad aliam probationem dico Verbum non procedere vt ſimile in natura perſonis, quia perſonalitates non cõcurrunt ex parte producẽtis per modum rationis formalis, ſed tantùm per modum conditionis; nec opus eſt, vt terminus productus ſit ſimilis omnibus concurrentibus ex parte principij, vt patet in creatis, vbi Filius non egreditur ſimilis Patri in paternitate, ſed in natura.

37 Dices. Etiam intellectus Angelicus conſtituitur potens in actu primo ad operandum ex principio coniuncto ſubſtantiali, & naturali, nimirùm per ſuam ſubſtantiam intimè coniunctam ad cognitionem ſui. Et tamen Uerbum productum non eſt ſimile ſubſtantialitèr, & naturaliter; ergo nec in Deo. Reſpondeo, intellectum Angelicum determinari ad cognitionem per ſuam ſubſtantiam; hoc tamen non impedit quominus intellectus ille ſit accidens, ens finitum, & limitatum; ideoque illius intellectio eſt accidentalis, quæ adæquare poterit ſuum principium in eſſe intelligibili, non tamen in eſſe naturali, idcircò Uerbum productum tantùm poteſt eſſe ſimile in eſſe intelligibili, non in eſſe naturali. Alia argumenta frequentius ingeminant Authores, quæ vel noſtrum dicendi modum non impugnant, vel ex dictis facilè evaneſcunt.

TRAC-

TRACTATUS TERTIVS. DE DIVINIS RELATIONIBVS.

(†)

DVBIVM I.

An in Deo ſint relationes reales?

§. I.

1 RELATIONES aliæ ſunt ad extrà, nempè Dei ad creaturas; & aliæ ad intrà, vt paternitas, & filiatio. Primas non eſſe reales ex communi conſenſu ſupponimus, & infrà latiùs conſtabit. De ſecundis propoſita controverſia procedit, quæ vlterius ſunt in duplici differentia; quædam ſunt perſonales, vt paternitas, & filiatio, ſpiratio activa, & paſsiva proceſsio: aliæ communes, vt ſunt relationes identitatis, & æqualitatis, & ſimilitudinis. Nàm *divinæ perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*, vt ait Athan. in Symbolo. De communibus commodiùs agemus dubio 3. de perſonalibus agimus in præſenti.

[†]

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

2 DICENDVM primò. Aliquas eſſe relationes reales in Deo. Conſtat ex Sacra Pagina, ac locis omnibus, quibus oſtenditur in Deo eſſe perſonas diſtinctas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quoniam diſtinctio, ratioque propria Patris, Filij, & Spiritus Sancti ex relatione procedit. Conſtat ſecundo ex Conc. Tolet. XI. in Confeſſ. Fidei ſic loquente: *In relativis perſonarum nominibus, Pater ad Filium; Filius ad Patrem; Spiritus Sanctus ad vtroſque refertur, quæ cum relativè tres perſonæ dicantur, vna tantùm naturalis ſubſtantia creditur.*

3 Conſtat tertiò ex Parente Anſ. pluribus in locis, præcipuè lib. de Fide Trinit. & in præſenti opuſc. de proceſ. Spiritus Sancti, cap. 1. vbi ait: *Sola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius & Spiritus Sanctus dici non poſsint de invicem, ſed alij ſint adinvicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio.* Et infrà. *Quando ſubſtantia habet eſſe de ſubſtantia, duę ſiunt ibi relationes inſociabiles.* Accedit Bernardus epiſt. 190. ad Innoc. his verbis: *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veriſsimè dicitur, perſonarum ſanè deſignatio eſt.*

4 Ex his formatur ratio. In Deo sũt perſonæ realitèr diſtinctę; nõ per aliquid rationis, quia ab ente rationis nõ provenit realis diſtinctio; non per aliquid abſolutum, quia vt inquit Anſelmus: *Vnitas nõ amittit conſequentiam, niſi vbi obviat relationis oppoſitio.* Nam *hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo*, ſcilicet *relatio*; ergo perſonæ divinæ diſtinguntur per relationes reales; ergo dantur in Deo relationes reales. Confirmatur. Ex proceſsione probatur realis relatio; ſed in Deo dantur proceſsiones reales; ergo & reales relationes. Minor ex dictis conſtat, & maiorem probat idem Sanctiſsimus Doctor loco citato: *Quoniam Filius*

Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur adinvicem, & fiunt duæ relationes inſociabiles.

5 Simili ratione eandem probat aſſertionem Ang. Doct. 1. p. q. 28. a. 1. Deus eſt realiter Pater, & realiter Filius; ergo datur realis relatio paternitatis, & filiationis. Præterea. Ubi ſunt fundamenta realia reſultant relationes reales; at in Deo ſunt fundamenta realia ſecundi generis [vt ità loquar] nempe proceſsiones divinæ; ergo & relationes reales.

6 Dices. Ex proceſsione Filij à Patre non probatur exiſtentia relationis realis; ergo ex hac ratione non dantur relationes reales in divininis. Antecedens probatur ex proceſsione tantùm probatur relatio producentis, & producti; ſed hæc in Deo non eſt realis, nam etiam à Deo procedunt creaturæ tanquàm à primo principio, & cauſa; & tamen Dei ad creaturas non eſt relatio realis: ergo.

7 Diverſimodè reſpondent Authores, ſed verior eſt ſolutio D. Thomæ citata q. 28. ſic loquentis: *Ad tertium dicendum, quod cum creatura procedat à Deo in diverſitate naturæ, Deus eſt extra ordinem totius creaturæ, nec ex eius natura eſt eius habitudo ad creaturas; non enim producit creaturas ex neceſsitate ſuæ naturæ, ſed per intellectum, & voluntatem, & ideò in Deo non eſt realis relatio ad creaturas, ſed in creaturis eſt relatio realis ad Deum, quia creaturæ continentur ſub ordine divino, & in eorum natura eſt, quod dependeant à Deo, ſed proceſsiones divinæ ſunt in eadem natura, vndè non eſt ſimilis ratio.*

8 Ex his ad obiectionem, nego antecedens, ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem, ad probationem, conceſsis præmiſsis, nego conſequentiam, quia relatio paternitatis eſt ad Filium ſubſiſtentem in eadem natura; attamen creatura eſt naturæ diverſæ, & ita diverſæ, vt Deus infinitè excedat, ideoque eſt ab ordine ad creaturas omninò abſolutus, cum ſit omninò in ordine ad ſe, quem exceſſum, & independentiam probat D. Thomas ex eo quod creaturas liberè producit per intellectum, & voluntatem. Ex quibus etiam deducit Deum dici Creatorem, & Dominum, non per relationem ipſius ad creaturas, ſed per relationem creaturarum ad ipſum. Quæ doctrina deſumi poteſt ex Anſelmo, lib. 2. *cùr Deus homo*, c. 17. vbi ait plura aliquando dici talia: *Non quia ſunt in rebus, vbi dicuntur, ſed quoniam ſunt in alio: quippe cum dicimus debere pauperes à divitibus eleèmoſynam accipere, non eſt aliud quàm divites debere pauperibus eleèmoſynam impendere. Deus quoque dicitur debere omnibus præeſſe, non quia ille ſit debitor, ſed quia omnia debent illi ſubeſſe.*

9 Et retorquetur impugnatio. Quamquàm ex productione creaturarum non probetur realis relatio in Deo, probatur tamen in creaturis ad Deum; ergo quamquàm in Patre producente non probaretur realis relatio ad Filium, probaretur tamen in Filio ad Patrem; ergo iam in Deo datur realis relatio filiationis; hac autem poſita negari non poteſt realis relatio paternitatis in Patre; ergo negari non poteſt realis relatio paternitatis.

[†]

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

10 Dicendum ſecundò. Solùm eſſe quatuor relationes reales in Deo, videlicet paternitatem, filiationem, ſpirationem activam, & proceſsionem paſsivam Spiritus Sancti. Conſtat etiam ex S. Anſelmo in præſenti opuſc. c. 28 ibi. *Eſt autem tribus commune ad duos habere relationem; Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refertur, ſicut ad illos, qui de ſe ſunt; Filius ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus Sanctus eſt de illo; Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, quia eſt de vtroque.* En ergo paternitatem, qua Pater refertur ad Filium: filiationem qua Filius refertur ad Patrem: ſpirationem activam, qua Pater, & Filius ordinantur ad Spiritum Sanctum; & tandèm proceſsionem paſsivam, qua Spiritus Sanctus ad vtrumque refertur.

11 Ex his etiam deducitur ratio. In divinis ſunt duæ proceſsiones, prima, qua Filius procedit á Patre: ſecunda, qua Spiritus S. procedit ab vtroque; ergo datur duplex relatio ex parte principij; at vbi datur duplex relatio ex parte principij, datur alia duplex relatio ex parte terminorum procedentium; ergo quatuor ſunt relationes reales in divinis.

Nec

12 Nec propterea inferas quatuor eſſe perſonas, ſicut quatuor ſunt relationes; quia vna relatio non eſt incommunicabilis, ſicut aliæ, ſed ſpiratio activa eſt communis Patri, & Filio, quarè non conſtituit perſonam diſtinctam à Patre, & Filio, ſed vtramque perſonam conſtituit in eſſe Spiratoris. Sed de hac doctrina operoſiùs ſermo redibit dubio ſequenti.

13 Oppones. Relatio realis ſequitur ad poſitionem fundamenti, & termini; ergo ſupponit extrema; ſed paternitas, & filiatio in divinis non ſupponunt Patrem, & Filium, cum potiùs eos conſtituant; ergo non ſunt relationes reales. Reſpondeo id verum eſſe in relationibus creatis, quæ, quia accidentia, ſupponunt ſubiectum, non ita in divinis, quia ſunt ſubſtantiæ, & conſtituentes perſonas, vt fatetur impugnatio; qua ratione dixit Anſelmus in præſenti c. 25. *Intellectus noſter non poteſt de hac nativitate, & proceſſione, nec debet, ad ſimilitudinem creaturæ ſentire, vel iudicare.* Alia, quæ opponi poſſunt, aut ex dictis facilè evaneſcunt, aut ex dicendis ſolutionem habebunt.

DUBIVM II.

An Spiratio activa diſtinguatur modaliter à paternitate, & filiatione.

§. I.

1 DUBIO Præcedenti dictum eſt in divinis quatuor eſſe relationes, quam doctrinam veram eſſe non poſſe, niſi re ipſa ſpiratio activa á paternitate, & filiatione diſtinguatur, iudicat Durandus in 1. diſt. 13. q. 2. Sed cum diſtinctionem entitativam, & abſolutè talem Fides Catholica non permittat, ponit diſtinctionem realem modalem, quam pari titulo generaliter ponit inter eſſentiam, & relationes in 1. diſt. 33. q. 1. n. 15. & diſt. 35. q. 2. Hæc ſententia à cæteris omnibus deſſeritur, & acriter impugnatur, quorum tamen impugnationes præſtantia ingenij, qua præditus erat, eludere conatur.

Communis ſententia authoritate, & ratione ſuadetur.

§. II.

2 DICENDUM Spirationem activam re ipſa diſtingui non poſſe à paternitate, & filiatione. Probatur ex Concil. Later. ſub Innoc. III. relato in cap. *Damnamus* de ſumma Trinitate, vbi hæc ſtatuitur propoſitio directè oppoſita Durando: *In Deo ſolummodò Trinitas eſt, non quaternitas.* Quod idem docet Conc. Florent. ſeſſ. 25. at ſi re ipſa ſpiratio activa diſtingueretur à paternitate, & filiatione, re ipſa eſſet quaternitas; ergo non diſtinguitur. Minor probatur, Fide Catholica Sanctum eſt in Deo eſſe Trinitatem iuxta tres relationes inter ſe diſtinctas, & oppoſitas, paternitatis, filiationis & Spirationis paſsivæ; ſi ergo ſuperadditur ſpiratio activa ab his omnibus realiter diſtincta, conſequens eſt admittendam eſſe quaternitatem.

3 Reſpondet Durandus ibi damnari quaternitatem perſonarum, non relationum, & probat, quia ibi damnatur ſententia Ioachimi Abbatis (quam imponebat Magiſtro Sent.) ponentis in Deo præter tres perſonas diſtinctas, eſſentiam quaſi aliam perſonam, ab eiſdem diſtinctam, cum ipſe è contra ſolam diſtinctionem modalem tueatur, ideòque ſpiratio activa non eſt relatio inſociabilis, nec quartam conſtituens perſonam. Quarè citata q. 1. n. 36. inquit: *Ibi non negatur quælibet quaternitas, cum omnes Catholici ponant quaternitatem relationum realium in divinis, ſed ſolum negatur talis quaternitas, qualem imponebat Ioachim Magiſtro Sententiarum, & illa erat quaternitas Perſonarum; & hic eſt clarus ſenſus Decretalis, quæ in nullo tangit quæſtionem propoſitam.* Cuius expoſitionis rationem deducit ex eo, quod ad eam ſententiam Ioachimi reprobandam Concilia congregata fuere, non ad improbandam quaternitatem realem ralationum.

4 Sed contra. Quidquid re ipſa in Concilijs reprobatur, vt reprobatum haberi debet, quamquam ad id reprobandum Concilia congregata non ſint, nec de eo directè ageretur, vt ſæpè in Concilijs contingit; at in prædictis Concilijs abſolutè, & ſimplicitèr damnatur quaternitas rerum, ſivè perſonas conſtituant, ſivè non conſtituant, vt patet ex

pro

propoſitione allegata ; vndè in Conc. Florent. additur : *Quædam res ſumma eſt, Pater , Filius , & Spiritus Sanctus , non quaternitas* ; at quædam res ſumma eſt, & vera quaternitas ſi ſpiratio activa à cæteris relationibus diſtinguitur ; ergo.

5 Secundo. Gilbertus Porretanus ponens relationes extrinſecus aſsiſtentes , & conſequenter quaternitatem compoſitam ex relationibus , & eſſentia ab eiſdem diſtincta, non ideò ponebat quatuor perſonas ; & tamen illius ſententia damnata eſt in Conc. Rhem. ſub Eug. IV. ipſo conſentiente Durando ; ergo quanquàm proceſsio activa non conſtituat perſonam diſtinctam à Patre , & Filio , ſi re ipſa diſtinguitur , conſtituet quaternitatem damnatam in dicto Later. Conc.

6 Reſpondet damnari quaternitatem ſimpliciter talem , & conſequenter optimo iure reprobari Gilbertum ponentem eſſentiam realiter entitativè diſtinctam à relationibus , cum tamen ipſe ſolam diſtinctionem modalem adſtruat. Sed contrà. In prædicto Conc. damnatur omnis diſtinctio, etiam modalis , inter eſſentiam, & relationes ; ergo damnatur omnis diſtinctio realis , etiam modalis inter ſpirationem activam , & paternitatem , conſequentia patet, præſertim in ſententia Durandi vtrobique eandem diſtinctionem modalem adſtruentis. Antecedens probatur ex eodem Conc. ſic loquente : *In Deo ſolummodò Trinitas eſt , non quaternitas , quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia , eſſentia , ſeu natura divina* ; at poſita diſtinctione reali modali inter paternitatem , & eſſentiam , in nullo vero ſenſu dici poteſt , quod *Pater eſt eſſentia* , quia nulla res poteſt prædicari de alia , à qua realiter modaliter diſtinguitur , vt per omnes modos diſcurrendo conſtabit : ponamus enim vnionem diſtingui modaliter à partibus ; ſubſiſtentiam , & exiſtentiam à natura ; figuram à re quanta , & ſic de alijs , profectò dici non poterit vnionem eſſe partem , materiam , vel formam ; figuram eſſe quantitatem adhuc in ſenſu identico ; ergo in eo Conc. damnatur diſtinctio etiam modalis , inter eſſentiam, & paternitatem ; ergo & inter paternitatem , & ſpirationem activam , quia ſicut illa diſtinctio veram quaternitatem componeret, etiam hæc.

7 Secundo. Durandus incidit in ſcyllam dùm cupit vitare charybdim, quoniam ad declinandam damnationem Concilij docet ſpirationem activam non eſſe rem ſimpliciter talem , ſed modum ; at modus novo titulo repugnat in divinis, eo quod modus eſt entitas incompleta, imperfecta , ac dependens à re , cuius eſt modus ; ſed incompletio , imperfectio, & dependentia , repugnat in divinis ; ſi ergo repugnat ſpirationem activam diſtingui á paternitate , & filiatione , tanquàm rem ſimpliciter talem , novo titulo repugnabit diſtingui tamquàm modum.

8 Tertio. Ex paternitate , & ſpiratione activa non conſurgunt duæ res ſimpliciter , nec ſimpliciter abſolutè diſtinctæ iuxtà Durandum , quia ſpiratio activa eſt modus ; ſed iuxta ipſum res divinæ relationes paternitatis , filiationis , ac ſpirationis paſsivæ ſunt modi ; ergo ex ipſis non conſurgunt tres res ſimpliciter , & abſolutè diſtinctæ , ac ideò neganda erit Trinitas ſimpliciter talis.

9 Reſpondet denominationem realitatis deſumi in divinis ab eſſentia, quæ eſt res ſimpliciter talis , quare etſi relationes diſtinguentes ſint modi, adhuc ſalvatur Trinitas ſimpliciter talis. Sed regreditur impugnatio. Si realitas eſſentiæ ſatis eſt ad realitatem quaternitatis , quamquàm relationes diſtinguentes ſint modi ; ergo eadem realitas eſſentiæ ſufficiet ad realitatem quaternitatis , quamquàm ſpiratio activa ſuperaddita tribus alijs relationibus ſit modus ; eſt enim par vtrobique ratio.

10 Secundo. Tota diſtinctio Trinitatis ipſo conſentiente Durando provenit à relationibus ; ergo quales fuerint relationes , talis erit diſtinctio ; at relationes diſtinguentes iuxta ipſum ſunt modi ; ergo diſtinctio erit modalis ; & tamen fatetur veram Trinitatem ſimpliciter talem ; ergo quantumvis ſpiratio activa ſit modus, fateri debet quaternitatem ſimpliciter talem.

Eadem ſententia Durandi ex Anſelmi doctrina reijcitur.

§. III.

11 DIſtinctio realis modalis ſpirationis activæ: tùm ab eſſentia: túm à paternitate ex Concilijs improbata, vlteriùs ex expreſſa Anſelmi doctrina reijcitur. Etenim opuſc. de proceſſ. Spiritus Sancti, c. 2. inquit: *Vnitas non amittit ſuam conſequentiam, niſi vbi obviat aliqua relationis oppoſitio.* Et relatis varijs perfectionibus divinis concludit: *In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſupradictis oppoſitio.* Ex quibus alijſque locis in 1. part. relatis deſumptum eſt commune axioma: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio*; ſed inter paternitatem, & ſpirationem activam non obviat relationis oppoſitio; ergo paternitas, & ſpiratio ſunt vnum per identitatem, cum *nihil obviet conſequentiæ vnius identitatis*; ergo nulla datur diſtinctio adhuc modalis.

12 Secundò. Omnis diſtinctio realis, vel provenit à limitatione, vel oppoſitione, vt ſæpius dictum eſt; at diſtinctio ſpirationis activæ á paternitate, & filiatione provenire non poteſt à limitatione, quæ in Deo locum non habet; aliundè non provenit ab oppoſitione; ergo diſtingui re ipſa non poſſunt. Tertiò. Paternitas, & ſpiratio activa coniunguntur in perſona Patris; ſi ergo non coniunguntur per ſummam identitatem, conſequens eſt vt coniungantur per compoſitionem, ac ideò Pater erit perſona compoſita, quod repugnat, & impugnat Anſelmus in præſenti opuſc. cap. 4. ibi. *Sed Deus nullam habet partem, &c.* & in Proſol. c. 18. *Quomodò ergo Domine es omnia hæc? An ſunt partes tui, an potius vnumquodque eorum totum eſt, quod es? Nam quod eſt partibus iunctum non eſt omninò vnum, ſed quodam modo plura, & diverſum à ſe ipſo; & vel actu, vel intellectu diſſolvi poteſt, quæ aliena ſunt à te, quo nihil maius cogitari poteſt; nullæ ergo partes ſunt in te.*

13 Reſpondet illud axioma eſſe verum de identitate ſuppoſiti; ideſt, omnia ſunt vnum ſecundùm ſuppoſitum, vbi non obviat relationis oppoſitio. Vndé iuxtà hanc doctrinam relationis oppoſitio neceſſaria eſt ad diſtinctionem ſuppoſitorum, non ad diſtinctionem aliarum perfectionum, quæ in eodem ſuppoſito fęderantur, quod probat exemplo paternitatis, & filiationis, quæ diſtinguntur à ſpiratione paſsiva, cum tamen relatè ad ſpirationem paſsivam nullam importent oppoſitionem. Sed contra hanc doctrinam redeunt omnes impugnationes factæ, cum ponat realem diſtinctionem in divinis non ortam à relatione, quo poſito non video cur neganda ſit diſtinctio realis inter eſſentiam, & attributa etiam abſoluta: inter attributa abſoluta inter ſe, & alia huiuſmodi, ſi relativa oppoſitio neceſſaria non eſt. Idque expreſsè impugnat Anſelmus, dùm loco citato inquit: *In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſupradictis oppoſitio.*

14 Contra ſecundo, & à priori. In divinis nulla poteſt eſſe realis diſtinctio, niſi inter producens, & productum; ſive principium, & terminum, qua ratione ſæpè probat Anſelmus, aut Spiritum Sanctum procedere á Filio, aut Filium à Spiritu Sancto, alioquin nulla poſſet eſſe diſtinctio inter illos, ideoque tract. antecedenti probavimus ex communi Theologorum ſenſu diſtinctionem perſonarum ex proceſsione; at ſpiratio activa non comparatur ad paternitatem, & filiationem per modum principij, & termini; producentis, & producti; ergo non diſtinguntur realiter. Tertio. Spiratio activa eſt ens infinitum, & illimitatum; at ens infinitum, & illimitatum petit neceſſariò identitatem cum omni perfectione non oppoſita, alioquin ex propria natura eſſet definita ad certam, & determinatam perfectionem, eſſetque limitata; ſi ergo ſpiratio activa non opponitur paternitati, filiationi, & eſſentiæ, ab eis diſtingui non poteſt.

15 Denique. Si ſpiratio activa eſſet realiter diſtincta à paternitate, & filiatione, Pater, & Filius non poſſent in eadem numero ſpiratione convenire, quia non poſſunt convenire per identitatem in eo, á quo realiter diſtinguntur; ſed hoc contradicit non ſolúm cęteris Theologis, & Patribus, ſed ſpecialiter Anſelmo in præſenti opuſc. c. 23. dicenti: *Conſtat inexpugnabili ratione Spiritum S. eſſe de Filio, ſicuti eſt de Patre, nec tamen eſſe quaſi de duobus diverſis, ſed quaſi de vno*, & in Monol. cap. 54. ait:

Non

Non ex eo procedit Spiritus Sanctus, *in quo plures sunt Pater, & Filius, sed in quo vnum sunt*; ergo Pater,& Filius sunt vnum in spiratione activa ; ergo non distinguntur à spiratione activa.

16 Respondet Durandus Patrem, & Filium esse vnum in spiratione, non tamen spiratione à paternitate, & filiatione indistincta, sed distincta. Sed hæc solutio impugnata manet, quia non possunt esse vnum in eo, à quo re ipsa distinguntur. Secundò, improbat eandem solutionem Anselmus docens Patrem, & Filium esse vnum in spiratione, sicut tres divinæ personæ in creatione,& productione ad extra; sed tres divinæ personę vnica actione prorsus indivisa, & ab ipsis omninò indistincta producunt effectus ad extra ; ergo Pater, & Filius vnica prorsus spiratione spirant Spiritum Sanctum.

Solvuntur argumenta contraria.

§. IV.

17 ARguitur primò. Paternitas, & filiatio distingũtur realiter inter se;ergo spiratio activa identificari non potest cum paternitate, & filiatione. Patet consequentia,quia eadem entitas identificari non potest cum rebus realiter distinctis. Confirmatur. Relatio producentis distinguitur realiter à relatione producti ; sed spiratio activa est relatio producentis ; ergo distinguntur à relatione producti ; sed hæc est filiatio ; ergo nequit identificari cum filiatione ; hac enim ratione paternitas distinguitur à filiatione. Secundo. Spiratio activa per nos identificatur cum paternitate ; ergo nequit identificari cum filiatione, aliás paternitas esset idem realiter cum filiatione.

18 Hoc argumentum tangit præcipuam difficultatem mysterij Trinitatis, quæ ab omnibus superanda est, cum certum sit esse tres personas distinctas, & vnum Deum ; vndè quemadmodum essentia divina est idem cum paternitate, & filiatione realiter distinctis, ità spiratio activa cum paternitate, & filiatione. Ratio est eadem, quia vt sæpè repetit Anselmus, & docent communiter Theologi : in divinis sola oppositio relativa est ratio distinguendi; cum ergo nec essentia, nec spiratio activa comparata cum paternitate, & filiatione nullam oppositionem dicat, ab eis distingui non potest.

19 In forma ad argumentum, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem. Spiratio activa est relatio producentis relatè ad filiationem, nego minorem. Relatè ad spirationem passivam, concedo minorem, quia terminus spirationis activæ non est Filius, qui procedit per generationem, sed Spiritus Sanctus, ideoque à Spiritu Sancto, non à Filio distinguitur. Ad secundum, concesso antecedenti, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens. Paternitas esset idem cum filiatione ratione spirationis activæ, concedo antecedens ; ratione paternitatis, & oppositionis relativæ, nego antecedens; licet enim paternitas, & filiatio distinguantur inter se ratione oppositionis relativæ, identificantur in tertio, nempè in spiratione activa, sicut & in essentia propter oppositam rationem. Et quamquàm Durandus pari titulo distinguat modaliter spirationem, omnesque relationes ab essentia ; id tamen à cæteris omnibus improbatur.

20 Oppones. Spiratio activa est realiter in Patre ; sed filiatio non est realiter in Patre ; ergo spiratio activa distinguitur realiter à filiatione. Minor probatur. Si filiatio esset realiter in Patre, Patrem denominaret Filium ; quia namque essentia divina est in Patre, Patrem denominat Deum ; ergo si filiatio esset in Patre, Patrem denominaret Filium: quod idem dicendum de paternitate, quæ si esset realiter in Filio, Filium denominaret Patrem ; sed spiratio activa est realiter in Filio ; ergo spiratio activa distinguitur realiter : tùm à paternitate : tùm à filiatione. Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem. Filiatio non est in Patre vt formaliter talis, & oppositа Patri, concedo minorem. Identicè, sive ratione identitatis cum spiratione activa, & cum essentia, nego minorem. Hoc autem non potest præstare denominationem Patris, sicut nec filiatio denominationem Filij in Patre.

21 Arguitur secundo. Generare, & spirare realiter differũt;ergo generatio,sive paternitas distinguitur realiter à spiratio-

ne activa. Antecedens probatur. Generare ita differt à ſpirare, vt ſi per impoſsibile Pater, & Filius non ſpirarent, adhuc Pater generaret Filium; ſed hoc ipſo realitèr differunt; ergo. Confirmatur. Ita ſe habet generare ad ſpirare in principio, ſicut generari ad ſpirari in termino; ſed generari realitèr differt à ſpirari, cum generatio paſsiva ſit propria Filij, ſpiratio autem paſsiva Spiritus Sancti; ergo generare, & ſpirare in principio realitèr differunt.

22 Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, neganda eſt maior, quia paternitas, & filiatio radicant formalitèr, & eſſentialitèr ſpirationem activam, vt tract. 7. oſtendemus. Sed permiſſa maiori, nego minorem. Fit enim argumentum à præciſsione logica ad realem ſeparationem, quod eſt genus argumenti prorſus inutile, aliàs ſeparari poſſent in Deo prædicata abſoluta à relativis, cum hæc quaſi de materiali ſe habeant ad illa, etſi per impoſsibile Deus non eſſet Trinus, adhuc eſſet vnus inſpecto ſolo divinitatis conceptu iuxta formam argumenti.

23 Ad confirmationem, nego maiorem propter manifeſtam diſparitatem, nam generari, & ſpirari opponuntur relativè, quia generatio paſsiva radicat ſpirationem activam oppoſitam ſpirationi paſsivæ, vt dictum eſt, vndè generari eſt proprium Filij, ſpirari autem Spiritus Sancti: attamen generare, & ſpirare nullam important oppoſitionem. Quod negari non poteſt à Durando, in cuius ſententia generare, & ſpirare cohærent in eodem ſuppoſito, cum è contrà generari, & ſpirari in eodem ſuppoſito cohærere non poſsint, aliàs Filius non diſtingueretur realitèr à Spiritu Sancto.

24 Inſurges. Relationes, quibus reſpondent termini completi, & adæquati, ac realitèr diſtincti, debent realitèr diſtingui; at qui generatio, & ſpiratio ſunt relationes, quibus reſpondent termini completi, & adæquati, ac realitèr diſtincti; ergo realitèr diſtinguntur. Maior conſtat, quoniam relationes habent ſuum eſſe per ordinem ad terminum. Minor autem probatur. Nam generationi activæ reſpondet Filius; activæ autem ſpirationi Spiritus Sanctus; ſed Filius, & Spiritus Sanctus ſunt termini completi, & realitèr diſtincti; ergo genarationi, & ſpirationi reſpondent termini adæquati, & realitèr diſtincti.

25 Hæc obiectio facilè retorquetur in Adverſarios. Nam generare, & ſpirare ſunt relationes, quibus reſpondent termini, non vtcumque completi, & diſtincti, ſed perſonalitèr diverſi; ergo generare, & ſpirare ſunt relationes conſtituentes perſonas diverſas, & infęderabiles in eodem ſuppoſito, ſi argumentum aliquid convincit. Reſpondeo ergo negando antecedens, quia cum relationes illæ ſint divinæ, infinitæ, & illimitatæ, ambire, & identificare debent quidquid realitèr non opponitur; cum ergo ſpiratio activa non ſit relativè oppoſita activæ generationi, ab ea diſtingui non poteſt, quanquàm termini propter oppoſitam rationem realitèr diſtinguantur. Et nota hanc impugnationem, ſicut & precedentes, ſi quid evincit, probare non modò diſtinctionem modalem, ſed entitativam, & ſimplicitèr talem, vt facilè meditãti conſtabit.

DVBIVM III.

An in divinis relationes ſimilitudinis, & æqualitatis ſint reales?

§. I.

1 DVBIO præcedenti dictum eſt ſolas relationes paternitatis, filiationis, ſpirationis activæ, & paſsivæ, eſſe reales, ſed quia ſupereſt ſpecialis dubitandi ratio circa prędictas relationes ſimilitudinis, & æqualitatis, necnon & identitatis, ideò præſentem controverſiam examinandam aggredimur. Prima ſententia tuetur eſſe reales. Ità communitèr Scotiſtæ cũ Subtili Doctore in 1. diſt. 31. q. vnic. alijſque in locis. Secunda eſt oppoſita, & communis Theologorum conſenſus.

Communis ſententia proponitur, & probatur.

§. II.

2 DIcendum relationes ſimilitudinis, æqualitatis, identitatis, & alias ſimiles non eſſe reales, ſed rationis. Conſtat ex dubio

dubio antecedenti, vbi ex communi ſententia SS. PP. ac Theologorum diximus quatuor duntaxàt eſſe relationes reales in diuinis, nimirùm, paternitas, filiatio, ſpiratio, activa, & paſsiva; at ſi prædictæ eſſent reales, longè plures eſſent relationes reales in diuinis; & re ipſa Scotiſtæ cum Subtili Doctore ponunt in qualibet perſona duas relationes reales ſimilitudinis, æqualitatis, & identitatis, ex quibus ter ductis decem, & octo relationes reales conſurgunt, quibus ſi quatuor prædictas adiungas, viginti duas efficiunt. Rurſus pari titulo admittenda erit relatio realis Uerbi, & imaginis in Filio: relatio realis doni in Spiritu Sancto: relatio prioris, & poſterioris in omnibus perſonis. Item. Multiplicandæ erunt relationes reales iuxta numerum attributorum; quæ quàm aliena ſint à doctrina Sanctorum Patrum, ac Theologorum ex dubio ſuperiori ſatis liquet.

3 Reſpondet Bartholomeus Durand ex doctrina Scoti, concedendo viginti illas duas relationes reales, quod inquit, nec opponitur Sanctis Patribus, qui ſolùm quatuor relationes reales prædictas aſsignarunt, eo quod de relationibus originis loquebantur, vtpotè agentes contra Hæreticos diuinas negantes proceſsiones: nec communi Theologorum ſententiæ, eo quod in oppoſitum ſunt Scotiſtæ cum Subtili Doctore. Ad illud de multiplicatione relationum iuxta numerum attributorum negat ſequelam, quia relationes reales ſolùm reſultant ex extremis realitèr diſtinctis, cum tamen attributa nec inter ſe, nec ab eſſentia realitèr diſtinguantur.

4 Sed contra. Et fateor Sanctos Patres ſolùm de relationibus originis eſſe locutos, ſed hoc ideò, quia nullas alias relationes reales, niſi fundatas in origine activa, & paſsiva agnoverunt. Idque expreſsè colligitur ex Anſelmo, qui c. 2. de proceſ. Spiritus Sancti relatis diuinis perfectionibus, inquit: *In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſupradictis oppoſitio*, nimirùm, quæ naſcitur ex nativitate, & proceſsione, quarè aliud diſtinctionis principium præter relationes fundatas in origine, Anſelmus cùm cæteris Patribus ſæpè impugnat; ergo ea multiplicatio realis relationis Patribus contradicit.

5 Nec altera ſolutio ſufficienter occurrit. Nam diuina attributa non eſſe extrema realitèr diſtincta ſolùm probat non inferre realem relationem inter ſe prout in eadem perſona, non tamen in diverſa; ſi enim datur relatio realis identitatis inter eſſentiam diuinam prout in Patre, & eandem eſſentiam prout in Filio, cur non erit realis relatio identitatis inter omnipotentiam prout in Patre, & eandem omnipotentiam prout in Filio, & ſic de alijs attributis? Quod idem dicendum de reali relatione ſimilitudinis, & æqualitatis; quapropter relationes reales ad ſummum numerum excreſcere opus erit; ſed hoc contradicit communi Theologorum ſententiæ; & ſi Scotiſtas includas; ergo ea multiplicatio relationum realium nullo pacto admittenda eſt.

6 Probatur ſecundò concluſio. Relationes reales primi generis (quidquid ſit de de alijs) exigunt realem diſtinctionẽ ex parte fundamenti in vtroque extremo; at in Deo non eſt fundamentum, aut ratio fundandi diſtincta ex parte vtriuſque extremi ad relationem æqualitatis, & relationes alias primi generis; ergo non ſunt reales. Minor conſtat, quia relatio æqualitatis fundatur in quantitate virtutis, ſive in magnitudine perfectionis; ſed hæc eſt eadem in vtroque extremo, alioquin vna perſona eſſet melior altera; ergo. Maior autem principalis probatur. Relationes primi generis, vt conſtat ex Philoſopho, fundantur *in vnitate, & numero*, ideſt, in vnitate faciente numerum; at ratio fundandi, numerum facere non poteſt, ſi diſtincta non eſt ex parte vtriuſque extremi; ergo debet eſſe diſtincta. Et ratio huius eſt. Nam relatio primi generis non ſolùm refert ſubiectum, ſed etiam fundamentum, nempè qualitatem, qua ratione non ſolùm dicitur æquale alteri quanto ſubiectum quantum, ſed etiam ipſa quantitas dicitur æqualis, quod è contra contingit in relationibus primi generis, vbi *generatio* fundans relationem paternitatis non dicitur *Pater*; nec paternitas communicat ſuum effectum formalem generationi, ſed ſubiecto duntaxat generanti, at ad aliud referri non poteſt, quod ab alio diſtinctum non eſt; ergo ratio fundandi ſimiles relationes debet eſſe diſtincta ex parte vtriuſque extremi.

7 Reſpondent Scotiſtę neceſſariam nõ eſſe realem diſtinctionem ex parte fundamenti, ſed ſufficere realem diſtinctionẽ extremorũ, alioquin in Deo nulla eſſet relatio realis, quoniam paternitas fundatur in

divina eſſentia, aut divino intellectu, cum tamen nec eſſentia, nec intellectus realiter multiplicentur. Et addit Bartholomeus Durand. t. 1. diſp. 12. q. vnic. relationes primi generis non referre fundamentum, ſed ſolùm ſubiectum, vndè quantitas vnius lapidis non refertur vt *quod* ad alium lapidem, ſed eſt ratio referendi vt *quo*.

8 Sed ex dictis conſtat diſparitas, quam nó enervat Durand. quia licet quantitas ſit ratio referendi lapidem relatione æqualitatis ad alium lapidem, eſt etiam, id, quod refertur eadem relatione æqualitatis, & in toto rigore hæc quantitas dicitur æqualis, vel inæqualis alteri quantitati; ſicut etiam albedo eſt id, *quo* paries albus denominatur ſimilis alteri albo, & ipſa paritèr albedo eſt alteri albedini ſimilis.

9 Vel ſecundo reſponderi poteſt etiam relationes ſecundi generis exigere realem diſtinctionem in fundamento proximo ex parte vtriuſque extremi; nam relatio paternitatis, v. g. poteſt conſiderari in ratione originis, & ſub ratione referentis ad terminum: in primo conceptu eſt fundamentum ſui ipſius ſub alio munere, ſub quo tantûm indiget fundamento, in vtroque tamen conceptu diſtincta á filiatione, vnde fundatur in fundamento proximo realitèr diſtincto; & hac ratione dixit D. Thomas 1. p. q. 40. a. 2. ad 4. *Quando relatio eſt accidens præſupponit diſtinctionem fundamentorum, vbi autem eſt ſubſiſtens non præſupponit diſtinctionem, ſed eam ſecum affert.* Hic autem duplex conceptus locum non habet in relatione æqualitatis, & ſimilitudinis, vndè non poſſunt eſſe reales.

10 Inſurges ex tract. antecedenti dub. 3. vbi diximus proceſsiones divinas non conſiſtere in relatione, ſed in ipſa intellectione, & volitione abſoluta; ergo actio generativa Verbi Divini non eſt quid relativum, ſed abſolutum; ſed in ea actione generativa fundatur relatio paternitatis; ergo relatio paternitatis non fundatur in relativo, sed abſoluto; at nihil abſolutum eſt diſtinctum in vtroque extremo; ergo fundamentum paternitatis, & filiationis non eſt diſtinctum in vtroque extremo.

11 Reſpondeo ex doctrina data loco citato, concello antecedenti, diſtinguendo conſequens; ergo actio generativa non eſt quid relativum ex parte recti, concedo conſequentiam, completivè, ſive ex parte connotati, nego conſequentiam. Itaque paternitatis relatio fundatur in actione modificata paternitate ſub ratione originis, & hoc modo taliter eſt in Patre; vt non ſit in Filio, quod ſatis eſt vt fundamentum proximum paternitatis, & filiationis ſit diſtinctum.

12 Replicabis. Sicut intellectio modificatur ad fundandam relationem paternitatis ſub ratione referentis, ita eſſentia ad fundandam relationem æqualitatis; ergo ſi prima modificatio ſufficit ad diſtinctionem fundamenti paternitatis, ita ſecunda ad diſtinctionem fundamenti æqualitatis. Antecedens probatur. Ideò intellectio modificatur à paternitate, quia fundat relationem ad Filium prout in Patre, ſed etiam eſſentia fundat æqualitatem cum Filio prout in Patre; ergo.

13 Reſpondeo negando antecedens, ad probationem, diſtinguo maiorem, prout in Patre paternitate de formali ſe habente in ratione originis ad fundandum reſpectum ad Filium, concedo maiorem, de materiali ſe habente, nego maiorem. Itaque modificatio intellectionis per originem de formali ſe habet ad paternitatem in ratione referentis, quia complet intellectionem in ratione generationis: attamen modificatio eſſentiæ per paternitatem prorſus de materiali ſe habet ad æqualitatem, & ſimilirudinèm, quia paternitas non conducit, ſed potius obſtat ad ſimilitudinem, & æqualitatem, cum Pater non ſit æqualis, nec ſimilis Filio in paternitate.

14 Adhuc oppones. Relationes paternitatis, & filiationis fundantur in actione, & paſsione, ſed actio, & paſsio in creatis non diſtinguntur realitér; ergo dictæ relationes reales in creatis non indigent fundamento diſtincto; ergo nec in divinis. Hac impugnatione plures ex Thomiſtis convicti docent relationes ſecundi generis non fundari in actione, & paſsione, ſed in potentia activa, & paſsiva concurrente actione, & paſsione per modum conditionis. Ratio eorum eſt, quia implicat permanentia relationis non permanente fundamento; at relationes paternitatis, & filiationis permanent non permanente actione, & paſsione; ergo non fundantur in actione, & paſsione, ſed in potentia activa, & paſsiva.

Ve-

15 Verùm hæc ſolutio eſt prorſus inſufficiens. Nam ſicut prædictæ relationes permanere poſſunt non permanente actione, & paſsione, ita non permanente potentia activa, & paſsiva, nam permanente ſola ſubſtantia generante, & genita proculdubio non manebit relatio paternitatis, & filiationis; ergo ſi dicta ratio convinceret non fundari in actione, & paſsione pari titulo convinceret non fundari in potentia activa, & paſsiva.

16 Ideò P. Suarez, diſp. 27. met. ſect. 12. docet dictas relationes fundari in actione, & paſsione per modum conditionis. Sed nec iſta ſolutio ſatis occurrit, quia non minus repugnat manere relationem non manẽte fundamento proximo, quàm non manente conditione; ergo ſi hoc non obſtante manet relatio ſine conditione, manebit paritèr ſine fundamento proximo; ergo ex hac ratione negari non poteſt prædictas relationes fundari in actione, & paſsione.

17 Denique reſpondent alij, quibus conſentit Godoy loco citato n. 58. & num. 130. actionem, & paſsionem realiter diſtingui inter ſe, cum illa ſit ſubiectivè in agente, hæc autem in paſſo. Et hæc ſolutio mihi videtur neceſſariò, & conſequentèr tenenda in relationibus creatis, de quibus procedebat impugnatio: in divinis autem ex dictis conſtat qualiter actio diſtinguatur à paſsione ex parte connotati complentis, & modificantis rectum.

(†)

Solvuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ.

§. III.

18 ARguitur primò. Perſonæ divinæ ſunt æquales, & ſimiles independenter à fictione intellectus. Ergo realitèr; ergo relationes æqualitatis, & ſimilitudinis ſunt reales. Antecedens probatur. Perſonæ Divinæ independenter à fictione intellectus ſunt eiuſdem naturæ, vndé generatio Filij eſt origo viventis á vivente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ergo eſt ſimilis ex vi ſuæ generationis; ergo & realiter. Secundò canit Eccleſia, quod in eſſentia vnitas, & in perſonis adoratur æqualitas; ergo æqualitas eſt digna adoratione; ſed obiectum adorationis non eſt ens rationis; ergo. Tertiò. Æqualitas, & ſimilitudo eſt ab æterno, vbi nulla erat fictio intellectus; ergo illæ relationes non pendent à fictione noſtri intellectus.

19 Huic argumento reſpondet D. Thomas in 1. diſt. 31. q. 1. a. 1. ibi. *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis æqualitas ſit ſecundùm rationem relatio, tamen habet aliquid in re reſpondens, ratione cuius dicitur hæreticus, qui æqualitatem negat, ſicut vt qui negaret Deum eſſe Dominum, quamvis illa relatio nihil ſecundùm rem ponat in Deo.*

20 Ex quibus reſpondeo aliud eſſe loqui de fundamento, ex quo ſumitur aliqua formalis denominatio; & aliud de denominatione ipſa formali: itaque dùm in perſonis adoratur æqualitas non adoratur ipſa denominatio relativa æqualitatis, ſed eſſentia divina, in qua fundatur denominatio. Nec in creatis dùm veneratur Dominus, aut ſuperior, veneratur relatio dominij, aut reſpectus ſuperioris ad inferiorem, ſed perſona ipſa, quæ talem fundat relationem: profectò nemo ignorat ſe eſſe dominum ſervorum ſuorũm: ſe eſſe tali vxori coniunctum, cum tamen de mutuo conſenſu, aut relatione dominij, aut alijs formis metaphyſicis penitùs nihil cogitet. Præterea Chriſtus Dominus eſt verè, & realitèr Filius Virginis, & vt talis adoratur, cum tamen relatio filiationis ad Virginem ſit rationis; Filius ergo in divinis eſt ſimilis fundamentalitèr ex vi ſuæ generationis propter identitatem naturæ, quæ eſt obiectum adorationis; quæque eſt ab æterno, quod non obſtat vt æqualitas relativa pendeat à fictione intellectus, per quod conſtat in forma ad impugnationes factas.

21 Replicabis. Exiſtentia fundamenti non ſufficit, vt vna perſona dicatur alteri æqualis; ergo neceſſaria eſt realis relatio. Antecedens probatur, tùm quia denominatio formalis eſt effectus formalis formæ, qui eſſe non poteſt ſine forma: tùm quia ſi eſſe poſſet ſine forma, eſſet inutilis forma: tùm quia exiſtentia fundamenti non ſufficit ad alias denominationes, quarè homo ante oparationem intellectus non poteſt denominari *ſpecies*, nec *ſubiectum* propoſitionis, nec alias ſortiri denominationes, quæ à fictione intellectus proveniũt, aliàs ſicut in noſtra ſententia vna perſona divina dicitur realitèr æqualis propter

rea-

realem exiſtentiam fundamenti; homo dici poſſet realiter ſpecies propter realem exiſtentiam fundamenti.

22 Reſpondeo negando antecedens ad probationem dico, quod licet denominatio relativa ſit effectus formalis relationis, qui eſſe non poteſt pro priori ab relationem, ſicut generaliter effectus formalis formæ non eſt pro priori ad formam: nihilominus ſubiectum pro priori ad formam ſæpè poteſt ſimilem ſortiri denominationem propter exiſtentiam fundamenti, vt patet in denominatione Domini, & Creatoris in Deo; ac denominatione filij Virginis in Chriſto, alijſque ſimilibus. Nec propterea ſequitur hominem denominari *ſpeciem* ante operationem intellectus, quia homo á parte rei non eſt fundamentum proximum, ſed remotum ſimilis denominationis, ideòque carens ratione fundandi, cum tamen prædicta doctrina locum habeat exiſtente fundamento proximo.

23 Contra inſurgit Durand loco citato. Ea quæ conveniunt Deo ad intra ſunt realia; ita eſt relatio æqualitatis; ergo eſt realis. Minor conſtat: tum quia divinæ perſonæ ſunt in Deo ſine reſpectu ad extra: tum quia Filius ita dicitur æqualis Patri, ſicut dicitur procedere à Patre; ſed procedit à Patre realiter, ſine reſpectu ad extra; ergo & æqualis realiter, ſine reſpectu ad extra. Minorem principalem probat. Quæ verificantur de divinis perſonis ad intra ſunt eſſentialia, aut notionalia; at eſſentialia, & notionalia ſunt realia; ergo. Secundo. Quæ conveniunt divinis perſonis ad intra neceſſario conveniunt; at ens rationis non convenit neceſſario; ergo relatio æqualitatis non eſt rationis, ſed realis. Tertio. Deus non diceretur Creator, & Dominus ſi mundus non eſſet; at abſolutè, & independenter à quacũque re creata vna perſona eſt alteri æqualis; ergo non eſt ſimile. Denique. Aut Filius eſt á parte rei æqualis Patri, vel non? Si primum; ergo datur à pate rei aliquid, per quod dicitur æqualis. Si ſecundum; ergo ita eſt æqualis Patri per reſpectum ad creaturas, ſicut Dominus, quod dici non poteſt.

24 Sed his omnibus conſtat ex dictis. Ad primum conceſſa maiori, nego minorem, quia licet æqualitas deſumpta à fundamento conveniat ad intra, non tamen æqualitas deſumpta à relatione rationis. Ad primam probationem minoris dico perſonas eſſe in Deo ſine reſpectu ad extra, non tamen relativè æquales, ſine reſpectu ad intellectum creatum in ſenſu dicto. Ad ſecundam dico ita eſſe Filium æqualem Patri fundamentaliter, ſicut procedit à Patre, non tamen formaliter relativè, vt dictum eſt.

25 Ad primam probationem maioris dico denominationẽ illam relativã æqualitatis nec eſſe prædicatũ eſſentiale, nec notionale, vt dicitur á Scoto de denominatione relativa Domini, & Creatoris: præterquã quod ratio *ingeniti* eſt prædicatum notionale Patris; & tamen in ſententia P. Uazquez convenit Patri ratione relationis primi principij. Ad ſecundam conſtat qualiter æqualitas fundamentalis neceſſariò conveniat divinis perſonis, non verò formalis, & relativa. Ad tertiam ſimiliter dicendum Deum non dicendum Dominum non exiſtente Mundo denominatione deſumpta à relatione rationis, ſemper tamen eſſe Dominum, & Creatorem fundamentaliter, vel etiam formaliter denominatione deſumpta à virtute productiva, & creativa, per quod conſtat ad quartam impugnationem.

26 Arguitur ſecundo. In Deo datur quidquid requiritur, vt vna perſona ſit ſimilis alteri; ergo relatio ſimilitudinis eſt realis. Antecedẽs probatur. Dantur extrema realiter diſtincta; aliundé vnitas realis eſſentiæ [quæ eſt ratio fundandi] ex parte vtriuſque extremi non obſtat. Et probatur. Ea ſunt ſimilia, quorum qualitas eſt vna; ergo quò magis vna, eò magis ſimilis; ergo quod eſſentia divina ſit vna numero in vtroque extremo non obſtat ad ſimilitudinem, ſed potiùs perfectiorem ſimilitudinem probat. Urgetur. Ideò Verbum Divinum procedit ab intellectu paterno, vt Filius, quia procedit, vt ſimile non ſolum in eſſe intentionali, ſed naturali, ideſt, quia recipit eandem numero naturam, quæ eſt perfectiſsima ſimilitudo.

27 Confirmatur. Si eſſentia divina eſſet vna tantum ſpecie, & numero diſtincta ex parte vtriuſque extremi fundaret in omnium ſententia realem ſimilitudinem; ergo potiori titulo, ſi eſt vna non ſolum ſpecie, ſed numero; quia quò magis vna, eò magis ſimilis. Explicatur in duplici ſubiecto albo eadem albedine; eo in eventu vna eſſet ſimilis alteri propter diſtinctionem extremorum, quamquam albedo eſſet eadem in vtroque extremo; ſed idem contingit in præſenti; ergo, & in præſenti relatio ſimilitudinis eſt realis.

Ad

28 Ad argumentum nego antecedens, ad probationem dico identitatem in ratione fundandi obstare ad relationẽ realem propter dicta, quæ repetere nõ oportet. Quando autem dicitur ea esse similia, quorum qualitas est vna, sermo est de vnitate per conuenientiam duarum, non per identitatem & licèt maior identitas probet maiorem similitudinem identicam, qualis probatur in processione Uerbi Diuini, non tamen relativam, quæ est vnius ad alterum, alioquin quælibet res posset referri ad se ipsam relatione reali similitudinis, quod aduersarij non dicent; vndè subiectum album nequit referri ad aliud reali relatione similitudinis, si sit album eadem albedine propter dicta..

29 Insurgit Durand, vnitas naturæ diuinæ in tribus personis non obstat ad similitudinem, nam licet re ipsa sit vna, fungitur officio trium, vndè in diuersis personis diuersas suscipit denominationes; in Patre dicitur Deus Pater, & non Filius; in Filio dicitur Deus Filius, & non Pater; ergo paritèr in Patre denominari poterit similis sibi ipsi vt in Filio. Secundo. Vnicum est suppositum in Christo; & tamen propter duo extrema, quæ in ipso vniuntur dicitur minor Patre per realem relationem inæqualitatis; ergo non implicat, quod natura diuina manens vna numero in tribus suppositis distinctis fundet realẽ relationem æqualitatis. Tertio. Filius est similis Patri æterno in ratione Spirantis, quia sunt verè, & realitèr duo Spirantes; & tamen fundamentum illius similitudinis non est distinctum, quia est eadem spiratio communis Patri, & Filio; ergo ad realem relationem similitudinis non requiritur realis distinctio ex parte fundamenti.

30 Ad primum nego antecedens. Nam licèt natura diuina in tribus suppositis diuersas suscipiat denominationes, ad quas conditiones necessariæ concurrunt; attamen suscipere non potest eas denominationes, ad quas non concurrunt necessariæ conditiones, vt in præsenti. Ad secundum. Dico Christum dici inæqualem, & minorem Patre ratione naturæ humanæ, quæ est fundamentum inæqualitatis, & omnino distincta à natura Patris, vndè hoc argumentum facilè retorqueri potest in eundem Authorem. Tertium exemplum nullo iure adducitur ab eodem Authore agnoscente cum Subtili Doctore præter quatuor relationes reales à nobis allegatas, dumtaxat in qualibet persona duas relationes reales æqualitatis, similitudinis, & identitatis in qualibet persona; nunc autem superaddit aliam relationem realem similitudinis in esse spirantis, & ita alias plurimas facilè posset superaddere; sed hanc etiam negamus, nam licèt Pater, & Filius sint duo suppositа spirantia, sunt tamen vnus, & idem Spirator media vnica spiratione, vndè nullum est fundamentum ad talem relationem realem.

31 Arguitur tertio. Relatio imaginis in Uerbo Diuino est realis; ergo & relatio similitudinis. Antecedens constat ex superioribus, vbi ex Anselmo diximus, quod Uerbum Diuinum procedit vt Filius, quia procedit vt imago, vt Uerbum, vt proles, & vt similis, quæ omnia in idem coincidere ex eodem Anselmo probauimus; sed relatio filiationis est realis; ergo & relatio imaginis, aut similitudinis. Respondeo. Primo hoc argumentum nihil conuincere, quia si relatio imaginis coincidit cum relatione similitudinis; & vtraque cum relatione filiationis, solum deducitur dari in verbo realem relationem filiationis, non aliam relationem similitudinis à filiatione distinctam, quod sententiæ oppositæ nihil prodest.

32 Respondeo secundo, concesso antecedenti, negando consequentiam, nam licet ratio imaginis coincidat cum similitudine fundamentali, & identica, non tamen cum similitudine relativa, de qua loquimur, nam relatio imaginis, & filiationis est relatio secundi generis fundata in origine: relatio autem similitudinis, de qua loquimur, & quam sententia opposita docet esse realem, est relatio primi generis fundata in essentia, & ideò eam ponunt non solum in Filio, in quo solo est ratio imaginis sed in alijs paritèr personis.

DUBIUM IV.

An diuinæ relationes addant perfectionem aliquam relativam ad essentiam?

§. I.

1 NULLI Dubium esse potest relationes diuinas esse summè perfectas, gravis tamen est controversia an ea perfectio sit relativa, & propria earundem relationũ sub proprio relationis conceptu? Nec dubium procedit de perfectione latè sumpta, & in genere entis,

entis, quæ competit cuilibet enti completo, id enim eſt perfectum, iuxtà Ariſtot. lib. 5. Met. c. 16. cui in ſuo genere nihil deficit, quoniam in hoc ſenſu nullum eſt ens, quamtumvis imperfectum, & pravum, quod perfectum non ſit, cum in ſuo genere completum ſit; ſed ſermo procedit de vera, & propria perfectione ſumpta pro magnitudine, bonitate, & dignitate; aut aliqua excellentia, quæ ſit æſtimatione digna.

2 Prima ſententia eſt affirmativa. Eamque tuentur Eximius Suarez, Vazquez, Lugo, Zumel, Arriaga, Ioannes à Sanct. Thoma, Bachon, Ruiz, & alij plures. Secunda eſt negativa. Et ita docent Scotus; Durandus, Caietanus, Salmanticenſes, Godoy, Molina, Maſtrius, & alij frequentius; & aperte deducitur ex vtroque Doctore Anſelmo, & Thoma.

Sententia negativa eligitur, & authoritate probatur.

§. II.

3 DICENDVM Relationes vt formaliter diſtinctas ab eſſentia nullam importare perfectionem relativam, ideòque perfectionem non multiplicare in divinis perſonis. Probatur ex Athan. in Symbolo: *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius; nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Unde Concil. Toletanum VI. & Concil. Toletan. XI. inquit: *Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus, &c.* Subſcribit Anſelmus pluribus in locis, præſertim in Proſol. c. 23. *Quod autem eſt ſingulis quiſque, hoc eſt tota Trinitas ſimul, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Et in Monol. c. 59. *Iucundum eſt intueri in Patre, & Filio, & vtriuſque Spiritu, quomodò ſint in ſe invicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat.* Denique. Opuſculo de proceſsione Spiritus Sancti. Sepè ingeminat tritum illud: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.*

4 Ex quibus ſic formatur ratio. Si divinæ relationes ex proprio conceptu relativam perfectionem dicerent, divinæ perſonæ non eſſent in perfectione æquales; hoc dici non poteſt; ergo talem perfectionem non dicunt. Minor conſtat, & maior probatur. Eo in eventu aliqua perfectio eſſet in Patre v. g. quæ non eſſet in Filio, nam paternitas eſt formaliter in Patre, & non in Filio; ergo ſi paternitas propriam perfectionem diceret, aliqua perfectio eſſet in Patre, & non in Filio; ergo Filius non eſſet in perfectione æqualis Patri. Confirmatur ex ſecunda authoritate Anſelmi ſupra allegata. Si relationes propriam afferent perfectionem relativam, eſſent in Deo plures perfectiones diſtinctæ, ſed hoc repugnat, quia in Deo omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio; at in perfectione nulla datur oppoſitio; vt ex §. ſequenti conſtabit; ergo relationes divinæ ex proprio conceptu relativo ſpecialem perfectionem non important.

5 Varijs ſolutionibus occurrere conantur Adverſarij. Prima eſt P. Suarez, & aliorum negantium ſequelam, eo quod paternitas licet non ſit in Filio formaliter, eſt tamen in illo eminenter, cũ in illo ſit eſſentia, quæ continet eminenter paternitatẽ. Quod idem vice verſa dicendum de filiatione in Patre. Sed hæc doctrina difficilis apparet. Primo, quia etſi perfectio relativa filiationis eſſet eminenter in Patre, non tamen formaliter; at Filiationem eſſe formaliter in Filio aliquam perfectionem dicit, ſi filiatio ex proprio conceptu perfectionem importat; ergo aliqua perfectio eſſet in Filio, quæ non eſſet in Patre; ergo Pater, & Filius non eſſent in perfectione æqualis.

6 Secundo. Hæc continentia eminentialis novo titulo probat inæqualitatem quam vitare deſiderat, quia eminenter continens aliquam perfectionem non eſt æqualis contento, ſed potius excedit, vt patet in Deo continente eminenter perfectiones creaturarum. Tertio, quia continentia eminentialis ad intra haud facilè percipitur, quoniam continentia eminentialis ex proprio conceptu importat exceſſum perfectionis in continente reſpectu contenti; at exceſſus perfectionis repugnat adintra; ergo & continentia eminentialis. Quarto, quia ſi filiatio perfectionem dicit, ea erit ſimpliciter ſimplex; ergo debet præcontineri in Patre, non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter. Denique. Quia eactenus Pater continet eminenter filiationem iuxta hanc doctrinam, quatenùs continet eſſentiam, in qua continetur filiatio; ergo exponit æqualitatem inter Patrem, & Filium, quatenùs ſunt idem in eſſentia; ſed hoc nihil prodeſt

ad

ad præſentem controverſiam, quæ non procedit de æqualitate perſonarum, ratione eſſentiæ, ſed de æqualitate in perfectionibus relativis, prout diſtinctis ab eſſentia. Ex quibus ſatis impugnata manet ſolutio aliorum docentium relationes importare propriam perfectionem, ſed comparativè ad ſubiectum, ſive ad eſſentiam, nó veró interſe; cûm perfectio relativa conſideretur per ordinem ad relationem oppoſitam, & de hac duntaxat dubium procedat.

7 Ideò eandem ſolutionem Alij alijs verbis exponunt aſſerentes perſonas divinas eſſe omninò æquales per æquivalentiam, quatenùs perfectio relativa vnius continetur æquivalenter in alia, cum omnes includant, & includantur æqualiter in eſſentia, in qua æquivalentia fundatur. Sed hæc doctrina æquali vitio laborat, & pari titulo reicitur, quia nemo dubitat de æqualitate ratione identitatis in natura, ſed de relationibus prout diſtinctis à natura. Secundo. Quia hæc æquivalentia ad intra novo titnlo repugnat; æquivalet enim vna perfectio alteri, quatenùs ſimilem præſtat effectum, vndè ſubſiſtentia divina in humanitate aſſumpta reddit naturam humam ſubſiſtentem, non minus ac ſubſiſtentia humana; & calor ignis cauſatur virtualiter à Sole, quatenús in illo æquivalenter continetur; ſed hoc locum non habet in Deo, quia filiatio non præſtat effectum paternitatis, nec è contrà; ergo æquivalentia locum habere non poteſt ad intra.

8 Tertio, quia iuxta hanc doctrinam nulla perſona erit ſummé perfecta, eo quod non contineat formaliter perfectionem alterius, licèt eam contineat æquivalenter, ac proindè non ſalvatur ſumma æqualitas. Denique, quia eatenús in aliquo vero ſenſu dici poteſt eſſentiam continere æquivalenter, aut eminenter perfectiones relativas, quatenùs eas radicat; ſed paternitas non radicat filiationem, quoniam filiatio non eſt proprietas, nec attributum paternitatis; ergo paternitas non continet æquivalenter, nec eminenter filiationem.

9 Propter hæc alij altera vtuntur diſtinctione, & aſſerunt vnam perſonam eſſe alteri æqualem intenſivè, licèt non extenſivè: ſicut enim tota Trinitas non eſt quid intenſivé maius, quàm Deus, nec aggregatum ex Deo, & creaturis eſt quid maius, quàm Deus ſolus, eo quod Deus ſolus contineat eminenter, & virtualiter perfectionem alterius extremi, nempè creaturarum; ita quælibet perſona intenſivè continet perfectionem alterius, licèt per alias relationes, aut perſonas magis extendatur.

10 Hæc ſolutio eaſdem patitur difficultates ſupra relatas, quandoquidem non exponit, nec exponere poteſt æqualitatem intenſivam perſonarum, niſi per continentiam eminentialem, aut virtualem vnius relationis in alia; ergo quo pacto impugnata eſt convenientia eminentialis, aut virtualis ad intra, eo impugnanda eſt æqualitas intenſiva. Secundo, quia paternitas continere non poteſt intenſive perfectionem filiationis, niſi ratione eſſentiæ, nam ratione ſui non continet filiationem, ſed potius filiationi opponitur, vnde relabitur in æqualitatem ratione eſſentiæ, de qua nemo dubitat, non tamen ſalvat æqualitatem relationum prout diſtinguntur ab eſſentia.

11 Alij igitur aliter argumento facto occurrunt docentes paternitatem eſſe in Filio, non tantùm æquivalenter, aut eminenter, ſed formaliſsimè iuxta illud Ioann. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quam inexiſtentiam Patres communiter *circuminſeſsionem* vocant: vel vt loquitur Lumbier in præſenti q. 8. a. 4. Filius habet formaliter paternitatem *quoad habere*, licet non *quoad denominare*: vel vt alij loquuntur: paternitas eſt in Filio, non vt Filio, ſed vt Deo.

12 Hæc ſolutio eiſdem vitijs laborat, & in graviora relabitur abſurda. Et primo. *Circumſeſsio*, quam Patres communiter tradunt, eſt inexiſtentia vnius perſonæ in alia ratione divinitatis, quatenùs omnes ſunt vnus, & idem Deus, de quo non eſt dubium, vndè ad præſentem controverſiam nihil prodeſt. Secundò, quia ea propoſitio: *Paternitas eſt in Filio*, contradicit Conc. Florent. aſſerenti in litteris vnionis prope medium: *Omnia, quæ Patris ſunt ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem*; ex quibus communiter Theologi docent Patrem media generatione omnia communicare Filio præter paternitatem. Et ita docet Cyrillus in Conc. Epheſino, tom. 5. cap. 1. anath. 4. Damaſcen. lib. 1. fid. cap. 9. Nazianz. orat. in Penth. & D. Thomas 1. p. quæſt. 42. a 4. ad 2. vbi ait: *Verè*

ergo

ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec ſequitur paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Et repetit quæſt. 2. de potentia art. 5.

13 Tertio. Habere paternitatem quoad habere, & non quoad denominari, non eſt aliud quàm habere paternitatem materialitèr, & vt identificatam cum eſſentia, non tamen formalitèr, & vt exercet munus paternitatis; ſed vt exercet munus paternitatis propriam affert perfectionem in ſententia oppoſita; ergo ſemper eſt aliqua perfectio in Patre, quæ non eſt in Filio. Quarto. Licèt paternitas ſit in Filio, Filium non denominat, vt inquit Lumbier; ergo licèt perfectio paternitatis ſit in Filio, Filium non perficiet; ſed perficit Patrem; ergo Pater eſt magis perfectus, quàm Filius; ergo nunquam ſalvatur æqualitas.

14 Reſpondebis hoc eſſe diſcrimen inter paternitatem, & eius perfectionem, quod vtroque modo eſt in Filio, quem tamen non vtroque modo denominat, eo quod Filius non poteſt denominari Pater, poteſt tamen denominari perfectus. Hæc doctrina oppoſitam ſententiam evertit. Si enim Filius capax eſt denominationis *perfecti*, & non *Patris*, ideò eſt, quia paternitas in eſſe talis importat oppoſitionem, non ita perfectio, ac proinde perfectio non eſt de genere relativo, ſed abſoluto, atque adeò non multiplicatur.

15 Secundò. Ideó Filius nó poteſt denominari Pater, quia paternitas eſt oppoſita relativè filiationi; at ſi paternitas in eſſe talis importat perfectionem, neceſſe eſt eam perfectionem eſſe oppoſitam relativè perfectioni filiationis; ergo quo pacto Filius nequit denominari Pater, eo nequit denominari perfectus perfectione paternitatis. Eo vel maximè, quia ex doctrina data ſequitur Filium non eſſe ſummè perfectum, immò eſſe imperfectum, quia non eſt ſummè perfectus, cui aliqua deficit perfectio, ſed potius dicendus eſt imperfectus, quia eſt incapax alicuius perfectionis, ſi enim Deus incapax eſſet alicuius perfectionis, profectò dicendus eſſet, non ſummè perfectus, ſed imperfectus.

16 Denique reſponderi poteſt ex doctrina P. Suarez nullam ſequi inæqualitatem inter divinas perſonas ex perfectione relativa, quia perfectiones relativæ, ſicut & ipſæ relationes ſunt diverſæ rationis, ac propterea nec æquales, nec inæquales, quia ad æqualitatem, & inæqualitatem requiritur quantitas eiuſdem rationis: alioquin divinæ relationes eſſent inæquales, quamquàm nullam dicerent perfectionem, qui a licèt nullam dicant perfectionem, ſunt tamen eſſentialiter diverſæ; ergo ſi hæc eſſentialis diverſitas componi poteſt ſine exceſſu, & inæqualitate, etiam ſalvari poterit eſſentialis diverſitas perfectionum de genere relativo.

17 Sed contra. Æqualitas, aut inæqualitas ſalvatur in quantitate, ſive molis, ſive virtutis; at in divinis relationibus, ſi nullam dicunt perfectionem, nulla eſt quantitas virtutis; ergo nullum eſt fundamentum inæqualitatis; ergo nil mirúm ſi nulla detur æqualitas, aut inæqualitas. Sed é contrà, ſi propriam addunt perfectionem habent quantitatem virtutis; ergo neceſſariò ſunt inæquales, quia ſpecies eſſentialitèr diverſæ neceſſario ſunt inæquales, ſunt enim ſpecies iuxta Philoſophum ſicut numeri, qui cum ſint eſſentialitèr diverſi, neceſſariò ſunt inæquales.

(†)

Secunda ratio eruta ex eodem Parente Anſelmo.

§. III.

18 MAgnus Parens Anſelmus in Monol. c. 14. ſic definit perfectionem ſimpliciter ſimplicem: *Eſt melior ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne incompoſsibile cum ipſa.* Eſt (inquam) melior ipſa, quàm non ipſa, non *privativè*, & contradictorié, quia ſic quælibet perfectio poſitiva eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, ſed *poſitivè*, ideſt, melior ipſa, quàm omnis alia perfectio, incompoſsibilis cum ipſa, qua ratione nulla perfectio ſimpliciter ſimplex eſt incompoſsibilis cum alia. Quam definitionem communitér probant Theologi. Ex qua ſic formatur ratio.

19 Si divinæ relationes ex proprio conceptu relativam perfectionem dicerent, eſſent, & non eſſent perfectiones ſimplicitér ſimplices; hoc eſt abſurdum;

ergo

ergo nõ dicunt ex proprio cõceptu perfectionem. Maior probatur. Eſſent perfectiones ſimpliciter ſimplices, quia ſunt in Deo, nedùm eminenter, ſed formaliter; nec eſſe poſſunt perfectiones imperfectionibus admixtæ; ergo eſſent neceſſariò perfectiones ſimpliciter ſimplices. Aliundè non eſſent, quia perfectio ſimpliciter talis eſt melior ipſa, quàm alia incompoſsibilis cum ipſa; ſed paternitas non eſt melior filiatione incompoſsibilis cum ipſa, alioquin Pater eſſet melior Filio; ergo paternitas non eſt melior filiatione. Rurſus. Perfectio ſimpliciter talis non eſt incompoſsibilis cum alia, ſed paternitas eſt incompoſsibilis cum filiatione, vtpotè illi oppoſita; ergo paternitas ex proprio conceptu non eſt perfectio.

20 Reſpondet Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 10. num. 4. relativam perfectionem non eſſe ſimpliciter ſimplicem, nec propterea imperfectione admixtam, quia non deficit à conceptu perfectionis ſimpliciter talis ex imperfectione, aut limitatione, ſed ex oppoſitione, vi cuius redditur incompoſsibilis cùm alia. Sed contra. Omnis perfectio reperta formaliter in Deo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex inxta communem Theologorum ſententiam; at paternitas eſt formaliter in Deo; ergo ſi ex proprio conceptu perfectionem dicit, erit perfectio ſimpliciter talis.

21 Secundò. Implicat paternitatem divinam eſſe perfectionem, & non eſſe infinitam; ſed implicat eſſe infinitam, & aliam perfectionem excludere, aut eſſe cum alia incompoſsibilem; ergo paternitas, vel non eſt formaliter perfectio, vel perfectionem filiationis non excludit. Probo minorem. Ea eſt perfectio infinita, cui nihil perfectionis deficit, etenim id, cui aliqua perfectio deficit, omnem perfectionem non continet, ac proinde non eſt infinitum; ergo implicat paternitatem eſſe perfectionem infinitam, & aliam perfectionem excludere. Tertiò. Si relationes divinæ eſſent perfectiones infinitæ, darentur plura infinita realiter diſtincta, quia relationes divinæ ſunt plures, & realiter diſtinctæ; hoc autem dici non non poteſt, & improbat Anſelmus pluribus in locis, præſertim in Monol. cap. 4. ergo dici non poteſt eſſe perfectiones ex proprio conceptu relativo.

22 Reſpondet idem Eximius Doctor hæc ita eſſe de infinito in genere entis, ſive in omni genere, vt eſſentia divina, non de infinito in determinato genere, nempè relativo, quod ſuo modo contingit in attributis abſolutis, nam intellectus eſt infinitus in linea intellectiva, nec propterea formaliter dicit perfectionem volitivi. Contra. Sicut infinitum in genere entis debet præcontinere omnem perfectionem in toto genere entis, ita infinitum in genere relativo (ſi perfectionem importat) debet vt minimùm præcontinere omnem perfectionem generis relativi; at hoc non habet paternitas, quia non continet perfectionem filiationis, quæ eſt de genere relativo; ergo. Et retorquetur exemplum. Intellectus divinus non eſſet infinitus, ſi aliud attributum, aliamque perfectionem realiter excluderet, & intimè non includeret; ſed paternitas realiter excludit filiationem; ergo non eſſet infinita in genere relativo.

Argumenta contraria diluuntur.

§. IV.

23 ARguitur primò. Myſterium Trinitatis eſt perfectiſsimum; ergo id, per quod in eſſe talis conſtituitur propriam perfectionem importat; at conſtituitur in eſſe talis per perſonalitates, aut relationes; ergo relationes propriam important perfectionem. Antecedens eſt certum, illudque oſtendunt frequentiſsimè Patres aſſerentes Trinitatem eſſe *vnam Deitatem in tribus perfectis ſubſiſtentijs*; vel vt inquit Epiphanius hæreſi 69. *tria perfecta, vna Deitas.* Et ita communiter alia Eccleſiæ oracula. Conſequentia autem optimè deducitur, quia nulla res poteſt eſſe perfecta niſi illius conſtitutivum dicat perfectionem.

24 Confirmatur primo. Quod natura divina ſit in tribus perſonis per identitatem exprimit ſummam perfectionem; non abſolutam; ergo relativam. Maior conſtat; quia eſſe

in tribus exprimit fæcunditatem; ſed hæc ſumma perfectio eſt; ergo perfectionem exprimit; qua ratione frequenter docent Patres naturam divinam fore imperfectam, ſi communicatione,& fæcunditate careret. Et ita Cyrillus lib. 2. Theſ. c. 1. ibi. *Non poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi filium habeat.* Nazianz. orat. 5. de Theol. *perfecta Deitas quomodò erit, in qua ad perfectionem aliquid deſideratur, diſideratur enim ſi Sanctita'e careat hanc porrò quomodò habere queat, niſi Spiritum habeat?* Minor autem, nimirum perfectionem illam non eſſe abſolutam, oſtenditur. Omnis perfectio abſoluta convenit omnibus,& ſingulis perſonis, vt patet in Omnipotentia, immenſitate, bonitate, ſapientia,& alijs; at fæcunditas non omnibus convenit perſonis; ergo non eſt perfectio abſoluta.

25 Confirmatur ſecundo. Si perſonalitates divinæ non afferrent propriam perſonalitatem relativam, dicere non liceret: *tres perfectos*; ſed ita dicitur communitér à Sanctis Patribus, vt ex dictis conſtat; ergo propiam afferunt perfectionem relativam. Sequela probatur ex Symbolo Athan. dicere prohibemur: *tres æternos: tres omnipotentes, &c.* ſed hoc ideò, quia æternitas omnipotentia, & alia huiuſmodi, attributa ſunt abſoluta, & non multiplicantur in Deo; ergo ſi perfectio in Deo eſſet abſoluta, & immultiplicabilis, dicere non liceret *tres perfectos.*

26 Ad argumentum conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens; ergo id, per quod in eſſe talis conſtituitur, &c. Ex parte naturæ, concedo conſequentiam; ex vi perſonalitatis, nego conſequentiam, itaque Myſterium Trinitatis non ex ſolis perſonalitatibus conſtituitur, ſed etiam natura, eſt enim vna natura in tribus; ad ſummam ergo tanti myſterij perfectionem ſatis eſt ſumma perfectio vnius naturæ in tribus, id eſt vnius naturæ commnnicabilis tribus perſonis, ad quod non requiritur, quod perfectio oriatur à tribus perſonalitatibus, ſed quod perfectio abſoluta naturæ exerceatur in illis. Quam doctrinam non impugnant Patres, ſed confirmant, numquam enim dixerunt relationes, ſubſiſtentias, aut perſonalitates eſſe perfectiones, quaſi in abſtracto, ſed eſſe perfectas in concreto, per quod ſatis indicant non oriri perfectionem à conceptu proprio relationum.

27 Ad prim am confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem, non abſolutam in abſoluto concedo minorem, in relativo nego minorem, & eodem modò diſtinguo conſequens. Ergo relativam à relatione nego conſequetiam, exercitam in relatione concedo conſequentiam, fatemur enim cum Patribus allegatis naturam divinam fore imperfectam ſi non communicaretur tribus perſonis, ad quod non requiritur, quod perfectio oriatur à tribus perſonalitatibus, ſed ſatis eſt, ſi ſint perfectionis terminus. Sic in prima perſona non eſſet potentia generativa, ſine paternitate, quin paternitas ſit potentia generativa, ſed connotatum. Sic Déus eſſet imperfectus ſine libertate ad quod non requiritur, quod actus liberi addant novam perfectionem diſtinctam ab actu neceſſario. Sic non eſſet ſummè perfectus ſine viſione futurorum quin viſio futurorum addat perfectionem diſtinctam à ſcientia neceſſaria. Sic eſſentia divina non eſſet obiectum motivum ad ſui viſionem ſine relationibus, nec obiectum motivum viſionis beatæ ſine relationibus; & tamen relationes non ſunt obiectum motivum, ſed terminativum tantùm, vt frequentiùs traddunt Theologi. Sic tandèm Deus non eſſet perfectus ſine relationibus oppoſitis, ſivè ſecúdum munus *ad*; & tamen fatentur plures ex Adverſarijs relationes ſecundúm munus *ad* non afferre perfectionem; & ſic de alijs pluribus; ergo optimè cohæret eſſentiam divinam non fore perfectam, ſi tribus non communicaretur perſonis, quin protereà perſonalitates relativæ propriam afferant perfectionem.

26 Secunda confirmatio facile retorquetur in Adverſarios, quoniam, & ipſi pleno ore dicunt: *Tres divinas perſonas*; & tamen divinitas, per quam conſtituuntur divinæ, eſt quid abſolutum, & immultiplicabile, ergo pari titulo dicere poſſumus *tres perfectos*, licét perfectio ſit abſoluta, & immultiplicabilis; & hoc ideó, quia etiam nomina abſoluta in concreto poſſunt dici pluralitèr: quo autem ſenſu hæc vera ſint dubio ſequenti examinabimus.

29 Sed contra hanc doctrinam inſurges. Si divinæ relationes non ſunt perfectiones, nulla Deo deficeret per-

perfectio, quanquàm relationes deficerent; ſed hoc eſt falſum, vt dictum eſt; ergo affirmare oportet eſſe perfectiones. Secundo. Si paternitas nullam afferret perfectionem propriam, & relativam, Pater æternus eſſet quidem perfectus, quia Deus, ſed non quia Pater; at hoc eſt falſum, & improbat Cyrillus lib. 1. theſ. cap. 6. his verbis: *Perfectus eſt non ſolùm, quia Deus, ſed etiam quia Pater.* Tertio. Si ſumma perfectio divinæ naturæ eſt eſſe communicabilem tribus perſonis tres perſonalitates ſunt ei debitæ; at debitæ non eſſent niſi perfectiones eſſent, & perficeretur ab illis, quia divinæ naturæ debitum eſt quidquid perfectionis eſt, non tamen quod perfectio non eſt, quia non ſpectat ad perfectionem Dei exigentia illius, quod perfectio non eſt; ergo.

30 Sed hæc non vrgent, & ex dictis ſoluta manent. Ad primum, nego maiorem. Deficeret enim divinæ naturæ ſumma perfectio, ſi deficerent relationes, non quia relationes perfectiones ſint, ſed quia illis deficientibus natura non eſſet cõmunicabilis, quod ſumma perfectio eſt. Ad ſecundum dico, quod Pater Æternus eſt perfectus, quia Deus, & quia Pater, non perfectione orta á paternitate, ſed exercita in paternitate, quatenùs perfectio naturæ extenditur ad perſonas, quod ſatis oſtendit Cyrillus loco allegato, vbi ita proſequitur: *Notio ergo perfectionis fœcunditas eſt, & ſigillum, quod Patris oſtendit perfectionem*; eſt ergo paternitas ſummè neceſſaria ad oſtendendam, & extendendam perfectionem naturæ, non ad aliam ſuperaddendam. Ad tertium, conceſſa maiori, nego minorem. Debitum namque eſt divinæ naturæ non ſolum quod perfectio eſt intenſivè, aut ſubiectivè, ſed etiam quod perfectio eſt extenſivè, aut terminativè; quæ omnia ex allegatis exemplis manifeſta fiunt.

31 Arguitur ſecundo. Proprietates relativæ ſunt obiectum adorationis latriæ canente Eccleſia: *Vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in Maieſtate adoretur æqualitas*; ergo ita adoratione digna eſt proprietas in perſonis, ſicut vnitas in eſſentia; ſed hæc adorabilis eſt ratione propriæ perfectionis; ergo & illa. Secundo. Non ſolúm adoramus Trinitatem propter perfectionem naturæ, ſed propter ipſam Trinitatem dicente Athanſ. in Symbolo: *Fides Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*; ergo non ſolũ adorandus eſt *vnus Deus in Trinitate*, ſive adoratione directa terminata ad vnitatẽ Dei ratione ſui, & ad Trinitatẽ indirectè ratione vnitatis Dei, ſed etiã adorãda eſt *Trinitas in vnitate*, ſive adoratione directè terminata ad Trinitatẽ ratione ſui, & ad vnitatem Dei indirectè, & ratione Trinitatis; ergo Trinitas ratione ſui perfectionem adoratione dignam importat.

32 Ad argumentum, conceſſis alijs, nego vltimam conſequentiam. Nam proprietates relativæ ſunt terminus *qui* adorationis, ſive obiectum *quod* adoratur, non verò ratio adorandi, vndè ſatis eſt ſi ſint ſummè perfectæ, nec requiritur afferre ex proprio cõceptu perfectionẽ, vt ex ſupra allegatis exemplis palàm eſt: immó adoratio ſæpè terminatur ad concretum, cuius forma non eſt adoratione digna. Patet ex eadem authoritate, in qua proponitur adoranda non ſolúm proprietas in perſonis, & vnitas in eſſentia, ſed in maieſtate æqualitas; & tamen æqualitas formaliter ſumpta eſt relatio rationis, quæ non eſt adoratione digna. Adoramus pariter Chriſtum filium Virginis: Deum vt Dominum, cum relatio filiationis, & dominij non ſint adoratione digna; terminatur ergo adoratio ad ſubiectum, & fundamentum, non ad formas illas metaphiſicas, per quod patet ad aliam impugnationem. Adoramus namque & vnitatẽ in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, ſed vnitatem Dei ratione ſui, Trinitatem relationum ratione divinitatis. Vt patet in Beato vidente media viſione beata, & vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, ſed vnitatem eſſentiæ vt obiectum motivum, Trinitatem relationum vt obiectum terminativum.

33 Replicabis ex Epiphanio in Ancorato pag 6. *Honoratur Pater ſecundùm quod Pater eſt; honoratur Filius prout Filius eſt; honoratur Spiritus Sanctus prout Spiritus Sanctus eſt*; ſed hoc eſſet falſum, ſi paternitas, filiatio, & ſpiratio, non afferrent proprium adorationis motivum, ſi enim ſola natura eſſet motivum adorationis, adorandus eſſet Pater, quia Deus, non tamen, quia Pater eſt; ergo. Secundo. Si dicta doctrina vera eſſet, relationes vt diſtinctæ, & præciſæ ab eſſentia non eſſent adorandæ, quandoquidem in illis nullum eſſet adorationis

motivum; quia nulla res vt diſtincta ab alia poteſt conſtitui adorabilis per id ipſum, à quo diſtinguitur; at hoc dici non poteſt, quia quælibet perſona vt diſtincta ab alia verè adoratur, noſtraſque orationes ſæpè ad determinatam perſonam dirigimus, vt in Litanijs dicimus: *Pater de Cælis Deus, &c. Filij Redemptor mundi Deus, &c. Spiritus Sancte Deus. Veni Creator Spiritus, &.* ergo in relatione diſtinguente vnam perſonam ab alia aſsignandum eſt motivum adorationis.

34 Sed quod attinet ad Epiphanium, alioſque Patres eodem modo loquentes ſciendum eſt eos ad veritatem catholicam edocendam collimaſſe, vndé dixerunt contra Sabellium tres perſonas eſſe adorandas, non vnam tantùm: nec vnam præ alijs contra Arrium, & Macedonium, negante illo divinitatem Filij, hoc verò Spiritus Sancti: nec denique adorandos eſſe tres Deos contra Tritheitas quæ omnia veriſsima ſunt in noſtra ſententia aſſerente non ſolam eſſentiam, ſed Trinitatem in vnitate eſſe adorationis terminum; quo ſenſu honoratur tanquam honorationis obiectum Pater vt pater eſt; Filius vt filius eſt, & ita Spiritus Sanctus, & hanc doctrinam inficiari non poſſunt Adverſarij aſſerentes relationes ſecundùm conceptum *ad* non afferre perfectionem, cum tamen Pater vt pater eſt dicat paternitatem ſecundùm conceptum *ad*.

35 Ad ſecundum concedunt aliqui ſequelam, in quo nullum abſurdum inveniunt. Sed clarius diſtinguo maiorem. Relationes vt diſtinctæ ab eſſentia diſtinctione includentis, & excluſi, concedo maiorem. Includentis, & incluſi, nego maiorem. Si enim relationes ita præſcindantur à divinitate, vt divinitatem prorſus excludant, certum eſt non eſſe adorabiles, ſed ita præſcindi non poſſunt, cum ſemper concipiantur vt relationes, & perſonalitates divinæ, ideoquè includentes divinitatem, etſi expreſsè non dicant. Et ita conſtat exemplo allegato, quo proponitur *Pater*, non vtcúque, ſed de *Cælis Deus*, Filius vt *Deus*, & Spiritus Sanctus *Deus*, quibus ſatis ſignificatur ſolam divinitatem eſſe adorationis motivum.

36 Argumentum tertium conſtitutivum ſuppoſiti perfecti perfectionem importat; ſed relatio divina eſt conſtitutiva ſuppoſiti perfecti; ergo perfectionem importat. Minor conſtat, quia quælibet perſona divina eſt ſummè perfecta. Confirmatur primo. Conſtitutivum perſonæ creatæ dicit perfectionem; ergo potiori titulo conſtitutivum perſonæ increatæ, alioquin perſona creata increatam excederet. Secundo. Poſſe terminare alienam naturam eſt ſumma perfectio, ideòque creaturæ, vtpotè finitæ, & limitatæ, convenire non poteſt; at divina perſonalitas terminare poteſt alienam naturam, vt patet in perſonalitate Verbi reſpectu humanitatis; ergo perfectionem importat.

37 Ad argumentum, diſtinguo maiorem. Conſtitutivum per modum perficientis, concedo maiorem, per modum terminantis perfectionem, nego maiorem. Conſtat ex dictis perſonas divinas eſſe ſúmè perfectas, ſed perfectione orta à natura, & exercita in perſonis. Ad primam cõfirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſeq. quia perſonalitas creata eſt abſoluta, increata verò relativa; illa perficit ſubiectum propter ſe, & in ſe; hæc verò ordinat ad aliud: nec ideò perſonalitas creata increatam excedit, ſed infinitè excedítur, quia increata eſt entitas, & nõ modus, identificata cum natura divina, & infinita, perfectionemque infinitam terminans, propter quæ, & alia plura toto cœlo diſtat à creatura. Ad ſecundam, dico poſſe terminare alienam naturam eſſe perfectionem convenientem perſonalitati divinæ, nõ ratione ſui, ſed ratione naturæ incluſæ, quia licet ratio terminandi naturam humanam conveniat perſonalitati ratione ſui; attamen ratio perficiendi, ſicut & ſanctificandi non convenit ratione ſui, ſicut perſonalitates beatificant per modum obiecti; ratio tamen beatificandi eſt divina eſſentia.

38 Arguitur quarto. Relationes divinę non dicunt imperfectionẽ; ergo perfectionẽ, quia inter perfectionẽ, & imperfectionem non eſt medium. Si reſpondeas id verum eſſe in rebus, quibus debita eſt aliqua perfectio, non verò in relationibus, quibus nulla eſt debita perfectio. Contra inſurgit P. Suarez. Maxima imperfectio eſt eſſe tale ens, cui nulla debetur perfectio; immó incapax perfectionis eſt; ergo ſi tales ſunt relationes divinæ erunt maximè imperfectæ.

39 Confirmatur. Illud dicitur perfectum, cui nihil deficit in proprio genere, vt inquit Ariſt. 5. Met. c. 16. &

ibi

ibi D. Thomas text. 21. lect. 18. ita ſe habent relationes divinæ, cum ſint in ſuo genere quid completum; ergo. Secundò. Relationes divinæ non abſtrahunt ab ente, & non ente, ſed ſunt determinatè verum ens reale; ergo non abſtrahunt á bonitate, & non bonitate, & conſequenter nec à perfectione, & imperfectione.

40 Ad argumentum optima eſt ſolutio data. Ad impugnationem dico eſſe maximè imperfectum ens, cui nulla debetur perfectio, nec realitèr, & identicé, non tamen illud, cui ſolùm non debetur ex conceptu expreſſo, vt contingit in præſenti. Ad primam confirmationem dico ibi ſermonem eſſe de perfecto in genere entis, ſicut de completo, & integro, quo ſenſu peccatum, & quodlibet ens, quantumvis pravum, dici poteſt perfectum, hoc eſt completum; attamen in præſenti loquimur de perfecto in dignitate, & æſtimabilitate. Ad ſecundum fiet ſatis dubio ſequenti.

41 Arguitur quinto. Eſſe principium Filij eſt perfectio Patris; ſed non abſoluta; ergo relativa. Minor probatur. Eſſe principium Filij non poteſt convenire Filio; ergo non eſt abſoluta, cum perfectio abſoluta omnibus perſonis conveniat. Secundo. Perſonalitas divina continet eminenter perſonalitatem creatam; at continentia eminentialis dicit perfectionem; ergo. Tertio. Exigere identitatem cum ſumma perfectione perfectio eſt; at relationes divinæ exigunt identitatem cum ſumma perfectione, ſive cum eſſentia ſummè perfecta; ergo perfectionem importat. Quarto. Attributa abſolura addunt aliquam perfectionem eſſentiæ virtualitèr diſtinctam; ergo & relativa, nulla enim aſsignari poteſt diſparitatis ratio.

42 Ad argumentum dici poſſet eſſe principium filij dicere perfectionem convenientem etiam Filio, licèt non ſub eadem denominatione, ſed ſub diverſa, nimirùm principiati, ſive geniti. Sed clariùs conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Sed non abſoluta in abſoluto, concedo minorem; in relativo, nego minorem. Nam eſſe principium importat intellectionem ex parte recti, & relationem ex parte connotati, tota ergo perfectio provenit ab abſoluto, quamquàm exerceatur in relativo connotato.

43 Ad ſecundum iam conſtat qualitèr perſonalitas divina contineat eminenter perſonalitatem creatam ratione naturæ incluſæ, non ratione ſui, & prout diſtincta à natura. Ad tertium, diſtinguo maiorem. Exigere identitatem per exigẽtiam poſitivam, concedo maiorem, negativam, nego maiorem. Itaque relationes non tam exigunt eſſentiam, quám exigũntur ab eſſentia, quia identitas relativi cum abſoluto provenit ab infinitate: infinitas autem eſt propria naturæ. Ad quartũ, conceſſo antecedenti, nego conſeq. Nam attributa abſoluta reſpiciunt eſſentiã ratione ſui, & per modum ſubiecti ibi ſiſtendo, ac ideò ponendo in ea aliquid, per quod in ſe perficiatur: attamen relatio, cum totum ſuum eſſe habeat in ordine ad aliud, non reſpcit ſubiectum ibi ſiſtendo, ſed referendo ad terminum, in quo nulla explicatur perfectio: præterquamquod ex perfectione abſolutorum non ſequuntur incõmoda allegata ex perfectione relativa, cum illa ſint in omnibus perſonis, non iſta. Alia, quæ opponi poſſunt, dubio ſequenti propriam ſedem habent.

DUBIVM V.

Quænam prædicata admittant pluralitatem in Deo.

§. I.

1 QVanquàm vbi de rè ipſa conſtat non ſit contendendum in vocibus, nihilominus in tanto myſterio non ſolùm dignum eſt rectè ſentire, ſed etiam in vocibus cavere ſcopulos, in quibus ſæpè naufragium patiuntur Hæretici, ideoque ad pleniorem ſummæ Trinitatis expoſitionem inquirimus, quænam prædicata pluralitatem admittant, quæque recuſent? Nam aliqui in vno; alij in alio vnitatem, aut pluralitatem ſtatuunt, vt ex diſcurſu conſtabit. Et notandum aliqua eſſe prædicata in Deo, quæ perſonis conveniunt ratione eſſentiæ tantúm: alia tantúm ratione perſonalitatum: alia vtroque modo; prima prædicantur ſingularitèr: ſecunda pluraliter: tertia vtroque modo: quæ regula apud omnes certa deſumpta eſt ex illo communi axiomate ab Anſelmo ſæpè tradito: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Sed

adhuc ſub dubio eſt, quænam ab eſſentia: quævè à relationibus: & quæ ab vtroque deſumi poſsint.

(†)

Omnia tranſcendentia ſingularitèr, & pluralitèr prædicari ſuadetur.

§. II.

2 DIcendum rem, ſive realitatem, entitatem, vnitatem, & alia tranſcendentia vtroque modo prædicari poſſe in divinis: cætera autem prædicata, ſi abſoluta ſint, prædicari tantùm ſingularitér; ſi relativa pluralitèr. Primam partem docet expreſsè Parens Anſelmus, lib. de fide Trinitatis cap. 3. in cuius titulo demonſtrandam ſtatuit: *Quod non ſunt tres Dij, quamquàm tres res perſonales, vna tamen res eſſentialis*; ergo res dicitur eſſentialitèr, & perſonalitér; ergo tres Divinæ Perſonæ ſunt tres *res*, & vna. Et in corpore ait: *Omnes Chriſtianos ſentire perſonas divinas ſecundùm propria, & perſonalia eſſe tres res, ſed ſecundùm eſſentiam vnam rem abſque ſeparatione aliqua, vel diviſione*: quaré ibi Rucelinum impugnat, non ex eo, quod ponat in divinis tres res, ſed ex eo quod ponat tres res ſeparatas, ſicut tres Angeli, vel tres animæ, vt latius diximus t. 1. in Scholijs.

3 Ratio autem deſumi poteſt ex ipſa natura *rei*; nàm res, ſive realitas denominatur ab eo, quod re vera eſt aliquid extra animam, ideſt, non ſolúm obiectivé in intellectu, ſed re ipſa; at non ſolùm eſſentia, ſed etiam perſonalitates divinæ ſunt aliquid extra animam, & non ſolùm obiectivé in intellectu; ergo denominatio *rei* deſumi poteſt non ſolùm ab eſſentia, ſed etiam à perſonalitatibus; ergo ſicut eſſentia eſt vna, & perſonalitates plures, ita res deſumpta ad eſſentia erit vna, & deſumptà à perſonalitatibus plures. Et ita docet idem Anſelmus loco citato: ibi: *Solemus vſu dicere* rem *quidquid aliquo modò dicimus eſſe aliquid*; *qui autem dicit de Deo Patrem, & Filium, aliquid de eo dicit; & omnes ſciunt Patrem non eſſe Filium, & Filium non eſſe Patrem.*

4 Eandem tradit doctrinam Doct. Ang. in 1. diſt. 25. q. 1. a. 4. ibi. *Quidditas, ſive forma, à qua ſumitur nomen rei, in divinis conſideratur dupliciter, aut vt forma abſoluta, vt eſſentia, vel Deitas, & huiuſmodi, quæ non multiplicantur in divinis*: vndè & *nomen* rei, *quod à tali forma ſumitur, pluraliter non prædicatur, ſed ſingularitèr, prout dicitur quod Pater, & Filius ſunt vna* res. *Eſt etiam in divinis quædam forma relativa, vt paternitas, quæ ſecundùm rationem, non ſolùm in intellectu exiſtentem, ſed etiam extrà, eſt alia à filiatione*: vndè *ſecundùm quod ab hac relatione ſumitur nomen* rei, res *pluralitèr prædicatur, vt ſint ibi plures tales formæ relativæ.*

5 Ex his deducitur darì quidém tres perſonas in Deo, non tamen tres Deos: nec item tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos ſubſtantivè, ſed tantùm adiectivé, quia perſonalitas eſt ad aliud, & multiplicatur; at divinitas, ſive eſſentia divina eſt ad ſe, & nullo pacto ad aliud, nec relativa: cæteræ autem denominationes dictæ ſunt etiam ad ſe, & ſumuntur ab eſſentia, ideòque non multiplicantur. Huius differentiæ rationem quærit Auguſtinus in quæſtiunculis de Trinit. & reſpondet: *Quia Deus, & Omnipotens, & magnus, & bonus, ſubſtantialia nomina ſunt, & ad ſe dicuntur.* Idemque docet S. Anſelmus, de vita, luce, æternitate, beatitudine, & ſimilibus in Proſol. c. 22. vbi ità Deum alloquitur: *Sed vita es, & lux, & beatitudo, & æternitas, & multa huiuſmodi bona, & tamen non es, niſi vnum, & ſummum bonum.* Ex quibus facilé colligitur nec perfectionem, nec infinitatem poſſe pluraliter prædicari, nam perfectio coincidit cum bonitate; ex bonitate, & perfectione ſumma ſequitur infinitas, vndè hæc omnia pluralitèr prædicari non poſſunt.

6 Dicendum ſecundò etiam *vnitatem* ſumi poſſe ab eſſentia, & relatione; vndè abſolutè eſt vna, & relativè multiplex. Primam partem oſtendit Parens Anſelmus in Proſol. c. 23. vbi ait: *Quod autem eſt ſingulus quiſque, hoc eſt tota Trinitas, ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quàm ſummè ſimplex vnitas, & ſummè vna ſimplicitas, quæ nec multiplicari, nec aliud, & aliud eſſe poteſt.* Secundam partem oſtendit loco citato dicens: *Omnes Chriſtianos ſentire perſonas divinas ſecundùm propria, & perſonalia eſſe tres res*, &. in Monol. c. 78. *Poteſt ergo hoc neceſsitatis*

tis ratione irreprehenſibilitèr illa ſumma, & vna Trinitas, ſive trina vnitas, dici vna eſſentia, & tres perſonæ; ergo in perſonis datur numerus ternarius; ſed numerus ternarius conſurgit ex triplici vnitate; ergo datur triplex vnitas relativè. Id ipſum ſequitur de nomine *aliquid*, quod etiam eſt indifferens vt ſumatur ab eſſentia, & perſonalitate, ſicut dictum eſt de *re*; ergo etiam relativè prædicari poteſt pluralitèr.

7 Ratio generalis omnium deſumpta eſt ex D. Thoma pluribus in locis, quæ eſt tranſcendentia, nam ea, quæ formalitèr tranſcendunt abſoluta, fiunt abſoluta, & quæ tranſcendunt relativa, fiunt relativa; ergo ea, quæ tranſcendunt prædicata, quæ dicuntur ſingularitèr, prædicantur ſingularitèr; & quæ tranſcendunt prædicata, quæ dicuntur pluralitèr, paritèr pluralitèr prædicantur: quarè 1. p. q. 39. a. 5. ad 3. ait: *Dicendum, quod hoc nomen* res, *eſt de tranſcendentibus, vndè ſecundùm quod pertinet ad relationem pluralitèr prædicatur in divinis, ſecundum verò quod pertinet ad ſubſtantiam, ſingularitèr prædicatur.* Idemque dixerat q. 30. a. 3. ad 1. *Dicendum, quod cum vnum ſit de tranſcendentibus eſt communius, quàm relatio, vndè poteſt ſtare in divinis pro ſubſtantia, & pro relatione.*

8 Uerùm ex his inſurgit gravis dubitandi ratio ex mente D. Thomæ, qui loco citato ex diſt. 25. docet *ens* ſubſtantivè acceptum non poſſe prædicari pluralitèr in Deo, ſed tantum adiectivè. Et in ſolut. ad 1. redit diſparitatem inter *ens*, & *rem*: ibi. *Dicendum, quod nomen* entis *nullo modo ſumitur ab aliqua relatione, ſed ab eſſe, quod eſt abſolutum ſimpliciter in divinis, & ideò non prædicatur pluraliter ex forma ſua, ſed ex ſuppoſito, prout eſt adiectivum, vel participium: ſed nomen* rei *imponitur à quidditate, vel forma, quæ poteſt eſſe abſoluta, & relativa, & ideò poteſt pluraliter prædicari.*

9 Propter hæc opinatur Emin. Aguirre, diſp. 71. Ang. Doct. in Summa Theologiæ mutaſſe ſententiam, cùm ibi expreſsè doceat tranſcendētia prædicari poſſe pluralitèr. Sed vtraque ſententia conciliari poteſt. Nam ens vt deſumptum ab *eſſe*, quod eſt abſolutum, non poteſt dici pluraliter, ſicut nec ipſum *eſſe*, ex quo denominatur, vt inquit S. D. loco proximè citato: ſumi etiam poteſt vt importat puram entitatem oppoſitam nihilo, & in hoc ſenſu eſt tranſcendens, ac in relationibus multiplicatur.

10 Supereſt decidenda controverſia de *veritate*. Nam *veritas* non minus eſt tranſcendens, quàm *ens*, & *res*, & tamen veritas non multiplicatur in divinis; ergo non omnia tranſcendentia poſſunt prædicari pluralitèr in divinis. Maior conſtat. Nam veritas ſequitur ad ens; ſed ens eſt tranſcendens; ergo & veritas. Minor autem principalis probatur ex S. Anſelmo in Monol. c. 38. vbi ait: *Licèt enim ſingulatim, & ille perfectè ſit ſumma veritas, & creator; & verbum eius ſit ſumma veritas, & Creator; non tamen ambo ſimul ſunt duæ veritates, aut duo creatores*; ſed ratio Creatoris talitèr eſt vna, vt pluralitèr nullo modo prædicari poſsit; ergo nec veritas.

11 Nihilominus reſpondeo veritatem aliam eſſe radicalem, & incomplexam: aliam formalem, & complexam: prima convertitur cum ente, ac de ea diſcurrendum eſt, ſicut de ente: ſecunda, quæ abſolutè, & propriè talis dicitur, nec eſt tranſcendens, nec ſequitur ad ens vt cumque, ſed ad ens vt immateriale, & vt importat ordinem ad intellectum; ideòque definitur ab eodem Anſelmo, opuſculo de veritate, per hoc, quod ſit *adæquatio rei, & intellectus*; cum ergo immaterialitas Dei ſit vna, & non prædicetur pluralitèr, & importet vnam adæquationem cum intellectu, idcircò veritas non multiplicatur, nec pluraliter prædicatur.

TRAC-

TRACTATVS IV.
DE DIVINIS PERSONIS IN COMMVNI.

QUOD Attinet ad exiſtentiam trium perſonarum, earumque diſtinctionem in perſona, & vnitatem in natura, diximus tract. 1. Quod verò pertinet ad generationem Verbi, & proceſsionem Spiritus Sancti, tractat. 2. varijs dubijs explicatum eſt, & infrà operoſiùs explorabimus, dùm de perſonis in particulari ſermo procedat. Quod tandem ſpectat ad earum relationes tract. antecedenti explanare curavimus. Impræſentiarum agendum ſupereſt de conceptu proprio perſonæ, perſonarum conſtitutivo, ac de earundem perſonarum vnitate, vel pluralitate in exiſtentia, & ſubſiſtentia.

DVBIVM I.

An ratio perſonæ verè, & propriè reperiatur in divinis?

§. I.

1 CUM Divina ſint humanis mentibus prorſus inacceſſa, atque adeò potius veneranda, quàm curioſiùs rimanda, præmittendum eſt ob inopiam vocabulorum prævaluiſſe non diſimulandam in Eccleſia contentionem. Semper enim Eccleſia Catholica Deum Unum, & Trinum adoravit, non ſemper Trinitatem nomine *perſonarum* expreſsit, nec ſemper *perſonalitates* ipſius *ſubſtinentiæ* vocábulo explicavit: orta tamen Sabeliana hæreſi Sancti Patres ad catholicam veritatem, quam credebant; defenſandam, oportunas voces elegerunt, quibus internos animi conceptus, ac veræ fidei ſenſum, clariùs exponerent: primum ergo *perſonæ*, dein *ſubſiſtentiæ* nomen invectum eſt.

2 Cùm igitur primùm Sabelliana geſtis orientales plagas invexit, recuſſa ſunt hęc duo nomina *Proſopon*, & *hypoſtaſis*. Poſteà eadem peſte penes occidentem ſeviente orta eſt alia non levis controverſia inter Latinos, & Græcos circa nomina Græcis vocibus correſpondentia, nam *hypoſtaſim* Græci vocant *vſiam*, cum ergo *vſia* latinè dicatur *ſubſtantia*, tres ſubſtantias nobis obtrudere ſatagebant: qua ratione inquit D. Thomas 1. p. q. 29. a. 3. ad 3. *Hieronymus autem dicit ſub hoc nomine venenum latere, quia ante quam ſignificatio huius nominis eſſet pleuè nota apud Latinos, hæretici per hoc nomen ſimplices decipiebant, vt confiterentur plures eſſentias, ſicut confitentur plures kypoſtaſes, propter hoc, quod nomen ſubſtantiæ (cui correſpondet in Græco nomen hypoſtaſis) communitèr accipitur apud nos pro eſſentia.*

3 Hæc omnia luculenter expreſsit Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 9. *Eſſentiam dico, quod vſia græcè dicitur quam vſitatius ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidèm & illi* hypoſtaſim, *ſed neſcio quod volunt intereſſe inter* vſiam, & hypoſtaſim, *ita vt plerique noſtri, qui hæc græco tractant*

ele-

eloquio dicere conſueverint mian vſiam, tris hypoſtaſis, *quod eſt Latinè vnam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cum dicimus* eſſentiam, *quod intelligitur eum dicimus* ſubſtantiam *non audemus dicere* vnam eſſentiam, tres ſubſtantias, *ſed vnam eſſentiam, vel ſubſtantiam, tres autem perſonas, quemadmodum multi Latini iſta tractantes, & digni authoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, quo enunciarent verbis, quod ſine verbis intelligebant. Re vera cum Pater non ſit Filius, & Filius non ſit Pater, & Spiritus Sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater ſit, nec Filius, tres vtique ſunt: ideòque pluralitèr dictum eſt:* Ego & Pater vnum ſumus; *non enim dixit* vnum eſt, *quod Sabelliani dicunt, ſed* vnum ſumus. *Tamen cùm queritur quid tres? Magna prorſus inopia humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen tres perſonæ, non vt illud diceretur, ſed nè tacentur.*

4 Prædicta Græcorum locutio in cauſa fuit vt Anſelmus noſter in Monol. c. 76. dixerit Trinitatem poſſe dici tres ſubſtantias, quod advertens in Prologo notavit, *Quod enim dixi ſummam Trinitatem poſſe dici tres ſubſtantias, Græcos ſecutus ſum, qui confitentur tres ſubſtantias in vna eſſentia eàdem fide, quà nos tres perſonas in vna ſubſtantia.* Denique in ipſo *ſubſtantiæ* nomine non nulla paritèr poſſet eſſe contentio, quia vt notat idem Anſelmus c. 78. ſubſtantia dicitur à ſubſtando accidentibus, quod in Deo nullum locum habet; ergo ſubſtantia non poteſt prædicari de Deo. Nihilhominus ait poni in Deo ſubſtantiam pro eſſentia, quia eſſentia divina inopia vocabulorum alio aptiori nomine ſignificari non poteſt. Et ideó [vt optimè notat D. Thomas 1. p. q. 29. a. 3. ad 2.] in Deo ponitur ſubſtantia, non quantùm ad id, á quo nomen impoſitum eſt, id eſt à ſubſtentatione accidentiũ, ſed quantùm ad id, ad quod ſignificandum imponitur; cum ergo nomen *ſubſtantiæ* impoſitum ſit ad ſignificandam naturam per ſe exiſtentem, ideò Deo proprie convenit ratio ſubſtantiæ.

5 Igitur quartò ſeneſcente Eccleſiæ ſæculo diſcriminatum eſt nomen *hypoſtaſis* ab *Vſia*; & hypotaſis ſignificata eſt, primò nomine *ſubſtantiæ*, poſteá expreſsius nomine *ſubſiſtentiæ*: Vſia autem ſignificata eſt nomine *eſſentiæ*. Et hæc eſt cauſa cur in Nicæna Synodo *hypoſtaſis*, & *vſia*, ſivè *ſubſtantia*, & *ſubſiſtentia*, pro eodem vſurparentur, cum eo tempore diſcriminatio facta non eſſet (quamquam priùs, & poſteriùs idem crederent, & interiùs conciperent.) Etenim in fine Symboli intorquet anathema contra dicentes de Verbo Divino: *Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat, & quia ex nullis extantibus factus eſt, aut ex alia ſubſiſtentia, vel ſubſtantia.* En vbi ſubſiſtentia, & ſubſtantia: ſivè hypoſtaſis, & Vſia indiſcriminatim ſumuntur. Et ita Athanaſius, cui notiſsima erat Nicænæ Synodi mens, in Epiſtola ad Africanos ita ſcribit: *Hypoſtaſis eſt vſia, neque ſignificationem habet aliam, niſi hoc ipſum, quod eſt, quam Ieremias vocat hyparxin, id eſt, extantiam his verbis: & non audierunt vocem extantiæ. Nam hypoſtaſis, & Vſia idem eſt cum extantia: eſt enim, & exiſtit.* Cofundebantur ergo eo tempore nomina *Vſiæ*, hypoſtaſis, & hyparxin.

6 Hæc notanda duxi, nequis equivocationem patiatur in doctrina Patrum orientis Eccleſiæ; aut ex eorum locutione novos contra eorum mentem, & ſenſum, obtrudat errores. Nam Sabellius vnam agnoſcens naturam, eamque à perſona non diſtinguens, vnam tantum induxit perſonam in Trinitate. E contra Arrius [eandem diſtinctionem naturæ à perſona, aut ignorans, aut diſsimulans] tres confitendo perſonas trinitatem poſuit in natura, vt eruditè deſcribit Vigilius Epiſcopus, & Martyr lib. 1. contra Eutichen. ibi: *Sabellij perfidia Arrij damnat errorem: rursùs Arriani dogmatis error Sabellij impietatem excludit. Siquidèm Sabellius vnius naturæ probabili quidèm confeſsione deceptus, Trinitatis vnam putavit eſſe perſonam: vt ex hoc, quod trium vna natura eſt, vna intelligitur eſſe perſona.. Contra. Arrius tres ſubſtantias, atque diſtinctas, ſicuti verè ſunt perſonas accipiens, tres eorum diſsimiles credidit eſſe naturas.*

7 His ergo poſitis ad præfixum dubium exponendum notandum Perſonam ita communitèr definiri: *Eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia.* Dicitur *rationalis naturæ* ad excludendam naturam non intellectualem; non quia ratio perſonæ conveniat ſoli naturæ vtenti diſcurſu, ſed vtenti ratione, ſivé intellectu, qua ratione claritatis gratia loco *rationalis* ponitur ab alijs *intellectualis*. Additur *individua ſubſtantia*, vndè *omnis homo individuus perſona eſſe dignoſcitur*, inquit Anſelmus, de fide Trinitatis c. 6. vbi nomine *ſubſtantiæ* intelligitur ſubſ-

ſubſtantia completa, quarè caput, manus, & aliæ partes, quanquàm ſint individua ſubſtantia, non ſunt perſona: nec anima rationalis in ſtatu ſeparationis, quanquàm ſit individua ſubſtantia ſubſiſtens, denominari poteſt perſona. Superadditur etiam *individua*, vt intelligatur ſubſtantia prima, non ſecunda, nam genera, & ſpecies, quanquàm ſint de genere ſubſtantiæ, non dicuntur perſonæ, ſed ſola ſubſtantia prima per ſe ſubſiſtens incommunicabiliter.

8 Præterea. Communicabilitas eſt duplex: prima dicitur communicabilitas vt *quod*, & hoc modo ſuperius communicatur inferiori, vt animal homini; ſecundò vt *quo*, & hoc modo communicatur anima corpori: quæ communicantur primo modo prædicantur de ſubiecto, vnde hæc eſt vera: *homo eſt animal*. Quæ verò communicantur ſecundo modo non prædicantur de ſubiecto, cui communicantur; vndè hæc eſt falſa: *corpus eſt anima*. Porrò. Individua ſubſtantia, quæ ponitur in definitione perſonæ, debet eſſe vtroque modo incommunicabilis; & hac ratione latè docet Anſelmus, cap. 6. citato, quod licèt humanitas Chriſti Domini ſit individua ſubſtantia, non ideò eſt perſona, quia eſt communicabilis perſonæ Verbi; qua etiam ratione, ſi in divinis ponatur ſubſiſtentia abſoluta, non ideò conſtituit perſonam, quia adhuc eſt communicabilis ſubſiſtentiæ relativæ. Ex quibus omnibus deducitur perſonam eſſe *intellectualis naturæ individuam*, ideſt, *incommunicabilem ſubſtantiam*. His poſitis inquirimus. An ratio perſonæ verè; & propriè reperiatur in Deo?

CONCLVSIO.

§. II.

3 Dicendum in Deo verè, & propriè reperiri conceptum perſonæ. Eſt fide catholica certa, & conſtat ex Athanaſio dicente in Symbolo: *Alia eſt enim perſonâ Patris, alia Filij, & alia Spiritus Sancti.* Ratione convincitur. Perſona eſt intellectualis naturæ individua, ſine incommunicabilis ſubſtantia; ſed Pater (idem de Filio, & Spiritu Sancto) eſt intellectualis naturæ individua, ſivè incommunicabilis ſubſtantia; ergo eſt propriè perſona; ergo ratio perſonæ verè, & propriè reperitur in Deo. Minor probatur. Eſt enim Pater intellectualis naturæ, nam (vt docet Anſelmus) in ratione intellectivi ſuperat homo cæteras creaturas; ergo hæc perfectio ponenda eſt in Deo, qui longè ſuperat omnes creaturas: at etiam ratione ſupernaturalitatis eſt omnino incommunicabilis; ergo Pater eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſtantia.

10 Dices. Ratio perſonæ eſt propria naturæ incommunicabilis, ſed Deus eſt communicabilis, ac de facto facta eſt communicatio naturæ humanæ in Filio; ergo Filius non eſt perſona. Reſpondeo Filium eſſe perſonam, & omninò incommunicabilem perſonæ extraneæ, quod non impedit communicabilitatem extraneæ naturæ, quia hæc non eſt communicatio ad vlteriorem terminum, quoniam Filius non ſubſiſtit per naturam humanam, aut illius ſubſiſtentiam, ſed potius natura humana ſubſiſtit in Verbo; vndè Verbum Divinum communicatum naturæ humanæ non eſt communicatum alteri ſuppoſito, vel perſonæ, ſed alteram naturam ſibi hypoſtaticè coniungit, vt eam reddat ſubſiſtentem in ſe.

(†)

DVBIVM II.

An perſonalitas ſit aliquid diſtinctum à natura?

§. I.

1 Poſita ex ſuperiori dubio ſignificatione vocum, præſertim poſt ſopitam controverſiam inter Latinos, & Græcos, inquirimus quid addat perſonalitas ad naturam, vbi nomine perſonalitatis ſubſiſtentiam intelligimus; conſtat enim ex præcedenti dubio ſubſiſtentiam ſolùm differre à perſonalitate, præſertim in creatis, in modo denominandi, nàm denominatio ſubſiſtentis convenire poteſt ſubſtantiæ, ſivè completæ, ſive incompletæ: denominatio ſuppoſiti ſoli naturæ completæ: denominatio verò perſonæ ſoli naturæ rationali. Undè ſeo eſt ſuppoſitum, ſed non perſona: anima

ma rationalis ſeparata eſt ſubſiſtens, ſed non perſona, nec ſuppoſitum: homo eſt ſuppoſitum, ſubſiſtens, & perſona. Quæ autem differentia eſſe poſsit inter perſonalitatem, & ſubſiſtentiam in divinis, ad præſentem non ſpectat controverſiam, ſed infra proprijs locis examinabitur.

2 Prima ergo opinio docet naturam, & ſuppoſitum ſolùm diſtingui ex modo ſignificandi, quatenùs eadem entitas ſignificata in abſtracto, ſive vt habita dicitur natura; ſignificata in concreto, & vt habens dicitur ſubſiſtens, & perſona. Ita Durandus, Henricus Gandavenſis, Aureolus, Bachonius, & alij. Secunda tenet ſubſiſtẽtiam addere negationem quandam infra exponendã. Ita Scotus, quem ſequuntur frequentius ex ſua Schola Doctores. Nihilominus Bartholomęus Durand. diſp. 4. q. 2. docet perſonam divinam non importare pro formali negationem communicabilitatis, ſed aliquid poſitivum; in cuius ſuffragium allegat ſuum Subtilem Doctorem in 1. diſt. 23. q. vnica. Tertia tandem docet ſubſiſtentiam ſuperaddere naturæ modum quendam, ſive terminum realitèr diſtinctum à ſubſtantia creata, & ratione tantùm à divina. Ita frequentior Theologorum conſenſus.

NOSTRA ASSERTIO.

§. 2.

3 DIcendum perſonalitatem eſſe quid diſtinctum à natura, aut realiter, vt contingit in creatis, aut virtualitèr, vt contingit in divinis. Suadetur ratione communi, & efficaci. Perſonalitas ſeparari poteſt à natura creata; ergo realitèr diſtinguntur, quoniam ſeparatio realis eſt manifeſtum argumentum diſtinctionis realis. Antecedens probatur. De facto ſeparata eſt à natura humana Chriſti Domini; ergo eſt ſeparabilis à natura creata. Antecedens probatur ex definitione Concilij Epheſini ſtatuentis contra Neſtorium in Chriſto vnicam tantùm eſſe perſonam; at duplex eſſet perſona, ſi perſonalitas creata ſeparata non eſſet; ergo ſeparata eſt. Probo minorem. Ex natura ſubſtantiali intellectuali propria terminata perſonalitate reſultat perſona; at in Chriſto eſſet duplex natura ſubſtantialis intellectualis propria terminata perſonalitate; ergo duplex eſſet perſona.

4 Si fortasé reſpondeas perſonalitatem non ſeparari ab humanitate Chriſti Domini quoad entitatem, ſed tantùm quoad denominationem, vt dici ſolet de vnione indiſtincta à partibus, aut relatione indiſtincta à fundamento, ex quo non ſequitur in Chriſto duplicem eſſe perſonam, ſicut dixit Neſtorius, quia deficit naturæ humanæ Chriſti denominatio perſonæ, cùm perſonalitas divina impediat, ne creata ſuam præſtet denominationem. Contra eſt. Nam relatio, & vnio in eis opinionibus deficit quoad denominationem ex defectu connorati; at in præſenti nullũ facilè excogitari poteſt connotatum, vi cuius perſonalitas creata ſuam non præſtet denominationem, ſi manet in ſubiecto quoad ſuam entitatem, quoniam perſonalitas vt denominet perſonam nullo alio indiget niſi natura intellectuali, quam terminat, & denominat; eſt enim effectus formalis perſonalitatis creatæ omnino abſolutus, & ad ſe, non ad aliud, ſicut relatio, & vnio; ergo licet effectus formalis vnionis poſsit deficere deficiente alio, ad quod ordinantur, non effectus formalis ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis propter oppoſitam rationem; vndè ſicut manente in natura humana Chriſti intellectu, voluntate, alijſque perfectionibus propriis; ab ijs omnibus denominatur, non eſt cur pari titulo non denominetur perſona à propria perſonalitate, ſi re ipſa, & quoad ſuam entitatem manet in ſubiecto.

5 Secundò. Si in humana Chriſti natura propria maneret perſonalitas, & ſubſiſtentia re ipſa, & quoad ſuam entitatem, verè illam terminaret, & compleret; ergo ex illa natura, & ſubſiſtentia Uerbi adveniente non poſſet fieri vnum per ſe, nec eſſe poſſet eadem proprietatum collectio Dei, & hominis. Patet conſequentia: tùm quia ex duplici ente in actu non poteſt fieri vnum per ſe: tùm quia vtrumque ſuppoſitum ſuas haberet proprietates incommunicabiles, vt probat S. Anſelmus lib. de fide Trin. cap. 5. vbi ait: *Non eſt alius Deus, alius homo in Chriſto, quamvis aliud ſit Deus, aliud homo, ſed idem ipſe eſt Deus, & qui homo; Verbum enim caro factum aſſumpſit naturam*

ram aliam, non aliam perſonam, nam diverſarum perſonarum impoſsibile eſt eandem eſſe proprietatum collectionem, aut de invicem prædicari; at re ipſa Verbum aſſumeret aliam perſonam, ſi re ipſa alia perſonalitas ſuam terminando naturam maneret; ergo eſſet impoſsibilis eadem proprietatum collectio; vt latè diximus t. 1. tract. 5. dub. 3. §. 2.

6 Reſpondent Henricus, & Durandus manere quidem eandem realitatem ſubſiſtentiæ in natura humana, vtpotè ab ipſa indiſtinctam, non tamen ſecundùm eundem modum ſignificandi, atque adeò accedente perſona Verbi non denominare ſuppoſitum, quia non manet vt habens, ſed potius vt habita, ideſt non terminans, ſed potius vt terminata. Sed hoc multipliciter refelli poteſt. Primò. Quod ſubſiſtentia naturæ humanæ relatè ad divinam dicatur habita, & terminata, non impedit vt relatè ad naturam ſit habens, & terminans; nihil enim impedit, vt reſpectu diverſorum eadem perfectio ſit habens, & habita, ſicut nec ſuperior, & inferior; ergo eadem ſubſiſtentia vt habita à Verbo adhuc eſſet habens reſpectu humanitatis; ergo eam denominaret ſuppoſitum; atque adeò duplex eſſet in Chriſto ſuppoſitum.

7 Secundò. Sicut tenendum eſt contra Sabellium perſonas divinas eſſe diſtinctas, ita contrà Neſtorium in Chriſto non eſſe perſonas diſtinctas; at conveniret eum Sabellio quicumque aſſereret perſonas eſſe indiſtinctas quoad entitatem licèt fateretur diſtinctionem ex modo ſignificandi; ergo conveniret cum Neſtorio quicumque aſſereret perſonalitatem creatam manere in Chriſto quoad entitatem, licèt fateatur ſeparari ex modo ſignificandi. Tertiò. Quod ſubſiſtentia creata concipiatur vt habita á perſona Verbi non impedit vt cum natura humana conſtituat, & denominet ſuppoſitum, nam etiam veſtis in homine denominatur vt habita; ſed hoc non impedit vt ſit verum ſuppoſitum diſtinctum ab homine; ergo pariter in præſenti.

8 Quartò. In eo ſita eſt ſubſiſtentia propria humanitatis, quod ſupplet tur à ſubſiſtentia Verbi; at non ſuppletur à ſubſiſtentia Verbi modus aliquis ſignificandi, ſed vera realitas, quare ſi propria ſubſiſtentia manerèt quoad rem ſignificatam, nihil re ipſa ſupplendum ſupereſſet à ſubſiſtentia Verbi, quod veritati myſterij Incarnationis ſatis præiudicat.

9 Reſpondet Scotus ſuppoſitum ſuperaddere naturæ aliquid nõ ſolùm ex modo ſignificandi, ſed etiam ex parte rei ſignificatæ, non tamen poſitivum, ſed ſolam negationem vnionis cum altero ſuppoſito, ſive negationem dependentiæ ab alio tanquàm à ſuppoſito, cumque humanitas Chriſti Domini non habeat negationem vnionis cum altero ſuppoſito, ſed potius de facto coniungatur cum ſuppoſito Verbi Divini, non eſt ſuppoſitum, nec humana perſona. Si contra hanc ſolutionẽ opponas animã rationalem ſeparatã habere negationẽ vnionis cum ſuppoſito, cum tamen in eo ſtatu non ſit ſuppoſitum; ergo per talem negationem non conſtituitur ſuppoſitum. Reſpondet Scotus animam rationalem in ſtatu ſeparationis habere negationem vnionis actualis cum ſuppoſito, non tamen aptitudinalis, ſed potius eſt apta vt coniungatur corpori, & fiat ſuppoſitum, ac perſona.

10 Verùm contra hanc ſolutionem pari efficacia vrgere videntur impugnationes factæ. Nam iuxta hanc doctrinam verificatur Verbum Divinum aſſumpſiſſe humanam naturam ſecundùm totam perfectionem, & integritatem poſitivam ſpectantem ad lineam perſonæ creatæ ſola ſecluſa negatione vnionis cum ſuppoſito Verbi; ſed hoc re vera, & non amplius aſſerebat Neſtorius; ergo ſolutio data ſubſtinenda non eſt. Probo minorem. Neſtorius non aſſeruit, nec alius ſanæ mentis aſſerere poteſt, Verbum Divinum aſſumpſiſſe humanitatem ſervata negatione vnionis cum ipſo Verbo Divino; eſt enim per ſe notum ſola natura duce entitatem de facto vnitam cum ſuppoſito habere non poſſe negationem vnius cum ſuppoſito; ſed in Myſterio Incarnationis de facto humana natura vnitur cum ſuppoſito Verbi Divini; ergo per ſe notum eſt ſuppoſitum Verbi coniungi cum humanitate ſecluſa negatione vnionis cùm altero ſuppoſito; nec ad hoc opus erat congregatione Concilij, vt illius ſententia damnaretur; aſſerebat ergo Neſtorius Verbum Divinum ſibi coniunxiſſe humanam naturam cum integritate perſonali, & poſitiva ſecluſa negatione vnionis cum Verbo; at hoc idem aſſerere videtur prædicta ſolutio, & ſententia; ergo.

11 Explicatur hæc ratio. Neſtorius

rius aſſerebat, quod Alij, præſertim Catholici negabant; ſed nemo vnquam negavit humanam naturam coniunctam cum ſuppoſito Verbi habere negationem coniunctionis, aliàs ſimul eſſet coniuncta cum negatione coniunctionis; ergo propter hoc illius opinio damnata non eſt; ergo quia aſſerebat Verbum Divinum ſibi aſſumpſiſſe humanam naturam cum tota integritate perſonali, & poſitiva adhuc ſecluſa negatione dicta; ſed hoc idem dici videtur in ſententia Scoti; ergo.

12 Vlterius. Si tota entitas perſonalitatis humanæ manere poteſt in humanitate Chriſti Domini quin denominet perſonam propter coniunctionem cum perſona Verbi, pari titulo dici poterit totam entitatem filiationis adoptivæ manere cum gratia habituali in Chriſto Domino propter coniunctionem cum filiatione naturali, quia ſicut perſolitas Verbi, eo quod dignior, impedit denominationem perſonalitatis inferioris, nempè humanæ, ita filiatio naturalis impediet denominationem filiationis adoptivæ; & tamen Fœlix, & Elipandus id aſſerentes damnati ſunt ab Adriano Papa I. in Concilio Francofordienſi, vt latè diximus tom. 1. tract. 10. dub. 1. Etenim ſicut perſona humana importat negationem vnionis cum perſona extranea, ita filiatio adoptiva importat negationem vnionis cum perſona naturali; ergo ſi hoc non obſtante totum eſſe perſonæ humanæ manere poſſet in ſenſu compoſito cum perſona Verbi; ita totum eſſe filiationis adoptivæ in ſenſu compoſito cum filiatione naturali.

13 Denique. Si humanitas deſinit eſſe completa in ratione perſonæ, eo quod ei deficit negatio vnionis cum altera perſona; ergo pari titulo natura humana deſinet eſſe completa in ratione naturæ, eo quód ei deficit negatio vnionis cum altera natura; ergo ſicut ex humanitate, & perſona Verbi vna tantùm reſultat perſona, ita ex humanitate, & divina natura vna tantùm reſultabit natura; hoc autem clariſsimi illius Scholæ Doctores non dicent; ergo nec primùm dici poteſt.

****

Solvuntur argumenta oppoſita.

§. III.

14 ARGUITVR Primò ex Divo Thoma 1. par. q. 3. art. 3. ad 3. vbi docet naturas immateriales non diſtingui à ſubſiſtentia, ſed reddi ſubſiſtentes per ſe ipſas, ibi: *Illa forma, quæ non eſt receptibilis in materia, ſe per ſubſiſtens, ex hoc ipſo individuatur.* Ergo natura Angelorum, quæ non eſt receptibilis in materia non diſtinguitur à ſubſiſtentia. Sed hoc nihil evincit. Primò. Quia humanitas Chriſti non eſt immaterialis. Secundò. Quia natura immaterialis iuxta Divum Thomam eſt per ſe ſubſiſtens non excludendo ſubſiſtentiam diſtinctam, ſed materiam; quoniam eo art. inquirit: *Vtrum in Deo ſit compoſitio ex materia, & forma?* Et reſpondet negativè, quia licèt formæ receptibiles in materia individuentur per materiam, non tamen forma irreceptibilis in materia, & per ſe ſubſiſtens independenter à materia. An autem ſubſiſtentia ſit diſtincta? Nec ibi aſſerit, nec ad aſſumptum ſpectat.

15 Arguitur ſecundò. Si natura redderetur ſubſiſtens, & perſona per perſonalitatem poſitivè diſtinctam, haberet naturalem inclinationem ad illam, ſicut quælibet natura in ſuas proprietates, perfectiones, & complementum; ſed eam non habet; ergo non diſtinguitur. Probatur Minor. Si eam inclinationem haberet, natura humana Chriſti Domini eſſet violenta, vtpotè carens perfectione propria; ſed in ſtatu violento non eſt; vt patet; ergo eam inclinationem non habet. Nec prodeſt, ſi dicatur ſubſiſtentiam propriam ſuppleri per aliam perfectiorem, quia forma perfectior ſatiare poteſt appetitum elicitum, qui ſupponit cognitionem boni, non tamen innatum, qui caret tali cognitione, qua præſtantiam illius formæ cognoſcat; at inclinatio naturæ ad propriam perfectionem eſt naturalis; ergo per formam præſtantiorem non ſatiatur talis appetitus.

16 Retorqueo argumentũ in oppoſitã ſententiã. Nam quæ libet natura inclina-

tionem naturalem habet in propriam perfectionem, ac vltimum ſui complementum; ſed vltimum complementum naturæ ſubſtantialis ſitum eſt iuxtà Adverſarios in negatione; vel in eadem ſubſiſtentia vt habente; ergo humanitas Chriſti tali negatione, vel tali modo ſignificandi vt habentis, erit violenta. Vnde Reſpondeo appetitum naturalem tendere in propriam perfectionem, aut formaliter, aut equivalenter talem; cum ergo humanitas terminetur ſubſiſtentia divina, quæ æquivalet creatæ, eamque eminenter continet, non erit violenta.

17 Eò vel maximè, quia appetitus pefectionis propriæ, quicumque ille ſit, abundè compenſatur per formam præſtantiorem, quia eundem præſtat effectum præſtantiori modo, vt patet in materia prima Beatorum, quæ ſine vlla violentia informatur anima rationali inamiſſibiliter, quamquam illius appetitus ſit ad omnes formas. Denique. Appetitus naturalis ſpoliatus perfectione propria non patitur violentiam, quoties ea carentia perfectionis neceſſaria eſt ex fine ſuperiori, quia inclinatio in bonum particulare imbibit eam conditionem, qua ratione aqua ſine violentia aſcendit ad occupandum vacuum propter bonum naturæ.

18 Arguitur tertio. Natura rationalis exiſtere poteſt in rerum natura ſinè aliquo modo poſitivo ſuperaddito ſubſtantiæ; ſed ea natura eſſet perſona; ergo perſona non conſtituitur in eſſe talis per modum ſuperadditum. Maior patet. Quia natura rationalis redditur exiſtens per exiſtentiam; ergo terminata per exiſtentiam, & ſecluſo alio modo ſuperaddito poterit exiſtere in rerum natura. Minor probatur. Ea natura ſic exiſtens eſſet ſubſiſtens; ergo eſſet perſona. Antecedens probatur. Subſiſtere eſt per ſe exiſtere; ſed ea natura per ſe exiſteret; vt patet; ergo ſubſiſteret.

19 Reſpondeo negando maiorem, quia natura, quamquam individua dependet à ſuppoſito tamquam à ſubſtentante, quarè eſſe non poteſt in rerum natura ſine ſubſiſtentia, per quam conſtituitur ſuppoſitum. Ad probationem dico, quod ſi exiſtentia naturæ ſubſtantialis non diſtinguitur à ſubſiſtentia [de quo infra] nihil evincitur, quia in ea ſententia dicitur etiam exiſtentiam eſſe modum ſuperadditum naturæ. Si autem exiſtentia á ſubſiſtentia naturæ ſubſtantialis diſtinguitur, vt alijs placet, adhuc eſt duplex reſpondendi modus. Primus eſt opinantium exiſtentiam eſſe actum vltimum naturæ ſubſtantialis, & in hac ſententia exiſtentia ſupponit ſubſiſtentiam. Secundus eſt aſſerentium actum vltimum naturæ ſubſtãtialis eſſe ſubſiſtentiam, in qua ſententia dicendum ſubſiſtere eſſe idem ac exiſtere per ſe perſonaliter, ſivè independenter ab alio tamquam à ſubſtentante, quod præſtat ſubſiſtentia; non verò eſſe idem ac exiſtere per ſe participialiter, ſive independenter ab alio in exiſtendo, quod præſtat exiſtentia; cum ergo vtrunque neceſſarium ſit, vt natura ſubſtantialis exiſtat in rerum natura, numquam probatur eſſe poſſe in rerum natura ſinè ſubſiſtentia, & multò minus ſubſiſtentiam non eſſe aliquid poſsitivum.

20 Arguitur quartò. Subſiſtentia nequit modificare naturam poſitivè; ergo non eſt modus poſitive diſtinctus. Antecedens probatur. Si modificaret poſitivè naturam, eam informaret, & reciperetur in illa, ſed hoc eſſe non poteſt, nam ſi de natura ſubſiſtentiæ eſſet recipi, & informare, ſuppleri non poſſet à Verbo Divino, cui repugnat recipi, & informare; ergo. De hoc argumento late egimus tract. 1. de Incarnat. dub. 1. §. 3. Breviter dico ſubſiſtentiam divinam habere non poſſe munus formæ primæ partialis, & conſtitutivæ naturæ; poſſe tamen gerere munus formæ totalis, perfectivæ, & terminativæ naturæ; quia ſimilis forma non conſtituit per modum formæ naturam, ſed conſtitutam ſupponit, eamque elevat, perficit, & ſubſtentat; de conceptu autem formæ ſubſtantiali in communi eſt eſſe formam hoc ſecundo modo, non primo.

21 Arguitur quintò. Si perſonalitas eſſet aliquid diſtinctum à natura, eſſet illius perfectio; ſed hoc eſſe non poteſt, nam iuxta communem doctrinam Conciliorum, & Patrum, Verbum Divinum aſſumpſit humanam naturam cum omnibus ſuis perfectionibus; at non aſſumpſit perſonalitatem; ergo, quia perſonalitas non eſt aliqua perfectio naturæ ab ipſa diſtincta. Aſſumptum autem probari poteſt ex Conc. Calcedoneſi action. 5. definiente Chriſtum *fuiſſe perfectum in Deitate, perfectum in humanitate.* Et

ex

ex VI. Synodo act. 8 definiente in Chriſto naturam *divinam habere omnia, quæ divina ſunt, & humanam omnia, quæ humana ſunt.* Quod multiplici alia eruditione Conciliorum, & Patrum ſuaderi poteſt.

22 Confirmatur ex Divo Thoma in 3. diſt. 6. q. 1. a. 2. ad 5. vbi ait: *Dicendum, quod hoc, quod facit coniunctum ex corpore, & anima eſſe hominem, non eſt præter animam, & corpus, & vnionem, aliquid poſitivè: ſed ex hoc ipſo, quod ipſum compoſitum ex anima, & corpore non adiungantur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur quod coniunctum ſit homo*; ſed homo eſt ſuppoſitum; ergo ſuppoſitum non addit aliquid poſitivum ad animam, corpus, & vnionem, ſed ſolùm negationem coniunctionis alteri ſubſiſtenti.

23 Argumentum, ſi quid probat, non in noſtram, ſed in oppoſitam probat ſententiam. Nam ſi Verbum Divinum aſſumpſit naturam humanam perfectam, & perſonalitas à natura perfecta non diſtinguitur; ergo aſſumpſit perſonalitatem, cuius oppoſitum in prædictis definitur Concilijs. Secundó. Perſonalitatem eſſe perfectionem naturæ negari non poteſt; immò perſona ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt in tota natura, vt docet Divus Thomas 1. p. q. 29. a. 3. ſivé in hoc, ſivè in illo conſtituatur; ergo ſi argumentum conviucit, etiam in oppoſita ſententia dicēdum eſt Verbum aſſumpſiſſe perſonalitatem. Reſpondeo igitur Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam humanam cum omnibus perfectionibus de linea naturæ, non cum omnibus perfectionibus hypoſtaſis, ſivè perſonalibus.

24 Ad confirmationem dico re vera coniunctum ex corpore, & anima eſſe hominem, nec ad rationem hominis aliquid aliud requiri poſitivè diſtinctum, ſed ſicut hic homo, vt ſit exiſtens indiget exiſtentia diſtincta, ita vt ſit ſubſiſtens, & perſona indiget diſtincta ſubſiſtentia, & perſonalitate: Doctor autem Angelicus ſolum intendit primum dicto loco, vt apertè conſtat ex argumento facto ex Authoritate Damaſceni, cui reſpondet.

DVBIVM III.

An in Deo ſit vna ſubſiſtentia abſoluta, & tres relativæ.

§. I.

1 QVAMQVAM Propoſita controverſia ſatis difficilis appareat propter varios opinandi modos, ac multiplicia teſtimonia Conciliorum, & Patrum vtrinque producta, nihilominus maxima ex parte in vocibus diſsidium mihi ſitum eſſe videtur. Prima ſententia ponit in Deo vnam tantùm ſubſiſtentiam abſolutam, nullas relativas. Ita Card. de Aguirre diſp. 77. num. 8. allegans Scotum, Durandum, Albertum Magnum, & Marſilium; nec non Capreolum, Ferrariam, & alios. Secunda negat ſubſiſtentiam abſoluram, & ponit tres relativas. Ita Vazquez diſp. 125. cap. 3. allegans D. Bonaventuram, Alexandrum, Marſilium, noſtrumque Genebrandum, Accedit eruditus P. Ruiz, Alarcon, Amicus, Zuñiga, Petavius, Arriaga cum alijs pluribus. Tertia ponit tres ſubſiſtentias relativas, & vnam abſolutam. Ita Eximius Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 11. Salmanticenſes, Ioannes à S. Thoma, & eſt frequentior inter Thomiſtas, quos ſequitur, & allegat Godoy diſp. 84. eique ſuffragatur ex doctrina Scoti Bartholomeus Durand.

2 Et vt, quantum poſſumus, vocum excuſemus diſsidium, ſupponendum ex communi ſententia *eſſe per ſe*, quod maximè convenit Deo, multiplicitèr ſumi poſſe. Primò, vt dicit negationem eſſendi in alio inhæſivé, ſivè tamquam in ſubiecto; & hoc convenit Deo ratione ſubſtantiæ. Secundò. Ut dicit independentiam ab alio in eſſendo, ſivè exiſtendo; & hoc competit Deo ratione exiſtentiæ. Tertio. Vt dicit independentiam ab alio tamquam à ſubſtentante; & hoc convenit Deo ratione ſubſiſtētiæ. Quartò. Ut dicit indepēdentiā ab alio tanquā à ſuppoſito ſivè vt eſt per ſe omninò incōmunicabilitèr;

& hoc habet Deus ratione perſonalitatis. His poſitis aliqui opinantur ſecundum, & tertium munus præſtari ab vnica ſubſiſtentia abſoluta. Alij cenſent tertium, & quartum præſtari à ſubſiſtentijs relativis negantes abſolutam. Alij iudicant ſecundum præſtari ab exiſtentia virtualiter diſtincta á ſubſiſtentia: tertium à ſubſiſtentia abſoluta: quartum á relativis, vt conſtabit ex progreſſu.

(†)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DIcendum primô dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quæ importat *eſſe per ſe* independenter ab alio tanquam à ſubſtentante, ſive quæ conſtituit naturam divinam per ſe, & in ſe ſubſiſtentem independenter ab alio termino, vel complemento, propter quod ſubſiſtat. Probatur ex Parente Anſelmo in Monol. c. 44. vbi de Patre ait: *Ita gignẽdo dat Filio eſſentiam habere, & ſapientiam & vitam, vt per ſuam ſapientiam, & vitam ſubſiſtat, ſapiat, & vivat*; ergo Deus per ſuam eſſentiam ſubſiſtit; ſed quod convenit ratione eſſentiæ eſt abſolutum; ergo datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta.

4 Auguſtinus lib. 7. de Trin. c. 4. eandem docet ſententiam, ibi enim loquens de rebus ſubſtantialibus inquit: *Omis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?* Ang. Doctor pluribus in locis eandem firmat ſententiam. Nam in 1. diſt. 21. quæſt. 2. a. 1. ait: *Natura divina eſt in ſe habens eſſe ſubſiſtens nulla intellecta perſonarum diſtinctione.* Et in 3. diſt. 6. q. 2. a. 2. ad 2. ait: *In Deo ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt; vnde ei ſecundùm ſe debetur eſſe, immò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens.* Et in 4. contra Gentes cap. 14. *In Deo ſunt plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſideremus, & vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia.* Quod idem, & eadem claritate repetit pluribus alijs in locis.

5 Reſpondet P. Vazquez in prædictis locis vſurpari ſubſiſtentiam pro exiſtentia: quæ doctrina maximè arridet Cardinali de Aguirre, diſp. 76. vbi latè probat ex eodem D. Thoma exiſtentiam rei ſubſtantialis non diſtingui à ſubſiſtentia, nec in Deo, nec in creaturis, eo quod ſubſiſtere non eſt aliud, quàm per ſe exiſtere. Et confirmari poteſt ex S. Anſelmo in Monol. c. 29. dicente: *Quemadmodum enim ſe habent adinvicem lux, lucere, & lucens; ſic ſunt adinvicem eſſentia, eſſe, & ſummè ens, ideſt, ſummè exiſtens, ſive ſubſiſtens*; ergo ſubſiſtentia, & exiſtentia rei ſubſtantialis non diſtinguntur.

6 Hæc ſatis probabiliter dicta ſunt, & ex hoc clarè detegitur æquivocatio num. 1. notata in præſenti controverſia: quoniam Cardinalis Aguirre ſubſiſtentiam abſolutam concedit; Pater Vazquez abſolutam ſubſiſtentiam negat; ſed prior ait non diſtingui ab exiſtentia; poſterior ſubſiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia non negat, vt ex ſolutione data conſtat: & ita alij loquuntur; vndè facilè fœdari poſſunt depoſita contentione vocum.

7 Nihilominus verius iudico exiſtentiam diſtingui realiter à ſubſiſtentia in creatis, & virtualiter in divinis: primò, quia exiſtẽtia correſpõdet enti; ſubſiſtentia verò ſubſtantię. Secundò. Quia exiſtẽtia in Deo nullo pacto multiplicatur; multiplicatur tamẽ ſubſiſtẽtia. Tertio. Quia certum eſt ſubſiſtentiam creatam ſuppleri in humanitate aſſumpta à divina; non tamen certum eſt ſuppleri exiſtentiam, ſed probabiliter negant omnes identificantes exiſtẽtiam cum eſſentia rei creatæ; non ergo oportet confundere exiſtentiam rei ſubſtantialis cum ſubſiſtentia. Anſelmus autem loco allegato ſolùm aſſerit adinvicem ſe habere, ſicut lux, lucere, & lucens, non tamen eſſe formaliter idem; aliàs eſſentia, & eſſe, ſive exiſtentia eſſent idem formaliter, quod prædictus Card. non admittet. Ad rationem in oppoſitum, dico per ſe exiſtere independenter ab alio tanquàm à ſubſiſtente eſſe idem ac ſubſiſtere; non tamen per ſe exiſtere abſolutè, quamquàm re ipſa per ſe exiſtens ſit ſubſiſtens.

8 Ratione probatur concluſio. Deus habet eſſe per ſe ſubſiſtens in linea abſoluta; ergo per abſolutam ſubſiſtentiam. Antecedens probatur. Deus in linea abſoluta eſt principium intelligendi, & amandi eſſentialiter; at nequit eſſe principium intelligendi, & amandi eſſentialiter,

niſi

niſi ſit ſubſiſtens; ergo in linea abſoluta habet eſſe ſubſiſtens. Minor conſtat. Nam licèt natura pro priori ad ſubſiſtentiam ſit principium *quo* operationum, non tamen principium *quod* operans, amans, & intelligens. Maior autem probatur. Operationes intelligendi, & amandi eſſentialiter ſunt eſſentiales; ſed operationes eſſentiales conveniunt Deo in linea abſoluta, cum ſint de linea abſoluta, ideoque toti Trinitati communes; ergo & illarum principium, *quod*: & hac ratione eſſentia, cæteraque attributa abſoluta conveniunt Deo pro priori ad relationes.

9 Confirmatur. Quodlibet principium prius debet eſſe completum in ſe, quàm quod operetur; ſed Deus conſtituitur in eſſe principij completi ad operandum per ſubſiſtentiam propter dicta; ergo Deus non eſt principium amans, & intelligens, niſi ſit ſubſiſtens; ſed eſt principium amans, & intelligens eſſentialiter in linea abſoluta, & pro priori ad relationes eſt exiſtens; ergo & ſubſiſtens. Antecedens eſt certum, & conſequentia eſt legitima in ſententia aſſerentium exiſtentiam eſſe vltimam actualitatem in tota linea entis, quæ propterea ſupponit ſubſiſtentiam. Et in ſententia aſſerentium exiſtentiam rei ſubſtantialis à ſubſiſtentia non diſtingui.

10 Dices. Ex hoc argumento evinci, ſi quid probatur, Deum pro priori ad relationes eſſe ſubſiſtens omninò incommunicabiliter, & ſuppoſitum; quia eſt principium operans in linea abſoluta, & actiones ſunt ſuppoſitorum. Secundò. Ex hoc ipſo, quod actiones intelligendi & amandi eſſentialiter, ſunt eſſentiales, & communes toti Trinitati, non poſſunt convenire Deo pro priori ad relatones, ſed debent ſupponere Trinitatem, cui ſunt communes.

11 Sed contra. Nàm licèt in creatis actiones ſint ſuppoſitorum, quatenùs idem eſt ſuppoſitum, ac ſubſiſtens: attamen vbi ſubſiſtentia diſtinguitur à ſuppoſitalitate, ſive perſonalitate, ſatis eſt ſi principium ſit ſubſiſtens, quare Deus per relationes ſuperadditas non conſtituitur operativum eſſentialiter: vndè D. Thomas 1. p. q. 75. a. 2. dixit: *Nihil poteſt operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit.* Secunda autem impugnatio nimis probat. Quoniam ſi quid probaret, ſanè evinceret ipſam eſſentiam eſſe poſteriorem Trinitate; quia eſt Trinitati communis, ideoque deberet ſupponere Trinitatem iuxta formam argumenti; concipitur ergo eſſentia pro priori ad perſonas, & pro illo priori dicitur cõmunis, non quaſi conveniens omnibus perſonis pro illo priori, ſed pro poſteriori, & in ſigno perſonarum exiſtentiæ; quod idem dicendum de principio operativo, omnibuſque perfectionibus abſolutis.

12 Probatur alia ratione concluſio. Eſſentia divina pro priori ad relationes eſt infinitè perfecta; ergo habet in ſua linea vltimum complementũ, perfectionem, & terminum; at ſubſiſtentia; per quam conſtituitur independens ab alio tanquam à ſubſtentante, eſt vltimum complementum in linea ſubſtantiæ, perfectio, & terminus; ergo cõvenit eſſentię in ſua linea pro priori ad relationes: quapropter relationes ſuperveniẽtes nõ ponuntur, nec ſuperaddũtur eſſentiæ ex neceſsitate eſſendi, & operandi, ſed ex fœcunditate, qua fœcunditate ſecluſa adhuc maneret Deus ſufficiens operationum principium.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

13 Dicendum ſecundò præter ſubſiſtentiam abſolutam ponendas eſſe in Deo tres ſubſiſtentias perſonales, & relativas. Ad hanc concluſionem clarius percipiendam ſciendum eſt Authores oppoſitæ ſententiæ non negare tres relationes, tres perſonalitates, quibus conſtituuntur tres perſonæ, triaque ſuppoſita, ſed aſſerunt totam rationem formalem ſubſiſtendi provenire à ſubſiſtentia abſoluta; vndè relatio, ſive perſonalitas ſolùm reddit naturam incommunicabilem ſuppoſito extraneo, & natura ita incommunicabilis denominatur ſuppoſitum, vel perſona. Nos verò è contrà ſicut multiplicamus perſonalitates; ita & ſubſiſtentias relativas. Ex quo ſatis apparet qualiter diſridium maxima ex parte ſitum ſit in modo loquendi; at in modo lequendi ſatius eſt cum Sanctis Patribus, Sacriſque Concilijs verba habere communia, præſertim in altiſsimo Trinitatis Myſterio, in quo teſte Hieronymo ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.

14 Probatur ergo concluſio. In divinis dantur tres perſonalitates tres conſtituentes perſonas; ſed iſtæ perſonalitates re ipſa ſunt, & nominandæ ſunt ſubſiſtentiæ; ergo ponẽdæ ſunt tres ſubſiſtẽtię perſonales in divinis. Minor, in qua ſola eſt difficultas probatur: primò ex 6. Synodo generali, act. 11. vbi dicitur: *Sanctiſsima Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentijs.* Et Act. 18. *Credimus vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs: vnitatem quidem propter naturalem vnionem, ac dominationem; Trinitatem verò propter trium ſubſiſtentiarum perfectionem.* Vndé in Conc. Conſtantin. 5. collat. 8. Anathematiſmo 1. damnantur, qui non confitentur vnam Deitatem cum tribus ſubſiſtentijs.

15 In Nicęno 1. lib. 2. *Vna eſt divinitas Sanctiſsimæ Trinitatis, quæ in tribus ſubſiſtentijs perfectis, & æqualibus conſideratur.* In Nicęno 2. in exemplari litterarum Theodoſij Patriarchæ Hieroſol. quas Synodus approbat, dicitur: *Trinitatem in tribus ſubſiſtentijs.* Et infrà. *Diviſa eſt enim numerarijs ſubſiſtentijs, & numerata perſonalibus alteritatibus.* In Lateranenſi particulari 2. approbato à Martino Papa I. conſult. 3. can. 1. dicitur: *Si quis non confitetur ſecundùm Sanctos Patres propriè, & verè Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem in vnitate, vnitatem in Trinitate; hoc eſt vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus, anathema ſit.* Eadem claritate alia plura loquuntur Concilia.

16 Similitèr Sancti Patres eiſdem vtuntur vocibus. Athanaſius t. 3. in quæſtionibus q. 7. inquirẽti quid eſt Deus? Reſpondet. *Tres perſonas confiteor, tres ſubſiſtentias, tria propria.* Et ſerm. de Deipara, ait: *Vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs prædicantes, in quibus vna ſit ſubſtantia.* Gregorius Niſſenus, orat. cathechetica, cap. 3. ait: *Eſſe diſcretum, ac diſtinctum conſiſtentia, & hypoſtaſi.* Alexander Alexãdrinus, in epiſt. relata in Conc. Alexandr. 1. ſub Silveſtro Papa, de Ioanne Evangeliſta ait: *Propriam Filij ſubſiſtentiam declaravit his verbis: In principiò erat Verbum.* Damaſcenus, lib. 1. Fidei, cap. 9. inquit: *Filius propriam habet ſubſiſtentiam præter eam, quæ Patris eſt.* Theodoretus ad Hæbr. 1. *Propriam eius ſignificans hypoſtaſim, ſeu perſonam, aut ſubſiſtentiam.* Cyrillus Alexandr. Dialogo de Trinit. lib. 3. ait: *Omnis Fidei noſtræ ſermo huc tendit, vt vnam quidem videamus Deitatis naturam, quæ in tribus proprijs ſubſiſtentijs ſit.* Item. *Deitatem in tribus ſubſiſtentijs explanari à Sacra Scriptura.*

17 Angelicus Doctor cæteros imitatur Patres, & Doctores. Nam q. 9. de potentia, a. 1. ad 8. ait: *Sed quia nomen ſubſtantiæ refertur etiam apud Latinos ad ſignificationem eſſentiæ, ideò ad vitandum errorem non dicimus tres ſubſtantias, ſicut tres ſubſiſtentias.* Et 4. contra Gent. c. 14. inquit: *Sunt igitur plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſiderentur; eſt autem vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia.* & 1. p. q. 40. a. 3. ait: *Non enim proprietates perſonales ſic intelliguntur advenire hypoſtaſibus divinis ſicut forma ſubiecto præexiſtenti, ſed ferunt ſecum ſua ſuppoſita, in quantum ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut Paternitas eſt ipſe Pater*; ergo iuxta Sanctos Doctores, Sacraque Concilia negari non poſſunt tres ſubſiſtentiæ relativæ in Deo. Si autem reſpondeant Adverſarij in prædictis teſtimonijs vſurpari ſubſiſtentiam pro perſonalitate. Ita & ego. Sed ſicut pleno ore à Concilijs, & Patribus *perſonalitates* dicuntur *ſubſiſtentiæ*, cùr ita ab Adverſarijs nominari non poterunt?

18 Reſpondent Concilia, & Patres loqui de ſubſiſtentia in concreto, ſive de ipſa re ſubſiſtente, aut perſona, quo ſenſu admitti poſſunt tres ſubſiſtentiæ, hoc eſt, tres ſubſiſtentes, & tres perſonæ: ſcholaſticos autem loqui de ſubſiſtẽtia in abſtracto, videlicet, pro forma aliqua conſtituente ſuppoſitum; quo ſenſu multiplicari nõ poteſt; & hac ratione ſæpé repetit Cardinalis Aguirre in ſenſu prorſus diverſo loqui de ſubſiſtentia, Concilia, Patres, ac Scholaſticos.

19 Sed hæc ſolutio facilé in ſuos retorquetur Authores. Nam ſi Concilia, & Patres loquuntur in diverſo ſenſu de ſubſiſtentia, ac Scholaſtici; quo iure ipſi, cum ſcholaſtici ſint, probant ex doctrina Conciliorum, & Patrum ſubſiſtentiam abſolutam? Facilè namque reſponderi poterit Concilia, & Patres loqui in diverſo ſenſu, atque adeò nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ non aliud intelligere, quàm ſubſtantiam. Secundò. Quia iuxta hanc expoſitionem plura teſtimonia allegata ſenſum prorſus negatorium facerent: dùm enim in 6. Synodo dicitur: *Trinitas numeralis facta eſt tribus ſubſiſtentijs*: nihil aliud ſignificaret, quàm quod tres perſonæ, ſignificatæ nomine Trinitatis, componunt numerum tribus

bus perſonis, vndè erunt tres perſonæ, quia ſunt tres perſonæ. Et dùm Damaſcenus ait: *Filius habet propriam ſubſiſtentiam*: ſignificaret, quod Filius habet propriam perſonam, ſi nomine *ſubſiſtentiæ* intelligit *perſonam* in concreto. Et ſic de alijs.

20 Vlterius. Si Concilia; & Patres admittentes tres ſubſiſtentias ſolùm ſignificant tres ſubſiſtentes, ſivè tres perſonas; ergo ſicut ex ipſis agnoſcentibus tres perſonas deducitur in Deo eſſe tres perſonalitates diſtinctas, ita ex ipſis agnoſcentibus tres ſubſiſtentes deduci debet eſſe tres ſubſiſtentias diſtinctas. Patet conſequentia. Ideò ex tribus perſonis probantur tres perſonalitates, quia *perſona* eſt concretum ſubſtantivum, quod multiplicari non poteſt non multiplicata perſonalitate, quoniam concreta ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicata forma; at *ſubſiſtens* eſt pariter concretum ſubſtantivum; ergo multiplicari non poteſt non multiplicata ſubſiſtentia. Minor probatur: tum quia *ſubſiſtens* iuxta Adverſarios idem eſt, ac *perſona* in ſenſu Conſiliorum, & Patrum; ſed perſona eſt concretum ſubſtantivum; ergo & ſubſiſtens: tum quia *ſubſiſtens* ſignificat per modum ſubſtantiæ, quæ eſt quid ſubſtantivum; ergo eſt concretum ſubſtantivum.

21 Reſpondet Laudatus Cardinalis diſparem eſſe rationem, quia *perſona* eſt concretum ſubſtantivum, quod multiplicari non poteſt non multiplicata perſonalitate, quæ eſt illius forma: & hac ratione hoc concretum *Deus* non multiplicatur, quia Deitas, quæ eſt illius forma, non multiplicatur: attamen *ſubſiſtens* eſt concretum adiectivum, quia licet ſignificet ſubſtantiam, eam ſignificat per modum concreti adiectivi, atque adeò multiplicari poteſt concretum non multiplicata forma, ſivè ſubſiſtentia. Probat aſſumptum à ſimili in hoc concreto *exiſtens*, quod etiam ſignificat ſubſtantiam; & tamen eſt concretum adiectivum, quod propterea multiplicatur non multiplicata exiſtentia: ſimilitèr admittuntur in divinis tres omnipotentes: tres æterni, &c. quin propterea multiplicetur omnipotentia, æternitas, &c.

22 Sed contra, & primò *ſubſiſtens* eſſe concretum ſubſtantivum convinci videtur ex dictis, præſertim ex doctrina Adverſariorum. Vlterius ex doctrina ſolutionis, inſtauratur argumentum, quia *omnipotens, æternus*, &c. ſunt concreta adiectiva, licèt dici poſsint tres æterni, tres omnipotens, nullo, iure dici poſſunt tres omnipotentiæ, tres æternitates, &c. at pleno ore Concilia, & Patres, dicunt in Deo eſſe tres ſubſiſtentias; ergo, quia multiplicatur ſubſiſtentia, licèt non multiplicetur omnipotentia, æternitas, &c. ergo, quia *ſubſiſtens* non eſt concretum adiectivum, ſed ſubſtantivum. Quod autem concretum *exiſtens* ſit adiectivum non probatur *ſubſiſtens* eſſe adiectivum, quia *exiſtens* dicitur ab ente participialiter, quod eſt adiectivum: attamen *ſubſiſtens* ſignificat ſubſtantiam, quæ ſolum dicitur ſubſtantivè. Secundo. Quia exiſtentia non habet conſtituere perſonas diſtinctas, ſicut ſubſiſtentia, atque adeò exiſtentia dicitur vno tantum modo, ſubſiſtentia verò duplici modo, nempè abſolutè, & relativè.

Ratione ſuadetur.

§. IV.

23 EX doctrina data ſic poteſt formari ratio. Subſiſtentia relativa non eſt aliud, quàm modus exiſtendi incõmunicabilitèr; ſed in divinis dantur tres modi exiſtendi incommunicabilitèr; ergo dantur tres ſubſiſtentiæ relativæ. Maior conſtat ex communi ſententia aſſerente ſubſiſtentiam eſſe modum, ſivè terminum, per quem ſubſtantia habet eſſe per ſe independenter ab alio, tamquam à ſubſtentante; vel tamquam à ſuppoſito, atque adeò incommunicabilitèr. Minor probatur, in divinis dantur tres modi exiſtendi per modum ſuppoſiti; cum dentur tria ſuppoſita; ſed ſuppoſitum importat eſſe, ſivè exiſtere per ſe incommunicabiliter; ergo dantur tres modi exiſtendi per ſe incommunicabilitèr.

24 Reſpondebis perſonas divinas conſtitui incommunicabiles à relatione, & per ſe exiſtentes à ſubſiſtentia abſoluta, vndè non oportet multiplicare ſubſiſtentias. Sed contra. Dum dicitur relationẽ in reddere naturã incõmunicabilem, non ſignificatur relationem addere ad naturam negationem dumtaxat communicabilitatis, alias relatio ſolam negationem importaret, quod dubio primo contra Scotum improbatum eſt, ſed ſpecialem modum

dum exiſtendi per ſe incommunicabilitèr. ſivè per modum vltimi complementi; ergo relationes ſunt formæ, vel quaſi formæ importantes modum poſitum exiſtendi per ſe incommunicabilitèr; ſed formæ importantes modum exiſtendi per ſe incommunicabiliter ſunt ſubſiſtentiæ; ergo ſicut in divinis dantur tres relationes diſtinctæ, ita tres ſubſiſtentiæ relativæ.

25 Probatur ſecundò concluſio ex communi ſtilo Theologorum docentium ſubſiſtentiam Uerbi ſupplere in humanitate aſſumpta defectum ſubſiſtentiæ creatæ, atque adeó ſubſiſtentiam propriam Uerbi reddere humanam naturam ſubſiſtentem; ergo quia datur propria, & ſpecialis ſubſiſtentia Verbi Divini diſtincta à ſubſiſtentia Patris, & Spiritus Sancti. Explicatur hæc ratio. Verbum Divinum reddit naturam humanam ſubſiſtentem per aliquid immediatè vnitum humanitati; at non per ſubſiſtentiam abſolutam, aliàs incarnatio verificarerur de tota Trinitate, cum ſubſiſtentia immediatè vnita humanitati eſſet communis toti Trinitati; ergo per ſubſiſtentiam relativam, & propriam Uerbi.

26 Reſpondent vnionem factam eſſe immediatè in perſonalitate relativa, & proprìa Uerbi, mediatè verò in ſubſiſtentia appropriata Uerbo. Sed contra. Si perſonalitas diſtinguitur à ſubſiſtentia, & vnio facta eſt immediatè in perſonalitate, mediatè autem in ſubſiſtentia, Humanitas priùs eſſet perſona, quàm ſubſiſtens, quod repugnat. Secundò. Si perſonalitas Verbi non eſt ſubſiſtentia, nec habet ſuppoſitare naturam, erit pura relatio, per quam Filius refertur ad Patrem; at huius effectus non eſt capax humanitas, quia humanitas non procedit à Patre tamquam à generante, ſed tamquam à Creatore, & à tota Trinitate tamquam ab vnico, & primo principio; ergo hoc modo vniri non poteſt immediatè humanitati.

27 Vltimò probatur concluſio. Sicut Deus indiget ſubſiſtentia abſoluta, vt ſit principium operationum eſſentialium, ita indiget ſubſiſtentia notionali, vt ſit principium operationum notionalium; at principium operationum notionalium multiplicatur in Deo, ſicut multiplicantur proceſsiones; ergo & ſubſiſtentia notionalis, ac relativa. Nec prodeſt ſi opponas ex hac ratione probari duas tantùm eſſe ſubſiſtentias, nimirum in Patre per ordinem ad Filium, & in Patre, & Filio per ordinem ad Spiritum Sanctum; non verò in Spiritu Sancto, qui non eſt principium notionale. Non (inquam) prodeſt, nam licèt non probetur ſubſiſtentia relativa in Spiritu Sancto titulo principij, probatur titulo termini, quia ſicut debet eſſe ſubſiſtens principium *quod*, ita terminus *qui*, qua ratione Spiritus Sanctus debet propria ſubſiſtentia ſubſiſtere incommunicabiliter.

Oppoſita argumenta diluuntur.

§. V.

28 ARGVITVR Primò. Contra primam concluſionem. Subſiſtentia eſt conſtitutiva perſonæ; at in Deo nulla eſt perſona abſoluta, alioquin eſſet quarta perſona; ergo nulla eſt ſubſiſtentia abſoluta. Maior probatur: tum quia ex frequentiori modo loquendi Conciliorum, & Patrum, ſubſiſtentia, perſonalitas, hypoſtaſis, & ſuppoſitalitas, pro eodem vſurpantur; ſed perſonalitas eſt conſtitutiva perſonæ; ergo, & ſubſiſtentia: tum quia ſubſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis; ſed vltimus terminus naturæ ſubſtantialis conſtituit perſonam; ergo ſubſiſtentia conſtituit perſonam. Minor probatur. Ultimus terminus in linea ſubſtantiæ conſtituit ſuppoſitum; ſed ſuppoſitum in natura rationali eſt perſona; ergo vltimus terminus ſubſtantiæ rationalis conſtituit perſonam. Denique. Perſona eſt rationalis natura individua ſubſtantia vltimo terminata; ſed poſita ſubſiſtentia abſoluta datur in Deo rationalis naturæ individua ſubſtantia vltimo terminata; ergo & vera perſona.

29 Ad argumentum dico ſubſiſtentiam relativam eſſe conſtitutivam perſonæ, non abſolutam: perſonalitas autem, & ſubſiſtentia ſæpé pro eodem vſurpantur, quia in creatis nullo pacto diſtinguntur, cum in creatis non ſit, niſi vnica ſubſiſtentia, eaque abſoluta, quia perſona creata ex ſua limitatione eſt diſtincta ab alia, & incommunicabilis alteri: in divinis autem res alitèr ſe habet, quia in divinis tota diſtinctio, & incommunicabilitas provenit à relatione: vndè ſubſiſtentia abſoluta ſolùm redit naturam independentem ab alio tamquam à ſubſtentante: perſonalitas verò,

ſi-

ſive ſubſiſtentia relativa tribuit eſſe per ſe perſonale incommunicabiliter; vndè anima rationalis ſeparata eſt ſubſiſtens, non perſona, nec ſuppoſitum: hæc autem ſubſiſtentia abſoluta eſt vltimus terminus in linea ſubſtantiæ, & abſoluta; non in linea relativa; atque adeò non habet diſtinguere, nec dicit omnimodam incommunicabilitatem, nec habet omnia requiſita ad conſtitutionem ſuppoſiti, vel perſonæ.

30 Arguitur ſecundò. Quidquid præſtatur à ſubſiſtentia abſoluta præſtari poteſt à relativa; ergo vel neceſſaria non eſt abſoluta, vel nulla datur relativa. Antecedens probatur. Una ſubſiſtentia creata præſtat vtramque perfeitatem ſupra explicatam; ergo potiori iure vna ſubſiſtentia divina, quæ perfectior eſt ſubſiſtentia creata. Reſpondeo negando paritatem, quia natura creata diſtinguitur à quocumque alio per ſuam entitatem abſolutam, quarè eadem ſubſiſtentia abſoluta poteſt communicare naturæ eſſe per ſe independenter ab alio tanquam à ſubſtentante, & vlterius incommunicabilitatem, hoc autem ſecundum munus præſtari non poteſt à ſubſiſtentia divina abſoluta, eo quod tota incommunicabilitas, & diſtinctio in divinis provenit à relatione, vt ſupra dictum eſt.

31 Arguitur tertiò. Poſita ſubſiſtentia abſoluta repugnat relativa; ergo vel prima neganda eſt, vel ſecunda concedenda non eſt. Antecedens probatur. Nulla ſubſiſtentia poteſt terminari ab alia, eſt enim ſubſiſtentia vltimus terminus in linea ſubſtantiæ, & vltimus terminus terminari non poteſt ab alio in eadem linea, quarè exiſtentia terminari non poteſt ab alia exiſtentia, ideoque poſita exiſtentia abſoluta negatur relativa; at ſubſiſtentia abſoluta terminaretur à ſubſiſtentia relativa, ſi vltra abſolutam daretur relativa; ergo non datur.

32 Reſpondeo negando anteced. Ad probationem dico nullam ſubſiſtẽtiam poſſe terminari ab alia in eadem linea ſpecifica, poſſe tamen terminari ab alia in eadem linea generica, vnde etſi ſubſiſtentia ſit vltimus terminus vlteriùs interminabilis in eadem linea, abſoluta, vel relativa; nihilominus ſubſiſtentia in linea abſoluta terminari poteſt ab alia in linea relativa: vndè individuatio eſtò ſit vltimus terminus in linea metaphiſica, eſt vlterius terminabilis ab exiſtẽtia phiſica. Ratio omnium eſt, quia ſecunda ſubſiſtentia præſtat effectum prorſus diverſum à prima. Nec eſt ſimile in exiſtentia propter diſparitates ſupra allegatas, & quia exiſtentia ſolùm habet vnicum effectum, nempé *eſſe*, quod in divinis eſt abſolutum, ſubſiſtentia verò tribuit eſſe per ſe independenter ab alio, quod eſt duplex, nimirùm, tanquám à ſubſtentante, vel tanquàm à ſuppoſito, nam in divinis aliud eſt *eſſe* abſolutè, & aliud diſtinctum, & incommunicabile; primum provenit à ſubſiſtentia abſoluta: ſecundum à relativa.

33 Arguitur quartò ſpecialiter contra ſecundam concluſionem, ex D. Thoma q. 9. de potentia, a. 5. ad 13. vbi cum dixiſſet principia individuantia in creatis eſſe rationem ſubſiſtendi, & diſtinguendi, ita proſequitur: *In divinis autem proprietates perſonales hoc ſolùm habent, quod ſuppoſita divinæ naturæ adinvicem diſtinguant, non autem ſunt principium ſubſiſtendi naturæ divinæ, ipſa enim natura divina eſt ſecundùm ſe ſubſiſtens: ſed è contrà proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab eſſentia*; ergo iuxta D. Thomam relationes divinæ non ſunt ratio ſubſiſtendi, ſed duntaxat diſtinguendi: immó ipſæ relationes ſubſiſtunt ab eſſentia; ergo datur duntaxat vna ſubſiſtentia abſoluta propria eſſentiæ, à qua ſubſiſtunt relationes, non verò tres ſubſiſtentiæ relativæ, per quas ſubſiſtat eſſentia.

34 Reſpondeo ex dictis per ſubſiſtentiam abſolutam ſubſiſtere naturam independenter: per relativam verò incommunicabiliter; relationes ergo in divinis non ſunt rationes ſubſiſtend independenter, ſed hoc habent ab eſſentia, ſive à ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ: & hoc eſt, quod ait D. Thomas, à ſubſiſtentia verò relativa habet natura ſubſiſtere incommunicabiliter, quod D. Thomas non negat, nec negare poſſunt Adverſarij, quippé qui non negant incommunicabilitatem provenire à relatione; cum ergo incommunicabilitas illa non ſit pura negatio, ſed modus exiſtendi per ſe incommunicabiliter, conſequens eſt vt habeant veram rationem ſubſiſtentiæ.

35 Dices nulla relatio in divinis reddit naturam incommunicabilem, quoniam natura divina terminata per paternitatem adhuc eſt communicabilis per filiationem, & ſpirationem paſsivam; ergo nulla relatio habet propriam rationem ſubſiſtentiæ. Hæc obiectio impugnat omnem

nem ſubſiſtentiam conſtitutivam ſuppoſiti in Deo, quia natura terminata per ſubſiſtentiam, quæcumque illa ſit, adhuc eſt terminabilis per alias perſonalitates. Reſpondeo igitur relationem divinam, v. g. paternitatem non reddere incommunicabilem naturam abſolutè ſumptam, quia natura divina propter ſummam fœcunditatem hoc ſpeciale habet, quòd ſit communicabilis tribus; reddit tamen naturam incommunicabilem prout in Patre, quia prout eſt in vno ſuppoſito non eſt communicabilis alteri, & ita in Patre eſt generativa, non in alijs perſonis. Uel dic relationem communicare naturę effectum, cuius eſt capax, ſcilicet eſſe ſubſiſtentem, & vltimo terminatam: non tamen incommunicabilitatem propter dicta.

36 Arguitur quintò. Subſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ſed hæc nequit convenire relationibus; ergo nulla datur ſubſiſtentia relativa. Minor conſtat, quia relationes ex proprio conceptu nullam important perfectionem, vt tract. antecedenti dictum eſt. Maior probatur. Subſiſtentia eſt perfectio ſine imperfectione, ſive *melior ipſa, quàm non ipſa*, vt docet Anſelmus in Monol. cap. 14; ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Secundò, quia ſubſiſtentia ex terminis vt præſcindit à creata, & increata; relativa, & abſoluta, eſt de genere perfectionis; ergo contracta per ſubſiſtentiam relativam Dei debet eſſe ſummè perfecta. Antecedens conſtat, quia ſubſiſtere importat eſſe per ſe, & independentiam ab alio, quod totum eſt de genere perfectionis. Conſequentia probatur. Quodlibet prædicatum contractivum alterius perficit illud intra propriam lineam; qua ratione intellectus, quia eſt aſsimilativus, contractus per divinum eſt aſsimilativus in eſſe naturali; at ſubſiſtentia contrahibilis eſt de genere perfectionis; ergo contracta per divinam erit infinita perfectio; cum ergo relationes divinæ ex genere ſuo nullam importent perfectionem, habere non poſſunt conceptum ſubſiſtentiæ

37 Reſpondeo argumentum convincere in ſubſiſtentia abſoluta, non in relativa, quia hæc eſt melior ipſa, quàm non ipſa duntaxat terminativè, non perfectivè; ideſt, non per modum formæ perficientis, ſed potius terminantis perfectionem naturæ, quia melius eſt naturæ divinæ ſe diffundere per relationes, & terminari per illas, quàm non terminari. Ad ſecundum dico ſubſiſtentiam ex terminis ſolùm importare perfectionem permiſsive, non positivè, vndè contracta per abſolutam importat perfectionem; contracta verò per relativam nullam dicit perfectionem ex genere relativo. Per quod conſtat diſparitas ad intellectum, qui ex ſua natura eſt positivè aſsimilativus, vndè contractus per infinitum debet aſsimilare infinitè.

38 Dices. Relatio vt talis pugnat cum ſubſiſtentia; ergo non eſt poſsibilis ſubſiſtentia relativa. Antecedens probatur. Subſiſtentia eſt *ad ſe*, quoniam vt dicit Auguſtinus loco citato: *Quælibet res ad ſe ipſam ſubſiſtit*; at relatio eſt ad aliud; ergo relatio repugnat cum ſubſiſtentia. Reſpondeo ea duo non pugnare; nam de ratione ſubſiſtentiæ in communi non eſt eſſe *ad ſe*, ſed *per ſe*; vndè ſi fuerit abſoluta erit per ſe, in ſe, & ad ſe; ſi autem relativa, erit quidem per ſe incommunicabiliter, non tamen ad ſe ex parte rei ſignificatæ, ſed potius ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens refert ad aliud: immò ipſa incommunicabilitas alteri ſuppoſito neceſſariò importat habitudinem quandam ad aliud ſuppoſitum; licèt ex modo ſignificandi explicetur per modum abſoluti; qua ratione optimè dixit D. Thomas 1. p. q. 39. a. 4. *Perſona igitur divina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem, & hoc eſt ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis ſubſiſtens in natura divina.* Sed hoc operoſius dubio ſequenti.

DVBIVM IV.

An Divinæ Perſonæ conſtituantur per aliquid abſolutum, vel relativum?

§. I.

1 PErſonas eſſe in Deo Fide ſanctum eſt, & conſtat ex illo Athanaſij Symbolo: *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.* Undè in Conc. Lateranenſi, vt refertur in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate dicitur: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem perſonæ, & vna*

vna eſſentia. Et in confeſsione fidei, quam præſcripſit Damaſcenus ad Paulinum: *Si quis tres perſonas non dixerit veras, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, anathema ſit.* Idque tradunt communiter Sancti Patres, rationemque reddit Ang. Doctor 1. p. q. 31. a. 3. quia perſona denotat perfectiſsimum in natura, nimirùm, ſubſiſtere in natura intellectuali; ergo hoc maximè ponendum in Deo, vbi cumulus omnium perfectionum eſt.

2 Supponendum ſecundò eſſe in Deo formam aliquam conſtitutivam perſonæ, quæ dicitur proprietas perſonalis, quia eſt forma propria talis perſonæ: quare nullius eſt momenti ſententia Præpoſitivi relati à D. Thoma 1. p. q. 32. a. 2. aſſerentis perſonas ſe totis conſtitui, & diſtingui ſine vlla prorſus proprietate perſonali, cum tamen in oppoſitum canat Eccleſia: *In perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, in maieſtate adoretur æqualitas.* Et in Conc. Later. ſub Innocent. III. dicitur, quod *Quod Sancta Trinitas ſecundùm proprietates perſonales eſt diſcreta.* Sunt ergo in divinis proprietates quædam perſonales.

3 Adhuc tamen ſupereſt controverſia, eaque gravis, an perſonæ conſtituantur proprietatibus relativis, an potius ſupponant perſonas iam conſtitutas per aliquid abſolutum? Conſtitui per abſolutum affirmat Ioannes de Ripa. Theodorus Smiſing. Michael Palacios, Salmeron, Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, ac probabile iudicat Scotus in 1. diſt. 26. q. 1. §. *tertia opinio.* Noviter accedunt Silva, & Moneda, ille Aſturicenſis, hic Almerienſis Antiſtes, quanquàm in diverſo ſenſu infra exponendo. Sententia tamen affirmativa eſt communis Theologorum conſenſus, quos longum eſſet recenſere, primaque ſententia varijs improbatur cenſuris, quanquàm Eximius Suarez, lib. 7. de Trinit. cap. 5. n. 5. modeſtius aſſerat ſatis eſſe, ſi notetur vt improbabilis, & contraria ſenſui Theologorum, qui omnes conſtitutivum perſonarum agnoſcunt in aliquo notionali.

4 Sed quia inter proprietates notionales numerari poſſunt: tùm innaſcibilitas in Patre: inſpirabilitas in Filio: infecunditas in Spiritu Sancto: tùm origo, & relatio, ſupereſt inter Authores eiuſdem ſententiæ ſpecialis controverſia, per quid ex prædictis conſtituantur perſonę, & quomodo? Nam Vazquez ſtatuit conſtitutivum primæ perſonæ in prima proprietate. D. Bonaventura, Ricardus, & alij in ſecunda. S. Anſelmus, D. Thomas, P. Suarez, Salmanticenſes, & frequentius Theologi, in tertia, inter quos etiam non eſt vnus diſcurrendi modus, vt conſtabit ex progreſſu.

5 Ad clariorem expoſitionem præmittendum eſt originem ſumi poſſe dupliciter: activè, & paſsivè: primo modo dici poteſt origo originans, & eſt generatio; ſive ſpiratio ſe tenens ex parte principij. Secundo modo dici poteſt origo originata, & eſt nativitas, ſive eſſe genitum in Filio; & ſpiratio paſsiva in Spiritu Sancto. Secundò, præmittendum aliquos opinari originem non diſtingui à relatione ducti tùm authoritate D. Thomæ: tùm ratione à nobis relata tract. 2. dub. 3. Idcircò in præſenti facilius componunt perſonas per originem conſtitui. Nos tamen ibi diximus originem eſſe abſolutam ex parte recti, & relativam vt modificatam relatione. Nihilominus in omnium ſententia origo differt à relatione: primò, quia origo eſt ad terminum, illum producendo: relatio eſt ad terminum, illum reſpiciendo. Secundò, origo eſt actio, & via: relatio eſt forma per ſe ſtans. Tertiò, origo conſideratur quaſi in fieri: relatio in facto eſſe. His poſitis.

(†)

Prima concluſio proponitur, ac authoritate, præſertim S. Anſelmi, diverſimodè ſuadetur.

§. II.

6 DIcendum primò perſonas divinas nullo pacto conſtitui, nec diſtingui per aliquid abſolutum, ſed proprietatibus relativis. Probatur. Fide ſanctum eſt in divinis plures eſſe perſonas; at hæc pluralitas provenire non poteſt ab abſoluto, ſed à ſola ratione; ergo perſonæ divinæ conſtituuntur, & diſtinguntur per relationes. Maior conſtat ex num. 1. Minorem tradit Anſelmus, lib. de proceſsione Spiritus, quem prima parte huius operis latè expendimus, præſertim cap. 2. his verbis: *Hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo,*

vt

vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſsint deinvicem, ſed alij ſint abinvicem, quia prædictis modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio. Et infra. *Nec vnitas amittat aliquandò ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio.* Id ipſum dixerat lib. de fide Trinit. cap. 3. vbi docet Patrem, & Filium *eſſe duas perſonas, quia alij ſunt abinvicem.* Et cap. 4. *Si abinvicem non eſſent aliæ, plures non eſſent.* Quod ibidem ſæpe repetit, & nos etiam cum ipſo in ſcholijs t. 1. p. 1. obſervavimus, & infra tractat. de perſona Spiritus Sancti operoſius oſtendemus.

7 Eandem doctrinam tradunt communiter Patres, & Scholaſtici, quos eruditè congerit P. Ruiz, diſp. 9. ſect. 5. & diſp. 87. ſect. 2. & ſatis conſtat ex Conc. Florentino, ſect. 18. §. *Dixi quidem*, vbi Ioannes Theologus nomine Concilij ita loquitur: *Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores divina proceſsione perſonas multiplicat, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis vna perſona ab alia differat.* Suffragatur Conc. Tolet. XI. quod in confeſſ. fidei, cap. 1. inter alia inquit: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod adinvicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt*; ergo de primo ad vltimum pluralitas perſonarum in divinis provenire non poteſt ab abſoluto, ſed à ſola relatione; ergo ſola relatio poteſt divinas conſtituere perſonas.

8 Sed quanquàm hæc ita manifeſta ſint, nihilominus laudatus Moneda Illuſtriſsimum Silvam imitatus contendit perſonas conſtitui per abſolutum, in quem dicendi modum, vel invitum trahit Anſelmum in Monol. cap. 76. vbi ait: *Non enim putandæ ſunt tres perſonæ, quia omnes plures perſonæ ſic ſubſiſtunt ſeparatim adinvicem, vt neceſſe ſit tot eſſe ſubſtantias, quot ſunt perſonæ, quod in pluribus hominibus, qui quot perſonæ, tot individuæ ſint ſubſtantiæ, cognoſcitur: quarè in ſumma eſſentia, ſicut non ſunt plures ſubſtantiæ, ita nec plures perſonæ; ſi quis itaque inde velit alicui loqui, quod tres, dicat, eſſe Patrem, & Filium, & vtriuſque Spiritum.* Ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus iuxta Anſelmum ſunt plures perſonæ ratione paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſsivæ, non ratione perſonalitatis, vel ſubſiſtentiæ.

9 Sed in prædicta authoritate nec verbum inveniri, quod vel leviter indicet perſonas conſtitui per abſolutum, legenti conſtabit. Conſequentia autem ab eodem Authore deducta contradicit Sancto Doctori. Quid enim eſt perſonas diſtingui paternitate, filiatione, & ſpiratione, niſi diſtingui perſonalitatibus relativis? Rurſus. Perſonæ divinæ diſtinguntur paternitate, nec non filiatione & ſpiratione paſsiva, ſed paternitas, ac filiatio, & ſpiratio paſsiva, ſunt relationes; ergo diſtinguntur relationibus; ergo & in ratione perſonæ per relationes conſtituuntur, cum diſtinctivum, & conſtitutivum idem ſint, vt ex Philoſopho, & lumine naturæ conſtat.

10 Reſpondet idem Author illud axioma Philoſophi: conſtitutivum, & diſtinctivum, idem ſunt: eſſe verum in creatis, non in divinis, quia Philoſophus non agnovit altiſsimum Trinitatis Myſterium. Et ratio eſt. Nam in creatis tota diſtinctio, & conſtitutio provenit ex limitatione, in divinis autem conſtitutio provenit ex infinitate; diſtinctio ex oppoſitione relativa: perſonæ ergo divinæ conſtituuntur per abſolutum, & diſtiguntur per relativum. Hæc doctrina corroborari vtcumque poſſet ex eodem Sancto Anſelmo, lib. de proceſsione Spiritus Sancti, cap. 5. vbi ait: *Contingit enim aliquem eſſe, quod eſt, priuſquam ſit alius. Namque primus homo priuſquam de illo eſſet homo aliquis, erat ipſe homo, ſed non erat alius; cum verò primùm extitit de illo aliquis, factus eſt alius*; ergo aliud eſt id, per quod primus homo conſtituitur; & aliud, per quod eſt alius, ſive diſtinctus ab alio.

11 Sed hæc doctrina facilè improbatur ex Concilio Florentino, cap. 6. ſic loquente: *Ideò vtroque quidem modo diſtinguntur divinæ perſonæ, prius tamen, & principaliter ſecundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam conſtituuntur divinæ perſonæ*; ergo divinæ perſonæ nedúm diſtinguntur, ſed etiam per relationes conſtituuntur. Idem docet Ang. Doct. in 1. diſt. 26. quæſt. 2. a. 2. vbi inter alia ait: *Et eadem ratione nihil, quod dicitur abſolutè de Deo, poteſt intelligi vt*

diſtinc-

diſtinctivum ; & conſtitutivum hypoſtaſis in perſonis , cum ea , quæ abſolutè dicuntur de Deo , ſignificentur per modum eſſentiæ. Eodem modo loquitur ibid. diſtinct. 27. quæſt. 1. a. 2. vbi expreſsé ait relationem conſtituere perſonam. Et quæſt. 8. de potentia , art. 3. ita concludit : *Oportet ergo , quod filiatio ſit formalitèr conſtituens , & diſtinguens hypoſtaſim Filij.* Eſt ergo in ſententia Divi Thomæ relatio non ſolùm diſtinctiva , ſed pari , immò eodem titulo conſtitutiva.

12 Id , quod additur ex Anſelmo potius oppoſitum convincit , nam licèt primus homo exercitè non denominetur alius , alio non poſito , eo tamen poſito eſt alius ab illo per ſuammet entitatem , per quam conſtituitur, & per eandem entitatem erat alius ſignatè , aliàs nec in creatis eſſet verum prædictum axioma Philoſophi. Sed nec hoc locum habet in divinis perſonis, diviniſque proceſsionibus [docet dicto loco idem Anſelmus] quæ totum ſuum eſſe habent per ſuam proceſsionem ab ipſo primo æternitatis , ſuæque exiſtentiæ inſtanti.

13 Denique. Eſtò Myſterium Trinitatis ſit ſupra naturam , non tamen contra naturam , ideoque Deo neganda non ſunt principia lumine naturæ nota , præſertim nullo contradicente Fidei articulo ; ſed quodlibet ens eſſe diſtinctum ab alio , per quod eſt vnum in ſe , eſt principium lumine naturæ notum , nulluſque contradicit Fidei articulus ; ergo etiam divinæ perſonæ per id ipſum , per quod ſunt vnum in ſe , ac in ſuo eſſe conſtituuntur , ſunt diſtinctæ.

14 Dices. Divus Thomas dicta quæſt. 8. de potentia , art. 3. ad 7. aperté docet aliud eſſe conſtitutivum hypoſtaſis , ſive perſonæ ; & aliud diſtinctivum per hæc verba : *Relationes autem in divinis , etſi conſtituant hypoſtaſes , & ſic faciant eas ſubſiſtentes , hoc tamen faciunt , in quantum ſunt eſſentia divina ; diſtinguunt autem relationes in quantum relationes ſunt , ſic enim oppoſitionem habent.* Sed contra. Nam iuxta Divum Thomam , idem eſſe conſtitutivum , & diſtinctivum , ex ſupra dictis apertiſsimè conſtat. Secundò. Eſſentia in nulla ſententia conſtituit perſonam ; ergo ea propoſitio: *Relationes conſtituunt hypoſtaſim in quantum ſunt eſſentia* : ab omnibus exponenda eſt. Undé relictis alijs ſolutionibus reſpondeo hypoſtaſim , ſive perſonam in concreto includere eſſentiam, ſive eſſe ſubſiſtens , quod habet ab eſſentia , eiuſque ſubſiſtentia abſoluta ; & eſſe proprium perſonale , quod provenit à relatione , à qua provenit oppoſitio; quapropter eſſe perſonale eſt à relatione, ſicut & diſtinctio.

15 Vel dic , ſi placet , relationes conſtituere perſonas in quantum ſunt eſſentia ex modo ſignificandi, ſive quatenùs ſignificantur per modum abſoluti ; non ex parte rei ſignificatæ. Quæ ſolutio traditur ab eodem Sancto Doctore in 1. diſtinct. 23. quæſt. 1. a. 3. per hæc verba : *Invenimus enim in divinis quatuor modos ſignificandi : aliquid enim ſignificat abſolutum per modum abſoluti , vt Deus. Aliquid relationem per modum relationis , vt Pater. Aliquid abſolutum per modum relationis , vt potentia generandi. Aliquid relativum per modum abſoluti , vt perſona* ; conſtituit ergo relatio perſonam per modum abſoluti ex modo ſignificandi ; & ita dici poteſt relationem conſtituere hypoſtaſim vt eſt eſſentia.

Suadetur ratione concluſio.

§. III.

16 PRÆTER rationem ex ſuperioribus teſtimonijs formatam ſic vlterius probari poteſt concluſio. Perſonæ divinæ conſtitui debent per aliquid ſpeciale cuiuſcumque perſonæ ; ſed ſola relatio eſt quid proprium , & ſpeciale cuiuſcumque perſonæ ; ergo per ſolam relationem conſtituuntur. Minor ſatis conſtat ex prædicto axiomate Anſelmi : *In divinis omnia ſunt vnum , vbi non obviat relationis oppoſitio* ? vndé omnia abſoluta ſunt tribus perſonis communia. Maior autem probatur. Perſonæ multiplicantur in Deo, aliàs vna tantúm eſſet perſona , quod Sabellianum eſt ; ſed multiplicari non poſſunt , niſi conſtituantur per aliquid

ſpeciale, & proprium, quia id tantùm, quod eſt ſpeciale, & proprium poteſt multiplicari in divinis, non quod eſt commune; ergo conſtitui debent per aliquid ſpeciale, & proprium.

17 Confirmatur primò. Pater non conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per aliquid abſolutum; ergo nulla perſona conſtituitur per abſolutum. Antecedens probatur. Id, per quod Pater conſtituitur in eſſe primæ perſonæ non eſt commune alijs perſonis, aliàs Filius eſſet prima perſona; ſed omne abſolutum eſt alijs perſonis commune; ergo Pater non conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per aliquid abſolutum. Secundò. Totum, quod convenit Patri, convenit Filio præter eſſe Patrem, vt docet Concilium Florentinum in litteris vnionis. ibi. *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem*; ſed hoc ita non eſſet, ſi Pater conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per aliquid abſolutum; ergo non conſtituitur. Probo minorem. Id, per quod conſtituitur in eſſe primæ perſonæ non convenit Filio, vt dictum eſt, quia Filius non eſt prima perſona; ergo ſi hoc eſt aliquid diſtinctum à relatione paternitatis, aliquid convenit Patri, quod non convenit Filio præter eſſe Patrem. Denique. Ratio formalis conſtitutiva perſonæ eſt id, per quod perſona redditur incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſitò, eſt enim perſona: *Rationalis naturæ individua ſubſtantia incommunicabilitèr*, vt dubio 1. dictum eſt; at perſona eſt incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito per relationem, vt omnibus certum eſt; ergo non per abſolutum, ſed per relationem conſtituuntur perſonæ.

18 Reſpondet Moneda. Perſonas divinas eſſe diſtinctas adiectivè, non ſubſtantivè, quarè eadem ratio conſtitutiva perſonæ eſt in omnibus perſonis, quæ per relationes ſuperadditas multiplicantur, & diſtinguntur. Sed contra. Implicat multiplicari conſtitutum non multiplicato conſtitutivo; ſed conſtitutivum perſonæ in Deo non multiplicatur iuxta prædictum Doctorem; ergo nec perſona conſtituta, vndè vna tantùm erit perſona in Deo, quod Sabellianum eſt. Secundò. Licèt concretum adiectivum pluraliter dici poſsit non multiplicata forma, attamen in concreto ſubſtantivo id repugnat; ſed *perſona* eſt concretum ſubſtantivum, non adiectivum, non minus, quàm *Deus*, quarè ſicut non ſunt plures Dij, quia non multiplicatur divinitas, ita non erunt plures perſonæ, ſi forma conſtitutiva perſonæ non multiplicatur.

19 Denique adiectivè loquendo etiam admittuntur in Deo tres æterni, tres omnipotentes, &c. ergo ſi in divinis ſolùm ſunt tres perſonæ adiectivè, non magis multiplicatur perſona, quàm æternitas, omnipotentia, & alia abſoluta; at in nullo vero, & catholico ſenſu admitti poſſunt tres omnipotentiæ, nec tres immenſitates, nec alia huiuſmodi; ergo nec tres perſonę, quod dici non poteſt. Eo vel maximè, quia Concilia, & Patres communitèr negant tres omnipotentes, tres æternos, &c. & concedunt tres perſonas: vndè in Symbolo Athanaſius inquit: *Non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens*, cum tamen ibidem aſſerat: *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*; ergo in aliquo vero ſenſu ſunt tres perſonæ, quo non ſunt tres omnipotentes; ſed adiectivè etiam tres omnipotentes frequentius admittuntur; ergo tres perſonæ concedendæ ſunt etiam ſubſtantivè; atque adeò tres perſonalitates diſtinctæ: qua ratione optimè dixit Ang. Doctor 1. p. q. 39. a. 3. ad 4. *Forma ſignificata per hoc nomen perſona, non eſt eſſentia, vel natura, ſed perſonalitas*; *vndè cum ſint tres perſonalitates, non ſingulariter, ſed pluralitèr prædicatur de tribus.*

20 Occurri poteſt ex doctrina Subtilis Doctoris docentis perſonas conſtitui proprietatibus, quæ eſtò non ſint relationes, ſunt tamen referibiles, vndè multiplicari poſſunt in perſonis, quod non contingit in eſſentia, omnipotentia, & alijs, quæ nec ſunt relationes, nec referibiles. Hæc doctrina penitùs evertit doctrinam ab omnibus Theologis receptam in Myſterio Trinitatis, nimirùm, omnia abſoluta eſſe communia, & non multiplicari in perſonis, ſolaſque relationes eſſe proprietates perſonales, & multiplicabiles; at hæc ſolutio ponit perſonalitatem conſtitutivam perſonæ eſſe abſolutam, & multiplicari in perſonis; ergo nullo pacto admittenda eſt.

21 Secundò. Eſſe referibile in hac ſententia nihil aliud eſt, quàm habere relationem adiunctam; at eſſentia, omniaque attributa abſoluta habent relationem adiunctam; ergo omnia ſunt referibi-

ſibilia, omniaque multiplicantur. Tertiò. Si eſſentia non eſt referibilis, quia eſt vna in omnibus perſonis; ergo nec perſonalitas erit referibilis, quia cum ſit abſoluta iuxta hanc doctrinam debet eſſe vna in omnibus.

22 Dices. Referibilitas ſatis eſt ad diſtinctionem realem; ergo non requiritur relatio, ſed pro priori ad relationem poterit concipi vna perſona conſtituta, & realiter diſtincta ab alia per aliquid referibile. Antecedens probatur. Pater, & Filius pro priori ad ſpirationem activam ſolum ſunt referibiles ad Spiritum Sanctum, nam pro illo priori radicant ſpirationem activam, per quam actualiter, & formaliter referuntur; & tamen pro illo priori realiter diſtinguntur à Spiritu Sancto; ergo ſatis eſt referibilitas ad diſtinctionem.

23 Huic obiectioni commodius occurremus infra tract. 7. de Spiritu Sancto. Interim, nego antecedens. Nam Pater, & Filius pro priori ad ſpirationem activam ſicut ſolùm radicant relationem ſpirationis activæ, ita ſolùm radicaliter diſtinguntur: nec id provenit ex referibilitate, ſed ex proprijs conceptibus relativis exigentibus, & radicantibus determinatè ſpirationem activam, per quam referuntur ad Spiritum Sanctum, & ab eo realiter, & formaliter diſtinguntur. Sed de hoc operoſius agendum loco citato.

24 Ideò Alij veroſimilius reſpondent perſonas divinas conſtitui per ſubſiſtentiam abſolutam, non abſolutè ſumptam; ſed modificatam relatione: eo ſanè modo, quo diximus principium divinarum proceſsionum conſtitui per abſolutum modificatum relatione. Verùm nec hi Authores ſufficienter occurrunt rationibus factis. Primò. Quia dicto tractat. de proceſsionibus divinis quæſtio procedebat de principio *quo*, non de principio *quod*, nam hoc ſicut multiplicatur in divinis, ita debet conſtitui per relationem; qua ratione dubio antecedenti diximus conſtituendum eſſe per ſubſiſtentiam relativam. Secundò. Licèt principium *quo* divinarum proceſsionum importet ex parte recti aliquid abſolutum, directum tamen ſignificatum perſonæ eſt aliquid ſpeciale, & perſonale, atque adeò relativum, vnde debet conſtitui per relationem: qua ratione dixit D. Thomas 1. p. q. 40. a. 3. ad 2. *Paternitate Pater non ſolùm eſt Pater, ſed etiam perſona, & quis, ſive hypoſtaſis.* Quaproprer id, quod ſe habet vt connotatum modificans principium *quo* divinarum proceſsionum ſe habet vt ratio formalis conſtitutiva perſonæ, ſicut ſe habet vt ratio formalis principij *quod* earundem proceſsionum; ſed connatum modificans principium *quo* eſt relatio; ergo ratio formalis conſtitutiva perſonæ debet eſſe relatio.

25 Reſpondet Henricus Gandavenſis, cui accedunt Quiròs, Franciſcus de Lugo, & Alij, conſtitui quidem perſonas per relationem, non tamen prædicamentalem, ſed tranſcendentalem à prædicamentali virtualiter diſtinctam, quæ talis dicitur, eo quod radicalitèr, & virtualitèr continet relationem prædicamentalē. Sed hæc ſententia in nullo differt à ſententia conſtituente perſonas per abſolutum, quoniam relatio tranſcendentalis, nec in creatis, eſt de genere relativo, ſed abſoluto, ideoque dicitur in Metaphiſica relatio *ſecundum dici*: nec vllum prædicatum excogitari poterit in creatis ita abſolutum, quod in ſuo conceptu relationem tranſcendentalem, non includat; ergo idem prorſus eſt conſtituere perſonas divinas per relationem tranſcendentalem, ac per abſolutum; vnde eiſdem ſubiacet cenſuris, & potiori titulo. Nam ea, quæ in creatis important relationem tranſcendentalem, in Deo nullo pacto referuntur, vt patet in potentia, quæ in creatis, refertur relatione tranſcendentali ad ſuum obiectum, non in divinis; ergo illa relatio tranſcendentalis conſtitutiva perſonarum eſt relatio nomine tenus; ergo re ipſa hæc ſententia conſtituit perſonas per abſolutum.

26 Secundò. Si relatio tranſcendentalis locum habet in Deo, negari non poterit inter prædicata abſoluta; at relatio tranſcenoentalis iuxta hanc ſententiam ſatis eſt ad diſtinctionem realem perſonarum; ergo ſatis erit ad diſtinctionem realem inter prædicata abſoluta. Denique. Ea forma conſtitutiva perſonæ dicitur relatio tranſcendentalis, quia radicat, & continet virtualiter relationes prædicamentales; at hoc etiam habet eſſentia; ergo ſola eſſentia poterit conſtituere perſonas, ſolaque eſſentia erit principium diſtinctionis realis, quod catholicè dici non poteſt.

27 Pater Vazquez reſpondet primam perſonam conſtitui per innaſcibilitatem, non quatenús innaſcibilitas ſignificat negationem, ſed formam poſitivam, quam vocat rationem fontalis principij, & hanc formam poſitivam docet eſſe relativam, non relatione reali, ſed rationis, quia cum conſtitutio divinarum perſonarum non ſit realis, ſed rationis propter indiſtinctionem realem extremorum, fieri poteſt per relationem rationis.

28 Sed hac doctrina ægrè ſalvari poteſt eſſe in divinis tres perſonas reales realitèr diſtinctas, ſi forma, per quam conſtituuntur, & diſtinguntur realis non eſt. Secundó. Vel hæc ſententia procedit de formali relatione rationis, & hæc eſt ficta à noſtro intellectu, quæ nihil ponit in Deo, vel de fundamentali, & ita coincidit in ſententiam conſtituentem perſonas per abſolutum. Tertiò. Immeritò dicitur conſtitutionem divinarum perſonarum non eſſe realem, nam talis eſt conſtitutio, qualè eſt conſtitutum; at perſona conſtituta eſt realis, cum ſint in Deo tres perſonæ reales, realiterque diſtinctæ; ergo & conſtitutio debet eſſe realis. Quartò. Quidquid ſit an conſtitutio dicenda ſit realis, necnè, propter indiſtinctionem realem extremorum, negari non poteſt extrema eſſe realia, quamquàm realitèr indiſtincta, aliàs perſona conſtituta non eſſet realis; ergo forma conſtitutiva debet eſſe realis.

29 Quintò. Immeritò dicitur conſtitutionem non eſſe realem propter indiſtinctionem realem extremorum ſi forma conſtitutiva eſt relatio rationis, quoniam nihil magis diſtinctũ à ſubiecto reali, quàm relatio rationis. Sextò. Et ſi extrema conſtituentia non ſint realitèr diſtincta actualitèr, ſunt tamen diſtincta realitèr virtualitèr; ſed hoc ſatis eſt ad conſtitutionem realem, quoniam nec animal, & rationale diſtinguntur realitèr, & tamen realitèr hominem conſtituunt; ergo ex hoc negari non poteſt conſtitutionem divinarum perſonarum eſſe realem. Denique. Sicut extrema, per quæ Pater conſtituitur in eſſe primæ perſonæ non ſunt realitèr diſtincta, ita nec ea, per quæ conſtituitur in eſſe Patris; ſed non ideò Pater conſtituitur in eſſe Patris per relationem rationis, ſed per realem relationem paternitatis; ergo pariter in eſſe primæ perſonæ

***

SECVNDA CONCLVSIO.

§. IV.

30 Dicendum ſecundò, perſonas divinas, non origine, nec alia proprietate notionali, ſed ſolis relationibus conſtitui, & diſtingui. Conſtat ex Concilio Florentino loco citato, vbi cùm dixerit perſonas conſtitui per relationes, addit: *Non enim generare, & genitum eſſe, quod quidem originis eſt, conſtituit principaliter perſonas, ſed paternitas, & filiatio.* Accedit D. Thomas citata quæſt. de potentia per hæc verba: *Oportet ergo, quod filiatio ſit formaliter conſtituens, & diſtinguens hypoſtaſim filij, non autem origo, neque relatio intellecta in origine, quia relatio intellecta in origine, ſicut & ipſa origo, non ſignificat aliquid adhuc ſubſiſtens in natura, ſed in naturam tendens.*

31 Ex his deducitur ratio. Perſona eſt quid conſtitutum in facto eſſe, ac in eſſe permanenti; at origo non ita ſe habet, ſed in fieri, per modum viæ, & tendentiæ, ſicut quælibet alia actio productiva alicuius termini; ergo non eſt forma conſtitutiva perſonæ. Secundò. Forma conſtituens perſonam eſt conſtitutiva ſuppoſiti; ſed hæc debet intelligi quaſi in actu primo, non per modum actus ſecundi, qualis eſt origo; nam actus ſecundus ſupponit ſuppoſitum conſtitutum veluti principium, à quo dimanat; ergo non conſtituitur per originem. Tertiò. Generatio, quæ eſt origo in Patre, nec conſtituit Patrem, nec Filium; ergo nulla perſona conſtituitur per originem. Probo antecedens. Generatio non ordinatur nec tendit ad eſſe Patris, ſed potius ad eſſe Filij; ergo non conſtituit Patrem: ſed nec Filium, quia eſt via tendens ad Filium; ergo nullam perſonam conſtituit.

32 Quartò. Secunda perſona conſtitui non poteſt origine paſſiva, quæ dicitur nativitas, vt luculentèr exponit Divus Thomas loco citato aſſerens conſtitutivum poſſe intelligi, vel formaliter, vt in homine humanitas, vel in via, vt in Socrate generatio, media qua inducitur humanitas, & ſic proſequitur:

quitur. *Si enim generatione non inducerentur humanitas, nunquàm generatione conſtitueretur homo; impoſsibile eſt ergo dici, quod hypoſtaſis Filij conſtituatur ſua nativitate, niſi in quantum intelligitur, quod nativitas eius terminatur ad aliquid, quod formaliter conſtituit, ipſa autem relatio, ad quam terminatur nativitas eius, eſt filiatio. Oportet ergo, quod filiatio ſit formaliter conſtituens, & diſtinguens hypoſtaſim filij.*

33 Dices. Relatio filiationis nequit conſtituere ſecundam perſonam: primò. Quia relatio filiationis reſultat ex ſecunda perſona iam producta; ergo nequit illam conſtituere. Secundò. Ad relationem non datur per ſe motus, ſed reſultat ex poſitione fundamenti, & termini; ergo pro priori ad relationem filiationis ſupponitur Filius veluti terminus paternitatis, & fundamentum filiationis; ſed hoc modo eſt ſecunda perſona; ergo ſupponitur vt ſecunda perſona pro priori ad filiationem.

34 Reſpondeo latum eſſe diſcrimen inter relationem creatam, & divinam, quia creata, vtpotè accidentalis ſecundum totum ſuum eſſe reſultat ex fundamento, & termino, quem ſupponit: divina verò, vtpotè ſubſtantialis poteſt ſecundum vnum conceptum ſuppoſitum conſtituere, cum ſit vera ſubſiſtentia, vt dubio antecedenti dictum eſt; & ſecundùm alium ſubſequi ad terminum, vel ad ſuppoſitum iam conſtitutum, vt §. ſequenti latius oſtendemus. Ex quibus omnibus facilè deducitur, quo ſenſu intelligendus ſit D. Thomas, necnon alij Sancti Patres, ſi quandoque conſtitutionum perſonarum per origines exponunt, nimirùm per modum fundamenti, & viæ, non per modum conſtitutivi formalis: per relationes [vt ait Conc. Florent.] tanquam per prius, & principalius; per origines verò conſequenter. Sed quia totum opus, & labor ſitus eſt in ſolutione impugnationum, quæ difficili argumentorum pondere formantur, ideò ſit,

***

Argumentorum ſolutio.

§. V.

35 ARguitur primò. Prima perſona non conſtituitur per relationem; ergo nulla perſona per relationem conſtituitur; cum in omnibus ſit eadem ratio. Antecedens probatur. Prima perſona ſupponitur conſtituta pro priori ad relationem, nam prima perſona antecedit generationem, cum ſit principium illius; ſed generatio antecedit relationem paternitatis, cum relatio paternitatis in generatione fundetur; ergo prima perſona antecedit relationem paternitatis; ergo per illam non conſtituitur. Secundò. Prius eſt fundamentum proximum, quàm relatio fundata; at omnis relatio in divinis fundatur in proceſſione activa, vel paſsiva, quarè Spiritus Sanctus nullo pacto diſtingueretur à Filio, ſi ab illo non procederet, vt ſuo loco dicemus; ergo prius eſt proceſsio, quàm relatio; ſed proceſsio ſupponit perſonam, à qua dimanat, iam conſtitutam; ergo relatio ſupponit perſonam iam conſtitutam, & potiori titulo.

36 Tertiò. Prius eſt eſſe, quàm operari; ergo prius eſt perſona operativa, quàm operatio; ſed relatio ſequitur ad operationem, cum ſit illius fundamentum proximum; ergo prius eſt perſona, quàm relatio. Quartò. Si paternitas antecederet generationem veluti conſtitutiva Patris, ac primæ perſonæ generantis, Pater conſtitutus eſſet in eſſe Patris quanquàm per impoſsibile non generaret, quia per locum ab intrinſeco nondeficit prius etiam per impoſsibile ablato poſteriori, atque adeò eſſet Pater etiam ſi nullus eſſet filius, quod dici non poteſt. Denique. Filius in divinis non haberet eſſe per generationem, ſed generationem antecederet, nam Pater antecederet generationem iam conſtitutus in eſſe Patris, vt dictum eſt; ſed pro illo priori, quo intelligitur Pater in eſſe Patris iam intelligitur filius, vtpotè correlativum illius, ac deinde ſimul natura, & cognitione; ergo iam intelligeretur Filius pro priori ad generationem; ergo non haberet eſſe per generationem.

37 Hoc eſt argumentum, quod in varios dicendi modos diviſit Theologos, nam præter modos ſupra relatos, & impugnatos, adhuc P. Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 7. ait, paternitatem, v. g. poſſe concipi vt eſt relatio conceptu confuſo, non concepta vt relata ad terminum, cui ſi addatur negatio prioris relationis concipitur vt perſonalitas prima. Secundò. Poteſt concipi conceptu diſtincto, & vt relata ad terminum. Alij dicunt relationem concipi poſſe ſecundùm conceptum *in* proprium, & relativum; & vlterius ſecundùm conceptum *ad*. Caietanus diſtinguit relationem adhuc ſecundùm conceptum *ad* in relationem ſignatè, & exercitè: primo modo (ait) eſt forma relativa, non tamen reſpicit terminum vt *quod*, ſed tantúm eſt id *quo* ſeu forma, qua ſubiectum refertur ad terminum: ſecundo modo exercet ipſum reſpectum tanquam id, quod reſpicit terminum. Aſſerunt ergo omnes præfati Doctores relationem primo modo ſumptam antecedere generationem, & ita conſtituere perſonam: ſecundo modo dicunt ſupponere perſonam iam conſtitutam, & generationem veluti rationem fundandi, quia ſolùm in hoc ſecundo ſenſu, non in primo, exigit relatio divina fundamentum.

38 Maximè (vt video) inſudant Doctores, vt præiactos, alienoſque dicendi modos impugnent, à quibus tandem ſolo nomine diſſident; etenim modi relati, vel vix à communi ſententia infra propugnanda diſtinguntur, vel ſaltim cum ea in ſubſtantia conveniunt, vndé ab eorum impugnationibus abſtineo. Veriorem ergo, & clariorem ſolutionem tradit Ang. Mag. tùm 1. p. q. 40 a. 4. ad 1. tùm q. 10. de potentia, a. 10. ad 1. tùm in 1. diſt. 27. q. 1. a. 2. alijſque pluribus in locis, cuius doctrina maximè congruit locis ex Anſelmo noſtro productis: & ex illa notandum relationem divinam habere ſimilitudinem quandam cum creata, quatenùs vtraque eſt ad aliud: differre tamen à creata, quatenús divina eſt ſubſtantia, & per ſe ſubſiſtens; non ita creata: ex quo deducitur, quod licet creata, quia accidentalis, & non per ſe ſubſiſtens exigat rationem fundandi ſecundùm conceptum adæquatum; divina tamen non ita, ſed ſolúm exigit rationem fundandi in eo conceptu, in quo convenit cum creata, nempé ſecundùm conceptum *ad*, non ſecundúm conceptum formæ ſubſiſtentis; quam doctrinam probat, & amplectitur Emin. Aguirre, ſed quia in ſua ſententia relatio non habet conceptum ſubſiſtentiæ haud facilè percipitur conſequentiæ nexus.

39 Ex his ad argumentum dicendum perſonas divinas conſtitui per relationem inadæquate, & ſecundùm rationem formæ ſubſiſtentis, quo ſenſu antecedit generationem, non verò ſecundùm conceptum *ad*, quo ſenſu generationem ſupponit: & hac ratione dixit Doct. Ang. 1. p. q. 29. a. 4. ad 1. *Perſona ſignificat relationem, non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis.* Roborari poteſt hæc doctrina ex eo, quod relatio divina non tantùm eſt relatio, ſed etiam ſubſiſtentia, quo pacto non tantúm continet relationem creatam, ſed etiam creatam ſubſiſtentiam; cum ergo ſubſiſtentia creata conſtituat ſubſiſtens, & perſonam; & relatio creata ſit ad aliud, poterit relatio divina ex parte, qua ſubſiſtentia eſt conſtituere ſubſiſtens, & perſonam tanquam principium generationis: ex parte tamen, qua eſt relatio, ſive quatenùs exercet vltimum munus relationis fundari poterit in generatione, ſicut relatio creata ſecundi generis. Explicari etiam poteſt eadem doctrina in ſententia Salmanticenſium diſtinguentium intellectionem in actionem per modum vltimæ actualitatis, & in actionem per modum eggreſsionis: primo modo dicunt conſtituere metaphiſicè naturam divinam: ſecundo modo docent præſupponere naturam divinam tanquam principium, à quo egreditur; ergo ſimiliter in præſenti.

40 Ex quibus in forma ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens. Pro priori ad relationem vt ſubſiſtentem, nego antecedens; vt referentem, concedo antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Per quod conſtat ad ſecundam impugnationem. Nec ex eo, quod Spiritus Sanctus non diſtingueretur à Filio, ſi ab illo non procederet, oppoſitum convincitur, quia in eo eventu nec daretur vltimus conceptus relationis ad Spiritum Sanctum fundatus in proceſsione; nec conſequenter primus, cum quo vltimus neceſſariò, & eſtentialitèr connectitur. Per quod patet ad tertiam. Ad quartam dico, quod paternitas nunquam antecedit generationem adæquatè, ac proinde Pater non eſt conſti-

tutus

tutus in eſſe Patris pro priori ad generationem. Ex quo ad vltimum impugnationem nego ſequelam, nam Pater, pro priori ad generationem ſolùm ſupponitur conſtitutus in eſſe primæ perſonæ, non tamen in eſſe Patris, immó paternitas vt vltimô conſtitutiva patris ſupponit generationem, eaque propter nullo pacto ſequitur Filium non habere eſſe per generationem.

41 Dices. Ergo iam Pater pro priori ad generationem ſupponitur conſtitutus in eſſe primæ perſonæ; ergo maneret Pater in eſſe primæ perſonæ, quamquam per impoſsibile non generaret, quia prius ſemper manet adhuc per impoſsibile ablato poſteriori. Secundò. Pro priori ad generationem non conſtituitur prima perſona per relationem in eſſe relationis; ergo ſolùm per aliquid indentificatum cum relatione; ſed hoc eſt aliquid abſolutum; ergo conſtituitur prima perſona per abſolutum.

42 Ad primum conceſſa prima conſequentia, nego ſecundam, quia nulla entitas exiſtit ſecundum vnam formalitatem non exiſtente alia ſibi indentificata, quamquam vna præintelligatur ad aliam, vt patet in exemplis allegatis: & in eſſentia divina, quæ quamquam præ intelligatur attributis abſolutis, & relativis, non ideò exiſtere poteſt ſine illis: nec ponentes gratiam in eſſe auxiliantis in ſubiecto pro priori ad eſſe iuſtificantis, vt principium contritionis, ponunt exiſtere poſſe in eſſe auxiliantis ſine ſe ipſa in eſſe iuſtificantis. Ad ſecundum dico non conſtitui Patrem per abſolutum indentificatum cum relatione, ſed per ipſam relationem ſignificatam modo abſoluto, id eſt per modum ſubſiſtentiæ, qua reddit ſubſiſtentem eſſentiam incommunicabiliter, non in ordine ad terminum, quod eſt contitui per relationem, vt ſubſiſtentia, non vt oppoſitio eſt.

43 Replicabis. Relatio, vt diſtincta ab abſoluto non poteſt concipi ſine ordine ad terminum; ergo vel illa forma ſubſiſtens eſt abſoluta, vel dicit ordinem ad terminum. Secundò. Totum eſſe relationis eſt ordo ad terminum; ergo ſi ea forma ſubſiſtens præſcinditur ab hoc ordine, præſcinditur á conceptu relativo. Sed iam conſtat ex D. Thoma allegato dubio antecedenti n. 37. qualiter relatio ſumi poteſt per modum abſoluti: quaré reſpondeo relationem per modum formæ ſubſiſtentis concipi per ordinem ad ſubiectum, non intranſitivè, ſed tranſitivè, id eſt, non ibi ſiſtendo, ſed vt tendat ad terminum, quod eſt importare ordinem ad terminum connexivè, & quaſi radicalitèr, non formaliter expreſsè. Per quod conſtat ad ſecundam obiectionem. Nam totum eſſe relationis eſt ad aliud, vel formaritèr expreſsè, vel radicaliter, & connexivè; vt contingit in conceptu *in* relationis creatæ. Præterquanquòd dici poſſet, quod licet totum eſſe relationis creatæ ſit ad aliud, eo quod ſit ſolum accidens reſpectivum: attamen relatio divina, cum etiam ſit ſubſtantialis ſubſiſtentia, vtrumque habet, & eſſe ad aliud, & eſſe per ſe ſubſiſtens.

44 Si opponant. Etiam prædicata abſoluta ſunt ad aliud radicaliter, & connexivè cum radicent relationem, & connectantur cum illa; ergo ſi amplius non habet forma conſtitutiva perſonæ non erit relativa, ſed abſoluta. Reſpondeo abſoluta radicare ordinem ad aliud per prædicatum alterius lineæ: attamen forma conſtitutiva perſonæ radicat oppoſitionem, & reſpectum per ſe ipſam ſecundùm alium conceptum.

45 Adhuc opponunt. Perſona eſt natura ſubſtantialis incommunicabilis alteri, diſtincto, & oppoſito; ſed totum hoc præſtat relatio ſecundùm conceptum *ad*; ergo conſtituit perſonam ſecundùm conceptum *ad*. Reſpondeo non totum præſtari à relatione ſecundùm conceptum *ad*, ſed totum referri ad terminum à relatione ſecundùm conceptum *ad*, quia relatio vt forma ſubſiſtens conſtituit perſonam incommunicabilem, poſteà verò conceptum *ad* incommunicabilitatem iam præſtitam ordinat ad terminum.

46 Dices. Pater nequit conſtitui in ratione perſonæ per id, quod in ratione perſonæ per actionem propriam ſibi poteſt acquirire; ſed Pater vt prima perſona per actionem propriam ſibi poteſt acquirire relationem paternitatis; ergo conſtitui non poteſt in ratione primæ perſonæ per relationem paternitatis. Maior conſtat, quia Pater in ratione primæ perſonæ eſt principium operans; ſed principium operans debet ſupponi iam conſtitutum pro priori ad actionem; ergo & potiori titulo pro priori ad id, quod per actionem acquiritur. Minor principalis probatur. Relatio paternitatis reſultat ex actione generativa; ergo Pater per ſuam actionem generativam

vam poteſt ſibi acquirere relationem paternitatis. Reſpondeo ex dictis conceſſa maiori, diſtinguendo minorem. Poteſt per actionem propriam ſibi acquirere relationem paternitatis ſecundùm conceptum adæquatùm nego minorem : ſecundùm inadæquatùm, & vltimùm, concedo minorem. Nam licèt prima perſona poſsit ſibi acquirere relationem paternitatis ſub munere oppoſitionis, & expreſsè referat ad terminum, non tamen ſub munere perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ, ſed in hoc conceptu conſtituit perſonam, & principium operativum.

47 Arguitur ſecundò. Relatio filiationis non cõſtituit ſecundam Trinitatis perſonam ; ergo nulla relatio in divinis conſtituit perſonam. Antecedens probatur. Relatio filiationis ſupponit ſecundam Trinitatis perſonam, nam relatio filiationis ſupponit terminum relationis paternitatis; cum relatio reſultet poſito termino ; ſed terminus relationis paternitatis eſt ſecunda perſona ; ergo filiatio ſupponit ſecundam perſonam; ergo eam non conſtituit. Secundò. Filiatio fundatur in eſſe genito ; ergo ſupponit eſſe genitum ; ſed eſſe genitum in divinis eſt ſecunda perſona ; ergo filiatio ſupponit ſecundam perſonam; ergo eam non conſtituit. Tertio. Secunda perſona eſt terminus relationis paternitatis; ſed terminus relationis paternitatis eſt aliquid abſolutum; cum in ſententia ſatis probabili relatio terminetur ad abſolutum; ergo ſecunda perſona conſtituitur in eſſe talis per aliquid abſolutum.

48 Reſpondeo omnes perſonas divinas conſtitui per relationem, quia vt optimè inquit D. Thomas q. 8. de potentia art. 3. *Omnium hypoſtaſum eiuſdem naturæ eſt eadem ratio conſtitutionis, & diſtinctionis*, Undè ad argumentum dico relationem filiationis inadæquatè conſtituere ſecundam Trinitatis perſonam, non adæquatè conceptam ; vndè ſecundum conceptum *ad* ſupponit ſecundam perſonam iam conſtitutam per ipſam filiationem ſecundùm conceptum formæ ſubſiſtentis, vt dictum eſt de paternitate reſpectu Patris. Ad ſecundùm dico filiationem inadæquatè, & ſub munere oppoſitionis fundari in eſſe genito & hoc modo ſupponere eſſe genitum, ac ſecundam Trinitatis perſonam. Ad tertium conceſſa maiori, nego minorem. Nam ea opinio permitti poteſt in relatione creata, non in divina. Ratio diſparitatis eſt, quia relatio debet eſſe ad terminum diſtinctum; in creatis autem terminus abſolutus diſtinguitur à relatione, & à perſona relata : attamen in divina relatione abſoluti nulla poteſt eſſe diſtinctio, quarè neceſſariò terminatur ad relativum.

49 Arguitur tertiò. Prima perſona in eſſe talis eſt diſtincta à ſecunda; ergo conſtituitur in eſſe primæ perſonæ per formam diſtinguentem à ſecunda ; ſed hoc tantùm præſtat relatio ſecundùm conceptum *ad* ; ergo ſolùm ſecundùm hunc conceptum poteſt primam perſonam conſtituere. Minor probatur. Diſtinctio in divinis provenit ab oppoſitione, quia vt inquit Anſelmus : *In divinis omnia ſunt vnum vbi non obviat relationis oppoſitio* ; ergo ſola relatio ſub conceptu *ad* imporrat oppoſitionem ; ergo ſolùm ſub hoc conceptu poteſt conſtituere perſonam. Reſpondeo conceſsis alijs diſtinguendo minorem. Secundùm conceptum *ad* expreſsè, & exercitè concedo minorem: implicitè, & in eſſe ſubſiſtentiæ nego minorem. Itaque relatio vt forma ſubſiſtens conſtituit, & diſtinguit, verùm quia ſub eo conceptu non refertur ad terminum, non diſtinguit expreſsè, & reſpectivè, ſed hoc præſtat ſecundum conceptum *ad* : quarè relatio ſecundum conceptum *ad* non tam diſtinguit, quam perſonam diſtinctam refert ad terminum.

50 Inſurges. Si relatio ſub primo conceptu conſtitueret perſonam, & ſub ſecundo referret, inter ipſam vt conſtituentem, & referentem media et origo, ſed hoc implicat ; nam inter relativum, & relativum mediare non poteſt abſolutum ; ſed origo eſt quid abſolutum ; ergo mediare non poteſt inter conceptus eiſdem relationis. Reſpondeo, quod ſicut in frequentiori Thomiſtarum ſententia inter gratiam, efficientem, & ipſam vt iuſtificantem mediat contritio realitèr diſtincta, potiori titulo inter relativum, & relativum, mediare poteſt origo realitèr indiſtincta.

***

TRAC-

TRACTATUS QUINTUS

DE PERSONA PATRIS,

DIVINISQVE NOTIONIBVS.

CUM In præcedentibus actum ſit de perſonis in communi, earumque proceſsionibus, relationibus, alijſque pluribus in ſuperioribus examinatis, ad earundem perſonarum diſputationem in particulari deſcendimus, de quibus Anſelmus: tum libro de proceſsione Spiritus Sancti: tùm in Monolog. à cap. 56. & Angelicus Doctor 1. p. q. 33. & ſequentibus. Sed vt debita claritate procedamus aliqua præmittenda ſunt de divinis notionibus, in quibus non tàm diſputatio, quam expoſitio neceſſaria eſt.

DVBIVM. I.

An ſint, & quot ſint notiones in divinis?

§. I.

1 NOTIO Eſt nota illa ſpecialis, ſivè ſignum, vi cuius nobis perſona innoteſcit, & qua vnam perſonam ſecernimus ab alia; nō quia notio neceſſariò debeat eſſe expreſsè relatio, quæ ſola eſt ratio diſtinguendi in divinis, ſed eſt ratio, vi cuius ipſa diſtinctio vnius perſonæ ab alia manifeſtatur: quarè eadem forma per ordinem ad correlativum dicitur *relatio*: per ordinem ad perſonam dicitur *proprietas*: per ordinem ad intellectum dicitur *notio*: vndè á D. Thoma 1. p. q. 32. a. 3. ſic definitur: notio *eſt propria ratio cognoſcendi perſonas in abſtracto ſignificata.*

2 Porrò conditiones ad rationem notionis neceſſariæ ſunt tres: prima, quod ſignificetur in abſtracto, vndè *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus* non ſunt notiones, quia notio non eſt perſona manifeſtata, ſed forma qua manifeſtatur. Secunda, quod non ſit communis tribus, nam communia tribus perſonis ſunt attributa, non notiones, ſed debet eſſe ſpecialis vnius perſonæ, vel ſaltîm duarum, quia vna perſona per id ipſum, per quod convenit cum alia, differre poteſt à tertia, vt patet in ſpiratione activa. Tertia, quod pertineat ad originem, quia cum omnis relatio, aut ratio diſtinctiva fundetur in origine, neceſsé eſt vt ad originem ſpectet. Alij alias ſuperaddunt, ſed ad prædictas facile reduci poſſunt.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDVM Primò ponendas eſſe notiones in Deo. Concluſio eſt manifeſta, quia ſicut perſonæ divinæ in pluribus conveniunt, ita in pluribus diſcriminantur; ſed ea, in quibus differunt oportet aliquibus ſignis, & notionibus manifeſtari; ergo ponendæ ſunt notiones in Deo. Rurſus. Sicut non obſtante ſummâ ſimplicitate Dei vi-

mur

mur abſtractis ad ſignificanda concrera abſoluta, ita ad ſignificanda concreta notionalia oportet notiones ponere, ſunt enim neceſſaria ſigna, & vocabula, quibus noſtros explicemus conceptus, & interrogationibus, ac cavillis Hæreticorum facilè, & promptè occurramus: vndè inquirenti, quo tres perſonæ ſunt vnus Deus? Reſpondemus, Deitate; ego inquirenti cur ſunt tres, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? Reſpondendum erit abſtractis notionibus, nimirum, paternitate, filiatione, & ſpiratione.

4 Nec momenti eſt, quod opponit Præpoſitivus impugnatus à D. Thoma 1. p. q. 17. a. 2. negans in Deo notiones, eo quod Deus eſt ſummè ſimplex, atque adeó nulla eſt diſtinctio inter prædicata communia, & propria. Non (inquam) momenti eſt, quia non præiudicat ſummæ Dei ſimplicitati, quod vtamur nominibus concretis, & abſtractis, tam in abſolutis, quàm relativis, non enim poſſumus divina comprehendere vt ſunt in ſe, idcirco indigemus nominibus noſtræ imbecillitati accommodatis.

(†)

SECUNDA CONCLUSIO

§. III.

5 DICENDVM Secundò quinque eſſe ponendas notiones in Deo, videlicèt, *innaſcibilitatem*, & *paternitatem* in Patre: *filiationem* in Filio: *ſpirationem* in vtroque: & *proceſsionem* in Spiritu Sancto. Probatur. Notio eſt ratio, qua dignoſcitur, & ſecernitur vna perſona ab alia; at prima perſona ſecernitur ab alijs per paternitatem; ergo ponenda aſt paternitas: ſed quia Pater æternus per ſolam paternitatem non perfectè dignoſcitur, cum poſſet eſſe Pater diſtinctus à Filio, quamquam, & ipſe ab alio à Patre eſſet, vt ait Anſelmus de proceſsione Spiritus Sancti, c. 5. ibi: *Filius non ideò eſt alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem; ſi enim Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio*, igitur ad ſignificandum perfectè, quid ſit Pater non ſolùm in eſſe Patris, ſed in eſſe primi, ac fontalis principij á nullo alio procedentis, ideò ſuperadditur in Patre alia notio, & dicitur *innaſcibilitas*. Secundò. Filius innoteſcit per *filiationem*. Tertiò. Ex Patre, & Filio conſurgit vnus Spirator, qui manifeſtatur per *ſpirationem*. Et tandem Spiritus Sanctus dignoſcitur per ſpirationem paſsivam, quæ dicitur paſsiva proceſsio; ſunt ergo in Deo quinque notiones: innaſcibilitas: paternitas: filiatio: ſpiratio activa: & paſsiva proceſsio.

6 Dices. Notiones ſunt rationes illæ, per quas vna perſona differt ab alia; ſed iuxta Anſelmum lib. de proceſsione Spiritus Sancti, c. 28. ſunt ſex, vt nos etiam diximus in Scholijs, inquit enim: *Porrò ſex ſunt differentiæ Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ex his naſcentes nominibus*, quas ita diſtribuit. Patrem non habet Patrem, & hæc eſt *innaſcibilitas*, quæ eſt prima notio: item Pater habet filium, & hæc eſt *paternitas*, ſecunda notio. Filius habet Patrem, & hæc eſt *filiatio*, tertia notio: item Pater, & Filius habent Spiritum Sanctum de ſe procedentem, & hæc eſt *ſpiratio activa*, quarta notio. Spiritus Sanctus non habet alium de ſe procedentem, & hæc eſt *infæcunditas*, quinta notio. Denique Spiritus Sanctus non habet Patrem, & hæc eſt *ſpiratio paſsiva*, quæ eſt ſexta notio; dantur ergo ſex rationes differentiales, ac proindè ſex notiones in Deo.

7 Reſpondeo dari quidèm in divinis perſonis ſex differentias, ab Anſelmo enumeratas, penultima tamen, nempè, infæcunditas Spiritus Sancti non numeratur inter notiones, eo quod notio pertinere debet ad dignitatem perſonæ, quia in communi ſenſu Theologorum, & Patrum notio tendit ad deſignandam perfectionem alicuius perſonæ, cum ergo infæcunditas Spiritus Sancti puram negationem importet, nullamque dignitatem exprimat, ideò inter notiones non computatur, quamquam ſignificet differentiam Spiritus Sancti à cæteris perſonis. Et in hoc diſtinguitur ab innaſcibilitate Patris, quæ licèt ſit negatio, nihilominus pertinet ad dignitatem, quatenùs ſignat perfectionem fontalis principij, & radicem totius fœcundatis.

8 Ex his deducitur differentia inter proprietates perſonales: relationes: & notiones. Nam proprietates perſonales ſunt tres, quia cum ſint conſtitutivæ perſonarum, debent adæquare perſonarum numerum. Relationes autem ſunt quatuor: paternitas: filiatio: ſpiratio activa: & paſsiva, quia relationes fundantur in origine;

& proceſsione ; cum ergo in Deo ſint duo principia proceſsionum oportet eſſe duas relationes ex parte principij ; & duas ex parte termini. Notiones tandem ſunt quinque ſupra aſsignatæ, quæ optimè dici poſſunt notiones perſonarum, non perſonales, quia notio perſonalis eſt ſola perſonalitas conſtitutiva perſonæ, quæ tantum poteſt eſſe triplex iuxta numerum perſonarum.

Aliquæ obiectiones ſolvuntur.

§. IV.

9 OPPONES Primò. Plures ponendæ ſunt notiones in Deo, quàm quinque aſsignatæ. & probatur. In Patre vltra notiones prædictas eſt ratio Genitoris, fontalis principij ; & radix totius fæcunditatis. In Filio eſt ratio Uerbi, imaginis, & characteris. In Spiritu Sancto eſt ratio amoris, doni, & mutui nexus; hæc omnia ſunt ſigna diſcretiva vnius perſonæ ab alia ; ergo ſunt veré notiones ; ergo ſunt plures notiones, quàm aſsignatæ. Secundò. Generatio eſt nota propria Patris, ſicut & nativitas in Filio ; ergo ſunt aliæ duæ notiones præter dictas.

10 Ad primum dico ea omnia eſſe conceptus inadæquatos, & partiales ad notiones prædictas tanquam ad proprietates adæquatas, & totales pertinentes: quapropter Aliqui aliam conditionem ad propriam notionem aſsignant, nimirum, quod ſint formalitates totales, & adæquatæ. Ad ſecundùm dico generationem in Patre, & nativitatem in Filio eſſe ſigna ſpecialia per modum viæ, tendentiæ, & in fieri, non permodum formæ permanentis qualitèr ad notionem requiritur, vndè potius notant, & ſignant actus notionales, quàm perſonas, cùm tamen notio debeat manifeſtare perſonas in ſe ipſis.

11 Oppones ſecundò. Notio eſt aliquid reale in Deo ; ergo ſi ſunt quinque notiones. erunt quinque res ; ſed hoc dici non poteſt, & improbatur à Concilio Later. ſub Innoc. III. excludente contra Abbatem Ioachimum quaternitatem ; ergo potiori titulo excludenda eſt quinitas rerum. Secundò. Spiratio activa non eſt ſpecialis nota alicuius determinatæ perſonæ, cum ſit communis Patri, & Filio ; ergo numeranda non eſt inter notiones.

12 Ad primum dico non obſtante definitione Concilij Lateran. Catholicè fateri Adverſarios quatuor relationes in Deo ; ergo ea non obſtante fateri poſſunt quinque notiones. Ratio eſt, quia innaſcibilitas nihil poſitivum addit ad paternitatem : nec ſpiratio activa diſtinguitur realitèr à paternitate, & filiatione, quare ſolum ponuntur tres res realitèr diſtinctæ iuxta definitionem Concilij, quod non impedit quatuor relationes, & quinque notiones. Nec ex eo quod ſpiratio activa ſit communis duobus deficit à propria rationis notionis, quia non eſt communis omnibus perſonis, ſed eſt ratio differentialis.

13 Oppones tertio. Potentia generativa in Patre eſt propria Patris, pertinet ad ordinem originis, & ſpectat ad dignitatem perſonæ ; ergo habet quidquid requiritur ad veram notionem. Secundò. Sicut innaſcibilitas eſt propria Patris, ita inſpirabilitas in Filio ; & ſicut illa eſt negatio, ita & iſta : ac tandem ſicut illa importat dignitatem ratione paternitatis connotatæ, ita & iſta ratione filiationis ; ergo quo pacto illa computatur inter notiones, eo iſta computanda eſt.

14 Ad primum dico potentiam generativam non eſſe propriam Patris ſecundùm id, quod importat ex parte recti, ſed vt modificatam per paternitatem connotatam, vt diximus tract. 2. dub. 3. vndè non ponit in numero cum paternitate. Ad ſecundum dico latum eſſe diſcrimen, quia innaſcibilitas denotat ratione ſui, & non ratione paternitatis authoritatem primi principij, & fontis omnium perfectionum divinarum, quod ſpectat ad dignitatem perſonæ: attamen inſpirabilitas ex genere ſuo non importat dignitatem. vt patet in creaturis, quibus competit non ſpirari, quin propterea denotetur aliqua ratio dignitatis, quod idem dici poteſt de ingenerabilitate in Spiritu Sancto, de qua idem poſſet formari argumentum.

***

DV-

[†]

DVBIVM II.

Qualitèr innaſcibilitas ſit notio propria Patris?

§. I.

1 EX Dubio antecedenti conſtat *innaſcibilitatem* eſſe propriam notionem Patris, adhuc tamen examinandum ſupereſt, quo ſenſu propriam notionem conſtituat: etenim *innaſcibilitas*, ſivè *ingenitum* multiplicitèr vſurpari poteſt: primò quatenùs excludit creationem, aut efformationem ab alio, quia hoc modo omnes divinæ perſonæ ſunt ingenitæ, cum nullâ ſit creata, vel facta dicente Athanaſio in Simbolo: *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.* Item de Filio ait: *Non factus, nec creatus*: quod idem repetit de Spiritu Sancto.

2 Secundò *ingenitum* ſumi poteſt, quatenùs excludit propriam generationem, & hoc modo competit etiam Spiritui Sancto, qui verè genitus non eſt, dicente eodem Simbolo: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus.* Tertiò. Vt excludit omnem proceſsionem ab alio, & hoc modo convenit etiam eſſentiæ divinæ, quæ licèt ſit in Filio à Patre per communicationem, non tamen per proceſsionem. Quartò. Vt penitus excludit omnem modum eſſendi ab alio, ſivé via creationis, ſivé generationis, ſivé proceſsionis, ſivè communicationis, ſivé alio quocumque modo. Et in hoc ſenſu eſſe propriam notionem ſolius perſonæ infra oſtendemus.

3 Ulterius notandum *innaſcibilitatem*, ſivé *ingenitum* dicere pro formali; & expreſsè negationem, ſed quia omnis negatio in aliquo poſitivo fundatur, ſupereſt dirimendum an *ingenitum* ſit notio Patris ratione negationis, aut ratione poſitivi. Prima ſententia docet eſſe notionem Patris, ratione poſitivi. Ita D. Bonaventura, P. Vazquez, Alarcon, & Alij nonnulli: hoc autem poſitivum Vazquez conſtituit in relatione rationis. Alarcon in relatione reali tranſcedentali. Et tandem Alij in relatione prædicamentali à paternitate indiſtincta.

(†)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

4 DICENDVM Primò *innaſcibilitatem* eſſe notionem propriam perſonæ Patris, quatenùs importat omnem prorſus negationem ab alio. Probatur ex Sancto Anſelmo de proceſsione Spiritus Sancti, cap. 27. vbi loqnens de notionibus ait: *Solus itaque Pater eſt, qui eſt de nullo.* Et in Monolog. cap. 56. *Poteſt itaque, immò debet dici ſolus ille* [id eſt Pater] *Genitor, & ingenitus, quia ſolus eſt Pater, & Parens, & nullomodo ab alio eſt.*

5 Ratione probatur. Ea eſt notio propria Patris, quæ eſt ratio diſcretiva Patris á cæteris omnibus; ſed ita ſe habet innaſcibilitas dicta; ergo eſt notio propria Patris. Minor probatur. Ea eſt ratio diſcretiva Patris á cæteris omnibus, quæ ita convenit Patri, vt cæteris non conveniat; at innaſciblitas dicta, ſivè excludens omnem prorſus proceſsionem, & communicationem ab alio ita convenit Patri, vt alijs non conveniat, quoniam Pater talitèr eſt ingenitus, vt non ſit ab alio per communicationem, ſicut eſt eſſentia divina in Filio: nec per generationem, ſicut eſt Filius à Patre: nec per proceſsionem, ſicut eſt Spiritus Sanctus ab vtroque: nec tandem per creationem, aut alterius generis productionem, ſicut ſunt creaturæ; ergo.

6 Opponit Scotus in 1. diſt. 28. q. 3. Prima perſona eſt per dimanationem ab eſſentia; ergo innaſcibilitas, vt importat negationem eſſendi ab alio omnimodò, erit notio propria eſſentiæ divinæ, non primæ perſonæ. Sed contra. Prima perſona includit neceſſariò eſſentiam; ergo nequit eſſe ab eſſentia adhuc dimanativè. Secundò. Si Perſona Patris eſſet dimanativè ab eſſentia diſtingueretur realitèr ab eſſentia, vt patet in proprietatibus naturæ creatæ, quæ propter realem diſtinctionem à natura propriè dimanare poſſunt ab illa, ſi enim perſona eſſet ab eſſentia in aliquo vero ſenſu produceretur ab illa, atque adeò diſtingueretur realitèr, cum inter producens, & productum ſit neceſſaria realis diſtinctio.

7 Reſpondet Scotus diſtinctionem realem eſſe neceſſariam, vt aliquid

ſit

ſit ab alio tanquam à ſuppoſito, non verò vt ſit ab alio tanquam ab eſſentia. Sed hoc non conſequenter dicitur, nec verè. Nam in ſententia Scoti eſſentia in linea abſoluta, & pro priori ad perſonalitates eſt verum ſuppoſitum, inquit enim Subtilis Doctor, vt refert Capreolus in 1. diſt. 26. quæſt. 5. §. *Secundo loco. Si abſolutum ſuppoſitum repugnaret in divinis, hoc eſſet, quia ponè oporteret quatuor ſuppoſita, aut quatuor perſonas; ſed hoc non impedit, quia illud ſuppoſitum non ponit in numerum cum tribus.* Et infra concludit: *Vndè non apparet, cur non poni poſſit aliquod ſuppoſitum abſolutum*; ergo iuxta Scotum eſſentia eſt verum ſuppoſitum abſolutum; ergo ſi prima perſona eſt ab eſſentia, eſt ab illa tanquam à ſuppoſito; ſed quod eſt àb alio tanquam à ſuppoſito eſt realiter diſtinctum, vt inquit idem Sotus; ergo prima perſona erit ab eſſentia realiter diſtincta. Prætereà. Quod procedens ab alio debeat ab illo realiter diſtingui non oritur ex conditione ſuppoſiti, ſed ex eo, quod vnum, & idem non poteſt realiter influere in ſe ipſum; quare ſi prima perſona procederet ab eſſentia ſemper diſtingui deberet realiter, ſive eſſentia ſit ſuppoſitum, ſive non.

(†)

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

8 DICENDUM ſecundo innaſcibilitatem eſſe propriam notionem Patris, non ratione alicuius poſitivi, ſed ratione negationis ab alio. Conſtat ex Anſelmo allegato docente Patrem eſſe ingenitum, non recurrendo ad aliquid poſitivum, ſed *quia nullo modo ab alio eſt.* Idem docet Divus Thomas in 1. diſt. 28. quæſt. 1. a. 1. vbi ait: *Licèt ingenitum nihil ponat, quod ſit de intellectu eius conſtitutivè, non tamen ſequitur, quod non poſsit eſſe notio, quia illud, cuius ratio conſiſtit in remotione, optimè per negationem certificatur, ſicut cæcitas.*

9 Ratione probatur. Notio eſt illa, quæ notificat aliquid proprium perſonæ ad dignitatem ſpectans; ſed nomine *ingeniti*, vt negationem dicit ſignificatur aliquid proprium Patris ad dignitatem ſpectans; ergo in ratione negationis eſt notio propria Patris. Minor probatur. Nomine *ingeniti* vt dicentis negationem notificatur primatus originis, & authoritas fontalis principij; ſed hoc eſt proprium Patris, & ad dignitatem ſpectat; ergo notificat aliquid proprium Patris ad dignitatem ſpectans.

10 Confirmatur. Si *innaſcibilitas* eſſet notio Patris ratione alicuius poſitivi, maximè ratione paternitatis, in qua fundatur; ſed hoc modo eſſe non poteſt, quia innaſcibilitas eſt notio Patris diſtincta à paternitate; ergo non ratione paternitatis. Minor probata manet ex Anſelmo dubio antecedenti, n. 5. docente, quod Pater poſſet eſſe Pater, etſi eſſet ab alio, vt patet in creatis: & é contra poſſet eſſe ingenitus, etſi non eſſet Pater, vt docet Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 6. per hæc verba: *Nihil prohibet Patrem fuiſſe ingenitum, etſi Filium non genuiſſet*; ergo notio *ingeniti* eſt prorſus diverſa à notione paternitatis.

11 Reſpondebis ex P. Uazquez illud poſitivum non eſſe paternitatem, ſed relationem rationis intellectam in Patre pro ſigno, quo conſtituitur in eſſe primæ perſonæ pro priori ad generationem Filij. Sed hæc ſolutio impugnata manet tract. antecedenti dub. vlt. á n. 27. nec ibi dicta oportet repetere; eſt enim negatio innaſcibilitatis realis, & ab æterno, à fictione noſtra proſus independens.

12 Reſpondet Alarcon non eſſe relationem rationis, ſed realem tranſcendentalem, qua Pater vt primum, & fontale principium reſpicit indivisè Filium, & Spiritum Sanctum. Sed hæc etiam relatio tranſcendentalis ibidem impugnata manet à n. 25. Et vlterius reijcitur, quoniam Pater reſpicere non poteſt Filium, & Spiritum S. per modum vnius termini, ſic enim Pater nullum exercet influxum in Filium, & Spiritum Sanctum, quia Pater adæquatè reſpicit Filium per Paternitatem fundatam in generatione per intellectum; &

Spiritum Sanctum per relationem fundatam in proceſsione per voluntatem, nec alia eſt origo, & proceſsio in divinis; non ergo eſt poſsibilis talis reſpectus tranſcendentalis. Præterea. Relatio tranſcendentalis eſt de linea abſoluta, nec ad originem ſpectat; at notio ad originem ſpectare debet; ergo notio innaſcibilitatis in tali relatione ſita eſſe non poteſt.

13 Dices. Notio pertinet ad dignitatem perſonæ; ſed pura negatio ad dignitatem non ſpectat; ergo innaſcibilitas vt puram negationem importat nequit eſſe notio Patris; ergo eſt notio ſecundùm aliquid poſitivum. Secundó. Dignitas fontalis principij, quam innaſcibilitas ſignificat, aliquid poſitivum eſt; at hoc poſitivum ſitum non eſt in paternitate, qua Pater reſpicit Filium; nec in ſpiratione, qua reſpicit Spiritum Sanctum; ergo ſita eſt, vel in aliqua relatione rationis, vel in relatione tranſcendentali, qua indiviſivè reſpicit Filium, & Spiritum Sanctum.

14 Ad primum, conceſſa maiori, nego minorem. Aliud namque eſt, quod negatio non ſit dignitas; & aliud, quod dignitatem non notificet, nam eſtó dignitas non ſit, dignitatem manifeſtat, ſcilicet, authoritatem fontalis principij, vt ſæpé dictum eſt. Ad ſecundum, dico notionem innaſcibilitatis notificare dignitatem fontalis principij; non tamen eſſe ipſam dignitatem fontalis principij, quæ dignitas aliquid poſitivum eſt, & provenit ab ipſa relatione paternitatis vt conſtitutiva primæ perſonæ per modum formæ ſubſiſtentis.

TRAC-

TRACTATUS VI.

DE PERSONA FILII.

PLURA, quæ ad perſonam Filij, ac ſecundam Trinitatis perſonam attinent, in proprijs locis repoſita, ac præcedentibus diſputationibus examinata, Lector inveniet. Filij namque divinitatem, tract. 1. dub. 3. contra Arrium, eiuſque Sectatores oſtendimus. Eiuſdem divini Verbi proceſsio, generatio, & à Spiritus Sancti proceſsione diſtinctio, ex toto tract. 2. præſertim dub. 5. & 6. ſatis conſtat. Alia tandem acurato examine digna, eaque tàm propria Filij, quàm cæteris perſonis communia, in ſuperioribus examinata manent. Vt ergo ad graviora deſcendamus prius faciliora præmittenda ſunt.

2 Præmittendum igitur primò ſecundam Trinitatis perſonam pluribus nominibus in Sacra Pagina ſignificari: ſæpè enim nuncupatur Filius Dei, Verbum, imago, character, ſapientia Patris, candor lucis æternæ, figura ſubſtantiæ eius, alijſque ſimilibus: dicitur namque *Filius Dei*, quatenus eſt Deus de Deo naſcendo: *Verbum* quatenùs ex ore Altiſsimi procedit, ſive ex mente, aut memoria Patris: *Imago*, quatenus Patrem, à quo procedit, perfectiſsimè repræſentat: Plura ex dictis nominibus ſunt perſonalia, vt Filius, Uerbum, Imago, plura communia ipſi tamen appropriata, vt lux, veritas, idæa, principium, & alia huiuſmodi.

3 Præmittendum ſecundò, quod Uerbum, ſive creatum, ſive increatum eſt ſimilitudo, & imago rei, cuius eſt Verbum, vt tradit Anſelmus in Monol. cap. 29. vbi ait: *Omnia huiuſmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, ideſt cogitamus, ſimilitudines, & imagines ſunt rerum, quarum verba ſunt.* Secundò. Verbum eſt eiuſdem ordinis cum principio, importatque ſimilitudinem, aut in ſola repræſentatione, ſi ſit creatum, aut etiam per identitatem naturæ, ſi ſit increatum; vndè increatum eſt conſubſtantiale principio, à quo procedit; creatum verò, vtpotè accidens, eſt in natura realiter diſtinctum.

4 An autem verbum creatum ſit re ipſa realitèr diſtinctum ab intellectione, veluti terminus ab ipſa realiter productus, an realiter ab intellectione indiſtinctus? Non eſt omnium vna mens, nam plures, præſertim ex Thomiſtis affirmativam tenent ſententiam, atque adeò in præſenti docent Verbum divinum ſitum non eſſe in ipſa intellectione eſſentiali, & communi tribus perſonis, ſed in termino per intellectionem producto. Verùm Card. Aguirre putat Anſ. in Monol. c. 33. oppoſitam tenere ſententiam: ibi. *Nulla ratione negari poteſt, cum mens rationalis ſe ipſam intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione, immò ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem*, & infra. *Habet igitur mens rationalis, cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, ideſt cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem*; eſt ergo iuxta Anſelmum imago, ſive Uerbum ipſa mentis cogitatio. Quod etiam probabile iudicat D. Thomas in 1. diſt. 27. a. 1. his verbis: *In nobis nihil aliud eſt Verbum, quàm ſpecies intellecta, vel fortè ipſa operatio intelligendi.* Sed de hoc operoſius tract. ſequenti de Viſione.

5 Præmittendum tertiò Verbum perſonaliter dici in divinis, quod ſingulariter negavit Durandus in 1. diſt. 27. q. 3. vbi docet Verbum in divinis nullo modo perſonaliter dici, niſi per appropriationem, eo ſanè modo, quo appropriatur ſapientia Filio, & amor Spiritui Sancto, quæ ſententia gravi inuritur cenſura à cæteris omnibus Theologis, inter quos non eſt adhuc omnium vna mens: nam plures eorum docent Verbum in divinis etiam eſſentialiter; alijs è contra docentibus ita dici perſonaliter de ſecunda Trinitatis perſonâ, vt in nullo vero ſenſu, & proprio dici poſsit de cæteris, ideoque negant omne verbum eſſentiale. Et ita docet Anſelmus plurib⁹ in locis, præcipuè in Monol. cap. 38. vbi ait: *Verbum hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago ad alterum eſt, quia non niſi alicuius eſt Verbum, aut imago, & ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquam alteri coaptentur; nam ille, cuius Verbum eſt, aut imago, nec imago, nec Verbum eſt.* Quod alibi ſæpè repetit.

6 Hac ratione Ang. Doctor quæſt. 4. de ver. a. 3. optimè notavit, quod *Scriptura vix, aut nunquam Verbum, vel imaginem ponit, niſi pro Filio*, & quidem meritò, vt conſtat ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, & cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, alijſque locis innumeris, vbi ſemper *Verbum* ſumitur pro Filio; cum ergo Filius uullo pacto dici poſsit communiter, & eſſentialiter in Deo, nec *Verbum* communiter dici poteſt in ſenſu vero, & proprio. Quæ omnia luculenter expendit Anſelmus de proceſsione Spiritus Sancti cap. 10. exponens illa verba Pſalmi 32. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius.* Et illud Iſaiæ 11. ℣. 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Ubi docet per ſpiritum oris dicentis, & ſpiritum labiorum loquentium proculdubio manifeſtari Verbum divinum, de quibus videnda dicta in Scholijs. His ergo breviter notatis, primò examinandum ſupereſt.

[†]

DVBIVM I.

An Verbum divinum procedat per ſe ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo?

§. I.

1 VErbum Divinum procedere ex coguitione ſolius eſſentiæ, & attributorum docent antiquiores Scotiſtæ ex Subtili Doctore, quibus noviter accedit ex eadem Schola Carriere, t. 1. tract. de Deo Trino, q. 31. Bartholomeus Durand. diſp. 9. q. 1. Alij ſuperaddunt cognitionem Patris. Ita Becanus. Alij cognitionem Filij excludendo Spiritum Sanctum. Ita P. Uazquez. Sed frequentior Theologorum ſententia tuetur procedere ex cognitione omnium perſonarum, quibus ex Scotiſtis accedunt Maſtrius, Uulpes, & alij, qui tamen omnes non conveniunt in genere cognitionis, quoniam aliqui docent procedere ex cognitione ſui, & Spiritus Sancti duntaxat abſtractiva, ſed alij frequentius docent procedere ex cognitione omnium intuitiva.

2 Nota in ſententia Scoti Uerbum divinum procedere per actum dictivum, ſive per dictionem, quæ ex proprio, & formali conceptu non eſt cognitio eſſentiæ, nec alterius obiecti; nihilominus eadem difficultate iunodatur, quia ad illam dictionem præſupponitur cognitio, de qua eadem eſt controverſia, nimirúm, an ea cognitio præſuppoſita ad dictionem ſit cognitio ſolius eſſentiæ, & attributorum, vt tuentur antiquiores Scotiſtæ, vel etiam omnium perſonarum, vt noviter docent Alij ex eadem Schola Doctores. Porrò hæc omnia pari conſequentiæ filo procedere de amore Spiritus Sancti omnes communiter ſupponunt, procedit enim Spiritus ex amore illorum, ex quorum cognitione procedit Verbum.

Sena

(†)

Sententia affirmativa eligitur, & probatur.

§. II.

3 DIcendum Uerbum divinum per ſe procedere ex cognitione intuitiva, & comprehenſiva eſſentię, attributorum, & perſonarum, atque adeò omnium, quæ ſunt formalitér in Deo. Hanc aſſertionem Parens Anſelmus non tàm probat, quàm ſupponit; etenim in Monol. à cap. 28. vſque ad 34. laté tradit ſummam ſapientiam dicere in Uerbo ſe ipſam, omnemque creaturam, eiuſque doctrina eò collimat, vt probet procedere ex cognitione etiam creaturarum, vt dubio ſequenti oſtendemus; ergo potiori titulo procedit ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo: vndé cap. 29. probat ſummum Spiritum, nempé Patrem producere Uerbum media locutione: *Sed hæc locutio* [inquit] *nihil aliud poteſt intelligi, quàm eiuſdem Spiritus intelligentia, qua cuncta intelligit, quid enim aliud eſt illi loqui rem aliquam hoc loquendi modo, quàm intelligere*; ergo Uerbum procedit à locutione, ſive intellectione, qua Pater cuncta intelligit; ergo ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, cùm omnia Pater intelligat.

4 Idem dixerat Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. vbi probat Verbum procedere à Patre vt illi omninò æquale, atque adeò nihil eſſe in ſcientia Patris, quod non exprimatur in Filio, nec aliquid repræſentari in Verbo, quòd non ſit in ſcientia Patris. Quod confirmat D. Thomas 1. p. quæſt. 34. a. 1. ad 3. vbi ait: *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur.*

5 Ex his colligitur ratio. Verbum divinum procedit per ſe ex cognitione eorum, quæ ab ipſo repræſentantur; ſed à Uerbo repræſentantur omnia, quæ ſunt formaliter in Deo; ergo procedit ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo. Minor conſtat, nam vt inquit Anſelmus, ſi in Verbo divino non omnia Patri repræſentantur, in quo alio verbo repræſentantur? Maior probatur. Quidquid habet Uerbum, habet ex ſua proceſsione, ſive ex cognitione paterna; ergo quidquid repræſentatur in Verbo exiſtit in cognitione Patris, alioquìn aliquid eſſet in termino producto, quod non eſſet in principio producente, atque adeò non procederet vt omninò æquale Patri.

6 Explicatur hæc ratio ex eodem Anſelmo dicto c. 33. noviſsimæ editionis, vbi docet Uerbum procedere vt perfectiſsimam imaginem, & conſubſtantialem ſimilitudinem Patris. ibi. *Hoc itaque modo quis neget ſummam ſapientiam cum ſe dicendo intelligit gignere conſubſtantialem ſimilitudinem, ideſt, Verbum ſuum*: at Verbum nequit procedere vt perfecta ſimilitudo Patris, niſi procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo; ergo ita procedit. Minor probatur. In Patrè eſt notitia omnium, quæ ſunt formaliter in Deo adhuc pro eo primo ſigno originis; ergo Uerbum procedere non poteſt vt perfecta ſimilitudo Patris, niſi procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo. Antecedens probatur. In Patre pro eo primo ſigno eſt notitia comprehenſiva ſuæ fæcunditatis tàm remotæ, quàm proximæ nimirú eſſentiæ, ac intellectus, & volútatis; ſed cóprehenſio ſuę fęcúditatis, tãm remotę, quã proximę prorſus repugnat nõ cognita vtriuſque fęcunditatis termino ſcilicet, Filio, & Spiritu Sancto; ergo pro eo primo ſigno originis exiſtit in Patre notitia, non ſolùm eſſentiæ, fæcunditatis, intellectus, & voluntatis, ſed etiam Filij, & Spiritus Sancti; ergo notitia omnium, quæ ſunt formaliter in Deo.

7 Dices. Chriſtus per ſcientiam infuſam cognovit comprehenſivè viſionem non cognito comprehenſivé termino viſionis, nempé Deo: Item cognovit comprehenſivé vnionem hypoſtaticam non cognito comprehenſivè Uerbo vnito; ergo & poterit Pater pro eo ſigno originis cognoſcere comprehenſivè ſuam fæcunditatem non cognito intuitivé, & comprehenſivé termino, ideſt, Verbo, & Spiritu Sancto. Hæc impugnatio nihil convincit. Primò, quia comprehenſio per ſcientiam infuſam eſt creata, finita, & limitata ad proprium obiectum ipſi proportionatum, cum tamen comprehenſio Patris ſit increata, infinita, & illimitata. Secundò, quia ex comprehenſione viſionis, & vnionis hypoſtaticæ non progreditur ſcientia infuſa ad comprehenſionem Dei, eo quod Deus eſt incomprehenſibilis à

ſcientia creata, quoniam infinitè excedit; at Uerbum, & Spiritus Sanctus comprehendi poſſunt à ſcientia infinita Patris. Tertiò. Quia etiam ſcientia infuſa comprehendens viſionem beatam cognoſcit Deum, quamquàm non comprehenſivè propter infinitum exceſſum, vt dictum eſt; ergo Patri comprehendenti ſuam fæcunditatem negari non poteſt aliqua cognitio termini, ſicut non negatur ſcientiæ infuſæ comprehendenti viſionem. Quartò. Quia viſio beata, & vnio hypoſtatica nullam habent identitatem cum Deo; at eſſentia fęcunda, eiuſque potentiæ habent identitatem cum termino; ergo non eſt ſimile.

8 Confirmatur concluſio. Verbum divinum procedit ex cognitione beatifica Patris, quoniam Pater pro illo priori originis eſt verè beatus; ſed hæc eſt intuitiva totius Trinitatis; ergo procedit Uerbum ex cognitione intuitiva totius Trinitatis. Eô vel maximè, quia Uerbum nequit procedere ex cognitione abſtractiva Filij, & Spiritus Sancti, nam hæc prę-ſcindit ab exiſtentia, Uerbum autem ab exiſtentia præſcindere non poteſt, cum ſit eſſentialiter exiſtens, quarè Deus in nullo ſigno poteſt cognoſcere Filium, aut Spiritum Sanctum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; vndè optimè dixit Anſelmus in Monol. cap. 28. *Idem ſummus Spiritus propter incommutabilem æternitatem ſuam nullo modo ſecundùm aliquem motum dici poteſt, quia fuit, aut erit, ſed ſimpliciter eſt. Et quidquid eſt, ſemel, & ſimul, & interminabiliter eſt.*

9 Reſpondet Carriere loco citato ex doctrina Scoti duplicem eſſe cognitionem intuitivam, vna formalis rerum, ideſt in ſe ipſis; & hoc modo Pater pro priori originis poteſt cognoſcere eſſentiam, quæ in ſe exiſtit, non perſonas, quæ nondum exiſtunt: altera eſt eminentialis, & hoc modo ſolùm poteſt cognoſcere creaturas, quæ continentur eminenter in eſſentia divina, non tamen perſonalitates relativas, quæ in eſſentia eminenter non continentur; ergo Pater pro illo priori originis nulla cognitione intuitiva poteſt cognoſcere perſonas.

10 Si fortaſsé dicas vtroque modo poſſe cognoſci perſonas in eſſentia: tùm quia in ea continentur formaliter, eo quod diſtinctio eſſentiæ á relationibus non eſt excludentis ab excluſo, ſed includentis ab incluſo: tùm quia etiam continentur virtualiter, cùm ab ipſa tanquam à prima radice dimanent. Contra inſurgit. Perſonæ ſunt relativæ, eſſentia verò quid abſolutum; at relativum non continetur formaliter in abſoluto; ergo perſonæ non continentur formalitêr in eſſentia. Rurſus. Cognitio virtualis, aut eminentialis perſonarum in eſſentia non ſufficit ad noſtram ſententiam propugnandam, quia non ſalvatur Verbum procedere ex cognitione ſui in ſe ipſo formalitêr, qualiter requiritur ad cognitionem verè intuitivam; nec ex cognitione Verbi eo modo, quo continetur in Trinitate: nec ſimilis cognitio ſatis eſt, vt re vera, & ſimplicitèr dicatur Uerbum procedere ex cognitione Perſonarum, ſed ex cognitione ſolius eſſentiæ radicantis relativa. Nec denique hoc negaretur à Scoto, quia Scotus negat procedere ex cognitione perſonarum, eo quod ſunt obiectum ſecundarium, & poſterius cognitione eſſentiæ; ſed hoc habent perſonæ ſecundùm ſuum eſſe formale, non quatenùs continentur formaliter in eſſentia; ergo.

11 Quarè hac omiſſa doctrina reſpondeo Uerbum divinum procedere ex cognitione perſonarum in ſe ipſis: tùm ratione facta, quæ prædicta ſolutione non enervatur: tùm quia negari non poteſt Patrem cognoſcere intuitivè, & comprehenſivè perſonas in ſe ipſis; ergo etiam pro illo priori originis ita cognoſcit. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur. Si pro priori originis intuitivè, & comprehenſivè non cognoſceret, cognoſceret autem poſteà, tranſiret Pater à non cognoſcente in cognoſcentem intuitivè perſonas; ſed hoc repugnat, quoniam impoſsibilis eſt tranſitus à cõtradictorio in contradictorium ſine mutatione, vel ex parte cognoſcẽtis, vel ex parte cogniti; at in præſenti non minus repugnat mutatio ex parte Patris cognoſcẽtis, quàm ex parte Filij, & Spiritus Sãcti cogniti, cũ omnes ſint perſonę divinę prorſus immutabiles; ergo implicat ille tranſitus; ergo vel Pater nunquam intuetur perſonas, vel intuetur pro illo ſigno originis.

12 Reſpondent aliqui Patrem pro eo ſigno cognoſcere Filium, & Spiritum Sanctum, non tamen intuitivè, cum non dum exiſtant in ſe ipſis, ſed abſtractivè. Sed contra reddit argumentum præ-

præiactum, quia quo pacto implicat tranſiens à nõ cognoſcente in cognoſcentẽ, ſive aliqua mutatione, eo repugnat á non cognoſcẽte intuitivè ad intuitivè cognoſcentẽ ſine mutatione aliqua, vel ex parte principij, vel ex parte termini. Secundò. Cognitio abſtractiva, aut eſt per ſpeciem alienam, aut rei abſentis [in hoc enim iuxta diverſos opinandi modos diſtinguitur abſtractiva cognitio ab intuitiva] ſed vtrumque in præſenti repugnat, , quia nec Pater Æternus cognoſcere poteſt per ſpeciem alienam, nec perſonæ divinæ poſſunt vllo modo, aut in aliquo ſigno conſiderari abſentes, nec vnquam dici poteſt, quia fuerunt, aut erunt, vt inquit Anſelmus ſupra allegatus propter ſuam incommutabilitatem, & coæternitatem cum Patre; ergo nunquam cognoſci poſſunt á Patre, vel per ſpeciem alienam, vel vt abſentes; ergo nec abſtractivè.

13 Reſpondet citatus Carriere Patrem cognoſcere pro illo priori Filium, & Spiritum Sanctum intuitivè, non tamen per ſe, & ex exigentia Verbi, ſed ex conditione cognitionis paternæ, quæ eſt infinita, & comprehenſiva, vt dici ſolet de concurſu totius Trinitatis ad productionem creaturarum; ac de proceſsione Spiritus Sancti à Filio, nam etſi Deus non eſſet Trinus, æquè creaturas produceret; etſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, æquè à ſolo Patre procederet. Sed ſi hæc doctrina vera eſt penitus corruunt omnia Scotiſtarum argumenta, quibus contendunt repugnare Patrem pro eo priori originis intueri perſonas, vel quia nondùm exiſtunt, vel quia ſunt obiectum ſecundarium, vt infra conſtabit. Rurſus. Si cognitio intuitiva perſonarum pro eo priori non repugnat, ſed potius re ipſa exiſtit; ergo Verbum per ſe, & neceſſariò ex tali cognitione procedit, nam Verbum per ſe, & ex ſui exigentia procedit ex cognitione perfectiſsima, ac ita perfecta, qua perfectior eſſe non poſsit pro illo priori; at hæc eſt cognitio intuitiva, & comprehenſiva; ergo per ſe, & ex ſui exigentia ex tali cognitione procedit: Immo eodem titulo, ideo namque cognitio Patris debet eſſe intuitiva, & comprehenſiva, quia infinita; ſed perſonæ ſunt pari titulo infinitæ; ergo pari titulo Verbum petit procedere à cognitione intuitiva, & comprehenſiva, ſicut & Spiritus Sanctus à comprehẽſivo amore.

14 Denique Verbum petit per ſe, & eſſentialiter procedere à cognitione ſibi adæquata; at ſola cognitio comprehenſiva cuiuslibet veritatis neceſſariæ adequare poteſt Verbum, quod omnem veritatem neceſſariam neceſſariò repræſentat; ergo ex tali cognitione petit procedere. Eò vel maximè, quia in Verbo divino exprimitur hæc veritas: Pater exiſtit: Filius exiſtit: Spiritus Sanctus exiſtit; ergo exiſtentia omnium perſonarum ſupponenda eſt in notitia Patris, per quam Verbum talem expreſsionem habet.

Altera concluſionis ratio.

§. III.

15 SEcunda ratio ſub hac forma proponi poteſt. Verbum divinum procedit vt perfecta ſimilitudo, & imago Patris, vt ex S. Anſelmo dictum eſt; at non eſt imago Patris ſecluſa paternitate, aliàs Verbum eſſet imago Patris prout indiſtinctum à Patre, quod eſt contra rationem imaginis, quæ á prototypo diſtingui debet; ergo eſt imago Patris incluſa paternitate; & conſequenter procedit ex cognitione paternitatis; ſed implicat cognitio paternitatis nõ cognito Filio, quia relativa ſunt ſimul natura, & cognitione; ergo procedit ex cognitione ſui.

16 Reſpondent ex hac ratione potius oppoſitum deduci, nam Verbum non eſt imago Patris ratione Paternitatis, quia eſt imago Patris in eo, in quo aſsimilatur Patri, ſed aſsimilatur in eſſentia non in paternitate; ergo procedit ex cognitione eſſentiæ, & non Paternitatis. Sed contra redit argumentum factum. Verbum eſt imago Patris, quatenus Pater eſt principium Verbi, & à Verbo diſtinctum, hoc enim neceſſarium eſt ad rationem imaginis; at Pater eſt diſtinctus à Verbo ratione paternitatis; ergo Verbum eſt imago Patris incluſa paternitate. Secundò redit argumentum ſupra factum ex S. Anſelmo dicto cap. 33. Pater verè, propriè, & perfectiſsimè ſe ipſum, ſuamque paternitatem cognoſcit; non in alio

alio Verbo; ergo in Verbo à ſe dicto, & producto; ergo Verbum, vt dictum, & productum á Patre repræſentat paternitatem; ergo & filiationem, & ſpirationem paſsivam, & omnia, quæ ſunt formaliter in Deo. Ratio omnium eſt, quia ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo, & origo ab alio, & conſequenter diſtinctio: primum habet ratione eſſentiæ: ſecundum ratione relationis, atque adeò vtrumque repræſentat, quia debet repræſentare non ſolùm principium *quo*, ſed etiam principium *quod*, & hoc habet Pater ratione relationis.

Argumenta oppoſita enervantur.

§. IV.

17 CÆTERVM Contra prædictam doctrinam grave inſurgit argumentum. Cognitio intuitiva ſupponit obiectum exiſtens; in hoc enim diſtinguitur cognitio intuitiva ab abſtractiva; at cognitio ex qua procedit Verbum, non ſupponit ipſum Uerbum exiſtens, nec Spiritum Sanctum; ergo non procedit ex cognitione intuitiva Uerbi, & Spiritus Sancti, Minor probatur. Cognitio, ex qua procedit Verbum eſt prior origine Uerbo, & potiori titulo prior SpiritуSãcto; vndè Pater improductus ab alio eſt in primo ſigno originis: Filius productus à Patre in ſecundo: Spiritus Sanctus ab vtroque ſpiratus in tertio; ergo cognitio, ex qua procedit Verbum, non ſupponit ipſum Uerbum exiſtens, nec Spiritum Sanctum. Antecedens probatur. Exiſtentia cuiuſcumque rei productæ ſupponit pro aliquo ſigno productionem ſui, quia res producta ſe habet ex parte termini, vel effectus, productio verò ex parte principij, vel cauſæ; at principium in aliquo ſigno originis antecedit effectum; ergo cognitio, ex qua procedit Uerbum, antecedit in aliquo ſigno exiſtentiam Uerbi. Eò vel maximé, quia Verbum accipit exiſtentiam ex vi cognitionis; ergo non ſupponitur exiſtens antè cogniti onem, ſed potius é contra.

18 Hoc eſt præcipuum ſententiæ oppoſitæ fundamentum, cui reſpondent aliqui concedendo maiorem, nempè cognitionem intuitivam ſupponere obiectum exiſtens, ſi cognitio ſit puré ſpeculativa, negant veró ſi ſit practica, & productiva rei, qualis eſt cognitio, ex qua procedit Verbum. Cardinalis Aguirre concedit maiorem de cognitione intuitiva rei diſtinctæ à cognitione, negat verò de obiecto indiſtincto ab ipſa cognitione, vt contingit in præſenti. Alij docent cognitionem intuitivam ſupponere obiectum exiſtens quantùm ad connexionem, & exigentiam, non quantùm ad ſuum eſſe formale, quia ad cognitionem intuitivam ſatis eſt, ſi ſupponatur aliquid neceſſariò connexum cum re exiſtenti pro poſteriori ſigno, aut etiam cum re extitura in poſterùm tempore futuro. Alij tandèm concedunt maiorem de obiecto motivo, negant veró de terminativo.

19 Omnes iſtæ ſolutiones argumenti difficultatem ſatis alidunt. Clariùs tamen, diſtinguo maiorem. Cognitio intuitiva ſupponit obiectum exiſtens pro priori ad cognitionem, nego maiorem. In inſtanti cognitionis concedo maiorem. Et eodem modo diſtincta minori nego conſequentiam. Ratio eſt, quia ad cognitionem intuitivam ſatis eſt præſentia obiecti, cum intuitio ſit cognitio rei præſentis; ad præſentiam autem ſufficit exiſtentia in eodem inſtanti. Ad probationem diſtinguo antecedens. Eſt prior prioritate ordinis, concedò antecedens, prioritate durationis, temporis, aut naturæ, nego antecedens, & conſequentiam. Nec ea ſigna originis in divinis inducunt aliquam prioritatem temporis, aut naturæ, ſed ſolùm ſignificant ibi omnia coexiſtere cum debito ordine, & ſine confuſione; omnia tamen ſimul, tàm tempore, quàm cognitione, præſertim divinæ perſonæ, quæ ſunt relativæ, & ideò ſimul naturà, & cognitione. Quapropter ſicut ſententia oppoſita [quamquam Verbum procedat à Patre] Catholicè fatetur ibi *nihil eſſe prius, & poſterius, ſicut nec maius, nec minus, ſed omnes perſonas ſibi eſſe coæternas, & coæquales*, ita fateri poteſt, & debet, Verbum cognoſci poſſe intuitivè á cognitione Paterna, quanquam ex illa procedat.

20 Et vt moleſtas impugnationes facilius evertas, ſciendum eſt ad cognitionem intuitivam ſatis eſſe, quod obiectum ſit præſens negativè, & illud obiectum eſt præſens negativè, quod nec eſt futurum, nec abſens, quod ſine dubio verificatur de Verbo divino, & Spiritu Sancto reſpectu Patris adhuc in primo ſigno originis

ginis, nec vllum eſt fundamentum, vt aliqua perſona divina poſsit conſiderari vt futura, vel abſens reſpectu alterius, qua ratione dixit Anſelmus ſupra allegatus, de Verbo Divino nullo modo dici poteſt, quod fuit, vel erit, ſed quod ſimplicitèr eſt. Quo circà licèt pro eo ſigno priori originis Verbum Divinum non concipiatur à noſtra cognitione præciſiva, vt exiſtens, atamen à cognitione Patris exiſtente pro illo priori attingitur ipſum Verbum, vt exiſtens pro poſteriori originis: nec ea cognitio pro illo priori originis affirmat Verbum exiſtere pro eodem priori originis, ſed pro poſteriori, quod nullatenùs impedit veram, & propriam naturam intuitionis. Oſtendi poteſt hæc doctrina in decretis liberis Dei, quæ producunt creaturas, & tamen conſtituuntur in eſſe liberi per connotationem eiuſdem creaturæ productæ; ergo & cognitio poteſt conſtitui in eſſe intuitivæ per ordinem ad ipſum Verbum, quod producit.

21 Dices. In communi ſententia Thomiſtarum futura exiſtunt ab æterno in menſura æternitatis, & hoc modo cognoſcuntur à Deo ſcientia viſionis; ergo, quia ad notitiam intuitivam requiritur exiſtentia obiecti pro eodem ſigno. Secundò. Si ad cognitionem intuitivam ſatis eſſet præſentia obiecti pro inſtanti reali poſſet admitti in Deo prioritas naturæ, & cauſalitatis, ac vera dependentia, quod nullatenùs impediret veram cognitionem intuitivam. Tertiò Si exiſtentia pro inſtanti reali ſufficeret ad notitiam intuitivam neceſſariò procederet Verbum ex cognitione futurorum, ac decretorum liberorum Dei, quoniam hæc omnia in primo inſtanti æternitatis exiſtunt.

22 Sed exemplum ſcientiæ viſionis ſententiæ oppoſitæ magis obeſt, quàm prodeſt. Nam ſcientia viſionis in eadem ſententia eſt practica, & factiva creaturarum, quas intuetur; ergo, & cognitio Patris poterit eſſe intuitiva Verbi, quod producit. Ad ſecundum dico prioritatem naturæ, & cauſalitatis non impedire intuitionem, excluditur tamen à Deo propter imperfectionem dependentiæ, quæ in Deo locum non habet: præterquamquod in caſu præſenti nec eſt prioritas naturæ, nec cognitionis, vt ſupra dictum eſt. Ad tertium infra dubio 3. commodijs reſpondebimus.

23 Tota hæc doctrina corroboratur ex Parente Anſelmo in præſenti opuſc. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 24. vbi non diſsimili argumento propoſito ſic reſpondet: *Ad quod reſpondendum, quod, ſicut eſſentia Dei valdè diverſa, & aliena eſt à creata eſſentia, ita cum dicimus Deum de Deo exiſtere naſcendo, vel procedendo longè alitèr intelligenda eſt iſta nativitas, ſivè proceſsio, quàm cùm dicimus in alijs rebus naſci aliquid, vel procedere: ibi enim nihil eſt, aut natura, aut tempore, aut in aliquo prius, aut poſterius, magis, aut minus, aut vlla ratione aliquo indigens; ſed totum, quod eſt, non tàm æquale, vel ſimile ſibi, & coæternum, quàm idem ſibi ipſi, & ipſe ſibi ipſi omninò ſufficiens; nec naſcitur, vel procedit ibi aliquid, quaſi de non eſſe proficiens ad eſſe, &c.*

24 Dices ſecundo. Ideò Pater pro priori originis poteſt cognoſcere intuitivè filium, vt in ſe exiſtentem, quia eſtò filius non ſupponatur productus, illum tamen producit; ſed pro illo priori originis, quo producit Filium, non producit Spiritum Sanctum; ergo ſaltim Spiritus Sanctus nequit cognoſci, vt in ſe ipſo exiſtens, quippè qui nec ſupponitur productus, nec producitur, cum procedat per voluntatem, cuius operatio eſt poſterior operatione intellectus. Secundò. Cognitio Patris exiſtit in primo ſigno originis; at Filius non exiſtit in primo ſigno originis, ſed ſecundo; ergo non poteſt in primo ſigno intuitivè cognoſci. Tertio. Aut Filius in primo ſigno originis exiſtit, aut non exiſtit? Si exiſtit, ergo non producitur. Si non exiſtit, ergo non poteſt cognoſci exiſtens; ergo non procedit ex cognitione ſui, vt exiſtentis; ergo nec à cognitione intuitiva ſui.

25 Sed hæc ex dictis ſoluta manent. Ad primum conceſsis præmiſsis, nego conſequentiam, quia quo pacto Verbum eſt coæternum Patri, ita & Spiritus Sanctus, & ſicut Pater in primo ſigno cognoſcit comprehenſivè ſuam eſſentiam, ſuamque fæcunditatem proximam per intellectum, ita & per voluntatem, atque adeò in eo primo ſigno cognoſcit vtrumque terminum exiſtentem, non quidem exiſtentem pro primo ſigno, ſed poſteriori: etenim ea prioritas, & poſterioritas originis, qualiſcumque illa ſit, ſe habet ex parte principij, & termini procedentis, non ex parte cognitionis in eſſe talis; vnde in creatis, etſi lux procedat á Sole, atque adeò ſit poſterior natura Sole, nihilominus eodem indiviſibili actu cognoſci poteſt Sol, & lux.

Si

Si ego viderem in tabula depictum hominem, puerum, adultum, & ſenem, prius quidem eſſet homo puer, poſteà adultus, & ſenex; eodem tamen indiviſibili actu totum viderem. Ita etiam Deus intuetur in menſura æternitatis Adam eſſe priorem Anti-Chriſto, non tamen intuetur prius Adamum, quàm Anti-Chriſtum. Et quod magis vrget, ſicut Pater eſt prior origine Filio, ita & paternitas reſpectu filiationis; ſed hæc prioritas non impedit vt vtraque relatio ſit ſimul natura, & cognitione; ergo nec impedit vt Pater pro eo priori poſsit intueri exiſtentem Filium, & Spiritum Sanctum.

26 Ad ſecundum, conceſsis præmiſsis, nego conſequentiam propter dicta. Vel diſtinguo minorem clar. gr. Filius non exiſtit in primo ſigno originis tanquam principium, concedo minorem. In ratione termini, nego minorem; etenim Filium non exiſtere in primo ſigno non ſignificat Filium abſolutè non exiſtere, ſed ſignificat Filium non eſſe in illo ſigno principum, vt ſæpius dictum eſt. Vel aliter non exiſtit præciſivè, concedo minorem, negativè, nego minorem. Nam etſi ratione noſtra non concipiatur exiſtens, ita tamen exiſtit, vt verificari nequeat non exiſtere, cum ſit coæternus Patri, nec vnquam dici poſsit, quod fuit, vel erit, vt ex Anſelmo dictum eſt, per quod patet ad tertium.

27 Arguitur ſecundò ex Durando nobili Scotiſta. Uerbum procedere ex cognitione perſonarum eſt eſſe cognitum ab intellectu Patris antecedenter ad generationem ſui, ſed hoc repugnat; ergo non procedit ex cognitione omnium perſonarum, probat minorem. Si Filius antecedenter ad generationem ſui haberet eſſe cognitum, prius haberet eſſe cognitum, quàm reale, & productum; ſed hoc in rebus, quæ neceſſariò exiſtunt, repugnat; nam in illo ſigno, quo haberet eſſe cognitum, eſſet in potentia ad eſſe reale, atque cum aliqua contingentia ad ſui exiſtentiam, quod in Uerbo divino, rebuſque neceſſariò exiſtentibus repugnat. Eò vel maximè, quia Verbum excludit omnem potentialitatem; ergo implicat, quod in aliquo ſigno concipiatur in potentia ad eſſe. Denique tranſiret de non eſſe ad eſſe, quia tranſiret de eſſe cognito, in cuius ſigno eſſe non habet, ad eſſe reale in alio ſigno, vt videre eſt in Anti-Chriſto, aliiſque creaturis, quæ tranſeunt ab eſſe poſsibile ad eſſe actuale.

28 Vlterius. Pater non poteſt concipi in aliquo ſigno perfectior Filio; ſed conciperetur perfectior Filio, ſi hic procederet ex cognitione omnium perſonarum; ergo non procedit. Minorem probat. In illo primo ſigno Pater cognoſceret, & amaret, Filius nec cognoſceret, nec amaret; ſed cognoſcere, & amare eſt aliqua perfectio; ergo Pater conciperetur perfectior Filio. Maior quoad ſecundam partem, in qua poteſt eſſe difficultas, probatur. Implicat cognoſcere, & amare ſine intellectu, & voluntate; ſed Filius pro priori ad ſui generationem non habet intellectum, & voluntatem; ergo nequit cognoſcere, & amare.

29 Hæc, & alia, quæ hic Author proponit, noſtram confirmant ſententiam, ſuamque penitus evertunt. Primò. Quia in ſua ſententia Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ, & attributorum; ergo pro illo priori Pater cognoſcit, & Filius non cognoſcit, quia nondum habet intellectum, nec eſſe, vt ipſe ait; ergo Pater concipitur vt perfectior Filio. Secundò. Pater pro illo priori, quo cognoſcit ſuam eſſentiam habet eſſe, & Filius non habet eſſe; ergo Pater eſt prior Filio, quod non minus repugnat, quàm eſſe perfectiorem. Tertiò. Si Filius pro illo priori non exiſtit; ergo eſt in potentia ad eſſe, & cum aliqua contingentia, ac pari, & potiori titulo ſequuntur omnia incommoda ab ipſo relata.

30 Ad argumentum, nego maiorem. Quia vt Verbum procedat ex cognitione omnium perſonarum non oportet Patrem cognoſcere divinas perſonas ante quam generet, ſed quod per ipſam cognitionem generet; ſi enim potentia noſtra viſiva eſſet productiva coloris, non oporteret colorem præcedere viſionem, ſed per ipſam viſionem intuitivam coloris, color ipſe procederet. Qua doctrina poſita cætera omnia ſua ſponte corruunt. Non enim ſequitur Uerbum concipi in potentia, nec tranſire de non eſſe ad eſſe, quia nunquàm fuit ſub non eſſe, ſed ſemper habuit eſſe. Nec Pater concipitur perfectior Filio, quia dum cognoſcit Filium, cognoſcit ipſum intelligentem, & amantem, cum cognitio ſit intuitiva, ac rei prout eſt in ſe.

Argui-

31 Arguitur tertiò. Poſito obiecto primario, & ſpicificativo, etiam ſecluſo ſecundario, ſalvatur tota perfectio cognitionis, quoniám ab obiecto ſecundario, nec pendet, nec ſpecificatur; ſed obiectum primarium ſpecificativum, & motivum divinæ voluntatis eſt ſola eſſentia, vt dicemus tract. 1. de volunt. Dei, dub. 4. ergo per ordinem ad eſſentiam ſalvatur perfecta cognitio in Patre; ergo notitia perſonalitatum dumtaxàt ſecundariò, & concomitantér concurrere poterit ad proceſsionem Verbi, non verò per ſe. Confirmatur. Obiectum primarium priùs cognoſcitur, quam ſecundarium; ergo prius cognoſcitur eſſentia, quàm cognoſcantur relationes; ſed ab illa priori cognitione procedit Uerbum, cum ſit ſumme fæcunda; ergo Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ, non perſonarum.

32 Hoc argumentum Scotiſtis favere non poteſt, quippè, quod pari efficacia probat Uerbum non procedere ex cognitione attributorum, quod ipſi negant. Ad argumentum dico, primam propoſitionem plures pati exceptiones, eſt enim vera quando obiectum primarium eſt perfectè cognoſcibile ſine ſecundariò: & quando primarium, ac ſecundarium non connectuntur neceſſariò, ac tandem eſt vera in cognitione abſolutè ſumpta, non verò in cognitione intuitiva, ac comprehenſiva obiecti primarij; cùm tamen omnia ex oppoſito contingant in præſenti, vbi attributa, & relationes connectuntur cum eſſentia; vbi eſſentia eſt perfectè incognoſcibilis ſine attributis, & perſonis; & vbi cognitio eſt intuitiva, & comprehenſiva, & ſpecialitèr in præſenti, vbi relationes ſunt complementum intrinſecum, & eſſentiale obiecti primarij, nimirum eſſentiæ.

33 Ad confirmationem communitér reſpondent obiectum primarium priùs cognoſci quàm ſecundarium prioritate *à quo*, non verò prioritate *in quo*, quæ ſolutio ſatis occurrit impugnationi. Sed veriùs iudico, nec prioritatem *à quo* admittendam eſſe in Deo, quippè quæ importat cauſalitatem, & dependentiam: vndé reſpondeo obiectum primarium priùs cognoſci, quàm ſecundarium cognitione præciſiva, non intuitiva, & comprehenſiva: immò etiam in creatis, vbi obiectum primarium præcedit ſecundarium vera prioritate naturæ, adhuc indiviſibili actu vtrumque cognoſcitur, vt ſæpiùs dictum eſt.

34 Arguitur quartò. Id per ſe concurrit ad proceſsionem Verbi, quod per ſe neceſſarium eſt ad illius generationē; ſed ſola eſſentia prout in Patre eſt neceſſaria ad generationem Filij; ergo ex cognitione ſolius Patris, non Filij, & Spiritus Sancti per ſe procedit Uerbum. Minor probatur. Sola eſſentia prout in Patre eſt fæcunda, quia generatio eſt intellectio notionalis prout in Patre, non prout in Filio, & Spiritu Sancto; ergo ſola eſſentia prout in Patre eſt neceſſaria ad generationem Filij: immò eſſentia prout in Filio, & Spiritu Sancto nullo modo eſt fæcunda, nec potens ad generandum; ergo ad generationem non concurrit eſſentia prout in Filio, & Spiritu ſancto, atque ex eo, quod Pater cognoſcat ſuam fæcunditatetem non probatur cognoſcere Filium, & Spiritum Sanctum, cum in illis fæcunda non ſit.

35 Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Prout in Patre, & ad Patrem, nego antecedens. Prout in Patre, & ad Filium, ac Spiritum Sanctum, concedo antecedens. Itaque eſſentia prout in Patre eſt fæcunda, non tamen fæcunditate terminata ad Patrem, ſed ad terminum, nimirum Filium, & Spiritum Sanctum, & hac ratione diximus non poſſe Patrem ſuam fæcunditatem comprehenſivé cognoſcere non cognito Filio, & Spiritu Sancto.

36 Dices. Omnia prædicata eſſentialia, & communia in divinis ſunt priora notionalibus; ſed cognitio intuitiva Patris eſt eſſentialis, & toti Trinitati communis; ergo eſt prior Uerbo; & Spiritu Sancto; ergo pro illo priori non intuetur Filium, & Spiritum Sanctum, atque adeò Verbum non procedit per ſe ex cognitione ſui, & Spiritus Sancti. Reſpondeo primò. Uerbum non procedere ex cognitione, vt eſſentiali, ſed vt notionali, & propria Patris. Uel ſecundò, diſtinguo maiorem. Sunt priora prioritate logica, ſivè ſubſiſtendi conſequentia, cocedo maiorem, Prioritate durationis, & cognitionis, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens eodem modo. Nam etiam hoc modo prædicata vniverſalia ſunt priora particularibus, quod non obſtat, vt ſint omninò ſimul, ac ſimul cognoſcantur.

37 Arguitur quintò. Id eſt per ſe exactum ad proceſsionem Verbi, quo poſito ponitur, & quo ablato non ponitur; ſed

ſed ablatâ proceſsione Spiritus Sancti non ideò aufertur proceſsio Uerbi; ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Minor probatur. Non cognito Spiritu Sancto adhuc cognoſcitur tota, & adæquata ratio Filij in eſſe filij, licèt non cognoſcatur in eſſe Spiratoris, quæ ratio de materiali ſe habet ad conceptum Filij; ergo.

38 Confirmatur ex Patre Vazquez. Si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti eſſet illius imago; ſed hoc dici non poteſt; ergo non procedit. Sequelam probat. Ad imaginem duo requiruntur, & quod repręſentet obiectum, cuius eſt imago, & quod ab illo procedat; ſed Verbum repræſentat Spiritum Sanctum; ergo ſi ab illo procedit, habet quidquid requiritur, vt ſit illius imago. Si opponas Uerbum procedere ex cognitione ſui in ſententia eiuſdem Authoris, quin propterea ſit ſui imago. Reſpondet non eſſe imaginem ſui, quia à ſe ipſo non diſtinguitur: attamen à Spiritu Sancto re ipſa diſtinguitur; ergo ſi alia habet exacta ad imaginem, erit vera imago Spiritus Sancti.

39 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, nego antecedens, quia Pater non poteſt cognoſcere adæquatè, & perfectè filium, nec ſe ipſum, non cognita fæcunditate per voluntatem, & conſequentèr non cognito Spiritu Sancto. Nec Filius poteſt comprehendi, ſi non cognoſcitur, vt Spirator, nec ipſa filiatio perfectè cognoſci poteſt non cognita in eſſe radicis ſpirationis activæ. Ad confirmationem reſpondet S. Anſelmus in Monol. c. 63. ibi: *Conſtat autem ipſum eſſe imaginem, & filium eius, cuius eſt Verbum: & patet, quia nec imago, nec filius ſuimet, aut à ſe procedentis Spiritus Sancti congruè dici poteſt; nam nec ex ſe ipſo, nec ex procedente à ſe naſcitur; nec ſe ipſum, nec procedentem à ſe, exiſtendo imitatur.* Itaque Verbum illius eſt imago, à quo naſcitur, & oritur; licèt autem ortum habeat ex cognitione ſui, & Spiritus Sancti, non tamen à ſe ipſo, & Spiritu Sãcto. Sed de hoc argumento redibit ſemo dubio ſequenti, cum eadem ſit ratio de creaturis, ex quarum cognitione paritèr procedere Uerbum oſtendemus.

[†]

DVBIVM II.

An Verbum Diuinum procedat ex cognitione creturarum poſsibilium?

§. I.

1 PRIMA Sententia eſt negativa, eamque tuetur Maſtrius, Bartholomeus Durand, Carriere, & alij Scotiſtæ cum ſubtili Doctore in 3. diſt. 27. q. 3. Subſcribunt Uazquez, Alarcon, Turrianus, & alij contendentes eam eſſe Anſelmi Sententiam. Secunda ſententia eſt affirmativa, eamque docent non ſolum Thomiſtæ; ſed etiam ex Societate primæ notæ Doctores. Eximius Suarez, Molina, Ruiz, Granados, alijque plures.

(✠)

Sententia affirmativa authoritate probatur.

§. II.

2 DICENDVM Uerbum Diuinum per ſe procedere ex cognitione creaturam poſsibilium. Apertè tradit hanc aſſertionem Anſelmus noſter in Monol. cap. 33. noviſsimæ editionis, vbi latè docet Summum Spiritum, nempè Patrem eodem Verbo dicere ſe, & creaturas, ac Verbum Diuinum eſſe Uerbum Patris, & creaturarum, cum ea differentia, quod Patris dicitur imago, figura, & character, non verò creaturarum. Et probat, quia Pater quæcumque dicit, in Uerbo dicit; at non in Verbo creato; ergo in Uerbo Divino à ſe producto; vndè concludit: *Uno igitur, eodemque Verbo dicit ſe ipſum, & quæcumque fecit*: quæ verba ſi procedant de creaturis poſsibilibus apertè ſequitur Uerbum procedere ex cognitione poſsibilium, ſi verò de futuris ſuppoſito decreto, vt alijs placet, potiori titulo, verificantur de poſsibilibus ante decretum; ergo ex mente Anſelmi Verbum Divinum procedit ex cognitione ſui, & poſsibilium.

3 Clariùs cap. 35. *Verum cum conſtet, quod Verbum eius conſubſtantiale eſt illi,*

illi, & perfectè ſimile, neceſſariò conſequitur, vt omnia, quæ ſunt in illo, eadem, & eodem modo ſint in Verbo eius; at in Verbo eius eſt expreſsio omnium poſsibilium, vt omnibus palàm eſt; ergo ſunt in illo, nempè in Patre, aliàs non daretur perfecta ſimilitudo. Undè proſequitur: *Quidquid igitur factum eſt, ſive viuat, ſive non viuat, aut quomodocumque ſit in ſe, in illo eſt ipſa vita, & veritas; quoniam autem idem eſt Summo Spiritui ſcire, quod intelligere, ſive dicere, neceſſe eſt vt eodem modo ſciat omnia, quæ ſcit, quo eadem dicit, & intelligit: quemadmodum igitur omnia ſunt in Verbo eius vita, & veritas; ita ſunt in ſcientia eius*; ſunt ergo omnes creaturæ in ſcientia Patris, ſicut ſunt in Uerbo eius; ergo Verbum procedit ex ſcientia, ſive cognitione omnium.

4 Idem dixerat cap. antecedenti: ibi. *Cum Summus Spiritus dicit ſe ipſum, dicit omnia, quæ facta ſunt. Nam & ante quam fierent, & cum iam facta ſunt, & cum corrumpuntur, ſeù aliquomodò variantur, ſemper in ipſo ſunt, non quod ſunt in ſe ipſis, ſed quod eſt idem ipſe: etenim in ſe ipſis ſunt eſſentia mutabilis ſecundùm mutabilem rationem creata: in ſe ipſo verò ſunt prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas. Hoc itaque modo non irrationabiliter aſſeri poteſt, quia cum ſe ipſum dicit Summus ille Spiritus, dicit etiam quidquid factum eſt vno, eodemque Verbo.*

5 Dices ex P. Vazquez. Ex his tantùm deduci Verbum procedere à cognitione creaturarum prout ſunt in eſſentia divina, quod eſt procedere à cognitione ipſius eſſentiæ divinæ, quia creaturæ in Deo ſunt ipſa creatrix eſſentia, vt inquit Anſelmus; non tamen probari Verbum divinum procedere ex cognitione creaturarum prout ſunt in ſe ipſis, vt in noſtra ſententia aſſeritur. Sed contra. Aliud eſt Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſis, & aliud eas cognoſcere prout ſunt in ſe ipſis; nam eſtò Deus non cognoſcat creaturas in ſe ipſis tanquam in medio, ſed in ſua eſſentia, nihilominus eas in ſua eſſentia perfectiſsimè cognoſcit prout ſunt in ſe ipſis, & quidem perfectiùs ac ſi eas cognoſceret in ſe ipſis.

6 Eandem ſententiam clariſsimè docet Ang. Doctor 1. p. quæſt. 34. a. 1. ad 3. ita loquens: *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Ibidem docet Deum vnico actu ſe, & omnia intelligere, ac ideò Uerbum eius eſſe expreſsivum non tantùm Patris, ſed etiam creaturarum; ergo Verbum divinum procedit ex cognitione creaturarum.

7 Reſpondebis Uerbum procedere ex cognitione creaturarum, non tamen per ſe, ſive per locum ab intrinſeco, ſed tantùm concomitanter, quoniam D. Thomas loquitur de cognitione omnium creaturarum abſolutè, ſive ſint poſsibiles, ſive exiſtentes; ſed cognitio exiſtentium concurrit tantùm concomitanter; ergo & poſsibilium. Et ita docere videtur Anſelmus expreſsè dicto cap. 33. ibi. *Sive ergo ille cogitetur nullo alio exiſtente, ſive alijs exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illi coæternum eſſe*; ergo cognitio creaturarum exiſtentium per ſe neceſſaria non eſt ad proceſsionem Uerbi.

8 Contra eſt. Divus Thomas in eodem ſenſu requirit cognitionem creaturarum, ac cognitionem Trinitatis, quia quo ſenſu Verbo dicitur tota Trinitas, eo omnis creatura; ſed cognitio Trinitatis concurrit per ſe; ergo & cognitio creaturarum. Secundò. Dici poſſet loqui Sanctum Doctorem de creaturis poſsibilibus, non de exiſtentibus, quatenùs loquitur de creaturis vt contentis in ſcientia neceſſaria, vt patet ex contextu. Sed clariùs dici poteſt cognitionem omnium creaturarum concurrere per ſe ad generationem Verbi, cum ea tamen differentia, quod cognitio poſsibilium, vtpotè obiecti neceſſarij, concurrit ad generationem Uerbi ſecundùm eſſe neceſſarium; cognitio verò exiſtentium ad generationem Verbi, quatenùs eſt expreſsivum earundem creaturarum exiſtentium ex libera ſuppoſitione decreti, vt dubio ſequenti oſtendemus.

[†]

(†)

Ratione ſuadetur concluſio.

§. III.

9 INſtauratur ratio dubio antecedenti allegata. Verbum divinum procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ in ipſo repræſentantur; ſed in Verbo repræſentantur omnia poſsibilia; ergo per ſe procedit ex cognitione omnium poſsibilium. Minor conſtat, quia Deus poſsibilia cognoſcit; non quidem in Uerbo creaturæ, vt inquit Anſelmus; ergo in Uerbo à ſe genito. Maior probatur. Omnem expreſsionem, & repræſentationem, quam habet Uerbum, habet ex vi ſuæ generationis, & proceſsionis, aliàs aliquid aliundè haberet, atque adeò non eſſet omninò æquale Patri generanti, cum aliquid haberet, quod non eſſet in ſcientia Patris; ergo procedit ex cognitione omnium, quæ in ipſo repræſentantur, quæ ratio vrgeri poſſet alijs dubio antecedenti allegatis.

10 Confirmatur ratione communi, & efficaci. Verbum divinum procedit ex cognitione perfectiſsima eſſentiæ, & attributorum, vt fatentur Adverſarij; ſed hæc cognitio in Deo repugnat non cognitis poſsibilibus; ergo procedit ex cognitione poſsibilium. Probo minorem. Ea cognitio debet eſſe talis, vt ſit digna Deo, atque adeó comprehenſiva, ac talis vt nihil lateat cognoſcenti, quoniam omnis, & illa ſola cognitio eſt digna Deo, cui nihil latet, ac obiectum perfectiſsimè comprehendit; at cognitio comprehenſiva eſſentiæ, & attributorum repugnat non cognitis poſsibilibus, quoniam eſſentia divina poſsibilia repræſentat: omnipotentia præcontinet: iuſtitia, & miſericordia circa creaturas duntaxat exerceri poteſt; ergo implicat comprehendere eſſentiam, ac ſupra dicta attributa non cognitis creaturis poſsibilibus. Patet conſequentia, quia eis non cognitis non cognoſceretur eſſentia vt repræſentativa creaturarum, nec omnipotentia vt contentiva: nec iuſtitia, nec miſericordia, vt potens ſe exercere, vel puniendo, vel conferendo præmium, vel ſublevando miſeriam, quæ omnia duntaxat circa creaturas exerceri poſſunt; ergo non penetraretur perfectè eſſentia, nec attributa, ſed aliquid lateret cognoſcenti, atque adeò ea cognitio non eſſet comprehenſiva, nec digna Deo.

11 Explicatur hæc ratio. Cognitio, ex qua procedit Uerbum, non eſt comprehenſiva vtcumque, ſed infinitè, cùm ſit cognoſcentis infiniti; at infinita cognitio eſſentiæ eſſe non poteſt non cognitis creaturis; nam eſſentia divina eſt idæa, & cauſa exemplaris creaturarum; ſed cauſa exemplaris creaturarum, & idæa, cognoſci infinitè, & comprehenſivè non poteſt non cognito idæato; ergo infinita comprehenſio eſſentiæ divinæ repugnat non cognitis creaturis. Confirmatur. Ad infinitam comprehenſionem non ſufficit cognoſcere quidquid eſt in obiecto formaliter, niſi etiam cognoſcatur quidquid eſt in ipſo eminenter: vndè Beati quamquam cognoſcant quidquid eſt in Deo formaliter, non ideò Deum comprehendunt, quia non cognoſcunt quidquid eſt in eo eminenter: nec Angeli inferiores comprehendunt ſuperiores, quamquam omnia eorum prædicata formalia cognoſcant; ergo comprehendi perfectè non poteſt omnipotentia non cognitis creaturis, quæ in ea eminenter continentur.

12 Reſpondet Carriere t. 1. tract. de Deo Trino, q. 31. ex doctrina Scoti, Verbum Divinum non procedere ex cognitione perfectiſsima extenſivè, nec quatenùs ea cognitio ſe extendit ad creaturas, alioquin non ſolùm procederet ex cognitione poſsibilium, ſed etiam futurorum, quod nec noſtra ſententia concedet. Verùm hæc ſolutio ſatis præoccupata manet impugnationibus factis. Quoniam repugnat cognitio infinita, & perfectiſsima omnipotentiæ, ſive virtutis productivæ, quin eadem cognitio ſe extendat ad effectus producibiles, ſicut repugnat cognitio comprehenſiva ideæ, ac ſpeciei repræſentativæ, non cognito obiecto idæato, & repreſentato; nec Deus aliter cognoſcit creaturas niſi in ſua eſſentia, & in ſua cauſa productiva.

13 Rurſus. Repugnat cognitionem ex vna parte eſſe infinitam, & comprehenſivam, & ex alia non eſſe perfectam extenſivè, quia cognitio, quæ ſe non extendit ad terminũ neceſſario cõnexũ cũ perfectio-

fectione cognita, non eſt perfectè comprehenſiva eiuſdem perfectionis, quoniam aliquis modus eiuſdem perfectionis lateret cognoſcentem. Denique. Implicat aliquam virtutem productivam eſſe infinitam, & ad aliquid producibile non ſe extendere; ergo & implicat cognitionem, ex qua procedit Uerbum, eſſe infinitam, & ad aliquid cognoſcibile non ſe extendere.

14 Dices ex doctrina præfati Doctoris Uerbum divinum non procedere ex cognitione perfectiſsima Dei, quatenus *Deus* ſupponit eſſentialiter pro individuo Trinitatis; ſed quatenùs ſupponit perſonaliter pro perſona Patris: vndè cognitio creaturarum non eſt aliquid notionale ad intra, ſed eſſentiale ad extra; quapropter licèt cognitio eſſentialis ſit comprehenſiva creaturarum, cognitio paterna, & notionalis non eſt opus, quod ſe extendat ad creaturas; qua ratione in noſtra ſententia fit tranſitus à cognitione eſſentiali Dei ad cognitionem notionalem Patris, & ideò non convincit.

15 Sed nec iſta ſolutio aliquid evincit, quia non tantùm cognitio eſſentialis Dei, ſed etiam notionalis Patris debet eſſe perfectiſsima, infinita, & comprehenſiva, eſſentiæ divinæ, & attributorum, cum debeat eſſe digna Dei Patris; at talis eſſe non poteſt non cognitis creaturis, vt ex dictis ſatis conſtat, & dicta ſolutio concedit; ergo etiam cognitio notionalis Patris debet eſſe cognoſcitiva creaturarum; vndè in ratione noſtra nullus fit tranſitus.

16 Probabiliùs reſpondet Maſtrius t. 1. diſp. 7. quæſt. 2. a. 7. num. 132. Omnipotentiam vt attributum Dei, & perfectionem abſolutam, nullum importare reſpectum ad creaturas, ac ideò comprehendi poſſe non cognitis creaturis. Sed contra. Primò, quia ratio noſtra non nititur in relatione omnipotentiæ ad creaturas, ſed in creaturarum præcontinentia; at omnipotentia poſsibilia neceſſariò præcontinet; ergo neceſſariò cognoſcuntur ab illa comprehendenti. Secundò. Ratio noſtra non nititur in relatione, ſed connexione; at omnipotentia in omni ſigno connectitur cum poſsibilibus, quippè quæ in omni ſigno eſt potentia productiva creaturarum, vndè connectitur cum illis, ſicut virtus productiva cum producibili, cauſa cum effectu, idæa cum idæato, ſpecies repræſentativa cum obiecto repræſentato, iuſtitia cum punibili, aut remunerabili, ac miſericordia cum ſublevabili, ergo omnipotentia vt attributum Dei nequit comprehendi non cognitis poſsibilibus. Denique. Omnipotentia vt potentia executiva ad extra eſt attributum Dei, cum ſit proprium Dei eſſe Creatorem; ſed hoc modo importat aliquam habitudinem ad creaturas, aut connexionem cum illis; ergo vt attributum Dei nequit comprehendi non cognitis creaturis.

17 Reſpondet idem Author ibidem. Omnipotentiam non importare perfectionem à voluntate diſtinctam, quo ſenſu comprehendi poteſt ſine vlla habitudine ad poſsibilia. Et ratio huius Doctoris eſt, quia habitudo ad poſsibilia eſt per ordinem ad extra, atque adeò ſupponit omnem perfectionem, omneſque proceſsiones ad intra: qua doctrina occurri poteſt ad alia exempla eſſentiæ, ideæ, & attributorum, quia repræſentatio creaturarum in eſſentia, idæa, omniſque habitudo attributorum ad creaturas, cum ſit ordo ad extra, ſupponit Uerbum divinum iam exiſtens.

18 Sed hæc ſolutio præoccupata manet impugnationibus factis, quia eſſentia divina in quocumque ſigno conſideretur eſt repræſentativa creaturarum, earumque idæa, & cauſa exemplaris, ſicut & omnipotentia præcontentiva earum, vt ex ſupra dictis conſtat; quod efficacius vrget in ſententia Scotiſtarum ſæpè opponentium eſſentialia in Deo eſſe priora notionalibus; at repræſentatio in eſſentia, ac virtus productiva in omnipotentia ſunt quid eſſentiale; ergo priora notionalibus.

19 Secundò. Iuſtitia punitiva, aut remunerativa, & miſericordia, in nullo ſigno, & in nullo ſenſu comprehendi poſſunt ſine aliqua connexione, aut habitudine ad creaturas, quia ſe ipſum, nec punire, nec remunerare, nec ſibi ipſi poteſt miſereri; ergo hæc attributa cognoſci non poſſunt, præſertim comprehenſivè non cognitis creaturis, circa quas prædicta attributa exerceri poſſunt. Tertiò. Etſi connexio cum creaturis

in principio *quod* ſupponat perſonas iam exiſtentes, non tamen in principio *quo*, nimirùm in virtute productiva, ſive omnipotentia: immò quod connexio, qualitercumque conſideretur, ſit poſterior perſonis per modum principij, non tamen per modum obiecti cogniti, nam etiam proceſsio Spiritus Sancti eſt poſterior Verbo; & tamen Spiritus S. in ſententia eiuſdem Maſtrij, præcedit in eſſe obiecti ad proceſsionem Uerbi, cum Uerbum ex illius cognitione procedat; ergo pariter omnipotentia, vt virtus productiva creaturarum.

20 Quartò. Demus omnipotentiam eſſe perfectionem indiſtinctam à voluntate, & hoc tantùm modo præcedere ad proceſsionem Verbi, adhuc in hoc ſenſu comprehendi non poteſt non cognitis creaturis, nam voluntas Dei eſt eſſentialiter libera, ac primum liberum, & indifferens ad volendam, vel non volendam exiſtentiam mundi, nam hæc libertas eſt perfectio neceſſaria divinæ voluntatis; ergo compreliendi non poteſt non cognita poſsibilitate mundi.

21 Reſpondet omniporentiam eſſe ſummè neceſſariam, ac omninò independentem à creaturis; non ergo importat dictam connexionem, & habitudinem ad creaturas, ſed creaturis etiam repugnantibus eodem modo ſubſiſteret. Sed contra. Nam connexio ſummam independentiam non impedit, nam etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſumma perfectio Dei; & tamen neceſſariò connectitur cum creaturis poſsibilibus, veluti obiectum neceſſarium illius: Item ſcientia viſionis connectitur cum futuris: decretum creationis mundi cum exiſtentia mundi: vna relatio divina cum alia, quin propterea probetur dependentia aliqua; ergo nec in præſenti. Ratio omnium eſt, quia non eſt connexio cum aliquo, à quo accipiat perfectionem aliquam, ſed potius, cui communicet, vt latiùs expendemus infra tract. 1. de voluntate Dei, dub. 5.

22 Adhuc reſpondet cauſam cum alio abſolutè connexam comprehendi non poſſe non cognito alio: attamen omnipotentiam non connecti abſolutè cum poſsibilibus, ſed tantùm conditionatè, videlicet ex ſuppoſitione, quod ea ſint poſsibilia; ſicut ipſa omnipotentia connectitur cum futuris non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod ſint futura, quod tamen non probat omnipotentiam comprehendi non poſſe non cognitis futuris.

23 Sed nec iſta ſolutio aliquid evincit. Primò. Quia ea conditio poſsibilitatis non tollit connexionem abſolutam, ſed probat, cùm ſit conditio neceſſaria; etenim poſsibilitas pendens à conditione neceſſariò purificanda eſt abſoluta; at conditio neceſſariò purificatur, cum poſsibilitas creaturarum ſit neceſſaria, & eſſentialis: per quod patet diſparitas ad conditionem futuritionis, & exiſtentiæ, quæ eſt contingens, & libera. Secundò. Si propter illam conditionem ea connexio non eſt abſoluta, ſed conditionata, pariter continentia Filij in potentia generativa Patris eſſet conditionata, & non abſoluta, nimirùm ex ſuppoſitione, quod ipſe ſit generabilis. Denique. Si ex vi illius conditionis connexio cum poſsibilibus, & præcontinentia poſsibilium in omnipotentia non eſt abſoluta, ſed conditionata, pari ratione repugnantia in Patre ad producendum alterum Filium non erit repugnantia abſoluta, ſed conditionata, ſcilicet, ex ſuppoſitione, quod alter filius repugnet: ſimiliter repugnantia ad chymeram, ad peccatum, & alia huiuſmodi, non eſſet abſoluta, ſed conditionata, quod dici non poteſt. Nec omnipotentia eodem modo perfecta maneret, ſi poſsibilia repugnarent, quia in eo eventu ea non præcontineret, cum tamen præcontinentia creaturarum, ac virtus earum productiva, ſit illius perfectio.

24 Denique reſpondent omnipotentiam vt præcontentivam poſſibilium connecti eſſentialiter cum illis, verumtamen hæc præcontinentia eſt formalitas quædam ſecundaria in omnipotentia, & ſub hac formalitate eſt poſterior perſonis, eſtò vt attributum abſolutum ſit prius. Sed hæc ſolutio impugnata manet dubio antecedenti; & ex præcedentibus. Nam continentiam poſsibilium eſſe formalitatem ſecundariam non probat poſſe comprehendi omnipotentiam ea formalitate non cognita, quia ea formalitate non cognita aliquid latet cognoſcenti; ergo non erit cognitio comprehenſiva, & multò minus infinita, ac

digna

digna Deo, & ita redeunt impugnationes factæ: Verùm hæc omnia ex ſolutione argumentorum lucem accipient.

Primum argumentum ab authoritate deſumptum.

§. IV.

25 ARguitur primò ex Parente Anſelmo in Monol. cap. 32. vbi docet neceſſariam, & coæternam Patri eſſe exiſtentiam Verbi, etiam ſi nihil per illud fiat, vndè concludit: *Sive igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſive alijs exiſtentibus neceſſe eſt Verbum illius coæternum eſſe cum ipſo.* Et cap. ſequenti 33. *Si nihil vnquam aliud eſſet, niſi Summus ille Spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud, quo ſe dicit ex neceſsitate eſſe*; ergo independenter ab omni creatura neceſſe eſt Uerbum eſſe. Rurſus. Ibidem docet Uerbum divinum non eſſe verbum creaturarum: inquit enim: *Verbum autem, quo ſumma Sapientia creaturam dicit, nequaquam ſimiliter eſt verbum creaturæ, quia non eſt eius ſimilitudo*; ſed ſi procederet ex cognitione creaturarum eſſet eius Verbum, & ſimilitudo; ergo non procedit. Id ipſum docet cap. 53. de Spiritu Sancto, vbi ait: *Si nulla vnquam creatura, ideſt, ſi nihil vnquam aliud eſſet, quàm Summus Spiritus, Pater, & Filius, nihilominus ſe invicem Pater, & Filius diligerent, &c.*

26 Si reſpondeas Anſelmum loqui de creaturis exiſtentibus non de poſſibilibus. Occurrit Maſtrius loco citato num. 84. Anſelmum loqui ſpecialiter de exiſtentibus, & de futuris tanquam de notioribus; negari tamen non poteſt loqui etiam de poſsibilibus, quoniam à cap. 33. vſque ad 35. docet creaturas contineri in Deo, ac eſſe ipſum Deum, quod dici ſolet de poſsibilibus, non actualibus, quia creaturæ iam exiſtentes ſunt extra Deum, & diſtinctæ à Deo, quod tamen non probat procedere Verbum divinum à cognitione poſsibilium ſecundum proprias rationes, ſed ſolùm quatenùs ſunt in Deo, & eſſentia Dei; ergo in ſententia S. Doctoris nec procedit Uerbum divinum à cognitione creaturarum exiſtentium, nec poſsibilium ſecundùm proprias rationes.

27 Id ipſum docere videtur Ang. Doctor quæſt. 4. de ver. a. 5. ita loquens: *Verbum principaliter, & quaſi per ſe refertur ad Patrem, ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens refertur ad creaturam; accidit enim Verbo, quod per ipſum creatura dicatur*; ergo cognitio creaturarum per accidens ſe habet ad proceſsionem Verbi.

28 His omnibus conſtat ex dictis, & clarius conſtabit ex dicendis dubio ſequenti. Interim dico Anſelmum noſtrum loqui de omnibus creaturis, tàm exiſtentibus, quàm poſsibilibus, cum differentia ex contextu ſatis expreſſa: ſæpè enim loquitur de Verbo, *quo ſe dicit Summus Spiritus*, nempè Pater, & tunc excludit creaturas exiſtentes, quia loquitur de Uerbo ſecundùm perfectionem neceſſariam, ſecundùm quam oportet *Verbum illius coæternum eſſe cum ipſo.* Cum verò loquitur de Uerbo; in quo Pater dicit ſe, & creaturas, tunc includit in dictione, ſive cognitione Patris, omnes creaturas poſsibiles, & exiſtentes: *poſsibiles*, quantum ad productionem Verbi ſecundùm repræſentationem neceſſariam: *exiſtentes* quantùm ad repræſentationem liberam.

29 Ad ſecundum dico, Anſelmum negare Verbum divinum eſſe Uerbum, & ſimilitudinem creaturarum pemodum aſsimilati, non verò negare Verbum eſſe ſimilitudinem per modum exemplaris aſsimilantis, vt expreſsè conſtat ex littera: inquit enim: *Quia non eſt creaturæ ſimilitudo, ſed principalis eſſentia.* Et ita interpretatur Anſelmum Doctor Ang. dicta quæſt. 4. de ver. a. 5. ibi. *Ad ſecundum dicendum, quod Anſelmus accepit ſtrictè nomen ſimilitudinis, ſicut & Dioniſius cap. 9. de divinis nominibus, vbi dicit, quod in æquè ordinatis adinvicem recipimus ſimilitudinis reciprocationem, vt ſcilicet vnum dicatur alteri ſimile, & è converſò: ſed in his, quæ ſe habent per modum cauſæ, & cauſati, non invenitur propriè loquendo reciprocatio ſimilitudinis*; dicimus enim, *quod imago Herculis aſsimilatur Herculi, ſed non è converſò*: vndè *quia Verbum divinum non eſt factum ad ſimilitudinem creaturæ, vt verbum noſtrum, ſed potius è converſò, ideò Anſelmus vult, quod Verbum non ſit ſimilitudo creaturæ, ſed è converſò. Si autem largo modo ſimilitudinem accipiamus, ſic poſſumus dicere, quod Verbum eſt ſimilitudo*

creaturæ, non quaſi imago eius, ſed quaſi exemplar; ſicut etiam Auguſtinus dicit idæas eſſe rerum ſimilitudines.

30 Ad id, quod additur ex D. Thoma conſtat ſolutio ex eadem authoritate: nam Verbum refertur ad creaturas *quaſi per accidens*, ideſt, *ex conſequenti*, vt ibidem ait S. Doctor, & hoc modo accidit Uerbo, vt per ipſum caeatura dicatur, quia per Verbum non dicitur creatura primò, & ratione ſui, ſed ex conſequenti, nimirùm ex vi eſſentiæ prius cognitæ, ſæpè enim apud D. Thomam dicitur per accidens, quod eſt per aliud, quamquam per ſe conveniat.

Secundum argumentum deſumptum ex independentia omnipotentiæ à poſsibilibus.

§. V.

31 ARguitur ſecundò. Etſi creatura, nempè lapis, v. g. redderetur impoſsibilis Uerbum divinum ſubſiſteret; ergo cognitio lapidis non eſt per ſe exacta ad cognitionem Verbi. Antecedens colligitur ex Anſelmo, & vlterius probatur. Verbum divinum eſt omninò independens à poſsibilitate, vel impoſsibilitate lapidis, alioquin perſona divina penderet à creatura, & illius poſsibilitate indigeret, quod dici non poteſt. Sequela probatur. Id indiget alio, ſine quo eſſe non poteſt; ſed Verbum divinum ſine creaturis eſſe non poſſet; ergo indigeret creaturis, ab eiſque penderet.

32 Confirmatur primò. Quamquam lapis ſit neceſſariò poſsibilis, non tamen poſsibilitate ſummâ; at Verbum divinum eſt ſummè neceſſarium; ergo illius exiſtentia non pendet à poſsibilitate lapidis, quia quod ſummè neceſſarium eſt, non pendet ab eo, quod ſummè neceſſarium non eſt. Patet conſequentia à paritate; ideò enim exiſtentia Dei non pendet ab exiſtentia creaturæ, quia illa eſt neceſſaria, & hæc libera, ac proinde inter vtramque datur infinita diſtantia; ſed etiam inter ſummam neceſsitatem Dei, & neceſsitatem poſsibilium datur infinita diſtantia; ergo.

33 Confirmatur ſecundò. Creaturæ poſsibiles non ſunt ita neceſſariæ, ſicut Uerbum divinum, nec ita connexæ cum eſſentia divina, ſicut ipſum Verbum, quia hoc eſt neceſſarium per modum primi entis, & primæ cauſæ: illæ verò per modum entis creati, & creabilis; ergo poſsibili adhuc reddito impoſsibili non ideò deficeret Verbum divinum. Conſequentia probatur. Licèt deſtructo priori deſtruatur poſterius, attamen è contra ſublato poſteriori non tollitur prius; ergo ſublato ente finito, & ſecundo, non ideò tollendum eſt ens primum, & infinitum.

34 Confirmatur tertiò. Si Verbum per ſe procederet ex cognitione poſsibilium, prius cognoſcerentur poſsibilia, quàm exiſteret Uerbum; ergo creaturæ poſsibiles eſſent primum ens, & Uerbum divinum eſſet ens ſecundum, cum illæ creaturæ prius haberent ſuum eſſe, quàm Uerbum. Denique. Creaturæ pendent à Deo, non Deus à creaturis; ergo licet creaturæ eſſe non poſsint ſine Deo, Deus eſſe poteſt ſine creaturis, aliàs eadem eſſet neceſsitas Dei, ac neceſsitas creaturarum poſsibilium, qui ſermo [ait Maſtrius num. 91.] ita durus eſt, vt piæ aures id audire exhorreſcant.

35 Sed his ſatis conſtat ex allegata doctrina. Ad argumentũ, negò antecedens. Nec ex eo probatur aliqua dependentia, & indigentia, vt conſtat exemplis ſupra ſuppoſitis, quæ non oportet repetere. Nec deſtructio Uerbi ſequeretur ex deſtructione poſsibilium à priori, & tanquam à cauſa, ſed à poſteriori, & tanquam à ſigno, eo quod deſtructis poſsibilibus deficeret in Deo fęcunditas ad extra, & virtute creativa, qua deſtructa neceſſariò mutaretur, ac deſtrueretur Deus. Vndè ad probationem ſequelæ, diſtinguo maiorem. Id indiget alio, ſine quo eſſe non poteſt vi cauſalitatis, & ſubordinationis, concedo maiorem. Vi connexionis, & ſigni, nego maiorem, & eodem modo diſtincta minori, nego cõſequentiam. Recolenda ſunt exempla allegata, quæ velint nolint negare non poſſunt Adverſarij.

36 Ad primam confirmationẽ, cõceſſis præmiſsis, nego cõſeq. nec ex eo probatur depẽdẽtia, vt tertio iam verbo dictũ eſt: imò nec probaretur quãquã neceſsitas lapidis eſſet ſumma, quia in ſentẽtia Maſtrij Verbũ procedit ex cognitione eſsẽtię, attributorũ, & perſonarũ, quæ omnia sũma neceſsitate exiſtũt, quin propterea vlla probetur depẽdentia, ſed cõnexio. Paritas autẽ neceſ-

ſarij

ſarij reſpectu liberi, & contingentis nihil cõvincit, quia, quod neceſſariò exiſtit nullã neceſſariam connexionem habere poteſt cum eo, quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti neceſſarij corruptione.

37 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo antecedens. Non ſunt ita neceſſariæ quoad neceſsitatem eſſentialem, & obiectivam, nego antecedens. Quoad neceſsitatem ſubiectivam, & quoad alia, concedo antecedens. Itaque neceſsitas poſsibilium eſt æqualis cum neceſsitate Verbi, & ſimul ſummè inæqualis: æqualis quatenus vtraque eſt eſſentialis, qua maior eſſe non poteſt, nec in eſſentia datur magis, & minus. Summè inæqualis, quatenus illa eſt quoad poſsibilitatem: hæc quoad actualitatem: illa quoad connexionem tantúm negativam prædicatorum eſſentialium: hæc autem quoad exiſtentiam: illa dumtaxàt obiectiva: hæc ſubiectiva: illa in primo ente, & infinito, ac neceſſariò exiſtenti: hæc in ente ſecundo, finito, & liberè producibili. Et mirum eſt Maſtrium in hoc pati ſcandalum, cúm ipſe doceat tom. 1. diſput. 1. q. 6. art. 4. poſsibilem eſſe creaturam eſſentialiter indeſtructibilem à Deo, & exigentem eſſentialiter permanentiam in exiſtendo, in qua ſanè creatura eſſet ea æqualitas cum Deo in exiſtentia [quod maius eſt] quam nos ponimus in pura poſsibilitate [quod longè minus eſt.] Quod ſi reſpondeat eam creaturam eſſe liberè productam: nos etiam dicimus creaturas poſsibiles eſſe liberè producibiles.

38 Undè in forma ad ſecundam confirmationem, diſtinguo antecedens modo dicto, & nego conſequentiam. Ad probationem dico ex deſtructione poſterioris non ſequi deſtructionem prioris, ſi nulla eſt connexio, non tamen in rebus, vbi eſt neceſſaria connexio, vt ſæpiùs dictum eſt. Et apertè ſequitur ex doctrina Maſtrij, in cuius ſententia Verbum procedit proprié ex proceſsione Spiritus Sancti, cum in eádem ſententiâ Spiritus Sanctus ſit poſterior, & in tertio ſigno.

39 Ad tertiam confirmationem diſtinguo antecedens: prius prioritate originis, concedo antecedens. Prioritate aliqua durationis, & exiſtentiæ, nego antecedens, quia prioritas originis non deſtruit ſummam ſimultatem, vt dictum eſt dubio antecedentì: Præterquam quod etiam conceſſo abſolutè antecedenti, non ſequitur inconveniens illatum, ſed potius oppoſitum, quia in eo ſigno, quo cognoſcuntur poſsibilia pro priori ad exiſtentiam Verbi, etiam cognoſcitur Verbum per modum primi obiecti, primi entis, & primæ cauſę. Ad vltimum ſatis conſtat ex ſupradictis.

40 Opponit idem Author. Hęc connexio, quam ponimus in Deo cum creaturis, depurari non poteſt ab imperfectione: ergò ponenda non eſt in Deo. Probat antecedens. Connexio illa talis eſt, vt ſi creaturę non eſſent poſsibiles, Deus non eſſet; ergò Deus indiget creaturis ad ſui exiſtentiam; ſed indigentia eſt imperfectio; ergò. Secundò. Si Deus operaretur ex neceſsitate naturę eſſet maximè imperfectus; & tamen non haberet dependentiam à creaturis, ſed ſolam connexionem, quia connecteretur cum creaturis veluti cauſa cum affectu; ſed cauſa non dependet ab effectu, licèt connectatur cum illo; ergò ſola connexio probat imperfectionem.

41 Reſpondeo negando antecedens. Ad prob. diſtinguo antecedens. Deus non eſſet, ex impoſsibilitate creaturæ à priori, nego antecedens. A poſteriori, concedo antecedens, nam ratio intrinſeca, & propria cur Deus non eſſet, ſi repugnarent creaturę, eſt quia ei deficeret intrinſeca fœcunditas, & virtus productiva, qui defectus probatur ex repugnantia creaturæ tanquam à ſigno. Et vrgetur non ſolum exemplis ſuprà allegatis, ſed ex doctrina eiuſdem Authoris num. 93. vbi docet omnipotentiam conſiderari poſſe fundamentaliter, & formaliter: & quamquam primo modo aſſerat eſſe omninó inconnexam cum creaturis: Secundo modo docet eſſe neceſſarió connexam; ſed omnipotentia, nec fundamentaliter, nec formaliter indiget creaturis, nec in omnipotentia formaliter ſumpta ponenda eſt aliqua imperfectio; ergò connexio imperfectionem non probat. Ad ſecundum dico, Deum operantem ex neceſsitate naturæ eſſe imperfectum, non ex vi connexionis, ſed ex defectu libertatis.

42 Dices. Eſtò omnipotentia modò non contineat, quod anteà continebat, non ideó mutatur, vel deſtruitur; ergò omnipotentia nullam impor-

portat neceſſariam connexionem cum poſſibilibus, atque adeò poteſt optimè comprehendi non cognitis poſsibilibus. Antecedens probatur. Anteà continebat hunc diem, qui poſsibilis erat, poſteà eo tranſacto non continet, quippe qui redire non poteſt, cum ad præteritum non detur regreſſus; ergò poteſt non continere, quod anteà continebat, ac poſsibile poteſt reddi impoſsibile ſine variatione omnipotentiæ. Secundò. Ex defectu termini materialis non variatur, nec deſtruitur potentia; ſed creaturæ ſunt terminus materialis omnipotentiæ; ergò etſi aliquod poſsibile reddatur impoſsibile non variatur divina omnipotentia.

43 Ad primum, nego antecedens. Ad probationem, nego antecedens quoad ſecundam partem, nam dies præſens ſecundùm ſe ſemper eſt poſsibilis, & ſemper in omnipotentia contentus: attamen quoad ſui exiſtentiam nunquam fuit poſsibilis, niſi pro tempore præſenti, & ſic illius exiſtentia pro tempore præſenti ſemper fuit, & ſemper erit præcontenta in omnipotentia: quod autem dies præſens ſemel tranſactus non poſſit redire, nec reproduci, hoc nunquam fuit poſsibile, nec erit, nec in omnipotentia continetur. Et notandum hoc argumentum ſolvendum eſſe ab Adverſarijs. Quidquid enim ſit de argumento facto ex hypotheſi impoſsibili, certum eſt apud Adverſarios prorſus repugnare aliquod poſsibile re ipſa reddi impoſsibile, cum eſſentiæ rerum variari non poſſint; & tamen dies præſens ſemel tranſactus redditur impoſsibilis, vt ait argumentum; ergò contra ipſos procedit. Rurſus. Si dies præſens poſsibilis poteſt reddi impoſsibilis; ergò etiam tranſactus, & impoſsibilis, poterit iterùm reddi poſsibilis, & ita redire.

44 Ad ſecundum dico creaturas eſſe quidem terminum materialem omnipotentiæ, ſed neceſſariò connexum; nec enim neceſſaria connexio eſt contra conditionem termini materialis, vt patet in omnipotentia formaliter ſumpta, quo ſenſu apud eundem Maſtrium connectitur cum poſsibilibus: in ſcientia viſionis connexa cum futuris, & exiſtentibus, alijſque exemplis ſuprà allegatis; quapropter ſæpé contingit terminum materialem habere neceſſariam connexionem cum termino formali, & conſequenter cum potentia, vt contingit in præſenti, vbi poſsibilia connectuntur cum eſſentia divina repræſentativa poſsibilium, & conſequenter cum omnipotentia.

45 Dices. Si daretur dicta connexio omnipotentiæ cum poſsibilibus, poſsibilia eſſent ratio à priori ipſius omnipotentiæ; ergò & ratio à priori exiſtentiæ Verbi. Antecedens probatur. Hæc eſſet optima probatio à priori: ideò Deus poteſt producere poſsibile, quia non repugnat: hæc autem à poſteriori: ideò non repugnat, quia Deus non poteſt producere. Et probatur. Hæc eſt à priori: ideò Deus non poteſt producere chymeram, quia ipſa repugnat; ergò & hæc: ideò poteſt poſsibile, quia non repugnat; patet conſequentia, quia ſicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio affirmationis.

46 Reſponderi poteſt negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens, quia ratio, quare Deus poteſt producere poſsibilia non eſt alia, niſi quia eſt Deus, & Omnipotens, ac propterea poteſt quidquid cadit ſub ratione potentiæ: & ita docere videtur Parens Anſelmus in Proſol. cap. 7. vbi inquirit: *Quomodò Deus eſt Omnipotens, cum omnia non poſsit?* Nimirum, mentiri, facere verum eſſe falſum, &c. Et reſpondet: *Hæc poſſe non eſt potentia, ſed impotentia, nam qui hoc poteſt, quòd ſibi non expedit, quantò magis poteſt, tantò magis adverſitas, & perverſitas poſſunt in illum.* Ratio ergò á priori poſsibilium eſt potentia Dei. E contra ratio à priori impotentiæ ad impoſsibilia eſt ipſa impoſsibilitas rerum, quæ cùm ſit de genere defectus refunditur in creaturam: poſsibilitas verò cùm ſit de genere perfectionis refunditur in Deum tanquàm in primam cauſam. Sed quamquam hæc ſatis probabiliter dicta ſint. Clariùs reſpondeo non repugnantiam Logicam, & radicalem competere poſsibilibus à ſe ipſis, & ex conditione ſuæ naturæ, vt etiam concedit Maſtrius. Ex quo nullo pacto infertur eſſe rationem á priori Omnipotentiæ, ſed conditionem præſuppoſitam ex parte termini, vt ab Omnipotentia poſsint produci; nam in ſtatu poſsibilitatis ſunt purum nihil, totumque eorum eſſe eſt conditionatum, id eſt, ſi ab Omnipotentia tanquàm à prima cauſa producenda ſint, produci debent cum tali eſſentia, quod non im-

impugnat, ſed ſupponit Anſelmus loco citato.

Cætera extricantur argumenta.

§. VI.

47 ARGUITUR Tertiò. Verbum divinum procedit ex cognitione beata; ſed beatitudo Patris non pendet à creaturis; ergò Verbum procedit ex cognitione omninò independenti à creaturis. Maior conſtat. Quiá procedit à cognitione perfectiſſima, qualis eſt beata. Minor autem probatur. Obiectum beatitudinis eſt ſola eſſentia, cùm Deus ſit beatus per ſola contemplationem ſui ipſius; ergò. Secundò. Probabilis eſt ſententiam Scoti aſſerentis videri poſſe eſſentiam ſine attributis; ergò, & potioti titulo ſine creaturis; ergò poſsibilis eſt viſio beata ſine creaturis. Tertiò. Videri poteſt non ſolum eſſentia, ſed etiam Omnipotentia nulla cognita creatura in particulari, vt contra Vazquez tuetur Gonet de Viſ. diſp. 5. a. 6. & tamen ea viſio eſt beatifica; ergò poſsibilis eſt viſio clara Dei ſine viſione alicuius creaturæ ſaltim in particulari. Denique. Cognoſci poteſt obiectum primarium ſine ſecundario; ergò ad viſionem ſufficit cognitio clara Dei, qui eſt obiectam primarium, ſine cognitione creaturæ, quæ eſt obiectum ſecundarium; ergò pariter ad proceſsionem Verbi.

48 Ad argumentum dico Verbum divinum procedere á cognitione, non vtcumque beata, ſed infinitè, & comprehenſivè; talis autem cognitio neceſſariò ſe extendere debet ad obiectum ſecundarium connexum cum primario, vt ſæpiùs dictum eſt. Ad ſecundum data illa ſententia dico viſionem illam eſſentiæ ſine attributis non eſſe infinitam, nec comprehenſivam, nec ea cognitio eſt poſsibilis Deo; quidquid ſit de creaturis. Ad tertium pariter dico viſionem Omnipotentiæ ſine creaturis in particulari non eſſe comprehenſivam, qualis eſt, & eſſe debet cognitio, ex qua procedit verbum. Ad vltimum ſimiliter dico obiectum primarium non poſſe comprehendi ſine ſecundario connexo cum primario, præſertim ex vi cognitionis productivæ Verbi, in quo repræſentatur tàm primarium, quám ſecundarium.

49 Replicabis. Eſtó cognitio comprehenſiva vtrúmque obiectum attingat, nihilominus prius terminatur ad obiectum primarium, quám ſecundarium, præſertim quando ſecundarium eſt finitum, & primarium infinitum, quod magis movet, quàm finitum; ſed cognitio pro illo priori terminata ad obiectum primarium eſt fœcunda; ergó productiva Verbi, atque adeó Verbum non procedit ex cognitione obiecti ſecundarij, & finiti. Prætereà. Angelus comprehendens cauſam creatam non ideò comprehendit omnes effectus à tali cauſa producibiles; ergò Deus poteſt comprehendere Omnipotentiam quin cognoſcat omnes creaturas poſsibiles.

50 Ad primum dico eam prioritatem ſolum eſſe virtualem, & obiectiuam, non formalem, & ex parte cognitionis comprehenſivæ, quæ ſimul totum attingit. Ad ſecundum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia comprehenſio Angeli eſt finita, Dei verò infinita. Præterquám quod Angelus comprehendens cauſam cognoſcit effectus ſaltim abſtractivè; ergò Deus comprehendens Omnipotentiam, debet etiam aliquomodò cognoſcere effectus, non quidem cognitione abſtractiva, quæ eſt imperfecta; ergò comprehenſiva.

51 Arguitur quartò. Si Verbum procederet ex cognitione creaturarum poſsibilium, pariter Spiritus Sanctus procederet ex earum amore; at hic non procedit ex amore poſsibilium; ergò nec Verbum ex eorum cognitione. Maior conſtat, quia ſicut cognitio eſt comprehenſiva, ita & amor; & ſicut Verbum ſe habet ad cognitionem, ita Spiritus Sanctus ad amorem. Minor probatur. Creaturæ poſsibiles non ſunt amabiles, cùm nullam habeant bonitatem, vt dicemus infra Tract. 1. de Volunt. Dei, dub. 5. ergò Spiritus Sanctus nequit procedere ex amore poſsibilium.

52 Reſpondeo, quod ſi creaturæ non ſunt amabiles iuxta dicenda loco citato, non mirum ſi amor Dei ſit comprehenſivus ſine amore poſsibilium, & quod Spiritus Sanctus ex eorum amore non procedat. Si autem ſupponantur amabiles, dico ex earum amore procedere, ſicut Verbum ex eorum cognitione. Si autem opponas plures probabiliter aſſerere creaturas poſsibiles eſſe amabiles, ſed li-

be-

beré ; ergò Spiritus Sanctus nequit ex earum amore procedere , cum illius proceſſio ſit ſummè neceſſaria; ergo nec Verbum ex cognitione poſsibilium. Reſpondeo id prorſus repugnare , vt citato loco dicemus. Sed dato eas eſſe amabiles liberè, dico earum amorem nullam connexionem neceſſariam habere cum amore divinæ Eſſentiæ,atque adeó poterit eſſe comprehenſivus etiam non amatis creaturis.

DVBIVM III.

An Verbum divinum procedat ex cognitione futurorum?

§. I.

1 EXAMINATA Proceſsione Verbi divini ex cognitione perſonarum, creaturarumque poſsibilium non levis ſupereſt dubitandi ratio circa futurorum cognitionem, an nimirum procedat, non ſolùm ex ſcientia neceſſaria, ſed etiam libera, & viſionis. Prima ſententia eſt affirmativa , quàm docent Doctiſs. Silva t. 3. in 1. p. q. 31. a. 4. dub. vnico. Zuñiga. Valentia,& alij , citarique ſolet P. Ruiz , ſed immeritò , cùm ſolùm loquatur in ſenſu quartę ſententiæ infrá allegandæ. Secunda abſolutè negat. Ita frequentius Thomiſtæ cum omnibus Scotiſtis , alijſque pluribus ex Societate Doctoribus. Tertia affirmat de futuris conditionatis,negat de abſolutis.Et in eam inclinare Molina tradit Gonet diſp. 9. a. 3. Quarta tandem diſtinguit in Verbo perfectionem neceſſariam , & contingentem ; in primo ſenſu affirmat. In ſecundo negat.Ita Card.de Aguirre t. 2. in S.Anſelmum diſp. 6. Godoy. Arriaga. Necnon Ruiz pro prima ſententia ab alijs allegatus.

[§]

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

2 DICENDUM Primò Verbum divinum abſolutè,& ſimpliciter;ſivè ſecundum perfectionem neceſſariam , eſſentialem , & perſonalem, non procedere ex cognitione futurorum. Ita expreſsè S. Anſelmus in Monol. c. 32. noviſsimè editionis, vbi poſt alia concludit : *Sivè igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſivè alijs exiſtentibus , neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Et cap. ſequenti : *Si nihil vnquam aliud eſſet, niſi ſummus ille Spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud , quo ſe dicit, ex neceſsitate eſſe.* Et ita repetit in ſequentibus.

3 Ratio videtur manifeſta. Quia ſcientia futurorum in Patre,& repræſentatio eorum in Verbo, eſt libera,& contingens, poteſtque adeſſe, & abeſſe ſine intrinſeca mutatione Verbi ; eſt enim Verbum omninò immutabile, eiuſque exiſtentia eſt ſimpliciter,& ſummè neceſſaria ; ergò non procedit hoc modo per ſe ex cognitione futurorum.Patet cõſequentia Quia quod eſt ſummè neceſſarium , & immutabilè , procedere non poteſt ex principio contingenti, & variabili , & quod taliter eſt, vt poſsit non eſſe.

4 Explicatur hæc ratio. Dictum eſt in præcedentibus Verbum divinum procedere ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ , & conſequenter ex cognitione omnium , quæ neceſſariam connexionem important cum divina eſſentia,quibus non cognitis eſſentia , & Omnipotentia comprehendi non poteſt ; ſed futura, vtpotè libera , nullam connexionem neceſſariam habent cum divina eſſentia ; ergò comprehendi poteſt non cognitis futuris ; at illa cognitio comprehenſiva eſſentiæ eſt fœcunda,& productiva Verbi ; ergò Verbum non procedit abſolutè ex cognitione futurorum. Denique. Verbum ſecundùm perfectionem neceſſariam ſolùm poteſt procedere ex cognitione neceſſaria. Item. Nequit procedere per ſe ex principio, quo ſublato eodem modo Verbum maneret; at ſublata ſcientia libera futurorum Verbum

bum divinum maneret idem coæternum Patri, vt inquit Anſelmus allegatus; ergò ex ſcientia futurorum non poteſt abſolutè procedere.

5 Hæc ratio, quæ multipliciter vrgeri poſſet, non placet doctiſs. Silva loco citato, §. 3. eo quod libera Dei decreta ſunt prorſus indefectibilia, nec ideó dicuntur libera, quia contingentia, aut defectibilia, cùm omnis contingentia, & defectibilitas Deo repugnet, ſed quia non neceſsitatus ab obiecto, ſed potiùs ex ſpontanea electione decrevit producere id vnum, quod meliùs, & convenientius à divina ſapientia proponitur ſine vlla indifferentia, contingentia, aut defectibilitate.

6 Sed hic dicendi modus impugnatus manet t. 1. in S. Anſel. tract. 2. dub. 1. §. 3. & tract. 8. dub. 7. §. 2. Hic etiam breviter reijcitur, eo quod præſens libertatis genus eſt tantùm *à coactione*, ſitum in voluntario, ac ſpontaneo voluntatis motu, quod ſummam neceſsitatem non excludit, immò quo motus eſt magis neceſſarius, & obiectum meliùs, eſt magis voluntarius, magiſque ſpontaneé voluntas tendit in illud; eaque propter in hoc ſenſu ita libera erit proceſsio Verbi divini, ſicut creatio mundi, cum vtraque ſit ſpontanea, & voluntaria.

7 Ideò aliter reſpondet Zuñiga ex dictis ſequi Verbum divinum per ſe non procedere ex cognitione futurorum determinatè, non tamen ſequi non procedere ex eorum ſcientia diſiunctivè, quia eſtó ſit libera ſcientia mundi determinatè extituri, non eſt tamen libera ſcientia exiſtentiæ, vel non exiſtentiæ mundi. Sed hæc ſolutio ſuam ſententiam evertit: quoniam ſcientia exiſtentiæ, vel non exiſtentiæ mundi indeterminatè, & vagè eſt neceſſaria, & non libera; ergò quamquam Verbum divinum procedat ex tali ſcientia, procedet ex ſcientia neceſſaria, & non libera.

8 Secundò. Verbum divinum procedit ex cognitione illius obiecti, quod repræſentat; at Verbum divinum non repræſentat exiſtentiam, vel non exiſtentiam creaturæ indeterminatè, & vagè, ſed determinatè exiſtentiam, aut determinatè carentiam exiſtentiæ; ergò ſi Verbum divinum procedit ex cognitione futurorum, debet procedere ex cognitione determinata eorum exiſtentiæ, vel determinata eorum carentiæ; at iuxtà ſolutionem datam non procedit ex cognitione aliqua determinata exiſtentiæ, aut carentiæ; ergò non procedit ex cognitione futurorum.

9 Propter hæc alij rationi factæ occurrunt aſſerentes Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione futurorum, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod futura ſint, quia ſuppoſita eorum futuritione neceſſariò repræſentantur in Verbo, vndè neceſſariò procedit ex eorum ſcientia. Verùm ſi ita reſpondentes ſolùm deſiderent Verbum divinum procedere ex cognitione futurorum quatenus eadem futura repræſentat, facilè eis ſuffragium præſtabimus. Sed quia contendere videntur Verbum divinum ſecundùm eſſe eſſentiale, & perſonale à tali ſcientia procedere; in oppoſitum vrget ratio facta, nam Verbum divinum ſecundùm ſuum eſſe eſſentiale, & perſonale eſt prorſus indefectibile, & neceſſarium; non ergó procedit à ſcientia libera, & defectibili. Quare licèt ex ſuppoſitione futuritionis Verbum futura neceſſariò repræſentet: attamen ſuppoſitio eſt contingens; vndè per ſe, & abſolutè concurrere non poteſt ad proceſsionem Verbi.

10 Ratio omnium eſt. Nam Verbum divinum ſecundùm eſſe eſſentiale, & perſonale, tantùm importat prædicata, quibus conſtituitur in eſſe Dei, & Filij; ſed ad hoc nihil prodeſt repræſentatio futurorum; eaque prędicata Dei, & Filij nulla connexionem habent cum repræſentatione futurorum, nec cum decreto libero, ex quo talis repræſentatio dimanat; ergó tam repræſentatio ex parte verbi, quàm cognitio futurorum ex parte Patris eſt prorſus contingens, nulloque pacto neceſſaria ad proceſsionem Verbi.

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

11 DICENDUM Secundó Verbum divinum vt repræſentans futura per ſe procedere ex eorumdem futurorum cognitione. Conſtat etiam ex Parente Anſelmo citato cap. 33. vbi poſt alia concludit: *Ergò ſi ſe ipſum, & quæ facit, ſubſtantiali ſibi verbo dicit; manifeſtum eſt, quia verbi, quo ſe dicit, & verbi, quo creaturam dicit, vna ſubſtantia eſt.* Et in fine: *Vno igitur, eodemque verbo dicit ſe ipſum, & quæ-*

tam-

cumque facit. Et cap. ſequenti: *Idcircò cùm ipſe ſummus Spiritus dicit ſe ipſum, dicit omnia, quæ facta ſunt*; at ſummus Spiritus, ſivè Pater, non poteſt ſe ipſum dicere, & quæ facta ſunt, niſi ſua dictione, vel cognitione, attingat ſe ipſum, & quæ facta ſunt; ergó Uerbum divinum procedit ex cognitione non ſolúm Patris, ſed eorum, quæ facta ſunt; ergó ex cognitione futurorum; ſed Verbum vt repræſentat Patrem per ſe procedit ex cognitione Patris; ergò vt repræſentat futura per ſe procedit ex cognitione futurorum.

12 Contra hanc rationem opponit Maſtrius loco citato n. 109. Sequitur ex hac doctrina dari duplex Verbum in Deo, quorum vnum ſit eſſentiale, & alterum contingens; ſed hoc hucuſque inauditum eſt; ergó ea doctrina admittenda non eſt. Probat ſequelam. Quia datur in Deo ſcientia obiecti neceſſarij, & contingentis, datur in Deo duplex ſcientia, vna neceſſaria, & altera contingens; ergò ſi Uerbum procedit: túm ex ſcientia neceſſaria ſecundúm perfectionem neceſſariam: túm ex ſcientia libera ſecundúm repræſentationem liberam, ponenda erunt duo verba, quorum vnum ſit eſſentiale, & neceſſarium: alterum liberum, & contingens.

13 Verúm hanc difficultatem non omiſit Anſelmus: quandoquidem poſt verba relata immediatè inquirit: *Quomodò ergò ſi vna ſubſtantia eſt, duo verba ſunt?* Et reſpondet Verbum divinum optimè dici Verbum Patris, ſicut & illius ſimilitudo, non tamen verbum creaturæ, quia non eſt ſimilitudo creaturæ, ſed principalis eſſentia; de quo videnda dicta dubio antecedenti §. 4.

14 Secundó. Si ex noſtra ſententia ponente in Verbo divino repræſentationem neceſſariam, & contingentem, ponenda ſunt duo verba, quorum vnum ſit neceſſarium, & alterum contingens, pariter in ſua, omniumque ſententia duo verba ponenda erunt, quoniam in ſua, omniumque ſententiâ Verbum divinum vtrumque obiectum, neceſſarium, & contingens, repręſentat. Tertiò. Summum ſpiritum, nempé Patrem dicere omnia, quæ facta ſunt, in Verbo divino, expreſsè tradit Anſelmus loco citato, ſic enim diſcurrit. Pater creaturas dicit; ergò in aliquo verbo dicit; at non in verbo creaturæ; ergó in verbo ſuo; ergò ſi propter hoc Patrem duo verba habere evincitur, profectò ab omnibus duo verba ponenda ſunt. Denique inquiro. Quid per duo verba intelligat? An duo realiter diſtincta? An duplex tantum repræſentatio in eodem Verbo? Si primum. Omninó negandum eſt, nec id probatur exemplo ſcientiæ. Si ſecundum. Certum eſt Verbum divinum repræſentare neceſſaria, & contingentia, ſicut increata, & creata. Sed quantum ad modum loquendi ſtandum eſt doctrinæ Anſelmi; vndé nego ex illius ſententia ſequi ponenda eſſe duo verba in Deo, cum potius aſſerat Patrem *vno, eodemque verbo dicere ſe, & creaturas*, quia licèt repræſentet creaturas, non eſt verbum creaturæ, ſicut nec illius ſimilitudo, cúm potiùs ſit exemplar, cui creaturæ aſsimilantur; vndé non eſt locus ad duo verba, Dei, & creaturarum, vbi non eſt verbum creaturarum. Nec prodeſt exemplum ſcientiæ, quia ſcientia diſtinguitur ex diſtinctione obiecti, finiti, ſcilicèt, creaturæ poſsibilis, & exiſtentis, aut extituræ, cùm ergò duplex ſit obiectum finitum, neceſſarium, & contingens, diſtinguitur ratione noſtra duplex ſcientia, neceſſaria, & libera: attamen Verbum eſt ſolius Patris, á quo procedit; non creaturarum, á quibus non procedit.

15 Probatur iterùm concluſio reintegrando rationem dubijs præcedentibus propoſitam. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione eorum, quæ per ſe repræſentat; ſed ex ſuppoſitione decreti per ſe repræſentat futura; ergò ex ſuppoſitione decreti procedit per ſe ex cognitione futurorum; at non ſupponit decretum abſolutè, ſed ſolúm vt repræſentativum futurorum; ergò non procedit ex cognitione futurorum abſolutè, ſed ſolúm vt repræſentativum futurorum. Maior probatur: quidquid habet Verbum, à Patre habet; non niſi media dictione, aut cognitione; ergò ex vi cognitionis paternæ; ſed habet repræſentationem futurorum; ergò qua ratione dixit Chriſtus Dominus, Marc. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et Ioann. 17. *Omnia mea, tua ſunt.* Ergò omnis repræſentatio, quę eſt in Uerbo, eſt á Patre; ergò, vt repræſentans futura eſt à Patre cognoſcente futura, ſivé ex cognitione futurorum. Confirmatur ex Concil. Florent. definiente Patrem dediſſe Filio quæcumque habet excepta paternitate; at Pater habet notitiam futurorum; ergò dedit Filio notitiam futurorum.

16 Reſpondet Maſtrius dediſſe quidem Patrem Filio notitiam futurorum, ſed

eo ordine, & modo, quo eſt in Patre; at in Patre notitia futurorum non eſt pro priori originis, quo producit Filium, ſicut nec decretum aliquod liberum, quia cum ſit per ordinem ad extra, ſupponit completas proceſsiones ad intra; nam decreta libera ſunt toti Trinitati communia, ac proindè totam Trinitatem ſupponunt, aliás decreta libera prius eſſent in Patre, quàm in Filio, vndè operationes ad extra non eſſent immediatè ab omnibus Perſonis, quod dici non poteſt.

17 Sed hæc doctrina duo ſibi mutuò collidentia coniungit: primo enim docet Patrem communicare Filio notitiam futurorum: ſecundò in illo ſigno originis, quo Pater producit Filium non eſſe in Patre notitiam futurorum, quia non eſt in illo niſi completis proceſsionibus, ſicut nec decreta libera: nam Pater pro priori originis, quo producit Filium non communicat notitiam futurorum, cum eam non habeat; at pro poſteriori nihil communicat, quia completa proceſsione Filij completur communicatio; ergò vel Pater non communicat Filio notitiam futurorum, vel eam communicat in primo ſigno originis, quo eum producit.

18 Secundò. Quod decreta libera ſint pro poſteriori ad proceſsiones, ſupponantque Trinitatem, non impedit, vt cognoſcantur intuitivè pro primo ſigno originis á Patre; nam proceſsio Spiritus Sancti eſt poſterior origine Filio; & tamen in ſententia eiuſdem Doctoris Filius procedit ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti; vndè Spiritus Sanctus poſterior origine in eſſe præcedit per modum obiecti cogniti in mente Patris; ergò pariter decreta libera. Ratio omnium eſt, quia prioritas, & poſterioritas originis non impedit ſummam ſimultatem, poteſtque Pater in primo ſigno cognoſcere intuitivè, & comprehenſivè quidquid eſt in eo inſtanti reali.

19 Inſurges ex doctrina eiuſdem Authoris. Decreta libera ſunt ſimul, & immediatè à tota Trinitate; ergò non præcedunt in Patre pro priori originis; ergò Filius non habet decreta libera communicata à Patre; non ergò omnia, quæ ſunt in Filio, ſunt à Patre; ergò nec actualis repræſentatio futurorum: vndè teſtimonia allegata Scripturæ, & Conc. Florentini intelligenda ſunt de communicatione omnium in virtute, quatenus Pater communicat Filio eſſentiam, & virtutem, vi cuius poſitis proceſsionibus, & decretis, poterit in actu ſecundo omnia repræſentare.

20 Reſpondeò conceſsis alijs, negando vltimam illationem, nam licèt ſcientia libera, ſicut & libera decreta, ſint immediatè à tota Trinitate, & Pater non communicet Filio decreta libera, niſi modo dicto; adhúc non ſequitur, nec probatur Patrem non communicare Filio actualem repræſentationem futurorum, nam eadem ſcientia libera, quæ eſt immediatè à tota Trinitate in Patre eſt fœcunda ad producendam repræſentationem liberam in Filio, quo ſenſu non eſt in Filio; ſicut etiam amor liber futurorum, qui eſt immediatè ab omnibus perſonis, in Patre, & Filio eſt fœcundus ad producendam terminationem liberam, quo ſenſu non eſt in Spiritu Sancto, eo ſanè modo, quo dicitur de eſſentia, quæ eſt fœcunda in Patre ad generandum, non in Filio.

21 Ideò alij ex Thomiſtis occurrunt aſſerendo Verbum habere à Patre repræſentationem futurorum, non tamen per ſe, ſed concomitanter; non enim habet eam repræſentationem ex vi proceſsionis, quia ſublata cognitione futurorum eodem modo procederet, ſed dumtaxát per proceſsionem, & concomitanter, quatenus cognitio, ex qua procedit eſt infinita, & futurorum comprehenſiva. Verúm ex hac doctrina reintegratur ratio facta. Quamquam ſublata cognitione futurorum Verbum eodem modo procederet quoad eſſentialia, & perſonalia, non tamen quoad repræſentationem contingentium; ergò quoad repræſentationem contingentium procedit per ſe, & ex vi ſuæ proceſsionis ex cognitione futurorũ.

22 Secundò. Eodem modo reſponderi poſſet quoad cognitionem poſsibilium; immò, & Perſonarum, ac re ipſa ita plures occurrunt aſſerentes eam cognitionem concurrere ad productionem tantúm concomitantur, & non per ſe; & tamen hæc doctrina eis Doctoribus non arridet; ergò nec in præſenti arridere poteſt. Tertió. Ideó cognitio poſsibilium concurrit per ſe, quia connectuntur cum Omnipotentia comprehenſivè cognita, & quia repręſentantur in Verbo; ſed eandem connexionem habent futura poſito decreto, eoque poſito repræſentantur in Verbo; ergò hoc modo Verbum procedit per ſe ex cognitione futurorum.

[†]

Proponitur ſolutio argumentorum.

§. IV.

23 OPPONIT Primò Doctiſs. Silva contra primam concluſionem D. Thomam 1. part. quæſt. 34. artic. 1. ad 3. vbi ait: *Pater intelligendo ſe; & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura*; ergó per ſe procedit ex cognitione omnium creaturarum. Nec ea verba *omnis creatura* limitari poſſunt ad creaturas poſsibiles, ſciebat enim D. Thomas dari creaturas poſsibiles, & futuras; & tamen pronunciat abſolutè *omnis creatura*; ergó.

24 Secundò. Cognitio ex qua per ſe procedit Verbum eſt comprehenſiva, & infinita; at comprehenſiva, & infinita non eſſet, ſi futura non cognoſceret, aliquid enim lateret cognoſcendum; ergò eſt comprehenſiva futurorum; ergò Uerbum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiva futurorum. Rurſus. Verbum divinum per ſe exigit repræſentare futura, cúm etiam eius repræſentatio ſit comprehenſiva, & infinita, aliás non eſſet debita æqualitas inter Patrem, & Filium, nec inter repræſentationem Uerbi, & cognitionem Patris; ergò.

25 Ad argumentum conceſſa authoritate vt iacet. Diſtinguo conſequens. Ergò per ſe procedit ex cognitionem creaturarum iuxtá conditionem cognitionis, concedo conſequentiam. Aliter, nego conſequentiam. Nam cognitio creaturarum poſsibilium eſt abſoluta, & neceſſaria, ideóque Verbum per ſe procedit ex earum cognitione ſecundúm ſuam perfectionem abſolutam, & neceſſariam: cognitio verò futurarum, ſivé exiſtentiam, eſt contingens, & libera, ideóque Uerbum per ſe procedit ex earum cognitione ſecundúm repræſentationem liberam, & contingentem. Ad ſecundùm conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Si futura non cognoſceret ſuppoſito decreto, concedo minorem. Eo ſublato, nego minorem. Et eodem modo occurrendum eſt ad aliam impugnationem. Nam ſe cluſo decreto cognitio in Patre, & repræſentatio in Uerbo eſſet infinita, & comprehenſiva, quia & Pater cognoſceret omne cognoſcibile ex vi eſſentiæ, & Omnipotentiæ, Uerbumque repræſentaret omne repræſentabile, nam futura ſublato decreto nullam connexionem haberent cum Omnipotentia.

26 Dices. Ideò cognitio Omnipotentiæ non eſt comprehenſiva non cognitis poſsibilibus, quia habent neceſſariam connexionem cum Omnipotentia; ſed eandem connexionem habent futura poſito decreto; ergò ſicut Uerbum procedit per ſe ex cognitione poſsibilium, ita re ipſa, & de facto: exiſtente decreto procedit per ſe ex cognitione futurorum. Reſpondeo conceſſis præmiſsis, diſtinguendo conſequens. Sicut procedit per ſe ex cognitione poſsibilium abſolutè, ita ex cognitione futurorum ſecundúm repræſentationem contingentem, concedo conſequentiam. Aliter, nego conſequentiam. Itaque ſuppoſitio decreti ſolúm ponit de novo in Verbo repræſentationem contingentem creaturarum, quæ determinantur per decretum, quaré ſolùm probatur procedere per ſe ex cognitione futurorum ſecundúm repræſentationem contingentem.

27 Arguitur ſecundó. In Patre pro priori originis ad Filium nulla ſupponitur ſcientia futurorum; ergó Uerbum nequit procedere ex ſcientia futurorum. Antecedens probatur. Prior eſt generatio Filij, quàm futurorum ſcientia, quoniam in Deo omne liberum ſupponit omnia prædicata neceſſaria iam exiſtentia; ſed generatio Verbi eſt ſummè neceſſaria, ſcientia autem futurorum libera; ergó prior eſt generatio Uerbi, quàm futurorum ſcientia. Confirmatur primò. Scientia libera innititur decreto; at in Patre pro priori ad generationem Uerbi nullum ſupponitur decretum; ergò nec ſcientia libera. Minor probatur. Decreta libera ſunt immediatè ab omnibus perſonis, ſicut & omnis operatio ad extra; quæ eſt communis toti Trinitati, atque adeó Trinitatem ſupponit; ergò in Patre pro priori originis ad alias perſonas nullum ſupponitur decretum liberum.

28 Confirmatur tertiò. Si in Patre pro primo ſigno originis ſupponerentur decreta, & operationes ad extra, nihil decernendum, & operandum ſupereſſet cæteris

per-

perſonis prō poſteriori originis; immó decreta libera iam elicita á ſolo Patre non eſſent libera cæteris perſonis, cum ſupponerentur iam exiſtentia, nec à Filio, & Spiritu Sancto poſſent impediri; ergò de primó ad vltimum nullum ſupponi poteſt decretum liberum in Patre; ergó nec ſcientia libera, quæ in decreto fundatur; ergò Verbum divinum procedere non poteſt ex ſcientia libera futurorum.

29 Eminent. Aguirre diſput. 67. ſect. 6. conatur oſtendere decreta libera præcedere in Patre pro priori originis ad Verbum. Sed oppoſitum prædictis impugnationibus meo iudicio demonſtratur. Undè ad argumentum ex dictis, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Prior eſt generatio Filij quoad eſſentialia, & perſonalia, concedo maiorem. Quoad repræſentationem liberam, & contingentem, nego maiorem. Quaré ex hoc argumento tantùm probatur prius intelligendam eſſe ratione noſtra generationem Filij activam, & paſſivam, quàm repræſentationem liberam futurorum ex parte Verbi, quod libenter concedimus, cum quo cohæret vt præcedat in Patre ſcientia libera ad productionem Verbi quoad repræſentationem liberam futurorum.

30 Ad primam confirmationem conceſſa maiori. Diſtinguo minorem. In Patre pro priori originis nullum ſupponitur decretum activè, concedo minorem. Obiectivè, negò minorem, & conſequentiam. Nam licèt decreta libera non ſint elicita á Patre pro primo ſigno originis propter dicta in argumento, nihilominùs iam Pater ea intuetur vt elicita pro poſteriori à tota Trinitate: vt patet in proceſsione Spiritu Sancti, quæ eſt poſterior, & tamen Pater pro eo priori originis eam intuetur, & Filius procedit ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti conſentientibus Adverſarijs: ad ſcientiam ergò liberam Patris pro primo ſigno originis opus non eſt, quod ſupponantur decreta iam elicita pro eodem ſigno, ſed quod cognoſcat futura pendentia á decretis liberis exiſtentibus pro poſteriori, & in toto inſtanti. Contra quam doctrinam non vrgent aliæ impugnationes, quia fatemur decreta libera eſſe immediatè à tota Trinitate.

31 Dices. Scientia libera in Patre iuxtá dicta ſupponit generationem Verbi quoad eſſentialia, & perſonalia, & conſequenter proceſsionem Spiritus Sancti in eodem ſenſu; ergó ſupponit perſonas iam exiſtentes; ergò non eſt á ſolo Patre, ſed ab omnibus perſonis; ſed ſcientia, ex qua procedit Verbum eſt à ſolo Patre; ergò Uerbum non procedit ex ſcientia libera futurorum. Reſpondeo ſcientiam liberam ſupponere ratione noſtra omnes perſonas quoad neceſſaria, & eſſentialia, atque adeò eſſe immediatè ab omnibus, cum quo tamen cohæret, vt eadem ſcientia, vel cognitio, quæ eſt immediatè ab omnibus perſonis, proút in Patre ſit fœcunda ad producendam repræſentationem actualem in Filio, vt §. antecedenti dictum eſt.

32 Ex quibus ſecundò ad impugnationes factas reſponderi poteſt in Patre pro priori originis ad Verbum ſecundùm repræſentationem liberam, & contingentem ſupponi decreta libera, non ſolùm obiectivè, ſed activè, quia cum ſupponat perſonas alias iam productas ſecundùm eſſentialia, & neceſſaria, poterunt elici immediatè ab omnibus perſonis, & ita à Patre cognoſci futura cognitione fœcunda, & producente in Filio repræſentationem liberam; numquam tamen eſt concedendum decreta libera ſupponi in Patre iam elicita pro priori originis ad Filium abſolutè, vt ita Pater poſsit ea communicare Filio, vt contendit Cardinalis Aguirre.

33 Dices. Ergó iam decreta libera non præcedunt in Patre pro priori originis ad abſolutam proceſsionem Filij; ergò decreta liberá ſunt in Filio, & non communicata à Patre; ergó non omne, quod eſt in Filio eſt communicatum à Patre, atque adeò corruit ratio probativa concluſionis facta ex Conc. Florentino. Reſpondeo rationem factam ſubſiſtere, propoſitionemque Concilij eſſe veram in omnibus, non tamen eodem modo; omnia namque, quæ ſunt in Filio formaliter ſunt communicata in actu ſecundo à Patre, & ita communicatur repræſentatio formalis, & actualis futurorum: ea tamen, quæ ſunt in Filio activè, communicantur à Patre in virtute, & quaſi in actu primo, quatenus communicatur eſſentia, & voluntas, media qua Filius ſimul cum alijs perſonis elicit decreta libera; & quantum ad hoc

mihi maximè arridet doctrina Patris Suarez, quam probat, & ſequitur Maſtrius.

34 Arguitur tertiò. Si Verbum divinum ſecundùm expreſsionem liberam procederet ex cognitione futurorum, pariter Spiritus Sanctus ſecundùm terminationem liberam procederet ex eorum amore; ſed hoc repugnat; ergò, & quod Verbum procedat ex cognitione futurorum. Minor probatur. Si Spiritus Sanctus in aliquo ſenſu procederet ex amore futurorum, prior eſſet proceſsio Spiritus Sancti, quam proceſsio Uerbi in eodem ſenſu; ſed hoc dici non poteſt; ergò. Sequela probatur. Ideò proceſsio Uerbi quoad eſſentialia eſt prior proceſsione Spiritus Sancti, quia illa eſt per actum intellectus, hæc autem per actum voluntatis; illa quidem per cognitionem, quæ eſt prior volitione; ſed in liberis res aliter ſe habet, quia in his prius eſt volitio, quàm cognitio, quoniam voluntas eſt prima radix libertatis, ideòque futura cognoſcuntur futura, quia ſunt futura ex vi decreti, & actus voluntatis; ergò ſi Spiritus Sanctus quoad terminationem liberam procedit ex volitione libera futurorum; & Verbum ex eorum libera cognitione, priùs erit in hoc ſenſu proceſsio Spiritus Sancti, quàm proceſsio Filij; at in nullo vero ſenſu dici poteſt proceſsionem Spiritus Sancti præcedere proceſsionem Filij; nam ſi in aliquo vero ſenſu Spiritus Sanctus præcederet Filium, in eo ſenſu Spiritus Sanctus non procederet à Filio, & conſequenter Filius procederet à Spiritu Sancto, vt ſæpè argumentatur S. Anſelmus libro de proceſsione Spiritus Sancti; ergò dicendum eſt in nullo ſenſu Spiritum Sanctum procedere ex amore libero futurorum; & conſequenter nec Verbum ex eorum cognitione libera.

35 Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, nego ſequelam [quam alij concedere in dicto ſenſu non renuunt.] Ad probationem dico volitionem liberam tribus perſonis communem antecedere cognitionem liberam propter dicta in argumento: attamen ea volitio communis toti Trinitati non eſt fœcunda ad intra, nam terminatio libera Spiritus Sancti producitur ab amore, vel volitione ſolius Patris, & Filij; hæc autem eſt poſterior tatione noſtra cognitione libera, ex qua præcedit Uerbum ſecundùm expreſsionem liberam futurorum. Unde tota ſeries proceſsionum ſic ſe habet. Pater ex cognitione eſſentiæ, perſonarum, & creaturarum poſsibilium producit Verbum: Pater, & Filius iam productus mutuò ſe amantes producunt Spiritum Sanctum ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale, & neceſſarium. Tres divinæ Perſonæ iam exiſtentes decernunt liberè futura. Undè Pater cognitis futuris producit in Filio expreſsionem, & repræſentationem liberam. Pater tandem & Filius amore notionali ſecundùm expreſsionem liberam producunt terminationem liberam in Spiritu Sancto; quarè in nullo ſenſu Spiritus Sanctus præcedit Filium.

((§))

TRAC-

TRACTATUS VII.

De Perſona Spiritus Sancti.

DIVINITATEM Spiritus Sancti contra Macedonianos, eiuſque realem diſtinctionem contra Sabellium, & Aſſeclas, tract. 1. tùm authoritate: tùm ratione oſtenſum eſt. Cur autem illius proceſsio non ſit generatio? Tract. 2. dub. 6. lato calamo exponere curavimus. An autem procedat ex amore poſsibilium ex Tract. antecedenti ſatis conſtat. Vndè in præſenti ad alia, aut graviora, aut vtiliora deſcendimus, de quibus Anſelmus Parens toto Opuſculo de *Proceſsione Spiritus Sancti*. Etenim Sanctiſsimus Doctor quantum pro Eccleſia laboraverit, quanta eloquentia, & rationum pondere fidem Catholicam erga Proceſsionem Spiritus Sancti, & promovere, & ſtabilire curaverit ex Concilio Barenſi, in quo acriter contra Græcos pugnavit, & illuſtrem victoriam reportavit, apertiſsimè conſtat; de quibus videndus eſt Edmerus occulatus teſtis in Hiſt. Novorum. Uvillelmus Malmesburienſis lib. 1. de Geſtis Anglorum Pontificum. Odericus Vitalis lib. 10. Hiſt. ad annum 1098. Uvillelmus Gemmeticenſis lib. 6. Hiſt. Normannorum. Theophilus Raynaudus t. xi. in Syntaxi, & alij plures. Sed & præcipuè legendum Opuſculum, ſive liber eiuſdem Sanctiſsimi Doctoris de *Proceſsione Spiritus Sancti*, quem ſupra Scholijs illuſtrare curavimus, & in quo ſcripto edidit, quæ ore tenus (vt ipſe fatetur) in Concilio diſputaverat: ibi enim Lector inveniet: tùm authoritatum pondera: tùm rationum momenta, quibus Græcorum petulantia repreſſa, fides firmata, ac veritas Catholica tunc definita fuit ipſis Græcis conſentientibus; quamquam in poſterum iterùm á recta fide defecerint.

[†]

DVBIVM I.

Cur nomine Spiritus Sancti, *& amoris ſignificetur tertia in Trinitate perſona?*

§. I.

1 CIRCA Perſonam, proceſsionemque Spiritus Sancti taliter humana ratio caligat, vt non modò in ſubſtantia, ſed etiam in vocibus difficultate laboret: nominatur enim tertia perſona *Spiritus Sanctus*, quod nomen eſt cæteris perſonis commune: eius origo dicitur *Proceſsio*, cùm etiam generatio Verbi, proceſsio dicatur, & ſit: tandem appellatur *amor*, cum nomen *amoris* magis proprium ſit actionis, quàm termini: Quapropter opere pretium duxi priùs exponere vocabula, vt rem ipſam commodiùs explorare valeamus.

2 Etenim Spiritus Sancti nomen ſumi poteſt complexè, vel incomplexè: primo modò eſt nomen commune, & hoc ſenſu dixit Anſelmus *de fide Trinitatis*. Cap. 3. *Nomen Spiritus Sancti non eſt alienum à Patre, & Filio, quia vtèrque eſt, & Spiritus, & Sanctus*: Secun-

do modo eſt nomen perſonæ : quo ſenſu dixit idem Anſelmus lib. *de Proceſs. Spiritus S.* cap. 1. *Quando Spiritus nominatur, quia non abſolutè, ſed Spiritum Dei intelligimus, monſtratur eſſe, qui de aliquo procedit.* Item. Primo modo *Spiritus* dicitur à *ſpiritualitate*, quæ omnibus convenit perſonis : ſecundo modo à *ſpirari*, & eſt nomen perſonæ procedentis per modum amoris : vndè in Sacra pagina nomine *Spiritus* [vt optimè notat Hilarius lib. 8. de Trinit.] aliquando ſignificatur Pater : vt cùm dicitur Iſaiæ 61. & Luc. 14. *Spiritus Domini ſuper me*: aliquando de Filio, vt cum dicitur Math. 12. v. 28. *In ſpiritu Dei ejcio dæmonia* : aliquando de Spiritu Sancto, vt cum dicitur Act. 2. v. 17. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Quapropter ſolùm de tertia perſona intelligitur, quando *pro relativo nomine ponitur*, vt inquit Anſelmus dicto cap. 1. de proceſsione Spiritus Sancti.

3 Nomini *Spiritus* additur *Sanctus*, quia licèt ſanctitas ſit etiam cæteris perſonis communis, nihilominùs ſpeciali titulo applicatur tertiæ Trinitatis Perſonæ, quia vt docet D. Thomas in 1. diſt. 10. q. 1. a. 4. ad 4. Verbum procedit per modum naturæ, quæ ſemper eodem modo operatur: at Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quæ non ſemper eodem modo operatur, *& ideò convenienter ſanctitas, quæ rectitudinem voluntatis importat, adiungitur proceſsioni amoris, & non generationi, quæ eſt opus naturæ.* Ex quibus facilè colligitur tertiam Trinitatis Perſonam optimè nuncupari Spiritum Sanctum incomplexè, & nomine relativo. Rationem autem, cur tertia perſona præ alijs appelletur nomine communi, tradit ſatis congruam Anſelmus in Monol. c. 57. ibi: *Spiritus Sanctus ex eo, quod eſt communio Patris, & Filij, non abſque ratione quaſi proprium aſſumere poſſe videtur aliquod nomen, quod Patri, Filioque commune ſit.*

De nomine amoris.

§. II.

4 NOMEN *Amor* dici etiam poteſt eſſentialiter, & notionaliter, nam ſicut in humanis nomine Amoris, non ſolùm ſignificatur actus voluntatis, ſed etiam terminus à voluntate productus; ſic in divinis datur amor, quo tres divinæ Perſonæ ſe invicem amant; & vlteriùs datur terminus á Patre, & Filio amando productus, qui eſt Spiritus Sanctus, tertia in Trinitate Perſona, quare amor ſumptus pro actu voluntatis dicitur eſſentialiter : ſumptus pro termino dicitur notionaliter, & perſonaliter: nam ſicut per actum intellectus intelligentis, & dicentis producitur Verbum manens in intelligente, & dicente; ita per actum voluntatis producitur amor manens in ipſo amante : ac tandem ſicut Verbum in divinis non eſt accidens, ſed perſona ſubſiſtens ſubſtantialis Patri, ita amor eſt per ſe ſubſiſtens, & conſubſtantialis Patri, & Filio; etenim docente Anſelmo in Proſol. c. 23. Deus non poteſt producere amorem ſibi imparem, ſed omninò æqualem, nam de principio ſummè ſimplici procedere non poteſt aliud, quám terminus, qui ſit idem in ſubſtantia cum principio. Ibi: *Hoc ipſum eſt amor vnus, & communis tibi, & Filio tuo, quia tantum amas te, & illum, & ille te, & ſe ipſum, quantum es tu, & ille : nec aliud à te, & ab illo, quod diſpar non ſit tibi, & illi : nec de ſumma ſimplicitate poteſt procedere aliud, quàm quod eſt hoc, de quo procedit.*

5 Dices. Iuxtà hanc Anſelmi doctrinam Spiritus Sanctus æquali amore amat Patrem, & Filium, ſicut & ipſi amant Spiritum Sanctum; ſed Pater, & Filius amando producunt amorem, qui dicitur Spiritus Sanctus; ergò Spiritus Sanctus pariter amando pari titulo producit alium amorem; vndè etiam Spiritus Sanctus erit fœcundus, aliumque Spiritum Sanctum producet. Reſpondeo, quod ſicut Pater intelligendo producit Verbum, quod dicitur Filius, non tamen Filius, quamquàm intelligat, alium Filium, vel aliud Verbum producit; ita Pater, & Filius amando producunt amorem, qui dicitur Spiritus Sanctus: attamen Spiritus Sanctus, quamquam amet, non ideò alium amorem producit.

Ra-

Ratio vtriuſque eadem eſt, quia Uerbum intelligit eſſentialiter, non notionaliter; non tanquàm id, á quo procedit Uerbum, ſed tanquam Verbum procedens: & tandem non producit Verbum, non ex defectu virtutis ex parte recti, ſed ex defectu connotati; & ex repugnantia alterius verbi, cum Uerbum procedens ſit infinitum: ſic ſimiliter reſpectu Spiritus Sancti.

DVBIVM II.

An Spiritus Sanctus de Filio procedat.

§. I.

1 AD Propoſitam controverſiam dirimendam ſpecialitèr collimat totus liber S. Anſelmi de Proceſsione Spiritus Sancti contra Græcos, qui quanquàm primis Eccleſiæ ſæculis in eadem eſſent ſententia cum Latinis, quatuor tamen elapſis ſæculis Theodoretum eam negaſſe conſtat, qui tamen anno 451. in Chalcedonenſi Concilio reconciliatus eſt. Theodoreti errorem, non pœnitentiam, ab orco revocavit Photius Romanæ Eccleſiæ infenſus hoſtis anno 864. qui cum in Eccleſia Orientali primas partes ageret maximam Orientalium partem in ſuam perduxit ſententiam, ac in poſterum inter Latinos, & Græcos acri contentione peractum eſt vſque ad tempus Vrbani II. ex ordine S. Benedicti ad Pontificatum aſſumpti, qui ad hanc veritatem ſtabiliendam, & Orientalem Eccleſiam reconciliandam Concilium indixit Barenſe, cui interfuit Anſelmus, primaſque in eo partes habuit, vt ſupra dictum eſt. Quapropter in præſenti nonnulla tantùm perſtringere curabimus teſtimonia, ac rationum momenta, quibus motus fuit Anſelmus ad hanc veritatem oſtendendam, & de quibus operoſius in Scholijs actum eſt.

[§]

Proceſsio Spiritus Sancti à Filio diverſimodè oſtenditur.

§. II.

2 DIcendum Spiritum Sanctum de Filio, ſicut de Patre procedere. Eſt Fidei Catholicæ dogma, quod probat Anſelmus varijs Scripturæ teſtimonijs, præſertim cap. 9. ex Ioanne 15. ℣. 26. vbi Chriſtus ait: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*; ergo Spiritus Sanctus ita eſt miſſus à Patre, vt etiam Filius mittat; ergo miſsio activa eſt Patris, & Filij; ergo & proceſsio. Patet conſequentia, quia Spiritus Sanctus ab eo procedit, à quo mittitur, ſed mittitur à Patre, & Filio; ergo ab vtroque procedit. Confirmat eandem rationem ex illo Ioan. 14. ℣. 26. Paraclitus *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; ergo Spiritus Sanctus mittitur à Patre in nomine Filij; ergo & mittitur à Filio.

3 Reſpondent Græci hic tantùm ſignificari Spiritum Sanctum eſſe miſſum à Patre ſub nomine Filij, quia Spiritus Sanctus vt miſſus ad creaturas denominatur *Filius*. Sed hoc effugium reijcit Anſelmus vt prorſus voluntarium, quia nunquam in Sacra Pagina legitur Spiritum Sanctum denominari filium. Secundò. Quia hæc ſolutio nec ſpecie tenus applicari poteſt prioribus verbis: *Quem ego mittam vobis à Patre*, vbi expreſsè ſignificatur Filium mittere Spiritum Sanctum. Tertiò. Quia ſi Spiritus Sanctus miſſus à Patre denominatur *Filius*; ergo miſſus à Filio, vt expreſsè ſignificatur per ea verba: *Quem ego mittam*, denominaretur filius Filij, quod nec Græci dicere audebunt.

4 Confirmat aſſumptum ibidem. Sæpè legitur in Sacris litteris Filium dare, & mittere Spiritum Sanctum: nullibi legitur Spiritum Sanctum dare Filium. Sæpè legitur Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Filij: nullibi legitur Filium eſſe ſpiritum Spiritus Sancti; at hoc non aliter ita ſolicitè docere poteſt Scriptura Sacra, niſi vt oſtendat Spiritum Sanctum eſſe de Filio; ergo ex Sacris Litteris ſatis conſtat Spiritum Sanctum eſſe de Filio. Denique. Si Spiritus Sanctus non eſ-

ſet

ſet de Filio, non magis Spiritus Sanctus eſſet ſpiritus Filij, quàm Filius eſſet ſpiritus Spiritus Sancti; nec magis mitteretur Spiritus Sanctus à Filio, quàm Filius á Spiritu Sancto; at hoc dici non poteſt, alioquin tot Scripturæ teſtimonia ſupervacanea eſſent; ergo dicendum Spiritum Sanctum eſſe de Filio.

5 Reſpondent ſecundó Græci etiam Filium mittere Spiritum Sanctum, iuxta illud Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me; ad annunciandum manſuetis miſit me*; at non ideò Filius procedit à Spiritu Sancto; ergo ex eo, quod Filius mittat Spiritum Sanctum non probatur procedere de Filio. Sed contra. Quoniam Anſelmus non probat proceſsionem Spiritus Sancti, eo quod Spiritus Sanctus vtcumque mittatur á Filio, ſed quia mittitur à Filio *de ſua eſſentia*; quod probat ex illo Ioan. 10. *Omnia, qtæcumque habet Pater mea ſunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.* Quæ verba ita expendit Doctor Ang. opuſc. 1. contra errores Græcorum, cap. 32. *Ex hac Domini expoſitione de neceſsitate concluditur, quod Spiritus Sanctus à Filio accipiat. Si enim omnia, quæ ſunt Patris, ſunt etiam Filij, oportet, quod authoritas Patris, ſecundùm quam eſt principium Spiritus Sancti, ſit etiam Filij. Sicut ergo Spiritus Sanctus accepit de eo, quod eſt Patris, à Patre: ita accipit de eo, quod eſt Filij, à Filio. Hinc eſt, quod Athanaſius dicit in epiſtola ad Serapionem: De ſua propria eſſentia Spiritum Sanctum exiſtentem Deum de ſe eſſentialitèr ſuis Apoſtolis, & ſuæ ſponſæ Eccleſiæ demonſtrando Chriſtus affirmavit, ſic dicens: De meo accipit, ideſt, de mea eſſentia habet, vt ſit Deus, ſic à me habet eſſe, & loqui.*

6 Rurſus eandem rationem impugnat Anſelmus, eo quod in prædicta miſsione Filij ſermo procedit de miſsione temporali in ordine ad effectus ad extra, quæ miſsio eſt eſſentialis, & Trinitati communis; attamen in locis ab ipſo allegatis ſignificatur authoritas non in effectus, ſed in Spiritum Sanctum miſſum: vt optimè expēdit D. Thomas in 1. ad Annib. diſt. 15. quæſt. vn. a. 3. ita loquens: *Miſsio in diuinis duo importat, ſicut iam dictum eſt, ſcilicet, exitum miſsi à mittente; & ſic ſignificat, quod notionale eſt; commotat etiam nouum effectum in creatura; & ſic ſignificat, quod eſſentiale eſt.*

7 Reſpondent iterum Græci Spiritum Sanctum optimè dici ſpiritum Filij, quanquàm ab illo non procedat, quatenùs Pater dedit Filio virtutem ſpirativam Spiritus Sancti. Sed ex hac doctrina concludit Anſelmus intentum, quia ſi Pater dedit Filio virtutem ſpirativam Spiritus Sancti; ergo in Filio eſt virtus ſpirativa Spiritus Sancti; ergo ſpirat Spiritum Sanctum; ergo Spiritus Sanctus eſt à Filio tanquam à Spiratore, ſicut à Patre.

8 Probat vlterius Anſelmus id ipſum cap. 10. ex Ioan. 20. ℣. 22. vbi Chriſtus antequàm tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, *inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum*; ſed flatus ille ſenſibilis ex penetrabilibus corporis procedens, quo dedit Spiritum Sanctum, non aliud ſignificare potuit, quàm Spiritum Sanctum ex Filio procedentem: hæc enim expoſitio, præterquamquod litteræ apertè congruit, ex ipſa analogia, & ſimilitudine halitus ſenſibilis cum Spiritu Sancto clarè colligitur. Et ita interpretatur Auguſtinus, Mellifluuſque Bernardus allegati in Scholijs.

9 Si Græci reſpondeant non ſequi Spiritum Sanctum procedere de ſubſtantia Filij, ſicut nec flatus ſenſibilis erat eiuſdem ſubſtantiæ cum ſubſtantia humana Chriſti Domini. Contra inſurgit Anſelmus ex eo, quod hæc ſolutio evertit prima principia Fidei Chriſtianæ, quam & ipſi Græci profitentur, nimirùm Spiritum Sanctum non eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Filio, quod idem eſt, ac divinitatem Spiritus Sancti cum Macedonio negare, aut plures Deos introducere. Secundò inſurgit ex Pſalmo 32. ℣. 6. ibi. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, vbi per *ſpiritum oris* ab ipſis Græcis intelligitur Spiritus Sanctus; ergo per halitum ab ore Chriſti emiſſum oportet Spiritum Sanctum intelligere. Patet conſequentia, quoniam ſi verba prædicta materialiter accipiantur, non minus diſtat à Spiritu Sancto *ſpiritus oris*, quam halitus ſenſibilis. Tertiò. Impugnat eandem ſolutionem ex illo Iſaiæ 11. ℣. 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, vbi per *ſpiritum labiorum* omnes Spiritum Sanctum intelligunt; ergo pari titulo per *ſpiritus oris* Spiritus Sanctus intelligendus eſt: non enim aſsignari poteſt vel apparens diſparita-

paritatis ratio inter ſpiritum labiorum, & ſpiritum oris.

10 Reſpondent Græci per ſpiritum labiorum, non Spiritum Sanctum, ſed ſpiritum aereum, quo verba prædicationis formantur, fore accipiendum, quibus verbis interfecit impium, & impietatem avertit à corde hominum. Sed facilè hoc etiam effugium præcludit Sanctiſsimus Doctor, quoniam non halitus ſenſibilis, ſed Spiritus Sanctus intus operans impietatem avertit, vt conſtat ex illo Ezech. 36. ℣. 6. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri.* Præterquamquod nomine impij frequentius intelligitur Anti-Chriſtus; ſed ſive Anti-Chriſtus, ſive generaliter peccatum intelligatur, nemo ita inſanæ mentis erit (inquit Sanctus Doctor) vt virtutem illam interficiendi Anti-Chriſtum, vel expellendi peccatum attribuat halitui ſenſibili, ſed Spiritui Sancto intus agenti, & operanti humana voce concurrente duntaxat per modum inſtrumenti; ergo per ſpiritum oris, & per ſpiritum labiorum accipiendus eſt Spiritus Sanctus; ſicut etiam *Verbo Domini*, non verbum, aut vox ſenſibilis, ſed Verbum divinum intelligitur, quo Cœli firmati ſunt, & facta quæcumque facta ſunt. Et ita in toto eo libro de proceſsione Spiritus Sancti ex varijs Sacræ Paginæ locis ſatis expreſsis oſtendit Anſelmus Spiritum Sanctum à Filio procedere, ſed hæc indicaſſe ſatis relictis alijs videndis in Scholijs.

Proceſsio Spiritus Sancti varijs rationibus oſtenditur.

§. III.

11 DEmonſtrata ex Sacris Litteris proceſsione Spiritus Sancti à Filio, vlteriùs ratione ſuadetur ab eodem Anſelmo, c. 4. fere ſub hac diſſerendi formula Spiritus Sanctus diſtinguitur realiter á Filio; ergo vel Spiritus Sanctus procedit à Filio, vel Filius procedit à Spiritu Sancto. Antecedens concedunt Græci fatentes Trinitatem perſonarum. Conſequentia probatur. Omnis diſtinctio in divinis fundatur in proceſsione, ſive origine vnius perſonæ ab alia; ſed Spiritus Sanctus realiter diſtinguitur à Filio; ergo vel Filius procedit à Spiritu Sancto; vel Spiritus Sanctus procedit à Filio. Maiorem probaverat cap. antecedenti ex eo, quod in divinis omnia ſunt vnum vbi non obviat relationis oppoſitio; at relationis oppoſitio eſſe non poteſt ſine proceſsione, & origine vnius perſonæ ab alia, vt ibidem tradit Sanctiſsimus Doctor, & nos latè expendemus in ſequentibus; ergo nulla poteſt eſſe diſtinctio in divinis, niſi fundata in proceſsione, & origine; vel Filius procedit à Spiritu Sancto; vel Spiritus Sanctus à Filio; ſed Filius non procedit à Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus procedit neceſſariò á Filio. Antecedens præterquamquod á Græcis conceditur, vlterius probat Anſelmus. In divinis non ſunt niſi duæ proceſsiones; nimirùm generatio, & ſpiratio; at Filius non eſt genitus á Spiritu Sancto, alioquin eſſet Filius illius: nec item ſpiratur, aliàs eſſet ſpiritus eiuſdem Spiritus Sancti; ergo Filius nullo modo procedit à Spiritu Sancto; ſupereſt ergo vt Spiritus Sanctus procedat à Filio.

12 Confirmat id ipſum ibidem hoc diſcurſu. Negantes Spiritum Sanctum eſſe de Filio, neceſſariò affirmare debent, aut Spiritum Sanctum non eſſe Deum, aut habere divinitatem diſtinctam, quod vtrumque eſt hæreticum. Aſſumptum probat. Eactenus perſonæ divinæ ſunt vnum in divinitate, quatenús vna habet divinitatem communicatam ab altera per identitatem, vel alteri per identitatem communicat; at ſi Spiritus Sanctus non eſſet de Filio, nec haberet divinitatem communicatam á Filio, nec Filio divinitatem communicaret; ergo non eſſent vnum in divinitate, atque adeó vel Spiritus Sanctus non eſſet Deus, vel haberet diviuitatem diſtinctam à divinitate Filij: etenim ſi Spiritus Sanctus habet divinitatem non commuuicatam à Filio, nec communicatam Filio, neceſſe eſt, vt iuter vtrumque nulla ſit communicatio in divinitate, ac proindè divinitatem eſſe diſtinctam.

13 Confirmat ſecundò facta acuta collatione inter divinas perſonas. Si Pater referatur ad Filium, oportet Filium eſſe ex Patre, cum Pater non ſit ex Filio. Si fiat collatio inter Patrem, & Spiritum Sanctum, oportet Spiritum Sanc-

Sanctum eſſe ex Patre, quia Pater non eſt de Spiritu Sancto; ergo pari titulo ſi fiat collatio inter Filium, & Spiritum Sanctum oportet Spiritum Sanctum eſſe de Filio, cum Filius non ſit de Spiritu Sancto: quarè ſicut Filius non eſſet diſtinctus à Patre, ſi non eſſet de Patre; Spiritus Sanctus non eſſet diſtinctus á Filio, ſi non eſſe de Filio. Ratio omnium eſt, quia in divinis non eſt niſi Deus de Deo; aut Deus, de quo eſt Deus; cum ergo Spiritus Sanctus relatè ad Filium non ſit Deus, de quo eſt Deus Filius, conſequens eſt, vt ſit Deus de Deo Filio.

14 Omnia præiacta confirmat Anſelmus ex illo Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; at non accipiet à Filio, quaſi prius non habens, aliàs eſſet indigens, mutabilis, & non æternus; ergo ab æterno accepit á Filio, quod habet; ergo ab æterno habet Spiritus Sanctus eandem eſſentiam cum Filio communicatam à Filio. Quam rationem luculenter expendit Ang. Doctor quæſt. 10. de potentia, a. 4. per hæc verba: *Expreſsius autem eſt, quod habetur Ioan. 16. Ex perſona Filij de Spiritu Sancto dicentis*: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: *Conſtat autem quod non accipit à Filio Spiritus Sanctus, quia ſi prius non habens, quia ſic eſſet mutabilis, & indigentis naturæ; conſtat ergo, quod ab æterno accepit à Filio; nec potuit accipere aliquid, quod non ſit eius eſſentia ab æterno; ergo accepit Spiritus Sanctus à Filio eſſentiam ab æterno.*

15 Alia ratione deducta ex principijs Græcorum probat eandem veritatem Anſelmus cap. 22. Etenim iuxta Græcos Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Filij; at eſſe non poteſt ſpiritus Filij, niſi ab ipſo procedat; ergo procedit. Minor probatur duplici titulo poteſt aliquis dici alterius, vel *poſſeſsione*, vel *proceſsione*; at Spiritus Sanctus nequit eſſe ſpiritus Filij poſſeſsione; hoc enim importat maioritatem in poſsidente, & minoritatem in re poſſeſſa, vt patet in domino poſsidente ſervum, domum, aut rem aliam; cum ergo Spiritus Sanctus non ſit minor Filio, non poteſt dici ſpiritus Filij poſſeſsione; ergo ſolùm ſupereſt, vt ſit ſpiritus Filij proceſsione. Secundò. Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Filij, ſicut dicitur ſpiritus Dei; at non dicitur ſpiritus Dei, niſi quatenùs eſt Deus de Deo; ergo non dicitur ſpiritus Filij, niſi quatenùs eſt de Filio. Tertiò. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus, non quà Filius, ſed quà Deus, quoniam Filius vt filius non refertur ad Spiritum Sanctum; ergo non aliter dicitur ſpiritus Filij, niſi vt ſpiritus Dei; at non aliter eſt ſpiritus Dei, niſi vt Deus de Deo; ergo non aliter eſt ſpiritus Filij, niſi vt procedens à Filio tanquam à Deo. Denique. Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Patris, non quà Pater, quia Pater media paternitate non refertur ad Spiritum Sanctum; ergo quà Deus; ſed vt Deus eſt idem cum Filio; ergo eſt pariter à Filio, ſicut à Patre.

16 Eadem ratione vtitur D. Thomas quæſt. 10. de potentia, a. 4. ibi: *Reſtat oſtendere per authoritatem Sacræ Scripturæ, quod Spiritus Sanctus ſit à Filio. Habetur enim in pluribus Sacræ Scripturæ locis, quod Spiritus Sanctus ſit ſpiritus Filij: ſicut Roman. 8. Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et ad Galat. 4. Miſsit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra. Et Act. 16. Tentabant ire in Bithiniam, & non permiſsit eos ſpiritus Jeſu, &c. Aut ergo dicitur eſſe abſolutè eius; aut dicitur eſſe eius, vt ſpiritus eius? Si autem abſolutè. Tunc oportet, quod ſit aliqua authoritas Filij reſpectu Spiritus Sancti. Apud nos etiam poteſt aliquis dici eſſe alterius ſecundùm quid, qui non habet authoritatem reſpectu ipſius, ſicut cum dicitur Petrus eſt ſocius Ioannis; ſed non poteſt dici Petrus eſſe Ioannis abſolutè, niſi ſit quædam poſſeſsio eius; ſicut ſervus, hoc ipſum, quod eſt dicitur eſſe Domini. In divinis autem non poteſt eſſe aliquid ſerviens, vel ſubiectum, ſed intelligitur ibi authoritas ſecundùm ſolam originem: oportebit ergo quod Spiritus Sanctus habeat originem à Filio. Et idem ſequitur, ſi dicatur Spiritus Sanctus eſſe Filij, vt ſpiritus eius; quia ſpiritus ſecundùm quod eſt nomen perſonale, importat relationem originis ad ſpirantem, ſicut Filius ad generantem.*

17 Reſpondent Græci Spiritum Sanctum dici ſpiritum Filij, non poſſeſsione, nec proceſsione, ſed miſsione, quia Spiritus S. mittitur à Filio, ſicut à Patre. Sed hanc ſolutionem Græcorum facilè in Græcos retorquet Anſelmus. Ideó Græci criminantur Latinos aſſerentes Spiritum Sanctum procedere á Filio, quia id non legitur expreſsè in Scriptura; ſed modus ille, quo adſtruunt Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Patris, & non Filij, ſcilicet, *proceſsione*, nec in Scriptura legi-

tur,

tur, nec implicitè continetur, nec id aliqua ratione probant; cum é contrà proceſsio Spiritus Sancti à Filio ſæpiſsimé ſignificatur; ergo dicta ſolutione ſuam doctrinam evertunt.

18 Vlterius. Dum dicunt Filium mittere Spiritum Sanctum, vel ſignificant Filium mittere SpiritumSanctum *de ſua eſſentia* tanquam illius principium; vel tantùm vtcumque mittere miſsione temporali præcisè in ordine ad aliquos effectus ad extrà? Si primum. Aperte deducitur Spiritum Sanctum procedere à Filio, vt ſupra n. 4. dictum eſt. Si ſecundum. Non minus dicendus eſt Filius ſpiritus eiuſdem Spiritus Sancti, quàm Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus Filij, quandoquidem in hoc ſenſu ſicut Filius mittit Spiritum Sanctum, ita Spiritus Sanctus mittit Filium, vt & ipſi Græci argumentabantur ſupra n. 5. Cum igitur in Sacris Litteris ſæpiſsimè dicatur Spiritus Sanctus ſpiritus Filij, & non è contrà; apertè ſignificatur Spiritum Sanctum eſſe ſpiritum Filij non ſolùm miſsione vtcumque, ſive temporali, & in ordine ad effectus creatos, ſed miſsione *de ſua eſſentia*, quæ veram proceſsionem probat.

19 Adhuc occurrunt Græci aſſerentes Spiritum Sanctum dici ſpiritum Filij, quatenùs in Filio ſecundùm humanitatem inhabitat, ac Chriſtum pleniſsimè replet, vt in Sacra Pagina ſæpè legitur. Sed hanc etiam ſolutionem improbat Anſelmus; eaque relata clariſsimè reijcit Ang. Doctor quæſt. 10. de potentia, a. 4. per hæc verba: *Non enim poteſt intelligi, quod Spiritus Sanctus ſit ſpiritus Chriſti ſolùm ſecundùm humanitatem, quaſi ipſum replens: quia Spiritus Sanctus eſt alicuius hominis, vt habentis, non autem vt dantis. Filij autem eſt Spiritus Sanctus, vt dantis ipſum ſecundum illud* 1. *Ioan.* 4. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu Sancto dedit nobis. *Et Act.* 5. *dicitur, quod dedit Spiritum Sanctum obedientibus ſibi. Oportet ergo, quod dicatur Spiritus Sanctus Filij, in quantum eſt divina Perſona.*

20 Vltimò occurruut Græci aſſerentes Spiritum Sanctum dici ſpiritum filij, non quia ſit de Filio, ſed quia eſt á Patre per Filium, vt conſtat ex illo Roman. 11. V. 36. *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, nimirùm ex Patre per Verbum, & in Spiritu Sancto: quod exponunt exemplo lacus, qui eſt de fonte per rivum. Sed hanc evaſionem acutè, & eleganter impuguat Anſelmus, cap. 10. & 11. vbi inter alia inquit: *Quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ab ipſo Verbo: ipſum namque Verbum dicit*: quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit Ioan. 5. 19. *Dicamus igitur, quia Spiritus Sanctus, cum procedit à Patre per Filium, procedit & à Filio ſimiliter, ſicut quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo.* Optimè ergo cohæret Spiritum Sanctum eſſe á Patre per Filium, & eſſe de Filio: ſicut optimè cohæret omnia creata eſſe à Patre per Uerbum, & eſſe à Uerbo: quarè Græcis fatentibus Spiritum Sanctum eſſe de Patre per Filium tota controverſia devolvitur ad modum loquendi; vt tandèm ingenuè profeſsi ſunt in Concilio Florentino ſeſſ. vlt. in litteris vnionis ſic loquentes: *Nos Græci declaramus illud, quod nos aſſerimus Spiritum Sanctum à Patre procedere, non ea mente à nobis proferri, vt Filius excluderetur, à quo non negamus Spiritum Sanctum æternum proceſsiſſe, ſuamque eſſentiam derivaſſe, æquè, ac à Patre; ſed quia ſuſpicabamur Latinos affirmaſſe Spiritum Sanctum à Patre, & Filio promanaſſe, tanquam à duobus fontibus, & duabus Sacroſanctæ Trinitatis ſpirationibus; ideò ab hoc loquendi modo, & in eo ſenſu Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedentem dicere cavimus.* Quæ maximè notanda, vt appareat cum quanta cautela adhuc in vocibus procedendum ſit in altiſsimo Trinitatis Myſterio, quoniam Græci in modo loquendi duntaxat á Latinis diſsidentes tandem à recta fide turpiter defecerunt.

21 Quod autem additur, *in ipſo*, nimirùm, in Spiritu Sancto, *facta ſunt omnia*, ſolita modeſtia ſcrupuloſum vocat Anſelmus, nam ſi Spiritus Sanctus numeratur inter omnia, quæ facta ſunt à Patre per Verbum excluditur Spiritus Sanctus à principio faciente cum Patre, & Verbo, atque adeò Spiritus Sanctus numerandus erit inter facta, & creata. Alia plura videnda in Scholijs hic brevitatis cauſa libenter omittimus, ne actum agamus; ibi etiam conſtat aperta diſparitas ad exemplum lacus procedentis à fonte per rivum.

***

Græ

Græcorum impugnationes enervantur.

§. IV.

22 OPPONUNT Græci primò. Si re ipſa Spiritus Sanctus procederet à Filio, Scriptura de ea proceſsione loquens id affirmaret; ſed id non affirmat; ergo non procedit. Patet conſequentia, quia de divinis perſonis non licet aliter aſſerere, niſi ſecundùm id, quod in Sacris Litteris exprimitur. Minor autem probatur. Nullum teſtimonium producitur, nec produci poteſt, quo id expreſsè dicatur. Immò oppoſitum ſæpè exprimitur, vt patet ex illo Ioan. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Confirmatur, quia in primis Concilijs generalibus duntaxat definitur Spiritum Sanctum à Patre procedere: immò in prima Synodo Epheſina, can. 7. prohibetur aliam fidem profiteri, præter eam, quæ in Synodo Nicęna traditum erat, vbi ſolùm dicitur: *Credimus... Et in Spiritum Sanctum à Patre procedentem*; ergo credenda non eſt proceſsio Spiritus Sancti à Filio.

23 En argumentum, quod Photius Romanæ Eccleſiæ infenſus hoſtis vocat *acutum, & inevitabile telum.* Sed Anſelmus acutè retorquet in Emiſſarios. Nam plura certa fide creduntur, & ab ipſis Græcis, quæ Sacra Pagina expreſsè non tradit, vt patet de deſcenſu Chriſti ad Inferos, & alijs relatis in expoſitione Litteræ, quæ hic repetere non oportet, ſed duntaxat notandum plura doceri in Sacris Litteris non verbis, ſed ſenſu: plura pariter, non explicitè, ſed implicitè. Plura etiam in Sacra Pagina attribuuntur determinatæ perſonæ, quæ ei conveniunt ex proprietate perſonali, & hæc de alijs perſonis prædicari non poſſunt: plura dicuntur de aliqua perſona determinata, quæ ei conveniunt ex ratione communi, & hæc de alijs etiam prædicantur, quanquàm ponatur particula aliqua excluſiva: quam doctrinam confirmat Anſelmus toto libro de proceſsione Spiritus Sancti pluribus exemplis apud ipſos Græcos notiſsimis.

24 Præſertim cap. 19. ex illo Matth. 16. *Beatus eſt Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus.* En qualiter revelatio attribuitur ſoli Patri, cum certum ſit cæteris convenire perſonis, vtpotè opus ad extra. Secundò ex illo Matth. 10. *Nemo novit Filium niſi Pater.* En qualitèr cognitio filij attribuitur ſoli patri cum paticula excluſiva; ſed non ideò Græci negant Spiritum Sanctum Filium cognoſcere. Item. *Neque Patrem, quis novit, niſi Filius?* At hoc non obſtante fatentur etiam Spiritum Sanctum cognoſcere Filium. Denique. *Et cui voluerit Filius revelare*, vbi revelatio, quæ de ſolo Filio dicitur, cæteris convenire perſonis certiſsimum eſt. Tertiò confirmat ex illo Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem*; vbi nulla fit mentio Spiritus Sancti; cum tamen Spiritus Sanctus excludendus non ſit ab obiecto viſionis beatificæ. Denique. Ex illo Ioan. 16. *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* At Spiritus Sanctus non docet veritatem ſine Patre, & Filio, quanquàm de ſolo Spiritu Sancto mentio facta ſit.

25 Id ipſum docuerat cap. 28. ex illo Ioan. 17. V. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolùm verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum*, vbi Chriſtus alloquens Patri ponit vitam æternam in cognitione Patris, cui ſoli attribuit miſsionem ad extra; at certum eſt vitam æternam ſitam eſſe in cognitione totius Trinitatis, ſicut & toti Trinitati conveniunt operationes ad extra; hæc omnia, & alia plura, quanquam de vna perſona dicantur, cæteris convenire certum eſt; ergo etſi tantùm diceretur expreſsè in Sacris Litteris Spiritum Sanctum à Patre procedere, non ideò negandum eſſet procedere à Filio. Patet conſequentia, ideò enim primum eſt verum, quia id, quod de perſona determinata dicitur, non convenit ei ex proprietate perſonali, ſed communi; at Spiritus Sanctus non procedit ex relatione paternitatis, vt omnibus certum eſt; ergo non convenit ei ſpirare Spiritum Sanctum ex propria conditione perſonali Patris.

26 Denique retorquet argumentum Anſelmus ex eodem Symbolo Nicæno; quod (vti par eſt) Græcis in ſumma veneratione eſt. In eo namque Concilio creatio viſibilium, & inviſibilium attribuitur ſoli Patri: ibi. *Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem, viſibilium, & inviſibilium factorem, &c.* At

non

non ideó Græci dicunt solum Patrem esse factorem, & creatorem omnium visibilium, & invisibilium; ergo etsi in eo Concilio, aut alijs, solùm dicatur Spiritum Sanctum à Patre procedere, non ideó asserere debent non procedere à Filio.

27 Sed & Lectori molestum non erit audire confirmationem expressam totius doctrinæ ex Ang. Mag. 4. contra Gent. cap. 25. vbi de prædicto argumento Græcorum hanc pronunciat sententiam: *Sed hoc omninò frivolum est. Nam propter vnitatem essentiæ, quod in Scripturis de vna persona dicitur, & de alia oportet intelligi, nisi repugnet proprietati personali ipsius, etiam si dictio exclusiva adderetur. Licèt enim dicatur Matth. 11.* Quod nemo novit Filium nisi Pater, *non tamen à cognitione Filij, vel ipse Filius, vel Spiritus Sanctus excluditur. Undè etiam si diceretur in Evangelio, quod Spiritus Sanctus non procedit nisi à Patre, non per hoc removeretur, quin procederet à Filio, cum hoc proprietati Filij non repugnet, vt ostensum est. Nec est mirum, si Dominus Spiritum Sanctum à Patre procedere dixit, de se mentione non facta, quia omnia ad Patrem referre solet, à quo habet, quidquid habet: sicut cum dixit Ioan. 7.* Mea doctrina non est mea, *sed eius, qui misit me Patris; & multa huiusmodi in verbis Domini inveniuntur ad commendandam in Patre authoritatem principij. Nec tamen in authoritate præmissa omninò obticuit se esse Spiritus Sancti principium, cum dixit eum spiritum veritatis; se autem prius dixerat veritatem.*

28 Respondent Græci omnia prædicta verificari de omnibus personis, quia licèt in vno loco legantur de solo Patre, in alijs de cæteris personis quoque leguntur: é contrà verò processio Spiritus Sancti ita soli Patri attribuitur, vt nusquàm legatur procedere de Filio. Sed præterquamquod processio Spiritus Sancti de Filio pluribus Sacræ Paginæ testimonijs probata manet, eo tamen dato præcludit dictum effugium Anselmus cap. 20. ex dicto loco Ioan. vbi Christus de Patre ait: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum*; & nusquam legitur: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te Spiritum Sanctum.* Nunquid propterea excludendus erit Spiritus Sanctus à vita æterna, sive ab obiecto visionis beatæ? Item. In Sacra Pagina nunquàm legitur *Deum vnum esse tres personas. Deum vnum esse Trinitatem. Deum esse de Deo.* Immò nec in Symbolo Niceno legitur nomen *personæ*: nec nomen *Trinitatis*, quæ tamen omnia catholicè confitemur, sed confitentur & Græci; ergo pariter in præsenti.

29 Opponunt secundò. Pater aut est sufficiens principium Spiritus Sancti, aut insufficiens? Secundum dici non potest; ergo dicendum est primum; ergo solus Pater, & non Filius producit Spiritum Sanctum, quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora, præsertim in Deo vbi nihil est frustrà. Secundò. Pater non minus potens est ad spirandum, quàm ad generandum; sed Pater se solo concurrit ad generationem Filij; ergo & ad spirationem Spiritus Sancti. Tertiò. Spiritus Sanctus est vnus, & summè simplex; ergo habere debet vnum principium, non duo. Quartò. Spiritus Sanctus vna spiratione procedit, non duabus; ergo ab vno principio, non duobus.

30 Respondeo Patrem esse sufficiens principium Spiritus Sancti, sed per voluntatem, quæ est vnica in Patre, & Filio, & in vtroque fecunda, atque adeò ab vtroque necessariò procedit. Ad secundum concessis præmissis, nego consequentiam, quia processio per modum amoris exigit duo, tametsi non vt duo, sed vt vnum principium spirativum spirans eodem influxu, atque adeó non sunt duo principia, nec duæ spirationes, sicut nec duplex virtus spirativa; sicut etiam in operationibus ad extra, quanquàm tres divinæ personæ concurrant, non tamen sunt tres creatores, sed vnus Creator. Verùm de hoc operosius dubio sequenti per quod constat ad tertiam, & quartam impugnationem.

(†)

DVBIVM III.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, & quomodò?

§. I.

1 SUperiori dubio dictum eſt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio: examinandum ſupereſt, an Pater, & Filius concurrant ad proceſsionem Spiritus Sancti per modum vnius principij, & qualiter hoc vnum principium conſtituatur? In cuius expoſitione ſciendum eſt vnam, & eandem eſſe ſpirativam virtutem Patris, & Filij, in quo omnes Catholici vno ore conveniunt. An autem hæc vnitas virtutis ſpirativæ ſatis ſit ad vnum conſtituendum principium? Non omnes conveniunt, vel ſaltim non eodem modo loquuntur.

2 Ratio dubitandi eſt, quia etſi virtus ſpirativa ſit vna, ſuppoſita per ſe ſpirantia ſunt duo; ergo potius dicenda eſſe videntur duo principia, quàm vnum, quia denominatio vnitatis, vel pluralitatis principij ſpirantis potius deſumenda eſt ex ſuppoſito, quàm ex virtute ſpirativa: vel ſaltim non apparet potior ratio, cur ex vnitate virtutis ſpirativę dicẽdum ſit vnum principium Spiritus Sancti, quàm ex pluralitate ſuppoſitorum ſpirantium dicenda ſint plura principia ſpirantia. Rurſus. Poſito Patrem, & Filium eſſe vnum principium adhuc ſupereſt gravior dubitandi ratio circa modum, & ſenſum, quo hoc vnum principium conſtituitur; quæ omnia brevitèr elucidare curabimus.

[†]

Sententia Durandi proponitur, & exponitur.

§. II.

3 DVrandus in 1. diſt. 29. quæſt. 2. & diſt. 11. quęſt. 3. docet *principium* ſumi poſſe pro agente; vel pro eo, quo agens agit: primo modo ait eſſe plura principia: ſecundo modo eſſe vnum. Sed quia iuxta communem loquendi modum ratio principij deſumitur ab eo, quo agens agit, & non ab agente, quod potius dicitur *principians*, quàm *principium*, ideò abſolutè dicendum eſt vnum eſſe principium Spiritus Sancti, non duo. Addit tamen propriùs loquendo dicenda eſſe duo principia, quàm vnum, propter pluralitatem ſuppoſiti operantis.

4 Hic dicendi modus gravi notatur cenſura frequentiùs à Theologis, ſed prorſus immeritò: primò, quia eodem modo loquitur Ang. Doctor 1. ad Annib. diſt. 11. quæſt. vnic. a. 2. vbi hanc controverſiam ita reſolvit: *Reſpondeo. Actus eſt alicuius vt agentis; & alicuius vt principij actionis; ſi ergo ly* in quantum *replicet conditionem agentis, ſic Pater, & Filius in quantum ſunt plures ſpirant Spiritum Sanctum: ſi autem replicet conditionem principij actionis, ſic in quantum ſunt vnum in virtute ſpirativa ſpirant Spiritum Sanctum.* En qualiter Durandus ab Ang. Mag. non tàm ſenſum, quàm verba ipſa mutaſſe videtur.

5 Et ibid. a. 4. refert duas opiniones. Prima eſt aſſerentium, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, & vnus ſpirator, quia *ſpirans* dicitur adiectivè, & multiplicatur propter multiplicationem ſuppoſiti: *ſpirator* autem eſt nomen ſubſtantivum, quod numerum non permittit propter vnitatem formæ, videlicet, virtutis ſpirativæ. Secunda opinio eſt aſſerentium Patrem, & Filium eſſe duo *ſpiratores*, quia actus ſpirationis eſt Patris, & Filij vt ſunt plures: vtramque opinionem probat Ang. Doctor: immò 1. p. quæſt. 36. a. 4. ad 7. retractans ſecundam, primam confirmat; ergo prima opinio, in quam inclinat Durandus, improbari non poteſt. Denique quæſt. 10. de potent. a. 2. ad 15. ait: *Dicendum, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio in quantum ſunt plures, ſi habeatur reſpectus ad ſuppoſita ſpirantia. Sed ſi habeatur reſpectus ad id, quo ſpirantes ſpirant, ſic procedit ab eis in quantum ſunt vnum*: at hoc idem affirmat Durandus; ergo illius ſententia nulla cenſura digna eſt.

6 Dices. In Concilio Lugdunenſi, & Florentino infra referendo definitum eſt Patrẽ, & Filium eſſe vnũ principium; at Durãdus ait propriùs dicẽda eſſe duo principia, quã vnũ; ergo oportebit in hac ſententia ver-

verba Conciliorum in ſenſum improprium detorquere, quod gravi cenſura dignum eſt. Sed contra. In expreſſa Durandi ſententia Pater, & Filius dicendi ſunt abſolutè vnum principium, non duo; eo quod ſecundùm communem vſum ratio principij potius deſumitur à virtute ſpirativa, quàm à ſuppoſito ſpirante; ergo in ſententia Durandi definitio Conciliorum eſt abſolutè vera. Secundò. Quod in rigore ſcholaſtico Pater, & Filius propriùs dicantur duo principia, quàm vnum, non impedit quominùs propriè ſint vnum principium, immò id expreſsè affirmat Durandus; ergo non detorquet definitionem Conciliorum ad ſenſum improprium. Tertiò. Quia ratio Conciliorum, vt Pater, & Filius ſint vnum principium, eſt quia Spiritus Sanctus procedit vnica ſpiratione; ſed hoc idem affirmat Durandus; ergo diffinitioni Conciliorum apertè conſentit. Denique. Et ſi illud ſuperadditum de maiori proprietate duorum principiorum admittendum non ſit, non ideò illius ſententia notanda eſt.

7 Veriùs ergo improbanda videtur ſententia Gregorij Arimenſis docentis in 1. diſt. 12. quæſt. 1. Patrem, & Filium non eſſe propriè vnum principium Spiritus Sancti; eo quod Concilia, & Patres non aſſerunt abſolutè Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio vt vno principio, ſed *tanquam* ab vno principio, vbi particula *tanquam* minuit conditionem, & proprietatem vnitatis. Sed hoc nihil eſt, quia illa particula *tanquam* inducta non eſt à Concilijs ad minuendam, ſed exponendam vnitatem principij, vt nobis etiam contingit in præfixo titulo cum eadem particula propoſitò: vndè Apoſtolus 1. ad Cor. 7. ait: *Tanquam miſericordiam conſecutus.* Et ad Hæbr. 3. *Chriſtus verò tanquam Filius*, in quibus, & alijs pluribus vox *tanquam* inducta non eſt ad diminuendam proprietatem ſignificationis, ſed exponendam. Eo vel maximè, quia ſatis inutilis eſſet definitio Conciliorum, tantiſque Patribus prorſus indigna, ſi tantùm ad aliquam propriam ſimilitudinem vnitatis collimaret; ergo de vera, & propria vnitate principij loquuntur.

[9]

Sancti Anſelmi ſententia ſtatuitur, & ſuadetur.

§. III.

8 DIcendum primò Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam ab vno principio. Probat hanc veritatem S. Anſelmus toto libro de proceſsione Spiritus Sancti, præſertim c. 7. ex eo, quod Spiritus Sanctus eſt de Patre, non qua Pater, ſed qua Deus eſt vnum cum Filio; ergo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti: vndè concludit: *Quapropter ſi Spiritus Sanctus eſt de Patre, quia eſt de Deo, qui eſt Pater; negari nequit eſſe quoque de Filio, cum ſit de Deo, qui eſt Filius.*

9 Clariùs cap. 18. vbi ait: *Quod ſi dicunt non eum eſſe poſſe de duabus cauſis, ſive ex duobus principijs: Reſpondemus quoniam ſicut non credimus Spiritum Sanctum eſſe de hoc, vndè duo ſunt Pater, & Filius, ſed de hoc, in quo vnum ſunt: ita non dicimus duo eſſe eius principia, ſed vnum principium. Quippè cum dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum principium, non tria principia, ſicut vnum Creatorem, non tres creatores, quamvis tres ſint Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quoniam per hoc, in quo vnum ſunt, non per hoc, quod tres ſunt, eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, principium, ſive Creator. Si igitur quamvis Pater ſit principium, & Filius ſit principium, & Spiritus Sanctus ſit principium, non tamen ſunt tria principia, ſed vnum: ita cum Spiritus Sanctus dicitur eſſe de Patre, & de Filio, non eſt de duobus principijs, ſed de vno, quod eſt Pater, & Filius, ſicut eſt de vno Deo, qui eſt Pater, & Filius; ſi tamen dici debet Deus habere principium, & cauſam.*

10 Idem dixerat in Monol. cap. 54. ibi: *Intuendum eſt diligenter vtrum ſint duo amores, vnus à Patre procedens, alter à Filio? An vnus nõ totus ab vno procedens, ſed partim à Patre, partim à Filio? An nec plures, nec vnus, partim procedens à ſingulis, & ĕdem totus à duobus ſimul? Sed huiuſmodi dubitationis certitudo hinc indubitanter cognoſcitur, quia nec ex eo procedit, in quo plures*

ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo vnum ſunt. Nam non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt (alia eſt enim relatio Patris, alia Filij) ſed ex ipſâ ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum, &c.

11 Deſumpta eſt hæc doctrina, ſicut & exemplum creationis, ex Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 15. vbi ait: *Sed ſicut Pater, & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relativè vnus Creator, ſic relativè ad Spiritum Sanctum vnum principium.* Totamque tandem dirimit controverſiam Concilium Lugdun. ſub Greg. XI. c. vnico de ſumma Trinit. lib. 6. ibi: *Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duobus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit.* Item: Concilium Florentinum ſeſſ. vlt. in litteris vnionis ita loquitur: *Spiritus Sanctus ſuum eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnicâ ſpiratione procedit.*

12 Ex his deducitur ratio præſertim ex communi axiomate ab Anſelmo deſumpto. *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*; ſed in ratione principij ſpirativi nulla eſt oppoſitio inter Patrem, & Filium; ergo in ratione principij ſpirativi ſunt vnum. Conſequentia optimè deducitur. Et minor, in quâ ſola poſſet eſſe difficultas, probatur. Pater, & Filius non conſtituuntur in ratione principij ſpirativi per relationes paternitatis, & filiationis; non enim procedit Spiritus Sanctus à relatione paternitatis, & filiationis, vt expreſsè docet idem Anſelmus; ſed ab eſſentia divina tanquam à principio radicali, & voluntate vt principio proximo; at in eſſentia, & voluntate nulla eſt oppoſitio relativa; ergo inter Patrem, & Filium in ratione principij ſpirativi nulla eſt oppoſitio relativa.

13 Vtitur eadem ratione Doctor Ang. 1. p. quæſt. 36. a. 4. per hæc verba: *Dicendum, quod Pater, & Filius, in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio: vndè cum in hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus Sancti, non opponantur relativè, ſequitur, quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.* Explicatur ex differentia ibidem tradita à Sancto Doctore, & communiter recepta à Philoſophis, & Theologis, inter nomen adiectivum, & ſubſtantivum, quod adiectivum ſignificat formam in ſubiecto, ideoque exigit ad ſui multiplicationem pluralitatem ſubiecti: ſubſtantivum verò ſignificat formam per modum per ſe ſtantis, ideoque exigit ad ſui multiplicationem pluralitatem formæ, at *principium* eſt nomen ſubſtantivum; ergo ſolùm poteſt multiplicari multiplicata forma, quæ in præſenti eſt virtus ſpirativa; ſed hæc non multiplicatur; ergo nec multiplicatur *principium*. Et hac ratione docet idem Ang. Doctor loco citato, quod Pater, & Filius poſſunt dici duo ſpirantes; non tamen duo ſpiratores, quia *ſpirans* eſt nomen adiectivum: *ſpirator* verò ſubſtantivum.

14 Oppones. Si ſola vnitas formæ ſatis eſſet ad vnitatem ſimpliciter nominis ſubſtantivi non obſtante pluralitate ſubiecti; ita pluralitas formæ ſatis eſſet ad pluralitatem ſimpliciter non obſtante vnitate ſubiecti; ſed hoc eſt falſum, nam in Patre datur pluralitas formæ, nimirùm, virtus generativa, & ſpirativa; & tamen Pater non eſt plura principia; ergo pluralitas formæ ſatis non eſt ad pluralitatem principij, nec nominis ſubſtantivi. Sequela autem probatur. Quia ſi vnitas formæ ſatis eſſet ad vnitatem principij, & non pluralitas ad pluralitatem, magis requireretur ad pluralitatem, quàm ad vnitatem; ſed hoc dici non poteſt; quia vnitas reſpectu pluralitatis eſt de genere boni, ſicut pluralitas de genere mali; malum autem ex quocumque defectu, & bonum ex integra cauſa; ergo.

15 Refert hoc argumentum Doctor Angelicus loco citato, & ita reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quòd cùm dicitur Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma deſignata per nomen: non tamen ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.* Ratio diſparitatis quoad præſens inſtitutum eſſe poteſt, quod virtus ſpirativa eſt vna realiter in Patre, & Filio; at virtus generativa, & ſpirativa in Patre, non eſt realiter duplex, ideoque inſufficiens ad denominanda plura principia, niſi includat realem diſtinctionem ſuppoſitorum, quo in eventu, & ipſa forma diſtingueretur realiter.

Ex

16 Ex his omnibus colligitur Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti, quatenùs conveniunt in eadem virtute ſpirativa, quæ virtus ſpirativa eſt principium *quo* : ſed adhùc gravius ſupereſt diſsidium circa principium *quod*. An nimirùm ſpirans vt *quod* ſit principium vt *quod* ſubſiſtens virtualiter diſtinctum á Patre, & Filio, quia ſicut ex eſſentia, omnipotentia, & ſubſiſtentia abſoluta reſultat vnum principium *quod* creaturarum ; ità opinantur aliqui ex eſſentia divina vt virtute radicali, & voluntate vt virtute proxima, ac ſubſiſtentia relativa ſpiratoris, reſultare vnum ſpiratorem, ſive vnum principium *quod* commune Patri, & Filio communitate rei. E contra tamen docent frequentius Theologi principium *quod* ſpirativum ſupponere immediatè pro Patre, & Filio.

[†]

SECUNDA CONCLVSIO.

§. IV.

17 DIcendum ſecundò non eſſe in Deo principium aliquod ſpirativum vt *quod* ratione diſtinctum á Patre, & Filio, & vtrique commune communitate rei, ſed principium *quod* ſpirativum ſupponere immediatè pro Patre, & Filio. Probant hanc concluſionem Salmanticenſes tract. 6. dub. 4. ex eo, quod Pater non ſolùm eſt principium ſpirandi, ſed primum, ideoque dicitur *fontale principium Deitatis* ; at ſi daretur ſpirator *vt quod* communis communitate rei Patri, & Filio, conſtitutus ex eſſentia, voluntate, & relatione ſpiratoris, Pater non eſſet primum principium ſpirandi ; ergo non datur. Probant minorem. Quia talis ſpirator eſſet primum principium ſpirandi; ergo non Pater.

18 Confirmant eandem rationem primó. Si Pater eſſet primum principium ſpirandi, & ſimul ille ſpirator communis Patri, & Filio, eſſent in Deo duo prima principia ; ſed duo prima principia ſunt plures Dij ; ergo talis ſpirator, primumque principium ſpirandi cohærere non poteſt cum vnitate Dei. Secundó. Notio ingeniti non eſſet propria notio ſolius Patris, nam etiam ille ſpirator communis Patri, & Filio, eſſet ingenitus. Tertiò. Innaſcibilitas non eſſet ratio propria Patris, quoniam ille ſpirator eſſet pariter innaſcibilis ; ergo admittendus non eſt talis ſpirator, ſive principium *quod* ſpirativum diſtinctum à Patre, & Filio.

19 Verùm nulla ex his rationibus ſufficientèr convincit, & facilè occurri poteſt ad primum conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Talis ſpirator eſſet primum principium ſpirandi diſtinctum realiter à Patre habente virtutem ſpirativam á ſe, & à Filio habente virtutem ſpirativam ab alio, nego antecedens : indiſtinctum realitèr, concedo antecedens. Nam *hic Deus* eſt primum principium ad extra, quod non impedit, vt etiam tres divinæ perſonæ ſint primum principium ad extra, quia tres divinæ perſonæ non diſtinguntur realitèr ab hoc numero Deo ; ergo pariter ad intra, quod ille ſpirator ſit primum principium ſpirandi non obſtabit quod Pater ſit primum ſpirandi principium propter eandem rationem. Per quod conſtat ad primam confirmationem.

20 Ad ſecundam confirmationem, nego ſequelam, quia ſicut eſſentia divina (vt diximus tract. 5. dub. 2. non eſt ingenita, quia eſt in Filio, & Spiritu Sancto per communicationem ab alio, ita etiam ille ſpirator non poſſet dici *ingenitus*, quia virtus ſpirativa eſſet in Filio per communicationem à Patre. Quod idem dicendum de ratione innaſcibilis, eo quod ratio ſpiratoris prout in Filio nequit denominari *innaſcibilis*, cum ea virtus ſit per communicationem ab alio.

22 Probari ergo poteſt concluſio argumento negativo, ſed efficaci deſumpto ex Concilio Lugdonenſi, & Florentino; ex Auguſtino, Anſelmo, & Ang. Doctore allegatis §. antecedenti, qui omnes, & alij Patres communiter ad oſtendendam vnitatem principij ſpirativi recurrunt ad vnitatem virtutis ſpirativæ, vt expreſsè conſtat ex teſtimonijs allegatis ; ergo Pater, & Filius duntaxat ſunt vnum principium ſpirativum in principio *quo*. ſive in virtute ſpirativa ; ergo adſtrui non poteſt aliud principium *quod* diſtinctum à Patre, & Filio, & quod ſit vnum per ſe ſubſiſtens á relatione ſpiratoris. Vel ſaltim fateri debent Adverſarij illud vnum principium *quod* ab ipſis aſsignatum non conſtare ex Concilijs, & Patribus.

23 Ratione ſuadetur. Si daretur ali-

quod principium *quod* ſpirativum per ſe ſubſiſtens aliquomodó diſtinctum à Patre, & Filio, conſtitueretur in eſſe talis per relationem ſpirationis; ſed ita conſtitui non poteſt; ergo non datur. Maior eſt doctrina Adverſariorum. Minor probatur. Relatio ſpirationis non eſt vera, & propria ſubſiſtentia; ergo nequit conſtituere principium *quod* per ſe ſubſiſtens. Probo antecedens. Relatio ſpiratoris eſt communis duorum, eiſque accedit iam conſtitutis, & vltimò determinatis in eſſe perſonæ; ergo nequit habere conceptum ſubſiſtentiæ, nec quatenùs ſubſiſtentia præſtat independentiam ab alio tanquam à ſubſtante; nec quatenùs præſtat incommunicabilitatem, cum vtrumque ſupponat; primum præſtitum à ſubſiſtentia abſoluta: ſecundum á proprijs ſubſiſtentijs relativis, & perſonalitatibus paternitatis, & filiationis, aliàs relatio ſpirationis eſſet vera perſonalitas conſtitutiva alterius perſonæ diſtinctæ à Patre, & Filio.

24 Dices. Pater, & Filius per paternitatem, & filiationem, ſunt incommunicabiles Spiritui Sancto tantùm radicaliter; ergo redduntur incommunicabiles formaliter per relationem ſpiratoris; ergo relatio ſpiratoris præſtat incommunicabilitatem; ergo eſt vera, & propria ſubſiſtentia. Reſpondeo re vera principium ſpirativum reddi incommunicabile formaliter Spiritui Sancto per relationem ſpiratoris, ipſa tamen relatio eſt communicabilis per identitatem Patri, & Filio, cum ſit realiter indiſtincta á paternitate, & filiatione; hoc autem evertit conceptum proprium ſubſiſtentiæ relativæ, quæ debet eſſe incommunicabilis cuilibet alteri ſuppoſito, aliàs ſemper ſequeretur illatum abſurdum, quod talis relatio quartam conſtitueret perſonam.

25 Probatur ſecundò concluſio ex D. Thoma 1. p. quæſt. 36. a. 4. ad 4. & 5. vbi docet, quod *vnum principium* non habet determinatam ſuppoſitionem, ſed ſupponit indiſtinctè pro duabus perſonis; at hoc eſt omninò falſum in ſententia oppoſita, in qua *vnum principium* ſupponit determinatè, & diſtinctè pro illo ſpiratore, quem adſtruunt virtualiter diſtinctum à Patre, & Filio; ergo hæc doctrina ſubſtinenda non eſt. Confirmatur ex eodem Sancto Doctore 1. ad Annib. diſt. 11. quæſt. vnic. a. 4. vbi docet ſpirationem eſſe actionem perſonalem, per quod ſpiratio diſtinguitur à creatione, quæ eſt actio naturæ; atqui actio perſonalis debet procedere á perſona, ſicut actio naturæ procedit ab hoc Deo ſubſiſtente ſubſiſtentia communi tribus perſonis; ergo vel relatio illa ſpiratoris conſtituit ſpecialem perſonam, vel conſtituit principium *quod* per ſe ſubſiſtens ad ſpirandum. Denique, quia (vt dicemus dubio ſequenti cum ipſis Adverſarijs) Spiritus Sanctus exigit ex parte principij Patrem, & Filium, vt plures, quia exigit procedere à duobus; ſed hoc ægrè cohærere poteſt, ſi Pater, & Filius ſunt vnum, tàm ex parte principij *quo*, ſive virtutis ſpirativæ, quàm ex parte principij *quod*; ergo hoc ſecundum admittendum non eſt. Sed de hoc operoſius dubio ſequenti.

[§]

Oppoſita argumenta diluuntur.

§. V.

26 COntra primam concluſionem opponunt primò. Ideó Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, quia procedit à Patre vt Deo, in quo convenit cum Filio, vt ſupra ex Parente Anſelmo dictum eſt; ſed hoc, ſi aliquid probat, evincit Spiritum Sanctum procedere pariter à ſe ipſo, quia pater vt Deus non minus eſt vnum cum Spiritus, quàm cum Filio; ergo quo pacto probatur procedere à Filio, probatur procedere à ſe ipſo. Hoc argumentum proponit Anſelmus loco citato cap. 15. & ait: *Ad hoc iam ſupra me ſufficienter memini reſpondiſſe, quia nulla perſona ex ſe ipſa eſſe poteſt, &c.* quia vt ſæpe repetit, inter producens, & productum neceſſaria eſt realis diſtinctio, quæ provenit à relatione; vndè Spiritus Sanctus taliter provenit à Deitate Patris, & Filij radicaliter, & à voluntate proximè, vt modificentur relatione fundata in ſpiratione activa, à qua relatione provenit diſtinctio inter principium ſpirativum, & Spiritum Sanctum.

27 Oppones ſecundò. Si Spiritus Sanctus procederet á Patre, & Filio tan-

tanquàm ab vno principio, non poſſet aſsignari aliquid, pro quo *vnum principium* ſupponeret, non enim poteſt ſupponere pro ſolo Patre, quia etiam prædicatur de Filio: non de ſolo Filio, quia etiam prædicatur de Patre: non de vtroque ſimul, aliàs de nullo eorum diviſivè poſſet enunciari: non de vtroque diviſivè, quia dicimus procedere Spiritum Sanctum ab illis per modum vnius; ergò dum dicimus *vnum principium*, nihil enunciaretur. Reſpondeo *vnum principium* ſupponere pro Patre, & Filio collectivè, quatenus conveniunt per identitatem realem in vna virtute ſpirativa, quod non impedit, vt de ſolo Patre dici poſsit: *Pater eſt principium Spiritus Sancti*; non (inquam) de ſolo Patre excludendo Filium, ſed potiùs includendo propter dicta: ſicut in Simbolo dicimus Patrem eſſe factorem Cœli, & terræ, in quo non excludimus Filium, & Spiritum Sanctum. Quod non incongruè explicari poteſt in hac propoſitione: *Pater, & Mater ſunt cauſa Filij*; vbi ly *cauſa* pro vtroque Parente ſupponit.

28 Contra ſecundam concluſionem inſurgit poſt Molinam. Nazarium, & Becanum, doctiſsimus Moneda. q. 32. a. 2. dub. vnico, vbi oppoſitum ſuadere conatur ex Parente Anſelmo: nam iuxtá Anſelmum: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*; ſed Pater, & Filius, nec in ratione ſpirandi vt *quo*, nec in principio *quod*, vllam habent oppoſitionem; ergò ſunt vnum, nedum in virtute ſpirativa, ſed in ſuppoſito ſpirante, quod in ſua ſententia negante ſubſiſtentias relativas conſtituitur ex ſubſiſtentia abſoluta, & virtute ſpirativa radicali, & proxima.

29 Eandem rationem confirmat ex Ang. Magiſtro loco allegato docente, *quod Pater, & Filius in omnibus ſunt vnum, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio*; ſed nulla relationis oppoſitio diſtinguit Patrem á Filio in eſſe principij *quod* ſpirativi, quoniam Pater ſolùm diſtinguitur à Filio in eſſe Patris per relationem paternitatis, ſicut Filius à Patre per relationem filiationis; ergó non opponuntur, nec diſtinguntur in eſſe principij, & ſuppoſiti ſpirantis; ergò ſunt vnum.

30 Sed hæc doctrina ex ſuperioribus impugnata manet, & operoſius impugnabitur dubio ſequenti, vbi cum eodem Doctore dicemus Spiritum Sanctum procedere per ſe à Patre, & Filio, vt ſunt plures: quare ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem quoad ſecundam partem, quia Pater, & Filius, vt principium *quod* important pluralitatem, & ita radicant vnam, & eandem ſpirationem, ac relationem ſpiratoris, in qua conveniunt. Per quod conſtat ad confirmationem, quæ non ampliùs evincit: idque tradit D. Thomas citata q. 10. de potentia a. 2. ad 15. vbi ait: *Dicendum, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, in quantum ſunt plures, ſi habeatur reſpectus ad ſuppoſita ſpirantia: cùm enim Spiritus Sanctus ſit amor mutuus, & nexus duorum, oportet, quod à duobus ſpiretur. Sed ſi habeatur reſpectus ad id, quo ſpirantes ſpirant, ſic procedit ab eis, in quantum ſunt vnum in natura divina; non enim poteſt Deus procedere ab aliquo, niſi de Deo.*

31 Opponit ſecundò idem Author. *Principium* abſolutè ſumptum non ſtat pro virtute productiva vt *quo*, ſed pro ſuppoſito vt *quod* producente, quia *analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato*; ſed Concilia ſupra allegata abſolutè, & ſimpliciter aſſerunt *Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti*; ergó ly *vnum principium* ſignificat non ſolùm principium *quo*, ſed *quod*.

32 Sed contra. Nam Concilia allegata expreſsè affirmant Spiritum Sanctum procedere á Patre, & Filio, tanquàm ab vno principio, quia procedit ab illis, *non duabus ſpirationibus, ſed vnica*; ergò ponunt vnitatem in ſpiratione, & conſequenter in virtute ſpirativa, non in ſuppoſito ſpirante. Secundò. Si Concilia loquerentur de principio *quod* tanquàm ex famoſiori analogato, perperam probaret idem Author ex eiſdem Concilijs vnitatem principij *quo*. Undè reſpondeo prædicta Concilia loqui expreſsè de principio *quo*, cùm loquantur de ſpiratione, ac virtute ſpirativa, quidquid ſit de famoſiori analogato: præter quam quod dum loquitur de principio ſpirativo, principalius analogatum eſt principium *quo*, quia hoc importat virtutem proximam ſpirativam, pro qua principium ſpirativum ſupponit.

33 Opponit iterùm. In communi ſententiá Thomiſtarum ponitur in Deo ſubſiſtentia abſoluta; ergô eſſentia divina per voluntatem fœcunda erit mediâ hâc ſubſiſtentiâ ſubſiſtens, atque adeó principium *quod*, præſertim connotata relatione ſpiratoris, á qua modificatur, & determinatur. Huic argumento iam conſtat ex dictis n. 23. & 24. Ex ibi dictis reſpondeo eſſentiam per ſubſiſtentiam abſolutam reddi quidem

ſub

ſubſiſtentem, non tamen incommunicabiliter; nec talis incommunicabilitas provenire poteſt à relatione ſpiratoris connotata, quia hæc etiam relatio eſt communicabilis per identitatem Patri, & Filio; vndè per illam non conſtituitur perſona, nec principium *quod* ſpirans, ſed ſolùm diſtinguitur á ſpirato, & conſtituitur voluntas in eſſe amantis notionaliter.

34 Opponit vltimo. Quamquam ſubſiſtentia abſoluta ex ſe non conſtituat principium notionale *quod* generationis æternæ, illud tamen conſtituit connotata paternitate; ergò licèt ſubſiſtentia abſoluta ex ſe conſtituere non poſsit principium notionale *quod* ſpirationis, illud conſtituet connotata relatione ſpiratoris. Sed contrà. Nam principium notionale *quod* generationis non conſtituitur, nec conſtitui poteſt per ſubſiſtentiam abſolutam, vt dictum eſt tract. 4. dub. 4. Ergò nec conſtituere poterit principium *quod* ſpirationis. Et ratio eadem eſt. Nam principium *quod* generationis debet diſtingui realiter à termino genito, ſicut principium *quod* ſpirationis à ſpirato; at ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta non diſtinguitur realiter á termino genito, nec ſpirato, aliàs hic numero Deus ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta diſtingueretur realiter à Filio, & Spiritu Sancto, atque adeó multiplicaretur divinitas; ergó per ſubſiſtentiam abſolutam nec conſtituitur principium generans, nec ſpirans.

35 Et retorquetur argumentum. Si daretur talis ſpirator communis, ſivé principium *quod* medians inter Patrem, & Filium ex vna parte, & Spiritum Sanctum ex alia, Pater, & Filius non diſtinguerentur à Spiritu Sancto realiter; quoniam Pater, & Filius nullam importarent oppoſitionem relativam in ordine ad Spiritum Sanctum, ſed tota oppoſitio erat in illo ſpiratore communi, ſive principio *quod* ſpirante; ergó non eſſet vnde Pater, & Filius diſtinguerentur realiter à Spiritu Sancto.

36 Nec ſatis eſt ſi reſpondeant diſtingui realiter mediatè, quatenus identificantur cum tali ſpiratore, aut principio *quod* ſpirante. Non (inquam) ſatis. Nam licet mediatio ſolius virtutis non obſtet ad diſtinctionem realem: attamen mediatio ſuppoſiti, aut principij *quod* realem diſtinctionem evertit, nec ſatis eſt identificatio cum ſuppoſito diſtincto: nam hic numero Deus ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta refertur mediatè ad Filium, quatenus identificatur cum Patre immediatè relato, & diſtincto; & tamen hoc non ſufficit, vt hic numero Deus diſtinguatur à Filio, nec Spiritu Sancto; ergò mediatio principij *quod* impedit diſtinctionem, & identificatio cum ſuppoſito diſtincto non ſufficit ad diſtinctionem realem, nec mediata.

37 Denique. Si mediaret ille ſpirator vt principium *quod* virtualiter diſtinctum à Patre, & Filio, ſolus ille ſpiraret immediatè, non Pater, & Filius; ſed hoc dici non poteſt; nam Pater, & Filius immediatè amant, ac ſe mutuó immediatè diligunt; atqui medio hoc mutuo amore ſpiratur Spiritus Sanctus; ergò Pater, & Filius immediatè ſpirant tanquám principium *quod* ſpirationis.

DVBIVM IV.

An Spiritus S. exigat per ſe ex parte principij duas Perſonas, Patris, & Filij.

§. I.

DUPLICITER Poteſt aliqua virtus concurrere per ſe ex parte principij ad effectum, vel terminum: primó per ſe perfectate cauſæ: Secundò per ſe perfectate effectus. Primo modo concurrit per ſe, quando principium exigit talem virtutem, non tamen exigitur ab effectu; & ita omnes perſonæ divinæ concurrunt ad omnes operationes ad extrà, quia vna perſona nequit concurrere non concurrente alia, cum tamen creaturæ non exigant Deum trinum, ſed vnum. Secundo modo concurrit virtus per ſe ad effectum, quando exigitur non ſolùm ex parte cauſæ, ſed etiam ab effectu; & ita diximus Verbum divinum procedere per ſe ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter, & eminenter in Deo, quia Verbum divinum procedit ex cognitione omnium, non ſolúm ex eo, quod talis cognitio in ſe comprehenſiva eſt, ſed ex eo, quod Verbum ex ſe exigit talem cognitionem vt comprehenſivam omnium, cum exigat procedere ex cognitione omnium, quæ in ipſo repreſentantur: & in hoc ſecundo ſenſu præſens procedit controverſia, & inquirimus. An Spiritus Sanctus re ipſa procedens á duabus perſonis, Patre, & Filio, id exigat ex ſua con-

conditione perſonali, ita vt ſi non procederet, non maneret eiuſdem perfectionis, ac modo eſt.

2 Notandum ſecundò controverſiam procedere, non de Patre, & Filio, vt ſunt principium proximum, ſivè ſecundùm virtutem ſpirativam, quia in hoc nulla eſt oppoſitio, & conſtat ex dubio præcedenti concurrere per modum vnius, ſed procedit de Patre, & Filio præſuppoſitivè, eo ſenſu, quo Scotiſtæ aſſerentes Verbum divinum procedere ex dictione diſtincta à cognitione, adhùc inquirunt. An Verbum divinum procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter, & eminenter in Deo? Quod eſt idem, ac inquirere. An dictio illa, ex qua procedit Verbum per ſe ſupponat cognitionem omnium, quæ ſunt formaliter, aut eminenter in Deo? Similiter inquirimus. An virtus illa ſpirativa, ex qua procedit Spiritus Sanctus per ſe exigat eſſe in duabus perſonis diſtinctis?

3 Prima ſententia eſt negativa, eamque docent communiter Scotiſtæ cum Subtili Doctore in 1. diſt. 12. q. 1. Durandus diſt. 11. q. 3. Bartholomæus Durand de Deo Trino diſp. 10. q. 3. Gabriel, & alij. Affirmativa verò, & oppoſita ſententia eſt frequentior Theologorum conſenſus, quos longum eſſet recenſere.

Sententia affirmativa ex S. Anſelmo, & Ang. Doctore ſuadetur.

§. II.

4 DICENDUM Spiritum Sanctum per ſe, & ex ſua perſonali conditione, procedere ex Patre, & Filio, vt duabus perſonis diſtinctis. Docet hanc concluſionem Anſelmus toto libro de Proceſſione Spiritus Sancti: necnon in Monol. c. 49. vbi ait: *Sed ecce dum huius Patris, Filijque proprietates, communionemque delectabiliter intueor, nihil delectabilius in illis contemplandum invenio, quàm mutui amoris affectum*; ſed mutui amoris affectus exigit pluralitatem perſonarum mutuò ſe amantes; ergò Spiritus Sanctus per ſe procedit ex duabus perſonis mutuò ſe amantibus.

5 Et capite 50. ita concludit: *Patet igitur amorem ſummi Spiritus ex eo procedere, quia ſui memor eſt, & ſe intelligit: Quòd ſi in memoria ſummi Spiritus intelligitur Pater; in intelligentia Filius, manifeſtum eſt, quia à Patre pariter, & à Filio ſummi Spiritus amor procedit.* Et cap. 51. *Proculdubiò ſe amat Pater, amat ſe Filius, & alter alterum... & quoniam id ipſum eſt, quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio, neceſſe eſt, vt pari amore vtèrque diligat ſe, & alterum.* Neceſſe eſt ergò, vt Spiritus Sanctus procedat ex amore, quo Pater, & Filius, diligunt ſe, & alterum; ſed amor, quo alter alterum diligit, eſt amor mutuus exigens pluralitatem perſonarum; ergò Spiritus Sanctus per ſe exigit ex parte principij pluralitatem perſonarum.

6 Idem repetit cap. 57. & probat ex eo, quod Spiritus Sanctus eſt communio Patris, & Filij, & conſtat ex ipſo nomine *Spiritus*, quod eſt nomen commune Patri, & Filio. Et in Proſol. c. 23. inquit: *Hoc ipſum eſt amor vnus, & communis tibi, & Filio tuo, ideſt, Spiritus Sanctus ab vtroque procedens*: & hac ratione in Concilio Toletano XI. in confeſſione fidei dicitur: *Neque Patris tantùm, neque Filij tantum, ſed ſimul Patris, & Filij Spiritus dicitur*: Si ergò Spiritus Sanctus ex propria conditione Spiritus eſt Spiritus Patris, & Filij conſequens eſt, vt ex propria conditione exigat à Patre, & Filio procedere.

7 Sed clariùs, & efficaciùs id ipſum probat toto libro de Proceſſione Spiritus S. vbi latè oſtendit Spiritum Sanctum non poſſe diſtingui à Patre, & Filio, niſi à Patre, & Filio procedat; ſed Spiritus Sanctus ex ſua conditione perſonali eſt perſona diſtincta à Patre, & Filio; ergò ex ſua conditione perſonali prærequirit ex parte principij perſonas diſtinctas Patris, & Filij: quam rationem latè expendemus dubio ſequenti, ideòque in præſenti ab ea duximus abſtinendum, nè eadem pluries repetamus.

8 Accedamus ad Angelicum Doctorem eandem veritatem clariſsimè oſtendentem 1. p. q. 36. a. 4. ad 1. per hæc verba: *Dicendum, quod ſi attendatur virtus ſpirativa, Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, in quantum ſunt vnum in virtute ſpirativa.... Si verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures: procedit enim ab eis vt eſt amor vnitivus duorum.* Et in 1. diſt. 11. q. 1. a. 4. ad 2. aſsignans diſcrimen inter creationem, & ſpirationem inquit: *Creatio eſt actus trium perſonarum, non ſecundùm quod diſtinctæ ſunt, ſed ſecundùm quod vniuntur in eſſentia; quia etiam*

etiam per intellectum remota diſtinctione perſonarum, adhuc remanebit creatio: ſed ſpiratio eſt actus conveniens pluribus ſuppoſitis quodammodò, ſecundùm quod diſtinguuntur.

Ratione probatur Concluſio.

§. III.

9 PRIMA Ratio Anſelmi ſub hac forma proponi poteſt. Spiritus Sanctus ex ſua conditione perſonali eſt amor mutuus per modum termini; ergó exigit ex ſua conditione perſonali procedere ex amore mutuo; ſed amor mutuus eſt inter perſonas diſtinctas; ergô exigit procedere ex perſonis diſtinctis Patris, & Filij. Prima conſequentia conſtat, quia quilibet terminus exigit procedere ex actione adæquante ipſum; & hac ratione diximus Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione omnium, quæ repræſentantur in ipſo. Antecedens autem probatur ex Anſelmo allegato, ibi: *Dum Patris, & Filij proprietates, communionemque delectabiliter intueor, nihil delectabilius in illis contemplandum invenio, quàm mutui amoris affectum.* Ergò Spiritus Sanctus eſt communio Patris, & Filij, ac mutui amoris affectus; ergó Spiritus Sanctus ex ſua conditione perſonali eſt terminus amoris mutui.

10 Nec ſatis eſt, ſi reſpondeant id eſſe de facto, non tamen id exigere Spiritum Sanctum ex ſua proprietate perſonali. Nam Anſelmus inquit Spiritum Sanctum eſſe mutui amoris affectum, quatenus intuetur proprietates Patris, & Filij, & communionis vtriuſque, nimirum, Spiritus Sancti; ergò eſt terminus amoris mutui ex ſua proprietate perſonali. Secundó. Si id non haberet ex ſua proprietate perſonali, neceſſe non eſt, vt Spiritus Sanctus procedat ex amore, quo Pater, & Filius, ſivé alter alterum diligit; at iuxtà Anſelmum neceſſe eſt procedere ex amore, quo alter alterum diligit, ibi: *Neceſſe eſt vt pari amore vtèrque diligat ſe, & alterum.*

11 Dices. Licèt de facto Spiritus Sanctus procedat vt terminus amoris mutui, ſivè amicitiæ, æque tamen perfectus eſſet, ſi procederet ex ſolo amore benevolentiæ, quo Pater ſe ipſum amaret, vel amaret Filium non amatus à Filio, eo quod amor benevolentiæ eſt in Deo æqualis perfectionis cum amore amicitię, quia in Deo omnes perfectiones ſunt æquales, quamquam in creaturis amor amicitiæ ſit perfectior amore benevolentiæ; atque adeò Spiritus Sanctus eſſet eiuſdem perfectionis, & conditionis, ſi procederet ex ſolo amore benevolentiæ, ac de facto procedens ex amore amicitiæ.

12 Sed contra. Nam quidquid ſit de æqualitate, aut inæqualitate perfectionum divinarum, Spiritus Sanctus exigit ex ſua proprietate perſonali procedere vt terminus amoris amicitiæ, vt ex Anſelmo, & D. Thoma demonſtratum eſt; ergò non eſſet idem Spiritus Sanctus, qui modò eſt, ſi ex amore amicitiæ non procederet. Secundò. Eo in eventu non eſſet æquè perfectus, ac modó eſt; & probatur. Nam amor amicitię eſt perfectio ſimplex, & pura, quæ propterea Deo negari non poteſt, vtpotè *melior ipſa, quàm non ipſa*, vt inquit Anſelmus in Monol. c. 15. ergò eſſe terminum amoris amicitiæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ſed hæc in eo eventu Spiritui Sancto deficeret; ergò ei deficeret maxima perfectio, & conſequenter non eſſet æquè perfectus, ac modò eſt.

13 Nec ſatis occurres; ſi aſſeras eo in eventu eam perfectionem compenſari ex perfectione amoris benevolentię: Quoniam hoc titulo poni poſſet defectus cuiuſlibet perfectionis in Deo, nam defectus perfectionis iuſtitiæ compenſaretur ex perfectione miſericordiæ: defectus Trinitatis compenſaretur ex perfectione vnitatis, & ſic de alijs, quod dici non poteſt de perfectionibus neceſſarijs, quidquid ſit de liberis; ergò nulla perfectio neceſſaria compenſari poteſt per aliam; at amor mutuus, & amicitiæ, in Deo non eſt minus neceſſarius, quàm perfectiones aliæ; ergò ſi ea perfectio deficeret, Spiritus Sanctus non maneret æquè perfectus, ac modò eſt; ergó exigit eſſentialiter, & ex ſua proprietate perſonali procedere vt terminus amoris mutui, & conſequenter à duabus perſonis.

14 Secunda ratio Anſelmi ſub hac forma proponi poteſt. Priùs eſt cognitio, quàm amor, ſicut prior eſt intellectus, quàm voluntas, quàm propoſitionem probat ex eo, quòd bonum, non ideò cognoſcitur, quia amatur, ſed potiùs è contra ideò amatur, quia cognoſcitur; at ex cognitione procedit Verbum; ergò prior eſt origine proceſsio Verbi, quàm proceſsio Spiritus San-

Sancti ; ſed hic ordo inter intellectum , & voluntatem , inter cognitionem , & amorem, eſt eſſentialis ; ergó Spiritus Sanctus, qui ex ſua proprietate perſonali eſt amor,& terminus voluntatis, neceſſariò , & ex eadem proprietate perſonali ſupponit Verbum procedens per cognitionem à Patre; ergò ex ſua conditione perſonali ſupponit Patrem,& Filium, atque adeó prærequirit ex parte principij duas Perſonas Patrem,& Filium.

Argumenta Sententiæ oppoſitæ enervantur.

§. IV.

15 ARGUITUR Primò. Etſi effectus creati procedant á Deo Trino , id tamen de materiali ſe habet , eodemque modo procederent á Deo vt vno , quaré Trinitas ad creationem non requiritur per ſe perfeitate effectus , ſed ſolùm perfeitate cauſæ; ergò etſi Spiritus Sanctus procedat á Patre, & Filio, id de materiali ſe habet,& eodem modo procederet à ſolo Patre , quaré duplex perſona dumtaxàt concurret per ſe perfeitate principij, non perfeitate termini. Antecedens eſt certum , & conſequentia probatur. Ideò effectus creati non exigunt in cauſa Trinitatem perſonarum , quia in Deo vno ſalvatur virtus ſufficiens ad illorum productionem; at in vno tantúm ſuppoſito, v. gr. in Patre ſalvatur virtus ſufficiens ad productionem Spiritus Sancti; ergó de materiali ſe habet concurſus alterius ſuppoſiti. Minor probatur.Ad productionem Spiritus Sancti ſolùm requiritur per ſe virtus perfectè ſpirativa ; at in ſolo Patre eſt virtus perfectè ſpirativa , cum in eo ſit voluntas fœcunda ; ergò in ſolo Patre ſalvatur virtus perfecta , & ſufficiens ad productionem Spiritus Sancti.

16 Confirmatur primò. Amor notionalis dumtaxàt exigit potentiam , quæ poſsit amare,& obiectum capax amoris ; at voluntas in ſolo Patre eſt potens amare , & eſſentia divina eſt capax amoris ; ergó in ſolo Patre datur quidquid requiritur ad amorem notionalem. Secundó. Si voluntas ageret priuſquám intellectus procul dubiò produceret ſuum terminum,ſivé Spiritum Sanctum, intellectus autem produceret ſuum terminum , ſivé Verbum, in ſigno ſequenti ; ergó ſignum eſt, quod voluntas fœcundata ab eſſentia divina in ſolo Patre,& ſine conſortio Verbi, habet quidquid requiritur ad productionem ſui termini, ſivé Spiritus Sancti : quarè etſi de facto operatio intellectus præcedat operationem voluntatis, non tamen præcedit , vt per illam reddatur voluntas fœcunda,& productiva. Tertiò. Uel virtus ſpirativa exiſtens in ſolo Patre perfectè ſpirat,vel non?Si primum. Ergò non requiritur concurſus Filij ad ſpirationem. Si ſecundum. Ergó ſpiratio in Patre non eſt perfecta,& totalis,ſed imperfecta, & partialis, atque adeó Spiritus Sanctus partim erit à Patre, & partim à Filio, quod prorſus repugnat.

17 Ad argumentum , & paritatem creationis iam conſtat diſparitas ex Div. Thoma ſupra num.8. Ex quibus , conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, conceſſa maiori,diſtinguo minorem. Salvatur virtus ſufficiens ſpirativa in ſolo Patre indiſtincta à virtute ſpirativa Filij, concedo minorem : diſtincta , nego minorem,& conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Solúm requiritur virtus perfectè ſpirativa in duplici ſuppoſito, concedo maiorem. In vno tantùm , nego maiorem. Et diſtinguo minorem. In ſolo Patre eſt virtus perfectè ſpirativa ſpiratione mutua,negò minorem; non mutua, concedo minorem. Et nego conſequentiam in eodem ſenſu.

18 Dices. Etiam virtus creativa eſt indiſtincta in omnibus perſonis ; & tamen concurſus trium perſonarum de materiali ſe habet ad creationem ; ergò, quod virtus ſpirativa ſit indiſtincta in Patre,& Filio,non probat concurſum vtriuſque perſonæ non ſe habere de materiali ad ſpirationem , & conſequenter allegata diſparitas non ſubſiſtit. Reſpondeo conceſsis præmiſsis , negando conſequentiam propter dicta , quia Spiritus Sanctus ex natura ſua eſt terminus amoris mutui,& ideò per ſe exigit virtutem ſpirativam in duplici ſuppoſito mutuò ſe amante, quod non contingit in effectibus creatis; vndé effectus creati ſupponunt in qualibet perſona totam virtutem productivam cum omnibus requiſitis ad creandum quantùm eſt ex ſe : attamen Spiritus Sanctus quamquam ſupponat in Patre totam virtutem ſpirativam , non tamen cum omnibus requiſitis ad ſpirandum amorem mutuum ; & ideó creatio (vt dictum eſt) eſt opus naturæ: ſpiratio veró eſt operatio perſonalis.

19 Te-

19 Tota doctrina deſumpta eſt ex Ang. Doctore in 1. diſt. 29. q. 1. a. 3. ad 2. vbi ait: *De creatione non eſt ſimilis ratio, & ſpiratione: quia ſpiratio præexigit diſtinctionem in ſuppoſitis; vndè eſt aliquomodò à pluribus ſuppoſitis in quantùm diſtincta ſunt, cum ſit operatio perſonalis: ſed creatio eſt opus eſſentiæ divinæ, vndè non eſt opus ſuppoſiti indiſtincti, prout eſſentiâ ſignificatur id, quod eſt, vt hoc nomine* Deus.

20 Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem. Exigit potentiam, quæ poſsit amare amore mutuo, concedo maiorem: vtcumque, nego maiorem, quia potentia productiva debet eſſe talis, qualis exigitur ab effectu, vel termino; cum ergo Spiritus Sanctus ex ſua proprietate perſonali ſit amor mutuus per modum termini, exigit potentiam, quæ poſsit amare amore mutuo, & conſequenter in duplici ſuppoſito.

21 Ad ſecundam confirmationem conſtat ex num. 14. vbi ex oppoſita ratione, probata eſt noſtra concluſio: etenim ex cognitione beni conſtituitur in actu primo ad amandum, quoniam *ignoti nulla cupido*. Vel dato, quod voluntas divina operaretur pro priori ad intellectum, dico, quòd eo in eventu non produceret Spiritum Sanctum adæquatè, vt re ipſa eſt; quia etſi ipſum produceret in eſſe amoris, non tamen in eſſe amoris mutui, nexus, vinculi, vnionis, & charitatis, vt communiter vocatur à Patribus, & eſt.

22 Ad tertium reſpondet Anſelmus in Monol. c. 54. vbi ait: *Sicut ergò ſingulus Pater eſt ſummus Spiritus, & ſingulus Filius eſt ſummus Spiritus; & ſimul Pater, & Filius non duo, ſed vnus Spiritus: ita à ſingulo Patre manat totus amor ſummi Spiritus, & à ſingulo Filio totus: & ſimul à Patre, & Filio, non duo toti, ſed vnus, idemque totus.* Quod idem repetit de Proceſs. Spiritus Sancti c. 4. & 23. Undè dico virtutem ſpirativam perfectè ſpirare perfectione ſpirationis, non tamen perfectione ſpirationis amicabilis, quia ad hoc requiritur duplex ſuppoſitum ſpirans, vtroque tamen perfectè, & totaliter; vtpotè ſpirantia eadem ſpiratione, & virtute. Quod etiam contingit in productione ad extrà, de qua poteſt idem formari argumentum. Vel Pater perfectè producit: vel non? Si primum: ergò non requiritur concurſus aliarum perſonarum. Si ſecundùm: ergò productio in Patre non eſt perfecta, & totalis, ſed imperfecta, & partialis. Ad quod Adverſarij dicunt eam productionem ad extrà in ſolo Patre eſſe perfectam, & totalem, quia Pater, & quælibet alia perſona producit per eandem virtutem, eandemque productionem ad extrà: ita & Ego dico Patrem, & Filium ſpirare per eandem virtutem ſpirativam, ideòque non datur duplex ſpiratio, alia Patris, alia Filij, ſed vna, & eadem eſt Patris, & Filij.

23 Dices. Voluntas in Patre eſt virtus ſpirativa; ergò & in Patre ſunt omnia requiſita ad ſpirandum; ergò non requiritur conſortium Filij ad ſpirandum Spiritum Sanctum. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Si in Patre non eſſent omnia requiſita ad ſpirandum, voluntas in Patre denominari non poſſet virtus ſpirativa, nec eſſet potens ad ſpirandum; ſicut intellectus in Filio non eſt potentia generativa, eo quod in Filio non eſt paternitas, quæ eſt requiſitum ad potentiam generativam. Sed his iam conſtat qualiter in ſolo Patre diviſivè à Filio, ſicut eſt potentia ſpirativa abſolutè, ita in eo ſunt requiſita ad ſpirandum abſolutè; non tamen ad ſpirandum amicabiliter: attamen de facto, ſicut Pater non ſpirat ſine conſortio Filij, ita de facto in Patre ſpirante in conſortio Filij ſunt omnia requiſita ad ſpirandum amicabiliter, cùm in eo ſit eadem virtus exiſtens in duplici ſuppoſito. Et nota hanc impugnationem, & alias ſimiles probare non requiri duplex ſuppoſitum ad ſpirandum per ſe, nec perfeitate termini, nec perfeitate principij, quia ſi Pater perfectè ſpirat ſine conſortio Filij; ergò nec ex parte Patris ſpirantis requiritur conſortium alteriùs ſuppoſiti, nempè Filij, quod Adverſarij non dicent.

24 Dices ſecundò. Ex eo, quod Spiritus Sanctus ſit vnio, & nexus duorum non probatur exigere duas perſonas in principio ex ſua proprietate perſonali; ergò nullo titulo probatur Spiritum Sanctum ex ſua proprietate poſtulare proceſsionem ex duobus ſuppoſitis. Antecedens probatur. Spiritus eſt nexus, & vnio eſſentialiter, non perſonaliter, quia perſonalitas, ſivè relatio ſpirationis paſsivæ non eſt vnio duorum; ergò quod ſit vnio, & nexus non probat exigentiam ex proprietate perſonali plurium perſonarum in principio. Secundò. Eſſe terminum amoris mutui nihil perfectionis addit, quia ratio mutui eſt relatio rationis, quæ perfectionem non impor-

importat; ergò tám perfectus erit Spiritus Sanctus vt terminus amoris benevolentiæ, quàm amoris mutui.

25 Ad primum, nego antecedens. Ad probationem, nego antecedens; eſt enim Spiritus Sanctus ex ſua proprietate nexus, non quia proprietas perſonalis ſit nexus, ſed quia proprietas perſonalis exigit eſſe terminum per modum nexus; ſicut proprietas Verbi non eſt repræſentativa omnium, exigit tamen eſſentiam divinam omnium repræſentativam, ideòque Verbum ex ſua proprietate perſonali eſt repræſentativum omnium: vndè D. Thomas in 1. diſt. 10. quæſt. 1. artic. 3. dixit: *Quia Spiritus Sanctus procedit vt amor, ex modo proceſſionis habet vt ſit vnio Patris, & Filij.* Ad ſecundum dico rationem mutui formaliter, ſivè quatenus pro formali importat relationem rationis non addere perfectionem, addere tamen pro materiali, & ex parte fundamenti, quia mutua viciſsitudo amoris, ſivè realis fœcundatis influxus, aut mutuum amoris exercitium, in quo relatio rationis fundatur, maxima perfectio eſt.

26 Arguitur ſecundò. In Patre eſt tota virtus neceſſaria ad productionem Spiritus Sancti independenter à conſortio Filij; ergò Spiritus Sanctus per ſe non poſtulat Patrem, & Filium. Antecedens probatur. Virtus ſpirativa, quæ eſt in Filio, dimanat á Patre; quidquid enim habet Filius, habet à Patre, & Pater à ſe ipſo; ergó virtus ſpirativa, quæ eſt in Filio, eſt in Patre; ergò in Patre eſt tota virtus productiva Spiritus Sancti.

27 Hoc argumentum probat creaturas nihil producere, ſed ad omnes effectus, operationeſque creatas de materiali ſe habere, quia tota virtus, quæ eſt in cauſis creatis, eſt à Deo. Undè argumento reſpondeo totam quidem virtutem ſpirativam Spiritus Sancti eſſe in Patre, non tamen independenter à conſortio Filij: tùm quia virtus ſpirativa in Patre eſt indiſtincta á virtute ſpirativa in Filio: tùm quia eſt virtus ſpirativa amore mutuo, ideòque exigens perſonas mutuò ſe amantes.

28 Dices. Spiritus Sanctus procedere poteſt ex amore mutuo, & ſi non procedat ex Patre, & Filio mutuó ſe amantibus; ergò per ſe non poſtulat procedere á Patre, & Filio. Antecedens probatur. Etſi Spiritus Sanctus non procederet ex amore, quo Pater, & Filius mutuo ſe amant, procederet ex amore, quo ſe mutuó amarent Pater, & idem Spiritus Sanctus, quia ſicut Verbum procedit ex cognitione ſui, poteſt Spiritus Sanctus procedere ex amore ſui; ergò ſalvatur ratio mutui amoris independenter à concurſu Filij. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego ſuppoſitum antecedentis, quia non eſt mutuus amor inter Patrem, & Spiritum Sanctum, ille, quo Pater amat eundem Spiritum Sanctum, quia in hoc ſenſu Spiritus Sanctus, ſolúm concurrit per modum obiecti, cúm ad amorem mutuum opus ſit vt alter alterum amet, ac viciſsim ametur ab altero per modum principij actívi diligentis, & amantis: nec Verbum eſt principium productivum ſui, tantùmque obiectivé concurrit ad ſui productionem.

DVBIVM V.

An tota, & adæquata ratio diſtinguendi Spiritum Sanctum à Filio ortum habeat, ex proceſsione ab illo.

§. I.

1 PROPOSITAM, Subtilemque controverſiam ſub alio titulo examinandam proponunt cum Angelic. Doctore frequentius Theologi, nimirum. An ſi Spiritus Sanctus á Filio non procederet, diſtingueretur realiter ab illo? Quæ controverſia ſic propoſita, cúm procedat ex hypotheſi impoſsibili, inutilis viſa eſt nonnullis: tùm Antiquioribus: túm Neothericis, ex eo, quod ex impoſsibili ſequitur quodlibet. Sed quamquam hæc ratio mihi nullius ſit momenti, nihilominùs né in primo limine impingamus, ſatiús iudicavi illis in hac parte morem gerere, & ſub Epigraphe nullam includente hypotheſim controverſiam dirimendam proponere.

2 Nullius (inquam) momenti: quod pluribus comprobari poteſt exemplis. Eſt enim impoſsibile Deum non eſſe trinum; nihilominús vtilitèr diſputamus. An maneret ſufficiens creaturarum principium in Deo, etiamſi trinum non eſſet? Secundò. Si Deus non eſſet immutabilis non eſſet æternus; nihilominùs hanc ipſam quæſtionem

vtilitèr examinant Theologi. Maxima pariter vtilitate diſputant. An ſi Deus operaretur ex neceſsitate naturæ ſalvaretur noſtra libertas ? Ac re ipſa Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. inquirit. An ſi Pater non eſſet innaſcibilis genuiſſet Filium ? Et Anſelmus noſter in præſenti probat, quod ſi Pater Æternus ab alio Patre procederet, adhúc haberet Filium de ſe procedentem. Scotiſtæ pariter aſſerunt, quod ſi Spiritus Sanctus eſſet à ſolo Filio, adhúc diſtingueretur à Patre: quæ omnes, & ſimiles controverſiæ: tùm in phiſicis : tùm in theologicis, paſsim examinantur, non ſolúm vtilitér, ſed & neceſſariò, à Theologis ad rerum naturas inveſtigandas.

3 Ratio omnium eſt, quia dupliciter poteſt contingere, vt ex principio impoſsibili aliquid ſequatur : primó immediatè, ſivé ſequela formali, & per locum ab intrinſeco, vt cùm deducitur conſequentia præcisè ex ratione formali principij impoſsibilis : Secundó. Mediatè, ſivé ſequela materiali, aut per locum ab extrinſeco, vt cum deducitur aliquid, non præcisè ex impoſsibilitate principij, ſed ex alio materialiter connexo cum ipſo principio. Exempli gratia. Impoſsibile eſt Deum non eſſe trinum, nihilominùs ex hac hypotheſi non ſequeretur ſequela formali vtrumque contradictionis extremum, ſed determinatè ſequeretur adhúc poſſe creaturas producere, quia per locum ab intrinſeco adhùc maneret vnus, & Omnipotens, quod ſatis eſt ad productionem creaturarum : attamen ſequela materiali ſequeretur vtrumque, nempé poſſe, & non poſſe creaturas producere: *poſſe*, quia ſupponitur Deus, & Omnipotens : *Non poſſe*, quia ex eo, quod trinus non eſſet, nec eſſet Deus, nec Omnipotens. In præſenti ergó ſermo non procedit de ſequela materiali, ſed formali. An, nimirum, ex carentia proceſſionis Spiritus Sancti à Filio ſequatur immediatè, & ſequela formali carentia diſtinctionis ab illo?

4 Ad totius controverſiæ intelligentiam ſupponendum eſt cum vtriuſque ſententiæ Doctoribus in ea hypotheſi manſurum Spiritum Sanctum, nec prorſus eundem, nec prorſus diverſum à Spiritu Sancto re vera exiſtente : nam ſi ſupponatur eundem omninò Spiritum Sanctum manere, neceſſariò dicendum eſt manere diſtinctum, ac procedere à Filio, quia Spiritus Sanctus vt de facto exiſtit neceſſariò procedit, & diſtinguitur : Non prorſus diverſum, quia diſtinctio alteriús Spiritus Sancti à nobis confícti nihil prodeſt ad proceſsionem Spiritus Sancti de facto exiſtentis: quod idem dicendum eſt de Filio. Supponenda eſt igitur exiſtentia huius numero Filij in eſſe Filij, non tamen in eſſe Spiratoris ; & exiſtentia huius numerò Spiritus Sancti in eſſe ſpirati per voluntatem à Patre, non tamen à Filio ; quod eſt ſupponere vtriuſque exiſtentiam, non adæquatè, ſed inadæquatè tantúm, in quo ſenſu implexam difficultatem aggredimur dirimendam.

5 Prima ſententia negat totam, & adęquatam rationem diſtinguendi Spiritum Sanctum perſonaliter á Filio ſitam eſſe in relatione originis, ſivè ortum habere ex proceſsione ab illo, quoniam adhùc ſecluſa proceſsione á Filio adhúc diſtingueretur ab illo. Ita Scotus, quem ſequuntur frequentius Scotiſtæ, quos allegat, & ſequitur Soſſa lib. 1. diſt. 11. quæſt. 2. difficult. 72. num. 5. Eandemque ſententiam novitèr illuſtrat Maſtrius ſolicitè ſtudens ex noſtro Anſelmo, quem veluti Cynoſuram in hac parte aſpicere deſiderat, multipliciter confirmare, ſed improbo ſtudio, vt infrá oſtendemus. Secunda, & oppoſita ſententia eſt affirmativa : eamque docet clariſsimè S. Anſelmus toto libro de proceſsione Spiritus Sancti : & in Monol. locis referendis. Angelicus Doctor pluribus in locis. Eximius Suarez. Vazquez. Caietanus, & frequentius Theologi. Necnon ex Seraphica Familia D. Bonaventura. Ferchius, & alij.

Sententia Anſelmi enucleatur, & multipliciter demonſtratur.

§. II.

6 S. Anſelmum in ea fuiſſe ſententiá, vt tota, & adæquata ratio diſtinctionis ſit relatio fundata in origine, & proceſsione, ideòque nullo pacto diſtingui poſſe Spiritum Sanctum, ſi ab illo non procederet, apertiſsimè conſtat ex toto libro de *Proceſsione Spiritus Sancti*. Etenim cap. 1. num. 4. inquit : *Hæc ita-*

itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſsint de invicem, ſed alij ſint ab invicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio, &c. Ergò ſola relatio orta ex eo, quod duobus modis eſt Deus de Deo, nempè naſcendo, & procedendo, eſt cauſa pluralitatis in Deo: quæ verba ita manifeſta apparent, vt ea ſola ſufficiant ad præoccupanda Adverſariorum effugia.

7 Quod enim inquiunt Adverſarij S. Doctorem nomine *relationis* relationem diſparatam intelligere, ex ipſa littera clariſsimè diſpellitur. Primò, quia ſi loqueretur de relatione diſparata falsò aſſereret: *Hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo.* Quandoquidem etiam Adverſarijs conſentientibus relatio diſparata non eſt ſola cauſa pluralitaris, cùm etiam oppoſitio relativa fundata in proceſsione ſit re ipſa ratio diſtinguendi, quamquam apud ipſos non ſola, nec vnica; ergò Anſelmus de relatione diſparata non loquitur. Secundò. Expreſsè loquitur de relatione inſociabili, quæ fit, aut oritur ex eo, quod vna ſubſtantia eſt de ſubſtantia, ibi: *Et quandò vna ſubſtantia habet eſſe de ſubſtantia, duæ fiunt ibi relationes inſociabiles*; at relatio, quæ oritur ex eo, quod vnum eſt ab alio eſt vera relatio originis; ergò loquitur de vera, & propria relatione originis, non de relatione diſparata, quæ ad originem non ſpectat.

8 Tertiò. Loquitur Anſelmus eodem modo de relatione diſtinguente Spiritum Sanctum à Filio, ac de relatione diſtinguente Filium, & Spiritum Sanctum à Patre, ibi: *Hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſsint de invicem*; at Filius, & Spiritus S. nullo pacto diſtinguerentur à Patre, ſi à Patre non procederet, vt ex eodem Anſelmo expreſsis verbis infrà oſtendemus; ergò nec Spiritus Sanctus á Filio, ſi à Filio non procedit. Quartò. Quia loquitur de relatione, quæ in creatis reſultat ex eo, quod vnus eſt ab alio, ibi: *Cùm enim homo eſt gignendo de homine*; ergò loquitur de relatione Filij fundata in generatione, vt diſtinguat Filium á Patre; ergò paritèr loquitur de relatione ſpirationis paſsivæ fundata in proceſsione, vt diſtinguat Spiritum Sanctum à Filio.

9 Adhùc clariùs cap. 2. num. 2. vbi ait: *Supradicta verò relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria ſingulorum alijs attribui. Sic ergò huius vnitatis, & huius relationis conſequentiæ ſe contemperant, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus prædictæ ſimplicitas ſonat vnitatis: nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadem relatio ſignificatur: quatenus nec vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio: nec relatio perdat, quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis*; ergò tota ratio, cur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non poſsint adinvicem dici, ſivè tota ratio diſtinctionis eſt relationis oppoſitio, quę naſcitur ex diverſo modo procedendi; ergó tota ratio diſtinctionis Spiritus Sancti á Filio eſt relationis oppoſitio, quæ naſcitur ex proceſsione ab illo; ergò non relatio diſparata, quam adſtruit oppoſita ſententia.

10 Sed opponit Maſtrius diſp. 7. quæſt. 4. artic. 3. iuxtà Anſelmum duplex eſt cauſa pluralitatis in Deo; non ergò ſola oppoſitio relativa, ſed relatio paritèr diſparata eſt cauſa pluralitatis; ergó etſi Spiritui Sancto deficeret oppoſitio relativa caſu, quo ab illo non procederet, adhùc maneret ſufficiens diſtinctionis ratio in relatione diſparata. Antecedens probat ex cap. 1. num. 5. vbi ita Anſelmus loquitur: *Filius autem (vt interim aliam cauſam dicam, quoniam nondum conſtat, quod Spiritus Sanctus de illo ſit, & procedat) ideò non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre; Spiritus Sanctus verò, non naſcendo, ſed procedendo*; ergó S. Anſelmus expreſsè docet duplicem eſſe cauſam diſtinctionis: nimirum oppoſitionem relativam; & relationem diſparatam ſitam in ipſa natura nativitatis, & proceſsionis paſsivæ.

11 Hæc eſt præcipua Adverſariorum ex Anſelmo ratio, quæ facilè, & multiplicitèr retorqueri poteſt in Adverſarios. Primò. Quia ibi Anſelmus ait Spiritum Sanctum eſſe alium à Filio, quia hic habet eſſe naſcendo, ille procedendo; ergò ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet alius ab illo, quia non haberet eſſe procedendo

do ab illo: vbi notandum, quod cùm Anſelmus loquitur de Filio, addit *de Patre*; cùm tamen loquitur de Spiritu Sancto non addit *de Patre*, ſed ſolùm ait habere eſſe procedendo, vt tacitè innueret iuxtà dicta, & dicenda Filium de ſolo Patre naſci; Spiritum Sanctum verò de vtroque, quamquam hanc diverſitatem in primo capite diſſimulandam iudicaverit, vt cum ipſis Græcis realem diſtinctionem omnium perſonarum, quàm ipſi ſecluſa proceſsione Spiritus Sancti à Filio credebant, præmitteret.

12 Secundò. Demus gratis Anſelmum dicto loco affirmare Filium diſtingui à Spiritu Sancto, quia ille habet eſſe *de Patre* naſcendo, hic habet eſſe *de Patre* procedendo; at iuxtà Anſelmum [vt infrà latè, & expreſsè probat] prorſus implicat Spiritum Sanctum eſſe de Patre, & non de Filio, id exigente Spiritu Sancto ex propria natura Spiritus, ex vi ſuæ proceſsionis, & ex conditione virtutis ſpirativę, vt claré demonſtrabimus; ergò iuxtà Anſelmum Spiritus Sanctus non eſſet alius á Filio, niſi à Patre, & Filio procederet.

13 Tertiò. Hanc rationem non ſolùm infrà, ſed in eadem authoritate ſuprá relata expreſsè oſtendit: ſic enim immediatè proſequitur: *Neque Filius poteſt eſſe ſuus Spiritus; neque Spiritus Sanctus valet eſſe ille, cuius Spiritus eſt.* En luce meridiana clariùs qualiter Spiritus Sanctus eſt alius à Filio, quia eſt Spiritus Filij, atque adeò nequit eſſe Filius, quia nequit eſſe ille, cuius Spiritus eſt; ſed ex eo, quod Spiritus Sanctus eſt Spiritus Filij latè oſtendit contra Græcos procedere á Filio; ergó ideó eſt alius á Filio, quia procedit ab illo; ergò tàm longè abeſt, vt ſuprá allegata verba ſuffragium præſtent ſententiæ oppoſitæ, quin potiùs noſtram clariſsimè confirmant.

14 Quartò. Si illatio deducta ex Anſelmo ab Adverſarijs vera eſſet, eorum ſententiam penitus everteret; quod ſic oſtendo. Deducunt ex Anſelmo duplici titulo Spiritum Sanctum diſtingui à Filio: & ex oppoſitione relativa; & ex natura nativitatis, & proceſsionis paſsivæ á ſolo Patre; ſed hoc eorum ſententiam evertit. Et probo. Nam iuxtá Adverſarios: quamquam Spiritus Sanctus non procederet à Patre adhùc diſtingueretur à Filio; ergó probari non poteſt diſtinctio á Filio ex natura proceſsionis paſsivæ á ſolo Patre.

15 Ad id, quod additur de duplici ratione diſtinctionis, quàm Anſelmus indicat, reſpondeo duplicem quidem eſſe, ſed vnam formalem, alteram fundamentalem, tota namque formalis diſtinctionis ratio eſt oppoſitio relativa; ſed quia hæc naſcitur (vt inquit idem S. Doctor) ex nativitate, & proceſsione, ideò hæc ratio diſtinctionis, quæ re ipſa fundamentalis eſt, appellatur *alia*. Et meritò, quia iuxtà Græcos ſatis eſt ad veram diſtinctionem realem, ideòque optimo iure ait Spiritum Sanctum eſſe alium à Filio, quia hic habet eſſe naſcendo, ille procedendo; ſicut optimè diceret quicumque diceret Antonium eſſe filium Petri, quia à Petro habet eſſe naſcendo, non quia per nativitatem conſtituatur formaliter in eſſe filij, cùm hic ſit effectus formalis filiationis, ſed quia relatio filiationis in nativitate fundatur.

16 Tota hæc doctrina tradditur ab Ang. Mag. in Diſp. q. 10. a. 5. ad 2. vbi ait: *Id, quod dicit Anſelmus, quod Filius, & Spiritus Sanctus per hoc ſolùm adinvicem diſtinguntur, quod diverſo modo procedunt, eſt omninò verùm: ſed ſicut oſtenſum eſt diverſo modo procedere non poſſent, niſi Spiritus Sanctus à Filio eſſet. Eſt autem intentio Anſelmi in libro de Proceſsione Spiritus Sancti prius ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus Spiritum Sanctum à Filio eſſe, qui tamen Spiritum Sanctum à Filio dicunt diſtingui; vndè verba prædicta Anſelmi inducta ſunt magis, vt diſputativa ſuppoſitio, quàm veritatis definitio.*

17 Sed nè hęc expoſitio D. Thomæ, & noſtra, fortaſsè voluntaria videatur, oportet eam vberiùs confirmare ex eodem Anſelmo. Nam cap. 2. Id ipſum apertè oſtendit ferè ſub hac diſſerendi formula. Implicat Spiritum Sanctum à Patre procedere, & non à Filio; ergó implicat Spiritum Sanctum eſſe alium á Filio, quia à Patre procedit quin procedat à Filio. Antecedens probat ex eo, quod Spiritus Sanctus non procedit à Patre, vt Pater eſt, quia non procedit à relatione paternitatis, ſed à Patre vt Deus eſt; at Pater vt Deus eſt ſpirans Spiritum Sanctum eſt idem cum Filio; ergò implicat procedere á Patre, quin procedat à Filio. Probat conſequentiam. Quæcumque dicuntur de Patre, neceſſe eſt vt de cæteris

quo-

quoque perſonis dicantur niſi obſtet aliqua relationis oppoſitio; at in Patre vt ſpiratore nulla eſt oppoſitio cum Filio, ſed potius per eandem voluntatem, & virtutem ſpirativam ſpirant; ergó ſpiratio dici non poteſt de Patre, niſi etiam dicatur de Filio; ergò Spiritus Sanctus nequit procedere de Patre, niſi procedat de Filio; ergò Spiritus Sanctus nequit eſſe alius à Filio, quia procedit á Patre, niſi pariter procedat á Filio.

18 Si fortaſsé dicant hæc ita eſſe de facto, non tamen in data hypotheſi. Contra eſt. Nam in præſenti non tàm inſiſtimus in veritate rei, quám in doctrina Anſelmi, & dicimus, ex eo, quod Anſelmus dixerit Spiritum Sanctum eſſe alium à Filio, quia *habet eſſe procedendo*, nullo pacto poſſe deduci eſſe alium â Filio, ſi ab illo non procedit, eo quod ex doctrina eiuſdem Anſelmi implicat Spiritum Sanctum *habere eſſe procedendo*, quin procedat á Filio. Rurſus. Quia hoc verum eſt, non ſolùm de facto, ſed formaliter, & ex conditione eiuſdem Spiritus Sancti, qui ex proprio, & formali conceptu eſt Spiritus Filij, vt dictum eſt, & infrà latius oſtendemus: quia ex propria conditione petit virtutem ſpirativam in duplici ſuppoſito: & tandem, quia ex natura rei poſtulat non diſtingui, niſi per conceptum relativum, & oppoſitum. Denique. Vel in ſupradictis Anſelmus loquitur ſolùm de facto: vel etiam in data hypotheſi? Si ſolùm de facto; ergó nullum argumentum deduci poteſt in ſubſidium oppoſitæ ſententiæ. Si etiam in data hypotheſi; ergò cum Anſelmus doceat Spiritum Sanctum eſſe alium à Filio, quia habet eſſe *procedendo*, & hoc eſſe *procedendo* habere non poſsit quin procedat â Filio, ſequitur apertè, quod ſi á Filio non procederet, non eſſet alius ab illo.

Eadem Anſelmi doctrina vberiùs oſtenditur.

§. III.

VLteriùs cap. 3. probat diſtinctionem omnium perſonarum, non alio titulo, niſi quia vna eſt ab alia: & primò probat Filium diſtingui á Patre, quia eſt de Patre: *Quia natura non permittit, nec intellectus capit exiſtentem de aliquo eſſe illum, de quo exiſtit*: Secundò probat diſtinctionem Spiritus Sancti à Patre eodem titulo: ac tandem facta comparatione Spiritus Sancti ad Filium inquit n. 2. *Cùm autem apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, tunc quoque palàm erit, quia propter hoc, nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius*; cum ergò tota, & adæquata ratio cognita ab Anſelmo, vt Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguantur á Patre, ſit proceſsio à Patre, conſequens eſt, vt tota, & adæquata ratio diſtinguendi Spiritum Sanctum à Filio ſit proceſsio ab illo: alioquin ratio Anſelmi nullius eſſet momenti; ſed facilé reſponderent Græci adhúc negata proceſsione non ſolùm Spiritus Sancti à Filio, ſed etiam Filij, & Spiritus Sancti à Patre, manere diſtinctionem: ac ita hæc principia præmiſſa ad inferendam proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, quæ tàm illuſtrem meruere triumphum in Concilio Barenſi, penitus corruerent.

20 Item cap. 4. probat in Deo nihil eſſe, niſi Deus de Deo, vel Deus, de quo eſt Deus; ex quo deducit prorſus neceſſarium eſſe, aut Spiritum Sanctum eſſe de Filio, aut Filium de Spiritu Sancto [ratio autem, qua aſſumptum probat, videri poteſt ex 1. part. huius operis, nec repetere oportet] cùm ergó in omnium ſententia fide Catholica prælucente certum ſit Filium non eſſe de Spiritu Sancto, conſequens eſt, vt Spiritus Sanctus ſit de Filio: ſed hæc ratio nullius eſt momenti ſi vera eſt ſententia oppoſita, quoniam facilé reſponderi poſſet Spiritum Sanctum eſſe Deum, ac tertiam in Trinitate perſonam diſtinctam ab alijs; quin propterea ſit de Filio, nec Filius ſit de Spiritu Sancto, ſed ex eo tantúm, quod Filius, & Spiritus Sanctus ſint de Patre naſcendo, & procedendo; ergò hoc in ſententiâ Anſelmi omninò falſum eſt.

21 Præterea ex cap. 5. formatur alia ratio in hunc modum. Si ſola relatio diſparata ſatis eſſet, vt Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, quamquam ab ipſo non procederet, etiam ſatis eſſet, vt diſtingueretur à Patre, quamquam à Patre non procederet; at hoc toto cap. 5. impugnat Anſelmus; ergò in eius ſententia Spiritus Sanctus diſtingui non poteſt à Filio, niſi ab ipſo pro-

cedat. Maior eſt apud Adverſarios certa, ideóque dicunt, quod ſi Spiritus Sanctus à ſolo Filio procederet adhùc diſtingueretur á Patre. Minorem autem oſtendit Anſelmus ibi num. 6. vbi poſtquam dixerat Filium non aliter diſtingui á Patre, niſi quia eſt de Patre, ita proſequitur: *Videtur itaque, quod Spiritus Sanctus non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſſe, quod eſt.* Si ergó *non per aliud*, hoc eſt, nulla alia eſt ratio, vt Spiritus Sanctus diſtinguatur à Patre, niſi quia eſt de Patre, profectó nulla alia eſt ratio, vt Spiritus Sanctus diſtinguatur à Filio, niſi quia eſt de Filio.

22 Opponit Maſtrius ex eodem Anſelmo cap. 27. *Patet ergò ſicut ſuprà præmiſi, præter hoc, quod Filius exiſtit naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo; hac quoque de cauſa, quia ſcilicèt, Spiritus Sanctus eſt de Filio, eos de invicem non poſſe dici.* Infert autem Maſtrius num. 214. *Ex quibus verbis evidentiſsimè claret Anſelmum vtramque cauſam diſtinctionis agnoviſſe inter Filium, & Spiritum Sanctum*, quare ablata per impoſsibile proceſsione Spiritus Sancti á Filio adhùc maneret ſufficiens cauſa diſtinctionis.

23 Sed ad hanc impugnationem efformandam opportuit ex induſtria verba immediatè ſequentia prætermittere, ſic enim proſequitur: *Et propter hoc ſolùm Filium non poſſe eſſe de Spiritu Sancto; nam quoniam, vt dictum eſt, aut Filius eſt de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus eſt de Filio*; ergó *propter hoc ſolùm* Filius, & Spiritus S. non poſſunt dici adinvicem, quia vel Filius eſt de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio; ergò cum Filius non ſit de Spiritu Sancto, *propter hoc ſolùm*, ideſt, non alia de cauſa Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguntur.

24 Hæc, & alia §. ſequenti amplius enucleabimus alia omittendo, infinitus namque eſſem, ſi per omnia expatiari liceret, quoniam ex omnibus ferè capitibus irrefragabile deſumi poſſet argumentum ad eandem veritatem confirmandam; vndè hæc ſententia ità expreſsè traditur ab Anſelmo, principijſque ab ipſo præmiſsis ita evidenter conſequitur, vt mirari non potuerim Cardinalem Aguirre ſibi perſuadere potuiſſe S. Doctorem á Scotiſtis in ſuæ opinionis ſubſidium probabiliter allegari poſſe, cum nihil in tanto Doctore invenire potuerim, quod oppoſitæ ſententiæ ſuffragium præſtet, quidquid in oppoſitum nonnulli ſentiant, preſertim Vazquez, qui aliàs in Sanctis Patribus maximè verſatus, non modò Anſelmum iudicat in contrariam declinare ſententiam, verùm etiam effatum illud, totiuſque controverſiæ baſim: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*, in ſanctiſsimo Doctore nullum habere fundamentum affirmat, cum ſit ab ipſo evidentiſsimè traditum, vt conſtat ex authoritate relata num. 9. qui propterea carpitur ab alijs, præſertim à Petavio eiuſdem Societatis Doctore clariſsimo lib. 7. de Trinit. cap. 9. ibi: *Quarè quod vulgatum hoc axioma paſsim illi tribuitur:* In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio, *falsò id dici, nec vllum in eius authoritate fundamentum habere ſententiam iſtam. Verùm nihil evidentius eſt, quàm & Anſelmum ita iudicaſſe ſolam non modò relationem, ſed relationum etiam oppoſitionem perſonarum diſcrimen facere, & quod inde ſequitur commune illud dictum ex eius authoritate manaſſe, vt mirum ſit ab eo Theologo* (P. Vazquez) *qui quidem Anſelmi legiſſet Epiſtolam, affirmare hoc alterum potuiſſe.*

25 Sed & axioma illud á cęteribus omnibus Theologis probatum, quod in Anſelmo non vidit acutiſsimus Vazquez, vidit Doctor Ang. qui in Diſput. q. 10. a. 5. ait: *Anſelmus in libro de Proceſſione Spiritus Sancti dicit; quod Pater, & Filius in omnibus ſunt vnum, niſi in his, in quibus diſtinguit inter eos relationis oppoſitio.*

Ratione ex Anſelmo deducta ſuadetur Concluſio.

§. IV.

26 PROBATUR Igitur primò concluſio ratione deducta ex eodem S. Anſelmo: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio*; ſed inter Filium, & Spiritum Sanctum nulla obviat relationis oppoſitio, ſi hic ab illo non procedit; ergó Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnum, ſi hic ab illo non procedit.

dir. Maior eſt expreſſa propoſitio Anſelmi, vt conſtat ex dictis, probata ab Ang. Doctore, & communiter Theologis: & colligitur ex Conc. Toletano XI. ita de divinis perſonis in confeſsione Fidei loquente: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod adinvicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Quod idem repetit Ioan. Theologus in Conc. Florentino ſeſſ. 18. Minor autem facilè oſtenditur: Omnis relatio fundatur in proceſsione, & origine vnius perſonæ ab alia, vt ex ſuperioribus ſatis conſtat; negata enim proceſsione vnius perſonæ ab alia non eſſet vnde probaretur Trinitas perſonarum contra Sabellium; nec divinitas Filij contra Arriũ; nec eadem divinitas Spiritus Sancti contra Macedonium, ſi vna perſona non haberet eandem naturam divinam communicatam ab alia: quo argumento vtitur Anſelmus cap. 3. & ſeqq. Et ratio eſt, quia relativa oppoſitio non eſt alia in Deo, quàm relatio producentis ad productum, & è contrà; at ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet relatio producentis ad productum; ergo nec relativa oppoſitio.

27 Occurrit Maſtrius diſp. 7. q. 4. n. 218. diſtinguens duplicem oppoſitionem: aliam relativam: aliam relationis. Prima eſſe non poteſt ſine proceſsione vnius perſonæ ab alia, quæ tamen ſimpliciter neceſſaria non eſt ad diſtinctionem perſonarum: ſecunda fit per relationes diſparatas, & hæc eſt prima, ac ſufficiens diſtinctionis ratio. Porrò Anſelmus (inquit) nunquam dixit in divinis omnia eſſe vnum, vbi non obviat relativa oppoſitio, ſed relationis oppoſitio, quod eſt longè diverſum; quoniam Anſelmus per *oppoſitionem relationis* non intelligit oppoſitionem expreſsè ſumptam, ſed latè, prout oppoſitio ſignificat repugnãtiam, & incompoſsibilitatem in eadem perſona, ad quod ſatis eſt relatio, ſive oppoſitio diſparata: & hac etiam doctrina occurrit ad authoritates Conciliorum.

28 Verum optimè dixit Ferchius ex eadem Familia, & Schola, quæſt. 6. cap. 7. n. 79. oppoſitionem hanc diſparatam vanam eſſe, atque fictitiam, ſolúmque excogitatam eſſe ad eludenda argumenta adverſa, & D. Anſelmi authoritatem: & quidem meritò, nàm Anſelmus exponens hanc oppoſitionem relationis cap. 3. n. 1. inquit relationis oppoſitionem impedire vnitatem, *quia natura non permittit, nec intellectus capit exiſtentem de aliquo eſſe illum, de quo exiſtit*, & cap. 2. n. 2. *Supra dicta relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia duobus modis eſt Deus de Deo.* Ac vbicumque de tali oppoſitione loquitur, ſemper loquitur de oppoſitione relationis, quæ fundatur in proceſsione, & nativitate, & ab illa naſcitur, quæ proculdubio eſt relatio originis, ſive oppoſitio relativa; nullo ergo iure vera, & propria relatio, ſive relativa oppoſitio, de qua loquitur Anſelmus, ad relationem latam, ſenſumque improprium detorquetur.

29 Secundò. Quia Anſelmus hæc omnia proponit in eum ſcopum collimans vt probaret contra Græcos Spiritum Sanctum á Filio procedere, vt re ipſa probavit, victoriam obtinuit, approbante Concilio, laudante Pontifice, ipſiſque Græcis annuentibus; at ſi loqueretur de oppoſitione diſparata tám longè abeſſet ad id probandum, quin potius principia proponeret ad oppoſitum ſuadendum, nam oppoſitio diſparata non probat proceſsionem vnius perſonæ ab alia, ſed ſine tali proceſsione datur, vt ſententia oppoſita docet; ergo dici non poteſt Anſelmum de oppoſitione diſparata eſſe locutum. Quis enim credat ad probandam proceſsionem Spiritus à Filio Anſelmum præmiſiſſe principia, & media, quæ cum tali proceſsione nullam connexionem habent?

30 Eadem Anſelmi doctrina in Concilio Barenſi propoſita vtebatur Ioannes Theologus in Conc. Florentino ſeſſ. 18. per hæc verba: *Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores divina profeſſione perſonas multiplicat, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, vna perſona ab alia differat*; ſola ergo relatio, quæ ex divina proceſsione oritur, perſonas multiplicat, quæ non eſt relatio diſparata, ſed oppoſita: at in ſententia contraria non ſola relatio, quæ ex divina proceſsione oritur, ſed vlterius relatio diſparata, quæ ſecluſa proceſsione manet, perſonas multiplicat; ergo ſententia contraria contradictoriam propoſitionem propoſitioni Concilij tuetur.

31 Nec ſatis occurrunt, ſi aſſerant ea verba non eſſe Concilij, ſed Ioannis Theologi. Nam etſi Concilij non ſint, ſunt tamen Theologi nomine Concilij loquentis. Secundò. Quia prolata ſunt tacita ap-

pro-

probante Concilio. Tertiò. Quia pronunciata, non ex ſenſu proprio, ſed tanquam certa apud omnes Græcos, & Latinos. Quartò. Quia dicta in cauſa graviſsima à viro quidem doctiſsimo partes Latinorum agente, & ad hoc munus à Concilio electo, atque adeò maxima authoritate digna.

32 Ulteriùs impugnatur ſolutio ratione. Oppoſitio diſparata ſe ſola non ſufficit, vt Spiritus Sanctus diſtinguatur realiter à Filio; ergo ſecluſa oppoſitione relativa, quæ ex proceſsione naſcitur, non diſtinguuntur realiter. Antecedens probatur. Inter filiationem, & ſpirationem activam datur oppoſitio diſparata; ſed hæc non ſufficit ad diſtinctionem perſonarum; ergo nec oppoſitio diſparata inter eandem filiationem, & ſpirationem paſsivam ſatis erit ad diſtinctionem realem Spiritus Sãcti à Filio: quod idem dicendum de paternitate, & ſpiratione activa in Patre, cuius oppoſitio diſparata ſatis non eſt ad diſtinctionem realem.

33 Reſpondent duplicem eſſe oppoſitionem diſparatam: vnam tantúm formalem, qualis eſt inter filiationem, & ſpirationem activam, ſicut inter eandem ſpirationem activam, & paternitatem; & hæc non ſufficit ad realem diſtinctionem perſonarum: alteram eſſe realem qualis eſt inter filiationem, & ſpirationem paſsivam, & hæc ſatis eſt ad realem diſtinctionem perſonarum. Sed hæc ſolutio ſupponit id ipſum, quod diſputamus, nam præfata impugnatio contendit nullam oppoſitionem diſparatam in divinis ex natura rei eſſe realem; ergo ſolutio occurrens ex eo, quod in divinis datur oppoſitio diſparata realis, ſupponit id ipſum, quod diſputamus. Et ratio eſt, quia tunc oppoſitio diſparata eſt realis, quando eſt inter extrema diſparis rationis limitatæ, quorum vnum propter ſuam limitatam perfectionem non eſt perfectio alterius; ſed in divinis aliter contingit, quia quodlibet prædicatum, quantumvis diſparis rationis, eſt infinitum, ideoque omnem perfectionem ſecum identificans, niſi obviet oppoſitio relativa, vt Anſelmus ſæpè repetit, ergo in divinis nulla oppoſitio diſparata ex natura rei ſecluſa oppoſitione relativa poteſt eſſe realis.

34 Reſpondent oppoſitionem diſparatam, aliam eſſe inter extrema inſociabilia in eadem perſona; aliam inter extrema in eadem perſona ſociabilia: prima eſt realis, & datur inter filiationem, & ſpirationem paſsivam: ſecunda eſt formalis tantùm, & datur inter filiationem, & ſpirationem activam. Sed regreditur impugnatio facta; quoniam contendit nullam oppoſitionem diſparatam ſecluſa oppoſitione relativa in divinis eſſe inter extrema inſociabilia, propter dicta; ergo illius ſolutio ex eo, quod oppoſitio diſparata eſt inter extrema inſociabilia, ſupponit id ipſum, quod diſputamus.

35 Reſpondent de facto inter filiationem, & ſpirationem paſsivam dari oppoſitionem diſparatam, realemque diſtinctionem; cum ergo in eventu, quo Spiritus Sanctus non procederet à Filio maneret eadem filiatio, & ſpiratio paſsiva, adhuc in eo eventu hoc ſolo titulo Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguerentur realiter. Sed contrà. Et primò, quod de facto filiatio, & ſpiratio paſsiva diſtinguantur realitèr, non oritur ex oppoſitione diſparata, ſed relativa, vt ſæpius dictum eſt. Sed demus de facto realitèr diſtingui filiationem á ſpiratione paſsiva ex oppoſitione diſparata, adhuc non probatur realiter diſtingui in data hypotheſi. Et probatur. Etſi de facto oppoſitio diſparata inter filiationem, & ſpirationem paſsivam ſit realis, in data hypotheſi eſſet tantúm formalis, & non realis; ergo etſi de facto diſtinguatur realiter filiatio à ſpiratione paſsiva ex oppoſitione diſparata, non tamen in data hypotheſi. Antecedens probatur. Etſi de facto oppoſitio diſparata inter filiationem, & ſpirationem activam ſit tantùm formalis, inſufficiens ad diſtinctionem realem, in data hypotheſi eſſet realis, & ſufficiens ad diſtinctionem realem; quoniam de facto Filius ſpirat, & in eo eventu non ſpiraret; ergo etſi de facto oppoſitio diſparata inter filiationem, & ſpirationem paſsivam ſit realis, in data hypotheſi eſſet tantum formalis, & inſufficiens ad diſtinctionem realem. Patet conſequentia, quia non minus repugnat extrema de facto indiſtincta realiter eſſe in data hypotheſi realitèr diſtincta; ac extrema de facto realiter diſtincta eſſe in data hypotheſi realiter indiſtincta; ſi ergo ex data hypotheſi ſequitur primum, negari non poteſt ſecundum.

36 Rurſus. Eadem ſequela probatur. Ideó de facto filiatio eſt realiter indiſtincta á ſpiratione activa, & in data hypotheſi diſtingueretur, quia de facto Filius ſpirat, & in data hypotheſi non ſpi-

ſpiraret ; ſed Spiritus Sanctus de facto eſt ſpiratus à Filio , & in data hypotheſi non eſſet ſpiratus á Filio ; ergo etſi de facto filiatio diſtinguatur realiter à ſpiratione paſsiva , in data hypotheſi non diſtingueretur. Prætereà. Ideó filiatio , & ſpiratio activa de facto non diſtinguntur realiter , quia ità opponuntur diſparatè, vt ſint fœderabiles in eadem perſona ; ſed hoc non obſtante caſu , quo Spiritus Sanctus non procederet á Filio , ita opponerentur diſparatè , vt eſſent infœderabiles in eadem perſona ; ergo etſi filiatio , & ſpiratio paſsiva de facto ſint infœderabiles in eadem perſona in data hypotheſi eſſent fœderabiles.

37 Denique. Si ſola oppoſitiò diſparata inter extrema relativè non oppoſita ſatis eſt ad diſtinctionem realem , nulla ſupereſt ratio , ne perſonæ divinæ conſtituantur per prædicata omninò abſoluta, ſed hoc Scotus non dicet ; ergo nec primum dici poteſt. Sequela probatur. Quicumque diceret perſonas divinas conſtitui per prædicata abſoluta , profectò diceret ea eſſe oppoſita oppoſitione diſparata, & in eadem perſona infœderabilia ; ſed hoc ſatis eſt iuxta Scotum ad diſtinctionem perſonalem , ergo non erit cur perſonæ divinæ non conſtituantur per prædicata abſoluta.

38 Confirmatur. Ideó Scotus ait proprietates perſonales conſtituere perſonas , quia ſunt in eadem perſona incompoſsibiles ; ſed qui conſtitueret perſonas per abſolutas perfectiones , aſſereret eſſe in eadem perſona incompoſsibiles ; ergo eadem probabilitate , qua Scotus primum affirmat , poterit affirmari ſecundum , ſi vera eſt illius doctrina. Si Scotus reſpondeat omnia abſoluta in divinis eſſe communia. Reſpondebunt conſtituentes perſonas per abſolutum ea tantùm eſſe communia , quæ non opponuntur diſparatè. Si iterùm dicat ſolam oppoſitionem diſparatam inter proprietates perſonales ſufficere ad diſtinctionem realem , & conſtitutionem perſonarum. Iterùm occurrent aſſerendo perfectiones illas abſolutas eſſe proprietates perſonales ; & ità in quodcumque latus ſe vertat , nullam poterit aſsignare rationem , cur aliqua prædicata in divinis ſint communia , & alia perſonalia , & incommunicabilia , ſi ſola oppoſitio diſparata ſufficit ad incommunicabilitatem , niſi fiat recurſus ad oppoſitionem relativam.

39 Tandem. Opinio Durandi affirmantis ſpirationem activam eſſe realiter modaliter diſtinctam á paternitate, nec tamen ſpecialem conſtituere perſonam , erit omninò vera. Quoniam ſe protegere poterit eadem Scoti doctrina aſſerendo paternitatem , & ſpirationem activam , quantumvis realiter modaliter diſtinctas , & diſparatè oppoſitas , eſſe in eadem perſona ſociabiles. Nihil enim opponi poterit, cui Durandus ex prædicta Scoti doctrina non occurrat ; & tamen ea Durandi ſententia eſt Scotiſtis , cæteriſque Theologis exoſſa; ergo.

(†)

Secunda Anſelmi ratio proponitur, & expenditur.

§. V.

40 SEcunda ratio ſupra inſinuata ex Anſelmo proponi poteſt ſub hac diſſerendi formula. Ut Spiritus Sanctus diſtinguatur perſonaliter à Filio neceſſe eſt , vel quod Spiritus Sanctus procedat à Filio , vel quod Filius procedat de Spiritu Sancto ; at dici non poteſt Filium procedere de Spiritu Sancto ; ergo dici non poteſt Spiritum Sanctum diſtingui perſonaliter à Filio , niſi procedat à Filio. Maior probatur, Spiritus Sanctus ita diſtinguitur perſonaliter à Filio ; tàm de facto , quàm in data hypotheſi , vt ſit idem in natura cum illo , vt ipſi Adverſarij ſupponunt , alioquin multiplicaretur natura divina; at implicat perſonalis diſtinctio cum vnitate in natura inter Filium , & Spiritum Sanctum , niſi Filius procedat à Spiritu Sancto , vel Spiritus Sanctus procedat à Filio ; ergo vt Spiritus Sanctus diſtinguatur perſonaliter à Filio neceſſe eſt , vel quod Filius procedat de Spiritu Sancto , vel Spiritus Sanctus de Filio. Probo minorem. Implicat vnitas in natura inter duas perſonas diſtinctas , niſi vna habeat eandem naturam communicatam ab alia , ſi enim vna perſona ſuam eandem naturam alteri nó communicat , non eſt vnde ſubſiſtat vnitas in natura , quarè neceſſe erit negare vnitatem in natura divina , pluresque Deos conſtituere , aut negare aliquam ex perſonis eſſe Deum. Quod etiam evincitur ex eo, quod ſi Spiritus procedit à ſolo Patre,

&

& non á Filio, in Filio non eſt eadem virtus ſpirativa, quæ eſt in Patre; & conſequenter nec eadem voluntas, nec eadem natura: & eadem ratione in Spiritu Sancto non erit eadem natura cum Filio, quia Spiritus S. haberet naturã communicatam à ſolo Patre; cum ergo Pater haberet diverſam naturam à Filio, conſequens eſt, vt Spiritus Sanctus non poſsit habere eandem naturam cum Filio, ſi ab illo procedit; ad hæc ergo evitanda incommoda neceſſe eſt affirmare nullam eſſe diſtinctionem realem perſonalem inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſi vnus ab alio non procedit. Undê Anſelmus dicto cap. 4. n. 1. ait: *Aut Filius eſt de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio: quod qui negat, neget etiam neceſſum eſt vnum ſolum eſſe Deum, aut Filium Deum eſſe; aut Spiritum Sanctum Deum eſſe; aut Deum eſſe de Deo, quia ex his ſequitur, quod dico.*

41 Eadem ratione vtebantur Latini Patres contra Græcos in Concilio Florentino ſeſſ. vlt. his verbis: *Credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt vt intelligant Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium. Qui autem proferunt Spiritum Sanctum à ſola Patris perſona procedere, hi proculdubio re ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ, quod à ratione, fideque valde alienum piè creditur.* Hucuſque Concilium eiſdem verbis, quibus legendum putat Maſtrius: in quo abſtinendum puto à ponderatione eorum verborum: *& conſequenter non eſſe Filium.* Nam alij legunt: *& conſequenter eum eſſe Filium.* Quaſi Concilium dicat: credentes Spiritum Sanctum nequaquam à Filio procedere, conſequenter affirmare debent eum eſſe Filium, hoc eſt à Filio non diſtingui.

42 Alij legentes cum Maſtrio: *& conſequenter non eſſe Filium*: ſimile deducunt abſurdum. Quaſi Concilium dicat: credentes Spiritum Sanctum á Filio non procedere, conſequenter affirmare debent in divinis non eſſe Filium, ſive Filium non exiſtere. Verùm prædictus Author cum alijs cenſet ſenſum Concilij eſſe prorſus diverſum, videlicet: credentes Spiritum Sanctum à Filio procedere, & conſequenter, ſive ſimul credentes eum non eſſe Filium, ponunt partitionem in ſubſtantia, quod eſt à Fide Catholica alienum.

43 Hanc expoſitionem libenter admitto: ſed ex ea noſtra ratio efficaciter confirmatur, quod ſic oſtendo. Credentes Spiritum Sanctum à Filio non procedere, & ſimul affirmantes eum diſtingui perſonaliter à Filio, ponunt partitionem in ſubſtantia; ergo ne ponant partitionem in ſubſtantia, ſive diviſionem in natura divina affirmare debent, vel Spiritum Sanctum procedere á Filio, vel à Filio perſonaliter non diſtingui; ergo iuxta Concilium diſtinctio perſonalis inter Filium, & Spiritum Sanctum cum vnitate naturæ prorſus repugnat, ſi Spiritus Sanctus à Filio non procedit, vt ſupra ex Anſelmo dictum eſt.

44 Reſponder Maſtrius n. 205. ex his potius ſuam probari ſententiam, quandoquidem Concilium affirmat, quod ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, diſtingueretur, non tantùm perſonaliter, ſed etiam in natura; ergo quia iudicavit ad diſtinctionem perſonalem Spiritus Sãcti à Filio neceſſariam non eſſe proceſsionem ab illo, cùm potius in ea hypotheſi maiorem ponat diſtinctionem, nimirùm, ſubſtantialem, & naturalem. Sed hæc ſolutio evertit totum quæſtionis ſuppoſitum, quia controverſia non procedit de alio Spiritu Sancto chymerico, ac diſtinctæ naturæ à cæteris perſonis, ſed de Spiritu Sancto re ipſa exiſtente, eiuſdemque naturæ, cum Patre, & Filio in ſenſu dicto n. 4. ac ita ſupponit idem Maſtrius num. 189. & ſequentibus; at diſtinctio perſonalis cum vnitate naturæ inter Filium, & Spiritum Sanctum eſt prorſus implicatoria, ſi Spiritus Sanctus à Filio non procedit, vt probat Concilium, & concedit Maſtrius; ergo vt Spiritus Sanctus ſit diſtinctus perſonaliter à Filio, & non in natura divina, neceſſariò debet procedere à Filio, nec ſufficit, quod procedat á ſolo Patre.

45 Explicatur hæc ratio. Dubium non procedit de alio Spiritu Sancto ficto, qualis eſſet Spiritus Sanctus diſtinctus ſubſtantialiter à Filio, ſed de Spiritu Sancto vero Deo, re ipſa exiſtente, ſeclusa ſola proceſsione à Filio, & poſito, quod à ſolo Patre procederet; ergo procedit de Spiritu Sancto non diviſo in ſubſtantia à Filio, ſed tantùm perſonaliter à Filio diſtincto. Inquirimus ergo, an hoc ſit poſſibile? Maſtrius cum alijs Scoti Diſcipulis affirmat. Anſelmus, & Concilium negant, eo quod *credentes Spiritum Sanctum ne-*

qua-

quaquam ex Filio procedere, procul dubio partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ, atque adeó ponũt Spiritum Sanctum fictum, & chymericum; ergo hæc ſententia Anſelmo, & Concilio contradicit.

46 Confirmatur hæc doctrina ratione alia. Si Spiritus Sanctus non procederet á Filio, eadem perſona Filij eſſet realiter genita, & ſpirata; ergo eſſet ſimul Filius, & Spiritus Sanctus realitèr, nullaque eſſet inter vtrumque diſtinctio realis, ſed tantum formalis, & virtualis. Antecedens probatur. Eo in eventu perſona Filij opponeretur Patri non ſolùm vt Genitori, ſed etiam vt Spiratori, ergo eſſet genita, & ſpirata. Antecedens probatur. Eo in eventu Pater non communicaret Filio virtutem ſpirativam; ergo opponeretur illi vt Spiratori. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Pater omnia communicat Filio exceptis ijs, in quibus relativè opponuntur, quapropter docet idem Concilium Patrem omnia communicare Filio præter eſſe Patrem, nimirùm excepta paternitate; ſed Pater in ea hypotheſi non communicaret Filio virtutem ſpirativam; ergo quia Filius opponeretur Patri, vt ſpiratori, ſicut de facto opponitur Patri vt Genitori; ſed opponi non poteſt Filius Patri vt ſpiratori, niſi ſit ſpiratus; ergo idem realiter Filius eſſet genitus, & ſpiratus. Et ita vrgeri poſſunt omnia argumenta facta.

Oppoſitæ ſententiæ argumenta enervantur.

§. VI.

47 QVæ ex S. Anſelmo opponi poſſunt ex ſuperioribus enodata manent. Arguitur ergo primò ratione. De facto datur in Deo diſtinctio realis ſine oppoſitione relativa; ergo etſi Spiritus Sanctus non procederet á Filio, nec ideò haberet oppoſitionem relativam, adhuc diſtingueretur ab illo. Antecedens probatur. Paternitas, & filiatio diſtinguntur realiter à ſpiratione paſſiva; & tamen non opponuntur relativè; ergo de facto datur diſtinctio realis ſine oppoſitione relativa.

48 Confirmatur primò. Adhuc in facta hypotheſi maneret in Filio ratio formalis diſtinctionis; ergo adhuc Filius diſtingueretur á Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus ab ipſo. Antecedens probatur. Ratio formalis diſtinctionis in Filio eſt filiatio; at filiatio maneret, vt ſupponimus; ergo maneret ratio formalis diſtinctionis. Maior probatur. Filius per filiationem conſtituitur in eſſe talis; ergo per illam formaliter diſtinguitur, cum ratio conſtitutiva ſit diſtinctiva ab omni alio. Confirmatur ſecundò. Id, per quod Filius eſt natus, & Spiritus Sanctus non eſt natus diſtinguit Spiritum Sanctum à Filio; ſed hoc maneret in data hypotheſi; ergo in ea hypotheſi Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio. Probatur minor. Ideò Filius eſt natus, & Spiritus Sanctus non eſt natus, quia ille procedit per intellectum, hic autem per voluntatem; ſed hoc maneret in ea hypotheſi, cum ſemper Filius eſſet terminus intellectionis paternæ; & Spiritus Sanctus terminus volitionis eiuſdem Patris; ergo.

49 Huic argumento diverſimodè occurrunt noſtræ ſententiæ Doctores, vel (vt verius opinor) diverſis termi nis, qui propterea ſe mutuò impugnantes, tandem in eundem ſcopum, eandemque doctrinam collimare videntur; idcircò ab importuna eorum impugnatione abſtineo. Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Non opponuntur relative vt *quo*, concedo minorem: vt *quod*, nego minorem. Uel alitèr: non opponuntur relativé in abſtracto, concedo minorem. In concreto, nego minorem, & conſequentiam. Nam licet paternitas, & filiatio non ſint id, quo Pater, & Filius opponuntur Spiritui Sancto; attamen Pater conſtitutus per paternitatem, & Filius conſtitutus per filiationem opponuntur Spiritui Sancto media relatione ſpirationis, vndè ipſa paternitas, & filiatio vt *quod*, & in concreto opponuntur. Ratio huius eſt, quia oppoſitio relativa non ſolùm eſt inter formas relativas, ſed etiam inter relativa ſuppoſita, qua ratione non ſolùm paternitas opponitur filiationi, ſed etiam Pater opponitur Filio, & è contra: ſic ſimiliter non ſola relatio ſpirationis activæ opponitur paſſivæ, ſed ipſe Pater, & Filius ratione eiuſdem relationis ſpiratoris opponuntur Spiritui Sancto, quare nunquam probatur diſtinctio realis in divinis ſine oppoſitione relativa.

Ad

50 Ad primam confirmationem, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Ratio formalis diſtinctionis à Spiritu Sancto eſt filiatio vt *quo*, nego maiorem, vt *quod*, & in concreto, concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Filiatio maneret inadæquatè, & ſecundùm expreſſum filiationis, concedo minorem. Adæquatè, & vt fundans, ac radicans ſpiratiouem actiuam, nego minorem, & conſequentiam. Ad ſecundam confirmationem; conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Sed hoc maneret in dicta hypotheſi inadæquatè, concedo minorem. Adæquatè, nego minorem, & conſequentiam.

51 Itaque in hypotheſi maneret in Filio filiatio inadæquatè, & ſecundùm expreſſum filiationis: attamen de facto ipſa filiatio, ſicut & paternitas, habet ex proprio, & peculiari conceptu radicare ſpirationem actiuam, quia Pater, & Filius ſunt principium ſpirationis amoris mutui, atque adeó tanquàm duo ſuppoſita diuerſa, vt dictum eſt dubio antecedenti, quanquam vt *quo*, & inſpecta virtute ſpirativa concurrant per modum vnius: caſu autem, quod Filius non ſpiraret, filiatio non radicaret ſpirationem, ſubindeque non maneret in Filio filiatio adæquatè ſumpta ſecundùm totum, quod habet in eſſe filiationis.

52 Et notandum hæc & alia argumenta deducta ex eo, quod contingit de facto ad id, quod eſſet in ea hypotheſi, nihil convincere: nam etiam de facto virtus ſpirativa Patris eſt vna, & eadem cum virtute ſpirativa Filij, cum tamen in ea hypotheſi aliter contingeret, vt dictum eſt n. 35. & ſequentibus; ergo etſi de facto filiatio diſtinguat filium à Spiritu Sancto; non ita in ea hypotheſi.

53 Sed vrgent Adverſarij. Pro priori ad ſpirationem actiuam; immò & pro priori ad radicationem ſpirationis actiuæ, intelligitur Filius conſtitutus in eſſe Filij; ergo & diſtinctus ab omni alio; ergo & diſtinctus à Spiritu Sancto quia quælibet res per id ipſum, per quod conſtituitur in ſuo eſſe, diſtinguitur ab omni alio; at in data hypotheſi maneret filiatio conſtituens Filium in eſſe filij; ergo & illum diſtinguens á Spiritu Sancto. Secundò. Licet relatio ſpiratoris afficiat Patrem, & Filium, eoſque referat ad Spiritum Sanctum, attamen nec Pater conſtituitur in eſſe Patris, nec Filius in eſſe Filij, per talem relationem ſpiratoris, ſed per paternitatem, & filiationem pro priori ad relationem ſpiratoris; at Pater conſtitutus in ſuo eſſe Patris, & Filius in ſuo eſſe filij, diſtinguitur à Spiritu Sancto, quia conſtitutivum, & diſtinctivum idem ſunt; ergo Pater, & Filius per ſolam paternitatem, & filiationem diſtinguntur à Spiritu Sancto.

54 Ad primum, nego antecedens quoad ſecundam partem, quia ipſa filiatio vt formaliter conſtitutiva Filij radicat ſpirationem actiuam, atque adeò concipi non poteſt filiatio vt conſtitutiva Filij non concepta radicatione ſpirationis, per quam vt *quo*, & formaliter diſtinguitur à Spiritu Sancto, vndè in caſu quæſtionis maneret filiatio duntaxat inadæquatè, & expreſsè conſtitutiva Filij, ſed quia non radicaret ſpirationem actiuam non maneret cum ſufficienti diſtinctivo à Spiritu Sancto. Ad probationem dico, quod conſtitutivum diſtinguit ab omni alio, ſi ſit adæquatum; hoc eſt, diſtinguit ab omni alio, non tamen per eandem expreſsionem, quia conſtitutio eſt per ordinem ad ſe, diſtinctio per ordinem ad aliud, quoniam ex noſtro modo concipiendi quælibet res prius eſt in ordine ad ſe, quám in ordine ad aliud, vndè ſi hæc expreſsio, ſiue radicatio ſpirationis ſeparetur in data hypotheſi à filiatione, non mirum ſi filiatio conſtituat filium, & eum non diſtinguat á Spiritu Sancto. Ad ſecundum ſimiliter dico relationem ſpirationis formaliter ſumptam non conſtituere Filium in eſſe filij, ſed tantùm radicaliter accepta, quia hoc modo non diſtinguitur à filiatione adæquatè ſumpta in eſſe filiationis.

55 Oppones. Filiatio vt talis nullo modo radicat ſpirationem actiuam; & tamen conſtituit filium; ergo independenter à radicatione ſpirationis diſtinguit Filium à Spiritu Sancto. Maior probatur. Radicatio ſpirationis eſt communis Patri, & Filio, ſed filiatio vt talis non eſt cõmunis Patri, & Filio; ergo filiatio vt talis non radicat. Maior prob. Spiratio radicata eſt communis Patri, & Filio; ergo & radicatio. Secũdó. Relatio ſpiratoris æqualiter afficit Patrem, & Filium; ergo æqualiter refert; ergo in Patre, & Filio nulla eſt inæqualitas in ordine ad Spiritum Sanctum. Tertiò. Quod filiatio radicet ſpirationem actiuam, relationemque ſpiratoris, non probat vllo modo opponi Spiritui Sancto, nam etiam eſſentia radicat, & nullo modo opponitur.

Quar-

Quartò. Sicut relatio ſpiratoris afficit filiationem, ita paternitas eſſentiam; & tamen paternitas non refert eſſentiam ad Filium; ergo nec relatio ſpirationis refert filiationem ad Spiritum Sanctum. Patet conſequentia; ideò namque paternitas non conſtituit eſſentiam relatam ad Filium, quia eſſentia non opponitur Filio; ſed nec filiatio opponitur Spiritui Sancto; ergo.

56 Ad primum reſpondeo negando maiorem, ad probationem, diſtinguo maiorem. Eſt communis quaſi genericè, concedo maiorem: ſpecificè, nego maiorem. Nam licèt ſpiratio radicata ſit eadem, eam tamen diverſo modo radicant, quia vt ſæpè dictum eſt Pater, & Filius radicant vt duo ſuppoſita diſtincta, quoniam radicant ſpirationem productivam amoris mutui, quæ diverſitas non eſt alia, quàm quæ datur inter Patrem, & Filium, quoniam Pater radicat ſpirationem per virtutem ſpirativam à ſe; Filius verò per virtutem ſpirativam à Patre. Ad ſecundum conceſsis alijs, diſtinguo conſequens. Nulla eſt inæqualitas vt *quo*, & inſpecta virtute ſpirativa, concedo: vt *quod*, & attenta conditione ſuppoſiti ſpirantis, & radicantis, nego propter dicta.

57 Ad tertium, nego antecedens, quod nõ probatur ex paritate eſſentię propter manifeſtam diſparitatẽ ab omnibus admittendum, nam eſſentia non eſt capax vt referatur, cum ſit omninó abſoluta: attamen paternitas, & filiatio ſunt de genere relativo; certum namque eſt, quod eſſentia in Patre non refertur ad Filium; certum iterum eſt, quod Pater, & Filius per relationę ſpiratoris referuntur ad Spiritum Sanctum; quare eſſentia radicat per modum prędicati abſoluti, communis, & irreferibilis: paternitas, & filiatio per modum prædicati relativi, & referibilis. Per quod conſtat ad vltimam impugnationem.

58 Arguitur ſecundò. Implicat idem habere eſſe per duas emanationes totales, & adæquatas; ſed ſi Spiritus Sanctus procederet á ſolo Patre, adhuc generatio, & ſpiratio eſſent emanationes totales, & adæquatæ; ergo adhuc perſona genita eſſet diverſâ à ſpirata. Maior conſtat, quidquid enim ſit de quæſtione illa philoſophica. An idem effectus poſsit provenire ſecundúm potentiam Dei abſolutam à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis? Id ſaltim repugnat ex natura rei, quod probat abſolutam neceſsitatem in proceſsionibus ad intra. Minor probatur. Vera generatio, & ſpiratio, ſunt ex natura ſua emanationes adæquatæ, totales, & diverſæ, ſicut & diverſa ſunt earum principia, nimirùm intellectus, & voluntas; at etiam caſu, quo Spiritus Sãctus procederet á ſolo Patre, emanatio per intellectum eſſet vera generatio, emanatio per voluntatem vera ſpiratio; ergo eſſent emanationes adęquatæ, & totales.

59 Confirmatur. In hypoteſi quæſtionis adhuc Filius eſſet per intellectũ, & Spiritus Sanctus per volũtatem; at emanationes per intellectum, & volũtatem habent ex proprio conceptu producere relationes per ſe ſubſiſtentes, & incommunicabiles in eadem perſona; ergo haberent ex proprio conceptu producere perſonas omninó diverſas, ac ita eodem titulo de facto producunt; ſed in data hypotheſi ſemper Filius eſſet per intellectum, & Spiritus Sanctus productus per voluntatem; ergo Filius, & Spiritus Sanctus eſſent perſonæ diverſæ. Confirmatur ſecundò. Adhuc in eo eventu proceſsio per voluntatem eſſet origine poſterior generatione Filij, ſicut voluntas eſt, & eſſet poſterior intellectu; ergo proceſsio per voluntatem ſupponeret generationem Filij; ergo proceſsio per voluntatem eſſet ad aliam perſonam diſtinctam à Filio.

60 Hoc argumentum retorquetur, ſicut & præcedens in Adverſarios. De facto proceſsio per voluntatem vt diſtincta ab emanatione per intellectum, eſt à duplici ſuppoſito; ſed in ea hipotheſi non eſſet emanatio á duplici ſuppoſito; ergo ex eo, quod de facto producat terminum diſtinctum à termino producto per intellectum, non probatur ita contigere in ea hypotheſi. Reſpondeo igitur diſtinguendo maiorem. Per duas emanationes totales realiter diſtinctas; concedo maiorem. Virtualiter tantùm diverſas, nego maiorem; & eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Etenim de facto proceſsiones activæ ſunt totales, & adæquatæ, & tamen non diſtinguntur realiter; ita contingeret in proceſsionibus paſsivis caſu, quo Spiritus Sanctus à Filio non procederet, licèt de facto diſtinguantur realiter, quia de facto proceſsio paſsiva Spiritus Sãcti includit originẽ à Filio, & oppoſitionẽ relativã producti ad producẽtẽ, quę eſt totalis, & adęquata, ratio diſtinctionis; ſed cum hæc oppoſitio & origo non eſſet in ea hypotheſi, removeretur totum diſtinctionis realis principium,

ſolumque virtualiter diſtinguerentur.

61 Et ita expreſsè Doctor Ang. exponens Anſelmi doctrinam 1. p. q. 36. a. 2. ibi. *Ad ſeptimum dicendum, quod Spiritus Sanctus diſtinguitur perſonaliter à Filio in hoc, quod origo vnius diſtinguitur ab origine alterius; ſed ipſa differentia originis eſt per hoc, quod Filius eſt ſolùm à Patre; Spiritus Sanctus verò à Patre, & Filio: non enim aliter proceſsiones diſtinguerentur, ſicut ſupra oſtenſum eſt.* Undè prima confirmatio non vrget. Nam proceſsio per voluntatem habet ex proprio conceptu producere relationem per ſe ſubſiſtentem, & incommunicabilem in eadem perſona cum termino producto per intellectum, ſed eadem proceſsio per voluntatem ſimul habet ex proprio conceptu producere terminum cum ordine originis ad terminum productum per intellectum, quod ſi hoc ſecundum removeas, removes totam rationem diſtinctionis.

62 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo maiorem. Eſſet origine poſterior ordine reali, nego maiorem, ordine virtuali, concedo maiorem. Nam eo in eventu inter proceſsiones paſsivas non eſſet alius ordo, quàm ille, qui de facto eſt inter origines activas, & earum principia, nimirùm intellectum, & voluntatem, qui eſt tantùm virtualis, & ita eadem entitas ſecundùm virtualitatem ſpirati ſupponeret ſe ipſam ſecundùm virtualitatem geniti.

63 Vel ſecundo occurri poteſt argumento negando eas proceſsiones eſſe vllo modo adæquatas, & perfectas in ea hypotheſi adhuc ex parte principij: non quidem generatio, quia Pater per talem generationem non communicaret totum, quod habet, & communicare poteſt, nimirùm virtutem ſpirativam. Non ſpiratio, quia non eſſet á duplici ſuppoſito, nec vtrumque conſtitueret indiviſibiliter ſpirans, nec tenderet ad amorem mutuum. Per quod facilè conſtat ad confirmationes.

64 Arguitur tertiò. Si Spiritus Sanctus á ſolo Filio procederet adhuc diſtingueretur á Patre; ergo etſi à ſolo Patre procederet adhuc diſtingueretur à Filio. Antecedens conſtat, quia ſi Spiritus Sãctus procedens à ſolo Filio nõ diſtingueretur à Patre, eſſet idem cum Patre; cum ergo Pater non poſsit procedere á Filio, nec Spiritus Sanctus, qui eſſet idem cum Patre, poſſet procedere á Filio contra ipſam ſuppoſitionem factam de Spiritu Sancto procedente à ſolo Filio. Conſequentia autem probatur: tùm à paritate rationis: tùm quia eo in eventu Spiritus Sanctus non diſtingueretur à Patre vi oppoſitionis relativæ fundatæ in origine, cum nulla eſſet origo, atque adeò vi ſolius oppoſitionis diſparatæ; ſed hæc etiam eſſet intra Spiritum Sanctum, & Filium, quanquam Spiritus Sanctus non procederet à Filio; ergo.

65 Reſpondeo dupliciter fingi poſſe Spiritum Sanctum non procedere à Patre. Primò. Ita vt nec procedat à Patre, nec à Filio, & in hoc ſenſu docet Anſelmus exprofeſſo c. 5. 6. & 7. contra quendam Græcorum Antiſtitem oppoſitum opinantem nullo pacto diſtingui poſſe à Patre: vndè c. 5. n. 6. ait: *Videtur itaque, quod Spiritus Sanctus non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſſe, quod eſt.* Et cap. 6. *Eſt ergo patens eum per proceſsionem habere eſſe à Patre, & per hoc alium eſſe à Patre; ſicut Filius non per hoc eſt à Patre alius, quàm per hoc, quod de illo exiſtit.* Et id manifeſtè deducitur ex dictis toto quæſtionis diſcurſu, quæ repetere non licet. Quapropter mirum eſt Maſtrium loco citato n. 224. aſſerere potuiſſe *Anſelmum nec per vmbram id vnquàm inſinuaſſe.*

66 Secundó fingi poteſt Spiritum Sanctum non procedere à Patre, ità vt procedat à Filio, vt in argumento dicitur. Et hoc modo hypotheſis includit contradictiones immediatas, ſibique ipſi repugnantes. Sequitur enim per locum ab intrinſeco procedere, & non procedere. Sequitur non procedere, quia ſupponitur. Sequitur procedere: quia procedit à Filio eiuſdem voluntatis, eiuſdemque fœcunditatis cum Patre, nam Filius à Patre habet quidquid habet, ni dicas Patrem communicare Filio fœcunditatem, quam non habet. Itaque in hypotheſi præſentis quæſtionis Pater habet fœcunditatem, quam Filio non communicaret, quod ex terminis non repugnat, quia ex terminis non repugnat principium continens aliquam virtutem alteri non communicare: attamen ex terminis repugnat aliquem habere virtutem communicatam ab alio, & non contineri in communicante, cum ſit lumine naturæ notum: *Nemo dat, quod non habet*: oportet ergo vt virtus ſpirativa communicata Filio ſit in Patre; repugnat ergo Filium ſpirare per eandem voluntatem, eandemque virtutem ſpirativam Patris, & Patrem non ſpirare.

Dices

67 Dices argumentum factum procedere de Patre habente quidem virtutem ſpirativam, quam Filio communicat, non tamen actu ſpirare, quo in eventu Spiritus Sanctus diſtingueretur á Patre, & non relatione, aut oppoſitione originis; ergo ſola oppoſitione diſparata. Reſpondeo hanc ſuppoſitionem alio titulo ſibi ipſi contradicere. Sequitur enim immediatè, & per locum ab intrinſeco Patrem eſſe, & non eſſe Deum. Eſſe Deum, quia ſupponitur: non eſſe Deum, quia eſſet in potentia reali ad ſpirationem, ac ita eſſet in potentia reali, & non actus purus. Undè Græci aſſerentes Spiritum Sanctum non procedere à Filio, conſequenter aſſerebant non poſſe procedere; nec Patrem communicare Filio virtutem ſpirativam, ſicut de facto non communicat generativam. Ex quibus ſolutum manet ſimile argumentum, quod fieri ſolet de Filio non ſpirante Spiritum Sanctum, cum poſſet: in quo eventu Spiritus Sanctus non procederet à Filio; & tamen diſtingueretur ab illo, quia ſi eſſet indiſtinctus, nec procederet, nec poſſet procedere. Nam ſimiles ſuppoſitiones ſunt prorſus inutiles, & ad præſentem controverſiam admitti non poſſunt, quia controverſia non procedit ex aliqua hypotheſi evertente immediatè iura divinitatis in aliqua perſona; at hypotheſis facta de Patre, aut de Filio potente ſpirare, & non ſpirante, iura divinitatis in Patre, aut Filio immediatè evertit, eo quod eum ponat cum potentialitate reali, diſtinctumque ab actu puro. Evertit etiam divinitatem Spiritus Sancti, quia ſi Pater poteſt fingi vt potens ſpirare, & non ſpirans; idem procul dubio dici poterit de Filio; ſi autem Pater, & Filius poſſunt ſpirare, & non ſpirant, Spiritus Sanctus neceſſariò non exiſtit, ſed liberè, & contingenter, atque adeò Deus non erit: quæ omnia ſunt plena contradictionibus ſibi mutuò pugnantibus, ideoque non admittenda; quod aliter contingit in hypotheſi quæſtionis, vt conſtat ex §. 1.

***

(†)

DVBIVM VI.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium?

§. I.

1 PRęſentem diſputationem examinat S. Anſelmus lib. de proceſſ. Spiritus Sancti cap. 15. & operoſius cap. 16. & ſequentibus, in qua non tàm oportet veritatem definire, quàm loquendi modum exponere. Etenim Anſelmus in Concilio Barenſi tali efficacia vrgebat Græcos negantes Spiritum Sanctum eſſe de Filio, vt ab eis obtinuerit eſſe *de Patre per Filium*, ne viderẽtur à proceſsione Spiritus Sancti Filium omninó excludere contra aperta Scripturę teſtimonia ab eodem Anſelmo producta, & argumenta inde deducta. Sed cum iterum eos Anſelmus vrgeret prorſus repugnare Spiritum Sanctum eſſe à Patre *per Filium* non concurrente Filio, in alium dicendi modũ declinarunt aſſerentes Spiritum Sanctum eſſe à Patre *per Filium*, & *de Filio*, non quidem de Filio, veluti principio ſpirante, ſed quaſi vehiculo deferente ſpirationem in Spiritum Sanctum procedẽtem de ſolo Patre tanquam ab vnico fonte, & principio ſpirationis: ſicut lacus procedit de fonte per rivum, cum tota aqua ſit de fonte, quę per rivum tanquam per vehiculum, & aquæductum colligitur in lacu.

2 Sed cum iterum Anſelmus vrgeret Græcos retorquens idem exẽplum in Græcos modo infra referendo, tota controverſia ad ſolum loquẽdi modum devoluta eſt. Quod notans Ang. Doctor in diſp. q. 10. de proceſſ. Spiritus Sancti a. 5. dixit: *Reſpondeo dicendum, quod ſi quis rectè conſideret dicta Græcorum, inveniet quod à nobis magis differunt verbis, quàm ſenſu.* Nec mirũ Doctorem Angelicum hanc protuliſſe ſententiam, quoniam & ipſi Græci eandem apertè ſignificarunt in Concilio Florentino ita loquentes: *Nos Græci declaramus illud, quod nos aſſerimus, Spiritum Sanctum à Patre procedere, non ea mente à nobis proferri, vt Filius excluderetur, à quo non negamus Spiritum Sanctum*

æternùm proceſsiſſe, ſuamque eſſentiam derivaſſe æquè, ac à Patre; ſed quia ſuſpicabamur Latinos affirmaſſe Spiritum Sanctum à Patre, & Filio promanaſſe, tanquam à duobus fontibus, & duabus Sacroſanctæ Trinitatis ſpirationibus; ideò ab hoc loquendi modo, & in eo ſenſu, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedentem dicere cavimus.

3 Itaque aſſerebant Spiritum Sanctum eſſe de Patre *per Filium* negantes eſſe *de Filio*, quia iudicabant *eſſe de Filio* ſignificare Filium eſſe primum divinitatis fontem, & principium, ſicut Pater, & ſpirare Spiritum Sanctum per ſpirationem diverſam. Sed alij in ſua contumacia perſiſtentes ita aſſerebant Spiritum Sanctum eſſe de Patre *per Filium*, vt Filius nullo pacto ſpiraret, quos propterea impugnat Anſelmus locis citatis. Et Ang. Doctor 1. p. quæſt. 36. a. 3. Et in 1. diſt. 12. a. 3. opuſc. 2. cap. 41. & opuſc. 9. cap. 27. alijſque in locis.

Præcipua argumenta Græcorum referuntur.

§. II.

4 OPponebant primò Græci illud ad Rom. 11. *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, quaſi dicat Apoſtolus: *ex ipſo*, ideſt Patre: & *per ipſum*, hoc eſt per Filium: & *in ipſo*, nempè Spiritu Sancto, *ſunt omnia*; ergo Apoſtolus inter omnia, quæ ſunt à Patre per Filium, numerat Spiritum Sanctum; ergo iuxta Apoſtolum Spiritus Sanctus non eſt de Filio, ſed à Patre per Filium.

5 Secundò Ex illo Ioan. 5. *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo per Verbum facta ſunt omnia; ergo & Spiritus eſt de Patre per Verbum; ergo eſt de Patre per Filium, & non de Filio. Tertiò. Vrebantur ſupra dicto exemplo lacus, qui procedit de fonte per rivum; ergo & Spiritus Sanctus de Patre per Filium. Antecedens conſtat. Et conſequentia probatur. Ideò lacus procedit de fonte per rivum, quia tota aqua, quæ eſt in rivo, & communicatur lacui, eſt de fonte; ſed etiam tota virtus ſpirativa, quæ eſt in Filio, communicata eſt à Patre; ergo & Spiritus Sanctus eſt á Patre per Filium, ſicut lacus eſt de fonte per rivum; at lacus proprié non eſt de rivo, ſed de ſolo fonte, nam rivus duntaxat concurrit per modum vehiculi deferentis aquam manantem à fonte; ergo Spiritus Sanctus proprié non eſt de Filio, ſed de Patre per Filium.

6 Quartò. Si Spiritus Sanctus eſſet de Patre per Filium ſimul concurrente Filio, ita eſſet de Filio, ſicut de Patre; hoc autem dici non poteſt, quia ſic eſſet de Patre, & Filio, atque adeó ex duobus principijs, duabuſque ſpirationibus, quæ omnia ex dubio 3. improbata manent; & improbantur dicto exemplo lacus, qui non eſt ex duobus fontibus, ſed de vno fonte per rivum; ergo Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio, ſed à Patre per Filium. Sed his omnibus infra occurremus, nam cætera argumenta directè probantia Spiritum S. á Filio non procedere ex loco citato enodata manent.

[§]

Sancti Anſelmi ſententia eligitur, & ſuadetur.

§. III.

7 DIcendum Spiritum Sanctum eſſe á Patre per Filium, ita vt ſit de Filio habente virtutem ſpirativam à Patre. Probat Anſelmus hanc veritatem ex ipſo teſtimonio allegato à Græcis: *Omnia per ipſum*, ideſt, per Verbum, *facta ſunt*; ſed ita facta ſunt omnia à Patre per Verbum, vt facta ſint á Verbo, cum operationes ad extra ſint Trinitati communes; ergo Spiritus Sanctus ita eſt à Patre per Filium, vt etiam ſit de Filio: & in hoc ſenſu dicta propoſitio Græcorum: *Spiritus Sanctus eſt de Patre per Filium*, veriſsima eſt. Et confirmat Anſelmus ex illo Ioannis 5. *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*; ergo quæcumque facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ab ipſo Verbo; ſi ergo ex his deducendum eſt argumentum ad proceſsionem Spiritus Sancti, dicendum eſt ita eſſe à Patre per Filium, vt etiam ſit à Filio.

8 Spiritum Sanctum procedentem à Patre per Filium procedere etiam à Filio ſatis conſtat ex dub. 2. & 3. quarè nè tertio quoq; verbo eadē repetamus ab hoc abſtinendū puto; ſolūque probandū ſupereſt vorā eſſe in dicto sēſu eam propoſitionē: *Spiritus*

ritus Sanctus eſt à Patre per Filiũ. Et probatur. Filius habet à Patre virtutem ſpirativam, actumque ſpirandi; ſed hoc ipſo eſt à Patre per Filium; ergo ita eſt. Maior conſtat, quia quidquid habet Filius habet communicatum à Patre. Minor probatur. Hoc ipſo, quod Filius habeat à Patre virtutem ſpirativam, & actum ſpirandi Pater non ſpirat niſi ſpiratione communicata Filio; ſed hoc ipſo ſpirat per Filium; ergo. Probo minorem. Hoc ipſo Filius eſt ratio cur Spiritus Sanctus procedat à Patre; ergo hoc ipſo Spiritus Sanctus eſt à Patre per Filium. Patet conſequentia in cauſa ſecunda producente effectum per virtutem, & actum participatum à cauſa prima, tunc enim cauſa ſecunda eſt ratio, cur talis effectus procedat à cauſa prima, & ita effectus eſt à cauſa prima per ſecundam; ergo & Spiritus Sanctus à Patre per Filium. Undè D. Thomas 1. p. q. 36. a. 3. ait: *Quia igitur Filius habet à Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus poteſt dici, quod Pater per Filium ſpiret Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium, quod idem eſt.*

9 Confirmat eandem rationem Anſelmus retorquendo idem exemplum Græcorum in ipſos. Sicut lacus eſt de rivo per fontem, ita Spiritus Sanctus eſt de Patre per Filium iuxta ipſos, ſed lacus ita eſt de fonte per rivum, vt etiam ſit de rivo; ergo Spiritus Sanctus ita eſt de Patre per Filium, vt etiam ſit de Filio. Nec prodeſt ſolutio Græcorum aſſerentium lacum nullo modo eſſe de rivo, quia rivus prius eſt de fonte, ac tota aqua, quæ colligitur in lacu, deſcendit de fonte, vndè lacus eſt de ſolo fonte. Non (inquam) prodeſt, ſed improbat Anſelmus, eo quod ita aſſerentes pari titulo aſſerere poterunt ſe non eſſe de Patre ſuo, quia Pater ſuus prius fuit de Adam. Chriſtum Filium Virginis non eſſe de Maria, nec de David, nec de Abraham, quia omnes iſti prius fuerant de Adam: & ſic de alijs exemplis videndis 1. p. huius operis, & in Scholijs ad cap. 16.

10 Dices. Si Spiritus Sanctus eſſet à Patre per Filium, ita vt etiam eſſet á Filio, daretur ordo originis inter Patrem, & Filium in ipſo actu ſpirandi; ſed hoc dici non poteſt; ergo non ita procedit. Maior videtur certa, quia ſi Filius ſpirat, profectò ſpirat per ſpirationem habitam à Patre; ſed inter ſpirationem habitam ab alio, & à ſe, datur ordo originis; ergo daretur ordo originis. Minor autem principalis probatur. Si datur ordo originis non æqualiter ſpirant: etenim ad opera ad extra omnes perſonæ æqualiter concurrunt, quia in eis operationibus nullus eſt ordo originis inter perſonas divinas; ergo dicendum eſt vel Spiritum Sanctum nõ eſſe á Patre per Filium; vel taliter eſſe, vt Filius non ſpiret.

11 Reſpondent Salmanticenſes tract. 6. diſp. 15. dub. 2. n. 4. concedendo ſequelam. Sed eam optimè impugnat Uazquez 1. p. q. 36. a. 3. n. 10. quia vbi eſt ordo originis, ibi & prioritas; at in actu ſpirandi nulla eſt prioritas originis inter Patrem, & Filium, ſed omnimoda ſimultate, eodemque actu ſpirant; ergo in actu ſpirandi nullus eſſe poteſt ordo originis. Maior probatur. Ideò daretur ordo originis in actu ſpirandi, quia Pater illum habet á ſe, & Filius à Patre; ſed hoc probat prioritatem in Patre, & poſterioritatem originis in Filio; etenim non aliter Filius eſt poſterior origine Patre, niſi quia Pater habet ſuum eſſe á ſe; Filius verò à Patre; ergo.

12 Reſpondeo igitur impugnationi negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Per ſpirationem habitã à Patre in modo habendi virtutem, concedo maiorẽ: in ſpiratione habita, nego maiorem. Ac eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Igitur totus ordo eſt in modo habendi virtutem ſpirativam, quià Pater habet eam à ſe; Filius à Patre; attamẽ virtute ſemel habita æqualiter ſpirant. Nec ordo ille in modo habendi virtutem ſatis eſt ad ordinem originis in ipſa virtute, quia non eſt in Filio á Patre per productionem, ſed per communicationem.

Solvuntur obiectiones Græcorum.

13 AD primam obiectionem ſupra factam ex num. 4. reſpondet Anſelmus cap. 15. re vera omnia eſſe *ex ipſo*, ideſt Patre: *per ipſum*, ideſt Filium: *in ipſo*, hoc eſt Spiritu Sancto, non quia Spiritus numeretur inter omnia, quæ facta ſunt à Patre per Verbum, quia Spiritus Sanctus factus non eſt; ſed inter omnes perſonas facientes, quia omnes concurrunt æqualiter ad omnia, quæ facta ſunt.

Ad ſecundam obiectionem reſpondet veram eſſe eam propoſitionem, ſed ſervata proportione: ideſt, ſicut omnia per Verbum facta ſunt faciente Verbo, ita Spiritus Sanctus eſt á Patre per Filium concurrente Filio: aliundè tamen eſt ſumma diverſitas, quia quæ facta ſunt à Patre per Verbum ſunt extra Deum, & creata: attamen Spiritus Sanctus manet in ipſo, veluti idem Deus cum ipſo.

14 Ad tertiam obiectionem iam conſtat ex dictis qualiter exemplũ illud ſit opportunum ad divinas proceſsiones vtcumque exponendas; & ita eodem exemplo vtitur idem Anſelmus lib. *de fide Trinit.* ad exponendum myſterium Trinitatis; ſed quia hæc myſteria ſunt ſine exemplo, nullum ſatis idoneum haberi poteſt ex creaturis, quod plures non patiatur exceptiones: ideòque reſpondet idem S. Doctor, rivum prius eſſe de fonte, quàm lacus ſit de rivo: item rivus procedit extra fontem: & tandem aqua deſcendens de fonte medio quodam intervallo colligitur in lacum: quę omnia e contra contingunt in proceſsione Spiritus Sancti, quia nec procedit extra Deum; nec prius eſt Filius de Patre, quàm Spiritus Sanctus, cum omnes divinæ perſonæ ſint coæternæ, & coęquales; nec tandem vllum eſt intervallum intet vtriuſque perſonæ proceſsionem.

15 Ad quartam impugnationẽ reſpondet Anſelmus procedere Spiritum Sãctum à Patre, & Filio, ſed nõ à duobus principijs, nec à duobus fontibus, quia non procedit à Patre, & Filio, vndè differunt, ſed vndè conveniunt, quia taliter procedit à duabus perſonis diſtinctis, vt conveniant in eadem virtute ſpirativa, & ſpiratione. Ex hac Anſelmi doctrina hęc veritas poſteà in Concilio Lugdunenſi ſub Greg. X. definita fuit: ibi enim habetur hoc eiuſdem Greg. decretum: *Gregorius Decimus in Conc. Gen. Lugdun. Fideli, ac devota proceſsione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit; hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacro-ſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra; hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter, ac Græcorum incommutabilis, ac vera ſententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios prolapſi ſunt: Nos eiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere; ſicut etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno principio procedat.*

[†]

DVBIVM VII.

An prpceſsio Spiritus Sancti ſit libera, vel naturalis?

§. I.

1 SCotus in 1. diſt. 2. q. 7. alijſque in locis tuetur proceſsionem Spiritus Sancti eſſe eſſentialiter liberam, & nullo pacto naturalem: ſequuntur Subtilem Doctorem frequentius Scotiſtæ. Cæteri tamen omnes Theologi docent eſſe omninò neceſſariam, naturalem, & nullo pacto liberam. Sed quanquam hæc ſecunda ſententia primo aſpectu videatur primæ ſententiæ ex diametro oppoſita, in re ipſa vix, aut ne vix quidem differunt inter ſe, eo quod Scotus aſſerat libertatem fœderari cum ſumma, & abſoluta neceſsitate, qua ratione optimo iure notavit Vazquez quæſtionem eſſe verborum, non rerum; nihilominus eum carpit Soſa t. 2. difficult 71. affirmans hanc eſſe celebrem quæſtionem, & acurato examine dignam, quod ſi Vazquez verba Scotica penetraſſet, non verbis tantummodó, ſed in rebus controverſiam inveniſſet; ſed Patri Vazquez conſentit Maſtrius diſp. 7. q. 3. n. 159. noſque totam diverſitatem diſcurſu quæſtionis aperiemus.

(†)

Nullam eſſe libertatem in proceſsione Spiritus Sancti oſtenditur.

§. II.

2 DIcendum proceſsionem Spiritus Sancti eſſe omninò neceſſariã, & naturalem, nec vllo modo poſſe dici liberam. Prima pars concluſionis eſt fide Catholica certa, eãmque Scotus non negat, ſed

ed affirmat. Et ratio eſt manifeſta, nam Spiritus Sanctus eſt Deus non minus, quàm Filius; ergó neceſſariò exiſtit; ergò neceſſarió procedit non minus, quàm Filius. Secundò. Quia procedere non neceſſariò includit imperfectionem prorſus à Deo relegandam; ita enim procedere eſt procedere cum poteſtate non procedendi, ſivè non exiſtendi; at poteſtas non exiſtendi includit imperfectionem à divinitate prorſus alienam; ergò. Denique, quia Spiritus Sanctus procedit ex amore Patris, & Filij; at hic ſummè neceſſarius eſt, ſicut eſt neceſſariò ſummum bonum, quod amatur, docente Anſelmo in Monol. cap. 51. *Quoniam omninò id ipſum eſt, quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio, neceſſe eſt vt pari amore vtèrque diligat ſe, & alterum*; ergò Spiritus Sanctus ex tali amore procedens, neceſſariò procedit.

3 Secunda pars concluſionis, quàm Scotus negat, ſic oſtenditur. Operatio abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, non ex aliqua ſuppoſitione contingenti, ſed ab intrinſeco, eſt naturalis; atqui ita eſt proceſsio Spiritus ſancti; ergó eſt omninò naturalis; ergó Spiritus ſanctus naturaliter procedit. Maior probatur. Quia vt docet idem Scotus loco citato, illud agens operatur naturaliter, quod ex ſe, & ab intrinſeco eſt determinatum ad vnum; ſed operatio ab intrinſeco neceſſaria eſt operatio potentiæ ex ſe determinatæ ad vnum; ergò eſt operatio naturalis. Minor probatur. Si potentia non eſſet determinata ad vnum, operatio taliter eſſet à potentia, vt poſſet non eſſe, atque adeó non eſſet ab intrinſeco neceſſaria.

4 Ex his evincitur tertia pars concluſionis. Nam agere cum abſoluta determinatione ad vnum, non eſt operari liberè; at voluntas divina dum ſpirat Spiritum Sanctum agit cum abſoluta determinatione ad vnum; ergó nó liberè. Conſequentia optimè deducitur. Minor conſtat ex num. antecedenti. Et maior ita certa viſa eſt Auguſtino, vt libro de duabus animabus c. 11. dixerit: *Nonnè iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum*? Confirmatur. Ea potentia operatur per modum naturæ, & non liberè, quæ operatur ex neceſsitate impoſita á natura; ſed ita operatur divina voluntas in ſpiratione Spiritus Sancti; ergó operatur per modum naturę, & non liberé. Probo minorem. Voluntas divina operatur ex fœcunditate orta à natura divina, tanquâm à prima radice, & cum ſumma neceſsitate producendi amorem, nimirum, Spiritum ſanctum ſine vlla poteſtate ad oppoſitum; ergò operatur ex neceſsitate impoſita á natura. Denique. Voluntas divina ex ſe ipſa habet ſummam inclinationem, eamque ſummè neceſſariam ad talem amorem ſpirandum; ergó operatur ex neceſsitate ſibi impoſita ex conditione ſuæ naturæ; ergó operatur per modum naturæ.

5 Scotiſtæ vt ſummam neceſsitatem cũ libertate fœderarentur in varios opinandi modos dividuntur. Dixerunt aliqui, quos refert Baſolis, voluntatem divinam in proceſsione Spiritus ſancti dici liberam, quatenus complacenter operatur. Sed hæc evaſio nec ipſis placet Scotiſtis, & meritò, quia operatio ſolùm poteſt dici hoc modo libera, quatenus liberum opponitur violento, non quatenus opponitur neceſſario, & naturali, nam etiam bruta in motibus iuxtá ſuam inclinationem liberè operantur, id eſt, non coacta, cum tamen neceſſarió, & naturaliter operentur: hoc etiam pacto eſt libera proceſsio Verbi, cum nullomodo ſit coacta, cum tamen ſit naturalis. Eaque propter iure merito improbata eſt acri cenſura à Pio V. & Greg. XIII. propoſitio illa Baij: *Quod voluntariè fit, etſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Item. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Si fortaſsè reſpondeant Pontifices loqui de libertate ſufficienti ad meritum, & demeritum. Reſpondeo ita eſſe; ſed hoc non obſtante abſolutè damnant aſſerentes ſolúm voluntarium ſufficere ad libertatem; ſolamque violentiam repugnare libertati; ergó quia nullam agnoverunt libertatem, quæ ſita ſit in ſolo motu voluntario, vel quæ ſolam excludat violentiam.

6 Undè aliter reſpondet Guillelmus Rubionis, nimirum Spiritum Sanctum liberé procedere, quatenus procedit per voluntatem, quæ ex ſe eſt operativa contingenter, & ita operaretur in productione Spiritus Sancti, niſi obſtaret identitas eſſentialis inter producens, & productum. Sed hoc modo infinita patrocinari poterunt abſurda. Nam ſi voluntas divina, ex quo voluntas eſt, eſt productiva contingenter, ita etiam ex quo voluntas eſt, erit productiva amoris accidentalis, & diſtincti in natura; ergò quo pacto probatur amorem divinum, ſivè Spiritum ſanctum liberè pro-

procedere, deduci poterit procedere per modum accidentis, & diſtincti in natura. Ita etiam homo, ex quo animal, dici poterit irrationalis; ex quo corpus, inſenſibilis; ex quo ſubſtantia, increatus; quia nec repugnat eſſe irrationalem, quia animal, nec inſenſibile, quia corpus, nec increatum, quia ſubſtantia.

7 Si fortaſsè reſpondeat voluntatem divinam, ex quo voluntas eſt, eſſe productivam contingenter, non ſolùm permiſsivè, & per non repugnantiam, vt contingit in exemplis allegatis, ſed poſitivè, & ex ſui exigentia. Contra eſt. Quoniam ſi ex conceptu voluntatis eſt productiva contingenter poſitivè, & exactivè, id etiam habere debet vt contracta per divinam, quia quod convenit naturæ ſecundùm ſe exactivè, & poſitivè, in quocumque ſtatu debet ei convenire; vndè voluntas contrahi non poteſt per divinam, niſi contrahatur cum ſuo conceptu poſitivo, & eſſentiali. Denique. Quod voluntas divina operaretur contingenter, niſi obſtaret identitas eſſentialis inter producens, & productum, nihil aliud eſt, quàm voluntatem operaturam liberè, ſi non operaretur neceſſariò; ſed quia ratione talis identitatis, quàm neceſſariò exigit, operatur cum ſumma neceſsitate, non poteſt operari liberè.

8 Alij ergò Scotiſtæ frequentius affirmant Spiritum Sanctum procedere liberè: non libertate à ſervitute: nec á coactione: nec à peccato: nec libertate indifferentiæ, ſive contrarietatis, ſivé contradictionis, ſed libertate, quam vocant, dominij, & eſſentiali, quæ opponitur modo operandi naturaliter, quæ libertas eſt intrinſeca voluntati, omnibuſque voluntatis actibus quantumvis neceſſarijs; eamque ita exponunt. Principium naturale tria includit: primum, quod ab intrinſeco ſit determinatum ad vnum, non habens in ſua poteſtate ſe determinare, ſed determinatur ab Authore naturæ. Secundum eſt, quod agat ſine prævia determinatione alteriùs potentiæ. Tertium, quod ex ſuo modo operandi ſibi effectum aſsimilet. Quæ omnia ex oppoſito contingunt in principio libero, quod nec eſt ab intrinſeco determinatum ad vnum, cum ſe determinet; nec agit ſine prævia actione alteriùs potentiæ, quia indiget apprehenſione obiecti; nec ex ſuo modo operandi ſibi effectum aſsimilat.

9 Sed contra. Quod voluntas ſe determinet, ſi taliter ſe determinat, vt non poſsit non ſe determinare ex vi ſuæ naturæ, vt ſuprá dictum eſt, operatur ex impulſu naturæ, atque adeó naturaliter; at voluntas divina non poteſt non ſe determinare ad amorem, & ad ſpirationem amoris ex impulſu ſuæ naturæ, vt conſtat ex dictis; ergò ſe determinat neceſſariò, & naturaliter operatur. Secundò. Quod voluntas ex ſuo modo operandi ſibi terminum non aſsimilet non impedit operationem naturalem, nec vllam probat libertatem, quoniam nec intellectus creatus ſibi effectum aſsimilat in natura, nec omnia agentia naturalia in omnibus motibus naturalibus tendunt in effectum ſimilem in natura; quæ tamen non operantur liberè, alioquin gravia dum tendunt deorſum, operarentur liberè; ergó ex hoc titulo nulla probatur libertas. Denique. Quod voluntas indigeat propoſitione obiecti, & operatione alteriùs potentiæ, de materiali ſe habet ad operationem neceſſariam, vel liberam, ſi talis propoſitio non eſt cum indifferentia, quia ſi propoſitio ex parte intellectus eſt ſummè neceſſaria, obiectum propoſitum propter ſuam infinitam bonitatem eſt neceſſariò amabile, voluntas pondere naturæ tendit in illud, præſertim ſi ſit rectiſsima, quod totum contingit in præſenti; ergó ex nullo titulo probatur libertas: ſolúmque convincitur voluntatem operantem naturaliter, non ideò operari per modum naturæ.

10 Reſpondet Maſtrius num. 167. Voluntatem divinam operari ex cognitione boni, & media electione, quod non habet intellectus, ideòque intellectus, & non voluntas operatur naturaliter. Sed hæc evaſio non enervat impugnationes factas. Ulteriùs, quia nulla poteſt eſſe electio, vbi datur ſumma neceſsitas ad vnum, quoniam electio eſt ad vnum eligendum, & aliud reſpuendum, quod repugnat in voluntate determinata ad vnum. Reſpondet etiam voluntatem divinam eſſe indeterminatam ex conceptu voluntatis, quare tota neceſsitas provenit ex infinitate potentiæ concurrente ſimul infinita bonitate obiecti. Sed contra. Quoniam voluntatem divinam eſſe infinitam, ac tendere in bonum infinitum non eſt quid extrinſecum, ſed ipſi convenit ab intrinſeco; ergò ab intrinſeco poſtulat impedimentum operationis liberæ; ergó ex nullo capite poteſt liberè operari.

11 Reſpondet eam determinationem ad amorem boni infiniti non oriri

præ-

præcisè ex infinitate potentiæ, ſed ex potentia, & infinita bonitate obiecti, vndè voluntas divina ex ſola natura voluntatis eſt indeterminata. Sed hæc ſolutio præoccupata manet ex dictis, quoniam voluntas ſummè recta infinitam inclinationem habet ad amorem obiecti ſummè boni; & ex ſua infinita fœcunditate infinita pollet inclinatione ad ſpirandum amorem infinitum; ergò ex pondere ſuæ naturæ, & amat eſſentiam divinam, & ſpirat Spiritum Sanctum; ergò nec in amore eſſentiæ, nec in ſpiratione Spiritus S. vlla pollet libertate, ſed potius ex omni capite eſt ſummè determinata.

12 Denique. Voluntas divina non minorem neceſsitatem habet ad ſpirationem, quàm intellectus ad generationem, quia non minus neceſſariò exiſtit Spiritus Sanctus, quàm Filius; ergò non minus determinata eſt voluntas divina ad vnum, quàm intellectus; nec poteſt aſsignari idonea diſparitas, cur operatio intellectus ſit naturalis, & operatio voluntatis libera, ſi hæc non minus neceſſaria eſt, quàm illa. Reſpondet Maſtrius num. 168. Scotum quodlib. 16. litt. U. non aliam aſsignare diſparitatem, niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud. Quam ſolutionem probat Soſſa tom. 1. in Scotum difficult. 71. n. 52. vbi ait: *Vndè ſi ab eo* (Scoto) *quæramus, quarè voluntati ſolùm competit liberè agere, non verò cuicumque alteri potentiæ? non aliter reſpondet Doctor, niſi quia hæc eſt hæc, & illa eſt illa.*

15 Sed ſi hæc doctrina vera eſt fruſtra fatigatur ingenium in controverſijs penè infinitis dirimendis. Si enim quæratur cur proceſsio Verbi ſit generatio, & non amoris? Facilè reſponderi poteſt, quia hęc eſt hæc, & illa eſt illa. Si quęratur cur relationes creatæ addant perfectionem ſubſtantiæ, non divinæ? Cùr relationes æqualitatis, & ſimilitudinis in creatis ſint reales, non in Deo? Cúr creatæ diſtinguantur realiter à natura, non divinæ, & alia huiuſmodi? Facilè occurri poteſt, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud. In propoſito autem. Non dubitamus voluntatem eſſe potentiam liberam, ſed quia hoc non obſtante poteſt operari neceſſariò, inquirimus, cùr hoc non obſtante non poterit operari naturaliter? Cui quęſito prædicta ſolutio non occurrit.

Oppoſitæ ſententiæ argumenta enodantur.

§. III.

14 ARGUITUR Primò. Ideò proceſsio Spiritus libera non eſſet, quia eſt ſummè neceſſaria; ſed ſumma neceſsitas libertatem non impedit; ergò eſt eſſentialiter libera. Minor, in qua ſolà eſt difficultas probatur ex Auguſtino in Enchir. c. 105. vbi ait: *Multò quippè liberiùs erit arbitrium, quod omninò non poterit ſervire peccato*: En libertatem coniunctam cum neceſsitate non peccandi: immò quo maior eſt hæc neceſsitas, eo maior eſt libertas.

15 Secundò probat Scotus ex noſtro Anſelmo lib. de libero arbitrio, cap. 1. vbi ait: *Qui ſic habet, quod decet, & expedit, vt hoc admittere nequeat, liberior eſt, quàm ille, qui ſic habet hoc ipſum, vt poſsit perdere*: Et poſteà concludit: *Liberior itaque voluntas eſt, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam poteſt deſerere.* Nec valet (inquit Maſtrius) dicere cum Vazquez diſp. 61. cap. 4. hos Patres loqui, non de libertate agendi, ſed de libertate à ſervitute peccati, quæ non eſt ad rem; quoniam diſſertis verbis loquuntur de libertate ad peccandum, & non peccandum.

16 Confirmatur ex D. Thoma q. 10. de potent. a. 2. ad 5. vbi ait: *Dicendum, quod naturalis neceſsitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſsitate velle dicitur, vt fœlicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſt. docet in 5. lib. de Civit. Dei, libertas enim voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur... Vndè voluntas liberè appetit fœlicitatem, licèt neceſſariò appetat illam. Sic autem & Deus ſua voluntate liberè amat ſe ipſum, licèt de neceſsitate amet ſe ipſum; & neceſſarium eſt, quod tantum amet ſe ipſum, quantum bonus eſt, ſicut tantum intelligit ſe ipſum, quantum eſt; liberè ergò Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſsibiliter, ſed ex neceſsitate.*

17 Reſpondeo ad argumentum, conceſſa maiori, negando minorem. Doctrina autem allegata ex Auguſtino, & Anſelmo veriſsima eſt, quia vt ibidem Anſelmus docet poteſtas peccandi ad libertatem non ſpectat; vnde ablata poteſtate ad peccandum integra manet arbitrij libertas, non qui-

quidem ad peccandum, quia vbi nulla eſt poteſtas ad peccandum, libertas ad peccatum eſſe non poteſt, ſed integra manet libertas ad bonum, & non bonum; ad hoc bonum, & illud bonum, & hoc modo aſſerunt prædicti Patres liberius eſſe arbitrium, quod in malum declinare non poteſt; ſicut perfectior eſt potentia divina, quàm humana, quamquam humana peccare poſsit, & non divina, quia poſſe peccare potius eſt imperfectio potentiæ, quàm perfectio; ſed ſicut ex hoc perperam deduceretur manere in Deo perfectiſsimam potentiam ad peccatum, ita perperam deducitur manere libertatem. Sed de his operoſius infra de Volunt. Dei tract. 2. dub. 2. §. 4.

18 Ad confirmationem dico ibi expreſsè loqui S. Doctorem de libertate *à coactione*, quo ſenſu proceſsionem Spiritus Sancti eſſe liberam, ſed hæc libertas Scoto nihil prodeſt, nec impedit Spiritum Sanctum naturaliter procedere: nec aliud libertatis genus concedit Aug. Doctor in voluntate ad fœlicitatem, vt tradit 1. p. q. 19. a. 10. vbi ait: *Dicendum, quod liberum arbitrium non habemus reſpectu eorum, quæ neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu, non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe fœlices, ſed ad naturalem inſtinctum; cum igitur Deus ex neceſsitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſsitate, reſpectu eorum, quæ, non ex neceſsitate vult, liberum arbitrium habet.* Ergó nec in nobis ad fœlicitatem vlla eſt libertas, ſed naturalis inſtinctus, qui naturaliter operatur, nec in Deo ad ſuam bonitatem.

19 Arguitur ſecundó. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem; ergó liberè, & non naturaliter. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur. Implicat voluntatem operari naturaliter, & non liberè; ergò Spiritus Sanctus procedens per voluntatem non procedit naturaliter, ſed liberè. Antecedens probatur. Implicat naturam operari libere; ergò, & voluntatem operari naturaliter. Patet conſequentia, quia tàm intrinſecum eſt voluntati operari liberè, ſicut naturę, aut principio naturali operari naturaliter.

20 Confirmatur primó. Operari naturaliter, & liberè ſunt modi oppoſiti, primo, & per ſe diſtinguentes potentias naturales, & liberas; vt tradit Ariſt. 2. Phiſic. textu 49. at modi oppoſiti per ſe primò diſtinguentes potentias non poſſunt eidem potentiæ convenire; ergò ſi voluntas eſt potentia operativa liberè, nequit operari naturaliter. Secundó. Potentia naturalis, & libera differunt ſpecie; ergò eadem potentia nequit eſſe naturalis, & libera; ſed voluntas eſt potentia libera; ergó nequit eſſe naturalis, ſivè operativa naturaliter.

21 Ad argumentum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, negò antecedens, quia licèt natura, quæ ſolùm eſt principium naturale nequeat operari liberè, attamen principium, quod ſimul eſt naturale, & liberum, vtroque modo poteſt operari; voluntas autem poteſt conſiderari per modum naturæ, & per modum potentiæ liberæ: nam ſicut potentia intellectiva eſt cognoſcitiva ſimpliciter, & dicitur *intellectus*: & diſcurſiva, quo ſenſu dicitur *ratio*: ita voluntas eſt appetitiva boni neceſſariò, ſivè neceſsitate quoad ſpecificationem, qualiter viatores appetunt fœlicitatem, vel etiam quoad exercitium, qualiter Deus, & beati amant divinam bonitatem; & hoc modó dicitur *natura*: vel quatenus tendit in bonum cum indifferentia; & hoc modo dicitur *voluntas libera*. Ratio huius eſt, quia libertas ſupponit naturam, in qua fundatur, ſicut omne mobile ſupponit movens immobile, à quo motus deſcendit, quarè voluntas priori ad operationem liberam ſemper habet aliquam operationem neceſſariam ſaltim quoad ſpecificationem: ex quibus facilè conſtat qualiter voluntas poſsit operari liberè, & per modum naturæ.

22 Ad primam confirmationem nego maiorem: nam ſicut in ſententia Scoti modi operandi neceſſarió, & liberè, non dividunt per ſe primò potentias, ſed ſunt modi, qui convenire poſſunt eidem potentiæ, ita operari liberè, & naturaliter. Ad ſecundam diſtinguo antecedens. Potentia naturalis operans per modum naturæ, differt ſpecie à potentia libera, concedo antecedens: operans naturaliter, nego antecedens: etenim aliud eſt operari per modum naturæ: & aliud naturaliter: cuius rei differentia conſtat ex doctrina eorundem Scotiſtarum tradita num. 8. quæ licèt inſufficiens ſit ad probandam libertatem, ſufficiens tamen ad probandum voluntatem non operari per modum naturæ, ſicut principium purè naturale; vnde Spiritus Sanctus etſi procedat naturaliter, non procedit per modum naturæ.

23 Sed contra hanc doctrinam op-

ponit

ponit Scotus. Si Spiritus Sanctus procederet naturaliter, procederet vt Filius, nullaque eſſet differentia inter proceſsionem Filij, & Spiritus Sancti; ſed hoc eſt falſum; ergò non procedit naturaliter. Sequela probatur. Primò. Quia ideò Filius procedit vt Filius, quia procedit naturaliter; ergó ſi Spiritus Sanctus procedit naturaliter, procedit vt Filius. Secundò. Quia procedens naturaliter procedit vt ſimilis in natura ſuo principio; ſed procedens vt ſimilis in natura ſuo principio eſt Filius; ergó. Maior probatur. Natura ſemper tendit in productionem ſimilis; ergó procedens naturaliter, ſivè à principio operante per modum naturæ, procedit vt ſimile in natura.

24 Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Si procederet naturaliter per modum naturæ, concedo maiorem: naturaliter, ſivè ex inclinatione ſuæ naturæ præcisè, negó maiorem. Nam licèt voluntas dum operatur ex impulſu ſuæ naturæ operetur naturaliter, ideſt, cum determinatione ad vnum; non ideò operatur per modum naturæ, ſivè principij purè naturalis, vt dictum eſt num. 8. & 9. vnde Spiritus Sanctus ex ſuo modo procedendi, nec procedit vt ſimilis, nec vt Filius, ſed per modum amoris, & impulſus. Per quod conſtat ad ſecundum.

25 Arguitur tertiò. Non implicat voluntatem operari neceſſariò, & liberè; ergó tametſi proceſsio Spiritus Sancti ſit ſummè neceſſaria, poteſt eſſe libera. Antecedens probatur. Voluntatem operari neceſſariò eſt operari firmiter; at operari firmiter non opponitur cum operatione libera; ergó poteſt operari neceſſariò, & liberè. Minor probatur. Operari firmiter eſt perfectio voluntatis; at perfectio non eſſet ſi everteret libertatem, nam libertas eſt maxima perfectio voluntatis, vna autem perfectio non evertit aliam ſpectantem ad eandem lineam voluntatis; ergò.

26 Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Operari neceſſariò neceſsitate abſoluta eſt operari firmiter, negò maiorem. Neceſsitate immutabilitatis, concedo maiorem. Nam operari neceſſariò importat determinationem ad vnum, quæ cum libertate ſociari non poteſt: operari autem firmiter ſolùm dicit perſiſtentiam in operatione liberè elicita, quod ſolùm probat immutabilitatem, non neceſsitatem. Ad id, quod additur de perfectione libertatis, reſpondeo eſſe perfectionem voluntatis operari liberè erga obiectum liberum, non circa obiectum neceſſarium, & ſummè bonum clarè cognitum: immò perfectio eſt voluntatis amare illud neceſſariò.

TRAC-

TRACTATUS VIII.

De Miſsione Divinarum Perſonarum.

HUCUSQUE Actum eſt de Divinis Perſonis ad intrà, ſivè de his, quæ ad Myſterium ſummæ Trinitatis ſpectant; agendum ſupereſt de eiſdem perſonis ad extrà, ſivé comparativé ad creaturas, ad quas mittuntur, in qua re diſputationem aggredimur dulci potius cordis affectu guſtandam, quàm ſubtili calamo exarandam; ſi enim Deus ita dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3. ita profectò quotidie diligit, vt Spiritum Sanctum ſuum, veluti in amoris pignus, nobis donet, & mittat. Mira ſanè divinæ pietatis dignatio, fœlix humani cordis conditio, in quo Spiritus Sanctus veluti in templo ſuo habitare dignatur, quoniam *charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris, qui datus eſt nobis.* Ad Rom. 5. Si ergó divini Patris Filius á regalibus ſedibus veniens coniungendo divinitatem humanitati manifeſtavit potentiam, divitias amoris ſui iteratò manifeſtat Spiritu Sancto in corda iuſtorum deſcendente, vt eleganter expendit Mellifluus Bernardus Epiſt. 107. *O geminum, ipſumque firmiſsimum Dei erga nos amoris argumentum! Chriſtus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari: ille facit, cur ametur, iſte vt ametur. Ille ſuam multam dilectionem in nobis commendat, iſte & dat. In illo cernimus, quod amemus; ab iſto ſumimus, vnde amemus. Charitatis igitur ab illo occaſio; ex iſto affectio.*

Porrò difficultatem inſcrutabilem, controverſiam inexplicabilem, explicare vtcumque diſponimus. Quis enim mirabilem illam vnionem Verbi divini ad humanitatem dignè valeat penetrare? cum teſte Greg. noſtro ſit *ſecretum ineffabile, quod ipſos etiam volucres cæli latet*, ideſt Angelos? Quavè eloquentia ſatis exponi poterit coniunctio illa, qua idem Dei filius, homo factus, ſub Sacramenti velamine deliteſcens, ſuaviſsimus animarum cibus, non tàm coniungitur animabus, quàm animas ipſas in ſe ipſum convertit, aut in ipſas convertitur? Profectò hæc omnia potius fidem, ac veneration-em expoſcunt, quàm diſputationem: at non minus mirabilis eſt, nec minus mortalium mentibus inacceſſa, quotidiana Spiritus Sancti effuſio in corda iuſtorum, impenetrabiliſque modus ille ſpecialis, quo in illis veluti in templo ſuo inhabitare dignatur ipſa veritate textante Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat*; ipſe ergò divinus Spiritus illuminet ſenſus, & corda noſtra, vt de tanto amore digna ſentiat, ac digna loquamur.

DVBIVM I.

Vtrùm Divinis Perſonis conveniat mitti?

§. I.

1 MISSIO In genere ſic definiri, aut deſcribi poteſt: *Eſt proceſsio ab aliquo in aliquem terminum.* Si autem de creata loquamur. *Eſt proceſsio vnius rei ad alium locum.* Et ita *miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem.* Luc. 1. ac ita ſagitta mittitur à ſagittario

cario in terminum, vel ſignum ſibi præfixum. Si verò de divina. Eſt origo æterna à perſona mittente ad creaturam, in qua temporaliter novum modum eſſendi habet, non quidem mutando locum, aut novum acquirendo, ſed novo modo inhabitando. Quæ omnia luculenter expendit Angelic. Doctor 1. p. q. 43. art. 1. ibi: *Dicendum, quod in ratione miſsionis duo importantur, quorum vnum eſt habitudo miſsi ad eum, à quo mittitur: aliud eſt habitudo miſsi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem, quod aliquis mittitur, oſtenditur proceſsio quædam miſsi à mittente, vel ſecundùm imperium, ſicut Dominus mittit ſervum; vel ſecundùm conſilium, vt ſi Conſiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; vel ſecundùm originem, vt ſi dicatur, quod flos emittitur ab arbore.*

2 *Oſtenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, vt aliquomodò ibi eſſe incipiat; vel quia prius ibi omninò non erat, quò mittitur; vel quia incipit ibi aliquo modò eſſe, quo prius non erat. Miſsio igitur divinæ perſonæ convenire poteſt ſecundùm quod importat ex vna parte proceſsionem originis à mittente; & ſecundùm quod importat ex alia parte novum modum exiſtendi in alio: ſicut Filius dicitur eſſe miſſus à Patre in mundum, ſecundùm quod incipit in mundo eſſe per carnem aſſumptam, & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.*

3 Ex quibus clarè colligitur miſsionem importare duplicem reſpectum: primum. Miſsi ad mittentem, quia qui mittitur ab aliquo mittitur. Secundum: miſsi ad terminum, ad quem mittitur, quia qui mittitur, ad aliquem terminum mittitur. Quantum ad primum reſpectum, tripliciter poteſt aliquis mitti: primò, per imperium: ſecundò, per conſilium: tertiò, per originem. Primus, & ſecundus miſsionis modus includit imperfectionem á divinis perſonis relegandam, atque adeò eo modo mitti non competit. Tertius autem nullam imperfectionem includit. Quantum ad poſteriorem reſpectum, poteſt etiam dupliciter aliquis mitti in terminum, in quo prius non erat, & hic miſsionis modus repugnat Deo, qui eſt in omni loco per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: vel vt novum modum eſſendi habeat, & de hoc diſputatio procedit. Undè Miſsio divina non eſt aliud, quàm vnam perſonam ab alia procedere, & in mundo viſibiliter apparere, aut inviſibiliter operari.

(†)

Divinas Perſonas mitti authoritate, & ratione oſtenditur.

§. II.

4 DICENDUM Miſsionem divinis convenire perſonis. Eſt concluſio Fide Catholica certa, eamque probat Anſelmus cap. 8. & 9. de proceſs. Spiritus Sancti variis Scripturæ teſtimonijs. Præſertim ex illo Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolùm verùm Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* Ex illo Ioann. 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et cap. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis à Patre*, alijſque locis ibi relatis. Et ratione ſuadetur. Quoniam miſsio eſt proceſsio æterna perſonæ miſſæ à mittente, & in mundo viſibiliter apparere, aut inviſibiliter operari; ſed hoc divinis Perſonis Filij, & Spiritus Sancti apertiſsimè convenit; nam Filius procedit æternaliter á Patre; Spiritus Sanctus ab vtroque, & in mundo viſibiliter apparuerunt, pluraque quotidiè inviſibiliter operantur; ergo miſsio divinis convenit perſonis.

5 Dices. Si miſsio eſſet proceſsio æterna á mittente, miſsio eſſet æterna; at hoc eſt falſum, quia miſsio eſt ad creaturas, & ab æterno nulla eſt creatura, ad quam mittatur; ergo proceſsio æterna non eſt de conceptu miſsionis. Reſpondet D. Thomas 1 p. q. 43. art. 1. ad 3. Miſsionem importare non ſolùm proceſsionem æternam, ſed etiam effectum temporalem, quarè defectu effectus temporalis ab æterno, miſsio non eſt æterna, ſed temporalis: qua ratione dixit Auguſtinus lib. 4. de Trin. cap. 20. *Non eo ipſo, quod de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius, ſed eo ipſo, quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel ex eo, quod in tempore mente cuiuſque percipitur, ſicut dictum eſt, mittè illam, vt mecum ſit, & mecum laboret.*

6 Inſurges. Sicut miſsio importat terminum in tempore, ita importat principium ab æterno; ergo ſi ratione ſecundi dicitur temporalis, ratione primi dicenda eſt æterna. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia vt deficiat ab æterno denominatio miſsionis ſatis eſt ſi

deficiat pars conſtitutiva, aut aliquod connotatum vnde quia creatio connotat effectum in tempore, quanquam actio creativa quoad ſuam entitatem ſit ab æterno, nihilominus creatio eſt in tempore, quo ponitur effectus.

[†]

Variæ impugnationes refelluntur.

§. III.

7 ARGUITUR Primó. Diuinæ perſonæ mitti non poſſunt per imperium, & conſilium; ſed nec per originem; ergo nullo modo. Maior conſtat. Et minor probatur. Per originem vna perſona habet ſuum eſſe ab alia; ſed per miſsionem vna perſona non habet eſſe ab alia, ſed miſsio ſupponit perſonam miſſam iam exiſtentem, & productam; ergo diuinis perſonis non conuenit mitti per originem. Secundó. Per miſsionem perſona miſſa acquirit novum locum, aut novum modum eſſendi; ſed perſonæ diuinæ acquirere non poſſunt novum locum, & ad acquirendum novum eſſendi modum temporaliter in creatura de materiali ſe habet proceſsio ab æterno à mittente; ſiue enim procedat, ſiue non, habere poterit novum modum eſſendi temporaliter in creatura. Tertiò. Perſona miſſa in creatis non habet ſuum eſſe per miſsionem, vnde D. Thomas in 1. ad Annib. diſt. 15. q. vn. art. 2. ait: *Miſsio non ponit de ſe exitum miſſi à mittente ſecundum eſſe, ſicut patet de ſeruo miſſo à Domino*; at perſonæ diuinæ per originem, & proceſsionem habent ſuum eſſe; ergo eis non conuenit mitti per originem.

8 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem de miſsione diuina, quia cum miſsio requirat authoritatem in perſonam miſſam, & hæc in Deo eſſe non poſsit per imperium, aut conſilium, vt in creatis, ſolùm eſſe poteſt per originem, & proceſsionem. Ad ſecundum conceſſa maiori, nego minorem quoad ſecundam partem, nam Filius, & Spiritus Sanctus nequeunt habere novum modum eſſendi in tempore, niſi per virtutem acceptam æternaliter á Patre, dicente ipſo Filio Ioan. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, quaſi dicat, veni in mundum per virtutem, quam accepi exiens á Patre, quare exitus ab alio per proceſsionem eſt in miſsione diuina ſimpliciter neceſſarius, etſi neceſſarius non ſit in creata. Per quod conſtat ad tertium.

9 Dices. Quod Filius in creatis proceda à Patre, & ab eo habeat naturam, potentiamque deambulativam, ſatis non eſt vt mittatur; ergo quod æternus Dei Filius procedat à Patre, ab eoque habeat potentiam operativam, ac totum, quod habet, ſatis non eſt, vt dicatur mitti à Patre, quod idem dicendum de Spiritu Sancto. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia etſi filius in creatis habeat ſuum eſſe à Patre, non tamen eandem numero voluntatem, & ſapientiam: vndè Filius in creatis ſæpè ignorat voluntatem Patris, eamque cognitam non ſemper exequitur propter diſtinctionem voluntatis, & arbitrij, cuius oppoſitum contingit in diuinis, & ideó non eſt ſimile.

10 Arguitur ſecundó. Secundùm Dioniſium (vt refert D. Thomas loco citato ad Annib. a. 1.) Angelis ſuperioribus ratione ſuæ dignitatis non conuenit mitti; ergo multò minus perſonis diuinis. Reſpondet Ang. Doctor non eſſe ſimile, eo quod Angeli ſuperiores non operantur immediatè in creaturis, ſicut perſonæ diuinæ, quæ ſunt in loco, ſed medijs Angelis inferioribus. Ex quo ſequitur alia diſparitatis ratio. Nam Angeli ſuperiores mitti non poſſunt ad nos ſine mutatione loci, quod in eis eſſet imperfectio, cùm tamen miſsio diuinarum perſonarum non ſit per mutationem loci.

11 Sed contra inſurges. Idem Angelicus Doct. 1. p. q. 112. a. 2. ad 1. expreſsè docet Angelos ſuperiores mitti, ſicut diuinæ perſonæ, quatenus illuminant Angelos inferiores, per quos immediatè illuminamur. Quam doctrinam confirmat in Epiſt. ad Hæbr. c. 1. lect. 6. per hæc verba: *Duplex eſt miſsio, vna, quæ motum localem importat, & hæc conuenit inferioribus Angelis: alia, quæ fit per applicationem, & directionem noui effectus in creatura, & ſic mittitur Filius, & Spiritus Sanctus, & hoc modo mittuntur ſuperiores, quia virtus eorum immittitur in inferiores immittenda in alios.* Ergò iuxta Div. Thomam eodem modo mittuntur diuinæ perſonæ quo Angeli ſuperiores; at Angeli ſuperiores iuxta dicta ad Annib. proprié non mittuntur; ergo nec perſonæ diuinæ.

12 Reſ-

12 Reſpondeo D. Thomam in primo loco ſolúm negare Angelos ſuperiores mitti ad nos miſsione importante mutationem loci, ideſt, ad operandum aliquid circa nos immediatè, quia ad hoc erat neceſſaria mutatio loci, in quo diſtinguntur à divinis perſonis, quæ mitti poſſunt ad operandum immediatè in creaturis ſine mutatione loci. Non tamen negat Angelos ſuperiores mitti ad illuminandos homines per Angelos inferiores, ſed potius docet locis proximè citatis, quarè tota doctrina optimo conſequentiæ filo procedit.

13 Arguitur tertió. Filius per æternam proceſsionem non ſeparatur à Patre, nec exit extrà Patrem; ergo non mittitur. Antecedens eſt certum. Et conſequentia probatur. Miſsio importat ordinationem ad alium locum, vbi non eſt mittens; ſed hoc importat ſeparationem; ergo. Si dicas perſonas divinas non mitti ad alium locum, ſed ad creaturas, vt in illis novo modo ſint, & novum effectum operentur. Contrà eſt. Nam ſaltim miſsio importat novum modum eſſendi perſonæ miſſæ, novamque operationem; at Filius v. gr. habere non poteſt novum eſſendi modum, nec novam operationem in creatura, quod totum Patri ſimiliter non conveniat, cum ſit aliquid ad extrà; ergo Filius à Patre mitti non poteſt.

14 Reſpondeo optimam eſſe ſolutionem datam. Ad impugnationem infrà ſermo redibit. Interim dico omnes perſonas divinas operari ad extrà indiviſibiliter, cum ea tamen differentia, quod Pater operatur authoritativè, & tanquàm primus fons divinitatis, ac virtutis; cæterę verò perſonæ per virtutem, & naturam acceptam à Patre, ideòque miſsio cæteris convenit perſonis, non Patri. Explicatur in proceſsione Spiritus Sancti, quæ eſt indiviſibiliter à Patre, & Filio, cum ea tamen differentia, quod virtus ſpirativa eſt in Patre á ſe, in Filio verò à Patre; vt dubio ſequenti expendemus.

DVBIVM II.

An mitti omnibus Divinis Perſonis conveniat?

§. I.

1 MISSIO Eſt duplex, vna activa, altera paſsiva: prima ſignificatur per *mittere*, & hoc modo procul dubiò Patri convenit miſsio: ſecunda ſignificatur per *mitti*, & de hac inquirimus an etiam Patri conveniat? Nam cæteris convenire perſonis ex dubio præcedenti conſtat. Rurſus. Controverſia duplicem ſenſum habere poteſt: primus. An Pater mittatur ab alia perſona: Secundus. An mitti poſsit á ſe ipſo, & in hoc ſecundo ſenſu quæſtio communis eſt alijs etiam perſonis. An quælibet poſsit ſe ipſam mittere? Atque adeò mitti omnibus conveniat perſonis?

Patrem nullo pacto mitti oſtenditur.

§. II.

2 DICENDUM Primò Patri nullo pacto competere miſsionem paſsivam, ſivé mitti. Suaderi poteſt hæc concluſio ex Sacræ Paginæ teſtimonijs dubio antecedenti n. 4. allegatis, ex quibus conſtat Spiritum Sanctum mitti à Filio, & ex illis Anſelmus contra Græcos deducit, Spiritum Sanctum à Filio procedere; ergo quia miſsio includit proceſsionem à mittente; ſed Pater, nec à ſe, nec ab alia perſona procedit; ergo mitti non poteſt. Confirmatur ex eodem Anſelmo cap. 5. vbi contra quendam Græcorum Antiſtitem aſſerentem Spiritum Sanctum non procedere á Patre, & tamen diſtingui ab illo, quia ab eo mittitur, docet Sanctiſsimus Doctor hanc miſsionem, & diſtinctionem Spiritus Sancti á Patre intelligi non poſſe ſine proceſsione ab illo. Et cap. 6. ita concludit: *De hac proceſsione dici poteſt, quod idem illi eſt procedere, quod mitti*, cum ergo Pater, nec à ſe ipſo, nec ab alio procedat; nec à ſe ipſo, nec ab alio mitti poteſt.

3 Confirmatur ex Auguſt. lib. 2. de

de Trinit. c. 5. vbi ait: *Pater numquam legitur miſſus*. Et probat lib. 4. c. 20. eadem ratione, qua vtitur Anſelmus: *Pater cùm in tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus, non enim habet, de quo ſit, aut ex quo procedat.* Suffragatur Ang. Doctor 1. p. q. 43. a. 4. per hæc verba: *Reſpondeo dicendum, quod miſſio in ſui ratione importat procedere ab alio, & in diuinis ſecundùm originem, vnde cum Pater non ſit ab alio, nullo modo conuenit ſibi mitti, ſolùm Filio, & Spiritui Sancto, quibus conuenit eſſe ab alio.*

4 Ratio Anſelmi ſub hac forma proponitur. Mitti non eſt aliud, quàm exire á mittente; ergo miſsio perſonæ diuinæ importat in ſuo conceptu eſſentiali exitum à mittente; at in diuinis non eſt alius exitus, niſi per originem; ergo miſsio eſſentialiter includit originem à mittente; at Pater à nullo exit, nec ab vllo originem habet; ergo á nullo mittitur. Eadem ratione vtitur Hilarius lib. 9. de Trinit. ſic de Filio loquens. *A Patre enim in hunc mundum venit, quia à Deo exierat: nam vt nativitatem ſuam in exitione ſignificaſſe intelligeret, ſubiecit, ſe à Patre veniſſe, & cum per id à Patre venerit, exitio eius à Deo, abſoluta nativitas eſt.*

5 Dices. Non implicat eandem perſonam mitti à ſe ipſa, quia mitti, & dari, aut donari, idem eſt; ſed Pater ſe ipſum dat, & donat creaturis, quoniam ipſum habere non poſſumus, niſi ex dono ſuo; ergo ſicut Patri convenit dari, ita & mitti: ac ideò dicitur Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

6 Circa hanc difficultatem inquit D. Bonaventura in 1. diſt. 15. q. 4. *In hac quæſtione ſapientes opinantur contrariè ſapientibus, nam Magiſter dicit expreſsè, & nititur probare authoritate, & ratione, quod Spiritus Sanctus mittat ſe, & dat ſe. Nec oportet ſecundùm ipſum, quod inter mittentem, & miſſum cadat perſonalis diſtinctio, ſed ſolùm quantum ad rationem intelligendi, vt ipſe ſit mittens in quantum Deus, & ipſe ſit miſſus in quantum denum. Aliorum Magiſtrorum, & antiquorum fuit poſitio, quod mittere, & mitti de ratione ſui nominis importat ſubauctoritatem, & authoritatem, & diſtinctionem, & ideò nullo modo poteſt dici, quod vna perſona mittat ſe, vel mittatur à ſe.* Quare Scotus ibidem q. vn. a. 2. docet miſsionem ſumi poſſe pro manifeſtatione temporali perſonæ procedentis ab æterno, cum ergo in Deo ſint duæ perſonæ procedentes, quælibet earum poteſt mitti à ſe ipſa, licèt Patri nunquam conueniat mitti, quia nec procedit á ſe, nec ab alio. Scotum ſequuntur frequentius ex ſua Schola Doctores.

Nullam perſonam poſſe ſe ipſam mittere ſuadetur.

§. III.

7 DICENDUM Secundò nullo modo vnam perſonam diuinam poſſe ſe ipſam mittere, & conſequenter nulli competit mitti à ſe ipſa. Conſtat ex antecedentibus, ex quibus compertum eſt miſsionem temporalem includere eſſentialiter proceſsionem æternam, cum ergo nulla perſona procedat á ſe ipſa, nulla poteſt á ſe ipſa mitti, aliàs infringerentur argumenta Anſelmi, aliorumque Patrum probantium contra Græcos Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia ab ipſo mittitur.

8 Confirmatur primò. Miſsio duplicem importat reſpectum: vnum ad mittentem, & alium ad terminum; at nulla perſona importat reſpectum ad ſe ipſam; ergo nulla perſona à ſe ipſa mitti poteſt. Secundò. Si vna perſona poſſet mitti à ſe ipſa, non eſt cur Pater non eſſet pariter á ſe ipſo miſſus; at hoc nec Scotus concedit, ſed potius aperte negat; ergo implicat vnam perſonam mitti á ſe ipſa.

9 Reſpondet vltimæ impugnationi Scotus miſsionem paſsivam eſſe manifeſtationem perſonæ procedentis ab æterno, vnde Pater poteſt manifeſtare aliam perſonam procedere, ac proinde activè mittere; attamen non poteſt manifeſtare ſe ipſum procedere, cum re ipſa ab alia perſona non procedat, vnde non poteſt mitti. Sed contra. Ex hac doctrina, quam veram iudico, noſtra ratio confirmatur. Ideó Pater nequit temporaliter manifeſtare ſe ab alio æternaliter procedere, quia re ipſa ab alio non procedit, ac ideò Patri non convenit mitti; ſed nulla perſona procedit á ſe ipſa; ergo nulla perſona poteſt manifeſtare procedere á ſe ipſa; ergo nulli perſonæ convenit mitti á ſe ipſa. Verum de hoc operoſius dubio ſequenti.

Sol-

[†]

Solvuntur impugnationes contrariæ.

§. IV.

10 ARGUITUR Primó ex dictis. Patri convenit ſe ipſum dare; ergò ſe ipſum mittere; ergò, & mitti à ſe ipſo. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Mitti ad creaturas non eſt aliud, quàm ſe ipſum dari, vel donari creaturis. Si eum D. Thoma reſpondeas *dari* non importare neceſſariò authoritatem in dante, nec exigere neceſſariò diſtinctionem inter donantem & donum, ſed ſolam liberalem communicationem, quàm quis ſui ipſius facere poteſt, cùm tamen in ſe ipſum authoritatem habere non poſsit, & conſequenter nec ſe ipſum mittere.

11 Contra eſt primó. Non eſt major ratio, cur neceſſaria ſit diſtinctio inter mittentem & miſſum, quàm inter donantem, & donum, ſivé inter datum, & dantem; ſed hoc ſecundum reali diſtinctione non indiget; ergo nec primum. Secundò. Sicut miſsio exigit authoritatem mittentis in miſſum, ita donatio exigit dominium donantis in donatum, ſine donum; ſed ſecluſo hoc dominio Pater poteſt ſe ipſum donare; ergo ſecluſa ea authoritate poterit ſe ipſum mittere. Tertiò. Sicut ex authoritate mittentis probatur diſtinctio realis à miſſo, ita ex imperio probatur diſtinctio imperantis ab imperato; at nihilominus in Deo dantur actus imperantes, & imperati ſine diſtinctione reali; ergó & authoritas mittentis in miſſum ſine diſtinctione reali; ergo & in ipſum, & conſequenter Pater poterit ſe ipſum mittere.

12 Reſpondeo optimam eſſe ſolutionem datam. Ad primam impugnationem nego maiorem. Nam miſsio importat authoritatem in mittente, & exitum, ac proceſsionem ab illo, quod eſſe non poteſt ſine diſtinctione: attamen donatio ſolum indiget iure libertatis ad donandum, quod quis habere poteſt in ſe ipſum, & habet ſecluſo alio accidentali impedimento: hoc autem ius eſt dominium dumtaxàt improprium, & latum, quod non probat diſtinctionem. Per quod conſtat ad ſecundam impugnationem. Ad tertiam pariter nego paritatem. Nam imperium proprium, & ſtrictum locum non habet in Deo ad intrà, & ideò non datur miſsio per modum imperij, vndè imperium illud nihil aliud eſt, quàm directio efficax, quæ infert infalibiliter actum imperatum, & executionem rei imperatæ; poteſt autem aliquis ſe ipſum efficacitèr dirigere in finem infalibiliter conſequendum, quod Deo non repugnat, ſed potius eius dignitatem, potentiam, & efficaciam maximè commendat. Quæ omnia, & alia ex dubio ſequenti clarius innoteſcēs.

DVBIVM III.

An Perſona Divina mittatur dumtaxàt ab alia, à qua procedit?

§. I.

1 PROPOSITA Controverſia examinatur ſpecialiter de Filio. An mitti poſsit à Spiritu Sancto, á quo non procedit. Et quanquam pars negativa appareat ſatis manifeſta ex præcedentibus. Nihilominus ſatis difficilis redditur ex authoritate Concilij Toletani 11. in Confeſsione Fidei ſic loquentis. *Filius miſſus non ſolùm à Patre, ſed etiam à Spiritu Sancto credendus eſt, eo quod per Prophetam dicitur: & nunc Deus miſsit me, & Spiritus eius*; ergo ex Concilio, & teſtimonio Iſaiæ allegato dicendum eſt Filium mitti à Spiritu Sancto.

2 Confirmatur ex Luc. 4. v. 18. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad evangelizandum pauperibus miſsit me.* Et Iſaiæ 8. *Nunc Dominus miſsit me, & Spiritus eius.* Confirmatur ſecundó ex Auguſtino lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Filius mittitur & à ſe, & à Spiritu Sancto; & Spiritus etiam mittitur & à ſe, & à Filio*; ergo & Filius mittitur à Spiritu Sancto, & vtèrque mittitur à ſe; ergo ad miſsionem non requiritur, vt perſona miſſa procedat à mittente.

3 Probatur eadem ſententia ratione. Mittere Filium in mundum nihil aliud eſt, quàm illum facere hominem, vt patet ex Apoſt. ad Galatas 4. *Miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere*; ſed Filium Dei hominem facere eſt operatio communis toti Trinitati, cum ſit operatio ad extrà; ergó toti Trinitati convenit; ergo & Filio, & Spiritui Sancto; ergo Filius ſe ipſum mittit, & Spiritus Sanctus mittit Filium. Quod probat Auguſtinus ex illo Matth. 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c.*

4 Probatur ſecundò. Miſsio Filij eſt manifeſtatio temporalis proceſsionis æternæ ipſius Filij in aliquo effectu ipſi appropriato; ſed hæc manifeſtatio eſt operatio Spiritus Sancti, cum ſit totius Trinitatis, vtpotè operatio ad extrà; ergo miſsio temporalis Filij Dei totius eſt Trinitatis, & conſequenter Spiritus Sancti. Ac ita docet Magiſter in 1. diſt 15. Scotus ibid. q. vn. a. 2. qui hanc ſententiam propter authoritatem Auguſtini patrocinandam arbitrantur, quanquam oppoſita ipſis rationabilior appareat. Adſtipulantur alij, quanquam ſub diverſis modificationibus, & expoſitionibus infrà referendis.

5 Nihilominus oppoſitam innumeri tuentur Theologi (inquit Mag. Ferre in præſenti §. 5.) quibus addo & Adverſarios ipſos, quibus rationabilior apparet, vt patet ex num. antecedenti. Eamque expreſsè docet Patres Anſelmus. Hilarius. Baſilius. Ambroſius. Suarez. Durandus, & alij frequentius, ac tandem vtramque ſententiam facilè conciliat Ang. Doct. 1. p. q. 43. a. 8. modo referendo.

Anſelmi ſententia eligitur, & ſuadetur.

§. II.

6 DICENDUM Perſonas divinas proprie loquendo dumtaxat mitti temporaliter ab illis, à quibus æternaliter procedunt. Hæc concluſio mihi videtur, non ſolùm vera, ſed principia ipſis Adverſarijs certa ita evidenter conſequens, vt ex illis claro conſequentiæ filo proberur. Etenim Anſelmus ſæpiſsimè probat Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia ex Sacra Pagina conſtat ab eo mitti, vt patet ex Ioann. 14. vbi Filius dicit: *Paraclitus autem Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo.* Et ex illo Ioann. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam, &c.* Alijſque teſtimonijs ab eodem Anſelmo allegatis cap. 9. & 10. Sed hæc ratio nullius eſſet momenti, ſi Filius mitti poſſet à Spiritu Sancto, á quo non procedit; facile enim reſponderent Græci Spiritum Sanctum à Filio mitti, non tamen ab illo procedere; ergò Filius mitti non poteſt à Spiritu Sancto; nec à ſe ipſo propter eandem rationem, nec generaliter poſsibilis eſt miſsio ſine proceſsione à mittente.

8 Ulteriùs. Miſsio ex D. Thoma, ac communi Theologorum penu, eſt exitus, & proceſsio ab alio in aliquem terminum; at in divinis nullus alius eſt exitus, & proceſsio, niſi à principio, á quò ſuum eſſe habet perſona miſſa; ergò perſonæ divinæ ſolùm mitti poſſunt in terminum à perſona, vel principio, à quo procedunt. Secundò. Perſona miſſa duplicem importat reſpectum, ad mittentem, & ad terminum, vt ex ſuperioribus ſatis, ſuperque conſtat; ergo deficiente reſpectu ad mittentem deficit miſsio; at in divinis repugnat reſpectus vnius perſonæ ad aliam tanquam admittentem, niſi ab illa procedat; aliàs Spiritus Sanctus poſſet mitti à Patre, & ab eo diſtingui, quanquam ab eo non procederet, quod latè impugnat Anſelmus cap. 5. dareturque aliud diſtinctionis principium non fundatum in proceſsione, quod ex ſuperioribus improbatum eſt.

8 Denique. Mittere, & mitti ſunt oppoſita, ac ſibi mutuò correſpondent; ſed mitti importat originem paſsivam; ergo mittere importat originem activam; ergo ſola perſona mittere poteſt aliam, quæ ab ipſa procedit. Minor probatur ex Auguſtino lib. 4. de Trinit. cap. 20. & 21. vbi probat, quod Patri non convenit mitti, quia ab alio non procedit, vt cum Adverſarijs notatum eſt in præcedentibus; ergo nec illi convenit mittere, niſi perſonam, quæ ab illo procedit. Et ita de alijs perſonis.

9 Propter hæc aliqui ex oppoſita ſententia docent prædicta argumenta convincere de miſsione proprie dicta, non verò de miſsione largè accepta, & hoc ſecundo modo dici poteſt Spiritum Sanctum mittere Filium. Caietanus diſtinguit miſsionem in primariam, & ſecundariam: per primam [ait] ſignificatur proceſsio miſsi à mittente; & novus modus eſſendi in creatura: per ſecundam ſignificatur proceſsio miſsi, non quidem á mittente, ſed ab aliqua perſona, quæcumque illa ſit: vndè rationes factæ contra primam proceſsionem evincunt, non improbant ſecundam, & hoc modo poteſt Spiritus Sanctus mittere Filium.

10 Sed vtramque ſolutionem ſatis voluntariam eſſe quis non videat? Nec enim eam ex Sacra Pagina, aut Sacris Scripturę oraculis probant, ſed nec probare poſſunt. Secundò. Utraque ſolutio inutilis

eſt

eſt ad teſtimonia §. 1. allegata, quæ ſarta tecta ſalvare contendunt, quoniam fit recurſus ad miſsionem prorſus metaphoricam, & impropriam, in qua conceptus proprius, & intrinſecus miſsionis penitus deficit; eſt enim de conceptu intrinſeco miſsionis perſonarum divinarum, vt ab ipſis definitur, habitudo originis admittentem, quæ nec in miſsione largè accepta primæ ſolutionis, nec in miſsione ſecundaria Caietani reperitur.

11 Nec tandem verius occurrit Magiſter Ferre §. 6. num. 489. docens miſsionem poſſe conſiderari adæquatè ſecundùm omnia ad miſsionem requiſita: vel inadæquatè prout dicit principium effectus ad extra, vi cuius perſona miſſa habet novum modum eſſendi in creatura: vndè inquit argumenta facta probare de prima, non de ſecunda miſsione. Non (inquam) verius occurrit: nam ſi ad miſsionem auferas omnia ſimpliciter neceſſaria ad conceptum intrinſecum miſsionis, miſsio corruit; ſi enim ab homine auferas rationalitatem, quantumvis remaneat animal, tota ratio hominis penitus evertitur, præſertim in ſententia eiuſdem Doctoris, in qua origo à mittente eſt de conceptu intrinſeco, & primario miſsionis.

Argumentis §. 1. propoſitis occurritur.

§. III.

12 AD impugnationes §. 1. propoſitas occurrit Anſelmus cap. 9. de proceſsione Spiritus Sancti per hæc verba: *Si autem dicunt, quia Spiritus Sanctus mittit etiam Filium, ſicut idem dicit per Prophetam:* Et nunc Dominus Deus miſsit me, & Spiritus eius: *Hoc ſecundùm hominem, quem gerebat intelligendum, quia Patris, & Spiritus Sancti vna voluntate, & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.* Eandem tradit ſolutionem Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 4. & 5. vbi docet, quod perſona Spiritus Sancti mittit Filium, non quidem ſecundùm divinam naturam, ſed humanam. Et probat ex illis verbis: *Miſsit me ad evangelizandum pauperibus*; Chriſtus autem Evangelizavit pauperibus in natura aſſumpta; loquitur ergo Scriptura de miſsione Filij in natura aſſumpta, ac proinde ſecundùm naturam humanam.

13 Sed totam difficultatem evacuat Ang. Doctor 1. p. quæſt. 43. a. 8. ibi, *Reſpondeo dicendum, quod circa hoc inveniuntur aliqui diverſimodè locuti. Secundùm quoſdam enim perſona divina non mittitur, niſi ab eo, à quo æternaliter procedit. Et ſecundùm hoc, cum dicitur filius Dei miſſus à Spiritu Sancto, referendum eſt hoc ad humanam naturam, ſecundùm quam miſſus eſt ad prædicandum à Spiritu Sancto. Auguſtinus autem dicit de Trinitate, quod Filius mittitur & à ſe, & à Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus etiam mittit ſe, & à Filio, vt ſic mitti in divinis non conveniat cuilibet perſonæ, ſed ſolùm perſonæ ab alio exiſtenti; mittere autem conveniat cuilibet perſonæ.* En vtramque ſententiam, de qua hoc iudicium format S. Doctor.

14 *Vtrumque autem habet aliquomodò veritatem, quia cum dicitur aliqua perſona mitti, deſignatur & ipſa perſona ab alio exiſtens, & effectus viſibilis, aut inviſibilis, ſecundùm quem miſsio divinæ perſonæ attenditur. Si igitur mittens deſignetur, vt principium perſonæ, quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit, ſed ſolùm illa, cui convenit eſſe principium illius perſonæ; & ſic Filius mittitur tantùm à Patre; Spiritus autem Sanctus à Patre, & Filio. Si verò perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus ſecundùm quem attenditur miſsio, ſic tota Trinitas mittit perſonam miſſam.* Ergo iuxta Anſelmum, Ambroſium, & Ang. Doctorem, miſsio verificari non poteſt ſine proceſsione, & origine, niſi per ordinem ad effectum, quo ſenſu miſsio eſt productio effectus, quæ eſt communis toti Trinitati.

15 Ex his facilè occurri poteſt ad impugnationes factas ex §. 1. Ad authoritates ibi propoſitas dico, quod Filius verè mittitur à Spiritu Sancto, non tanquam perſona divina, ſed tanquam homo ad Evangelizandum, prædicandum, & alios effectus operandos. Ad rationem ex num. 3. nego maiorem, nam aliud eſt Filium procedere à Patre cum ordine ad humanitatem, ſive vt ſit homo in tempore, in quo conſiſtit vera miſsio: & aliud ipſa temporalis incarnatio, quæ eſt operatio ad extra, & activè á tota Trinitate. Ad aliam probationem ex num. 4. nego pariter maiorem. Nam manifeſtatio eſt ſig-

num

num miſsionis, non miſsio; ſignum autem eſſe poteſt, & eſt à tota Trinitate, quamquam miſsio non ita ſit.

16 Sed contra hanc doctrinam inſurgit Godoy ex Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 5. vbi exponens ea verba Pauli ad Galatas 4. *Miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere*, ait: *Cum itaque ait, miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere ſatis oſtendit eo ipſo miſſum Filium, quo factus eſt ex muliere: quod ergo de Deo natus eſt, in hoc mundo erat; quod autem de Maria natus eſt, in hunc mundum miſſus advenit; proinde mitti à Patre ſine Spiritu ſuo non potuit, non ſolùm cum intelligitur Pater cum eum miſsit, ideſt, fecit ex fœmina, non vtique ſine ſpiritu ſuo feciſſe.* Ex quibus idem Author deducit non ſolùm Chriſtum vt hominem miſſum eſſe ad prædicandum, ſed ipſum Filium Dei miſſum eſſe, vt eſſet homo; cum ergo miſſus non ſit à Patre ſine Spiritu ſuo, vt inquit Auguſtinus, dicendum eſt ipſam perſonam Filij miſſam eſſe à Spiritu Sancto.

17 Verùm hæc, & alia, quæ idem Doctor ex Auguſtino addit nos à prædicta ſententia diſcedere non cogunt. Nam cum Paulus ait: *Miſsit Deus Filium ſuum*, profectò de Deo Patre loquitur, non de Spiritu Sancto, quia Filius non eſt filius Spiritus Sancti. Quod autem Auguſtinus addit non eſſe miſſum à Patre ſine Spiritu ſuo, veriſsimum eſt, quia ad miſsionem Filij Dei in mundum plura concurrunt, & exitus à Patre, & operatio ipſius Incarnationis: primum eſt proprium ſolius Patris: ſecundum eſt commune Trinitati, & ad illud Spiritus S. concurrit. Et notandum Auguſtinum non dixiſſe Filium miſſum eſſe à Patre, & Spiritu Sancto; ſed non eſſe miſſum à Patre ſine Spiritu ſuo, ad quod ſatis eſt

ſi Spiritus Sanctus concurrat ad aliquid miſsionem adimplens.

***

[5]

DVBIVM IV.

An miſsio divinarum perſonarum rectè dividatur in viſibilem, & inviſibilem?

§. I.

1 REM paucis expediam; cum vtraque miſsio, viſibilis, & inviſibilis, Filij, & Spiritus Sancti, ex pluribus Sacræ Paginæ teſtimonijs clariſsimè conſtet. Miſsio viſibilis eſt illa, quæ fit per ſignum aliquod ſenſibile perſonam miſſam repræſentans, vt probat Anſelmus cap. 10. de proceſsione Spiritus Sancti ex Ioan. 20 ℣. 22. vbi Chriſtus ante quam tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, *inſufflavit, & dixit, accipite Spiritum Sanctum*: vbi per halitum oris ſignificatur Spiritus Sanctus procedens à Filio, & in Apoſtolos miſſus. Item, Ex illo Iſaiæ 11. ℣. 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium*; alijſque locis, & exemplis ibidem allegatis. Rurſus. Facta eſt miſsio viſibilis Spiritus Sancti, dum in ſpecie columbæ apparuit, de qua Luc. cap. 3. dixit: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, quaſi columba in ipſum.* Dum etiam in die Pentecoſtes apparuit in linguis igneis. Denique. Filius viſibiliter miſſus eſt; dum media Incarnatione factus eſt homo, nobis datus, nobis natus.

2 Miſsio inviſibilis eſt illa, quæ fit medio aliquo ſpirituali effectu, vt patet in iuſtificatione impij, dùm inviſibilis gratiæ donum infunditur. Et licèt vtraque miſsio ordinetur ad ſanctificationem animæ; ad manifeſtationem, & proceſsionem perſonæ miſſæ oſtendendam; ac ad ſpecialem habitationem in creatura, ad quam mittitur; nihilominus prima diſtinguitur à ſecunda, quod in prima, ſive viſibili, vna perſona mitti, & manifeſtari poteſt ſine alia: ſecunda verò ad omnes perſonas pertinet, non quidem ad omnes perſonas vt miſſus, quia Pater nunquam mittitur, ſed ad duas procedentes vt miſſas, ad omnes vt venientes, & deſcendentes ad creaturam, vt dicitur Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

ciemus. Quanquàm hæc ita ſint, non deficit, qui miſsioni inviſibili; necnon, qui viſibili, propriam miſsionis rationem negare contendat: pars tamen affirmativa eſt communis Theologorum ſententia.

(†)

Vera, & propria miſsionis ratio in vtraque miſsione oſtenditur.

§. II.

3 DIcendum vtramque miſsionem eſſe propriè talem, atque adeò optimè dividi in viſibilem, & inviſibilem. Conſtat ex teſtimonijs ſupra allegatis. Et ratione probatur. Miſsio importat exitum á mittente cum novo modo habitandi in creaturis; ſed in vtraque miſsione ſignificatur exitus á mittente cum novo modo habitandi in creaturis, ergo vtraque miſsio propriam miſsionis naturam ſortitur. Minorem quoad miſsionem viſibilem probat Anſelmus loco allegato, vbi per ſenſibilem oris halitum procedentem ab ore Chriſti in Apoſtolos docet ſignificari proceſsionem Spiritus Sancti ab eodem Filio, qui quidem Spiritus Sanctus in Apoſtolos miſſus eſt, cui conſonat Auguſtinus, & Bernardus citati in Scholijs, vbi videri poſſunt; ergo ibi ſignificatur proceſsio Spiritus Sancti à Filio cum novo modo habitandi in Apoſtolis; ergo ea eſt vera miſsio.

4 Idem argumentum formari poteſt de miſsione Filij Dei in Incarnatione facta, vbi ſignificatur proceſsio à Patre, & nova habitatio in natura aſſumpta, iuxta illud, exivi à Patre, & veni in mundum. Idem etiam de Spiritu Sancto, dum apparuit in linguis igneis corda Diſcipulorum replens, & mentes eorum ſpeciali quodam modo infra exponendo inhabitans; in miſsione ergo viſibili reperitur conceptus proprius, & intrinſecus miſſionis. Quod idem dicendum de miſsione inviſibili. Dum enim homo inviſibiliter ſanctificatur, ſignificatur pariter ſpecialis inhabitatio perſonæ miſſæ, novoque titulo, ac ſpeciali modo Filium, & Spiritum Sanctum in creaturis habitare perhibetur. Hæc tamen miſsio, quanquam cõmunis ſit Patri, & Filio, vt ex ſupra dictis conſtat, ſæpé tamen appropriatur Filio: ſæpê Spiritui Sancto iuxta diverſitatem donorum, quæ gratia ſanctificans radicat, vt tradit D. Thomas 1. p. quæſt. 43. a. 5. ad 3. ita loquens: *Cum miſsio importet originem perſonæ miſſæ, & inhabitationem per gratiam. Si loquamur de miſsione quantum ad originem, ſic miſsio Filij diſtinguitur à miſsione Spiritus Sancti, ſicut generatio à proceſsione. Si autem quantum ad effectum gratiæ, ſic communicant duæ miſsiones in radice gratiæ, ſed diſtinguntur in effectibus gratiæ, qui ſunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.*

5 Hanc autem diverſitatem miſsionum vtriuſque perſonæ procedentis deſumpta ex effectibus erudité expendit in 1. ad Annib. diſt. 15. quæſt. vn. a. 5. per hæc verba: *Quædam habent ſimilitudinem cum proprio Filij, in quantum procedit vt Verbum; ſicut illa, quæ pertinent ad cognitionem, vt donum ſapientiæ, & ſcientiæ; & in huiuſmodi donis dicitur mitti Filius. Quædam verò dona habent ſimilitudinem cum proprio Spiritus Sancti, qui procedit vt amor; ſicut illa, quæ pertinent ad affectum, vt charitas; & in huiuſmodi donis dicitur propriè mitti Spiritus Sanctus.*

Obiectiones contrariæ enodantur.

§. III.

6 OPponi poteſt primò contrà miſsionem inviſibilem. Nõ ſalvatur propria miſsionis ratio, quoties mittens convenit cum miſſo in termino miſsionis; ſed in miſsione inviſibili mittens convenit cum miſſo in termino miſsionis; ergo in miſsione inviſibili non ſalvatur propria miſsionis ratio. Maior conſtat. Nam in creatis dum homo hominem mittit, homo mittens non tendit ad eundem locum, in quem tendit homo miſſus. Minor autem probatur. In miſsione inviſibili Pater mittens convenit cum Filio, & Spiritu Sancto miſſo; quare de miſsione inviſibili per gratiam ſanctificantem inquit Filius Ioan. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; ergo in miſsione inviſibili mittens convenit cum miſſo.

7 His tamen conſtat ex præcedentibus, quibus dictum eſt plura reperiri

riri in miſsione creaturarum, quæ locum non habent in miſsione divina, nam in illa datur ſeparatio perſonæ miſſæ à mittente; mutatio loci, & alia plura, quæ Deo non conveniunt, ſed potius repugnant: vndè miſsio perſonæ divinæ non eſt ad locum acquirendum, ſed ad novo modo habitandum, vbi anteà erat per ſuam immenſitatem. Quare ad impugnationem, nego maiorem, quæ non impugnatur ex paritate miſsionis creatæ, vt dictum eſt.

8 Opponi poteſt ſecundò. Si aliqua daretur propria miſsio inviſibilis divinarum perſonarum, maximè illa, quæ fit per gratiam iuſtificantem medio Sacramento; ſed hæc non; ergo nulla. Minor probatur. Talis miſsio non eſt minùs viſibilis, quam illa, quæ facta eſt Spiritus Sancti in ſpecie columbæ, aut linguis igneis, quia quemadmodum hæc facta eſt ſigno viſibili, ita illa ſigno ſenſibili, nimirùm medio Sacramento, quod eſt ſignum ſenſibile; at illa numeratur per nos inter miſsiones viſibiles; ergo & iſta numeranda eſt, & conſequenter aſsignari non poterit propria miſsio inviſibilis.

9 Reſpondeo miſsionem ex natura ſua eſſe tranſeuntem, & ſortiri denominationem miſsionis viſibilis ex ſigno aliquo tranſeunti, ac voluntariè aſſumpto, non ordinato ad ſignificandam perſonam miſſam permanenter, vt patet in columba voluntariè aſſumpta ad ſignificandam inviſibilem miſsionem Spiritus Sancti quaſi in tranſitu: attamen Sacramenta ſunt ordinata permanenter ad ſignificandam gratiam; vndè non eſt ſimile, quam diſsimilitudinem refert D. Thomas in 1. diſt. 16. quæſt. 1. a. 1. ad 3. *Dicendum, quod per Sacramenta ſignificatur præſentia divinæ inhabitationis, ſicut in ſignis inſtitutis, non ad tempus, ſed ad ſemper; ſed illæ creaturæ viſibiles non fuerunt inſtitutæ, vt ſignificarent gratiam divinæ inhabitationis ſemper, ſed ſolum in illo tempore determinato.* Secundò addit aliam ſolutionem, quam meliorem iudicat, videlicet, Sacramenta non ſolùm ſignificare, ſed cauſare gratiam; eamque ex natura ſua ſemper cauſant: attamen ſigna illa voluntariè aſſumpta, columbæ, ignis, & alia huiuſmodi, non cauſant gratiam, nec eam ſignificant ſemper, vt noviter cauſatam, ſed vt præexiſtentem, vt infra oſtendemus n. 12. Undè miſsio per ſigna illa voluntaria, & tranſeuntia numerari poteſt inter viſibiles: non ita miſsio facta in gratia ſacramentali.

10 Opponi poteſt tertiò contra miſsionem viſibilem. Si aliqua daretur miſsio viſibilis propriè talis alicuius perſonæ divinæ, maximè quæ facta eſt in ſpecie columbæ, vel alijs ſignis ſupra relatis; ſed hæc propriè miſsio perſonæ divinæ eſſe non poteſt; ergo miſsio viſibilis non eſt propriè talis. Minor probatur. Ut eſſet propriè miſsio, ſignum aſſumptum deberet eſſe manifeſtativum perſonæ miſſæ; at columba non eſt manifeſtativa Spiritus Sancti, nam ſecluſa revelatione credendum non eſſet in illius ſpecie apparuiſſe Spiritum Sanctum; ergo. Secundò. Omnis miſsio perſonæ divinæ ordinatur ad ſanctificationem animæ; at ibi nulla ſanctificatio facta eſt; non quidem Chriſti, qui à primo conceptionis momento fuit plenus gratia, & veritate; non alterius, vt patet; ergo ibi propria miſsio Spiritus Sancti non fuit.

11 Tertiò. Sicut Filius Dei miſſus eſt ad eſſe hominem, ita mitti potuit ad creaturam irrationalem, quam potuit aſſumere; & tamen ibi non daretur propria miſsio, cum ibi nulla eſſet ſanctificatio, ad quam ſemper miſsio divinarum perſonarum ordinatur, ergo miſsio illa facta media incarnatione, propriè miſsio perſonæ divinæ putanda non eſt.

12 Ad primum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, conceſſa ſimiliter maiori, nego minorem. Ad cuius probationem dico aliud eſſe Spiritum Sanctum re ipſa apparere in ſpecie columbæ; & aliud à nobis cognoſci, & credi: ad hoc ſecundum neceſſaria eſt revelatio, non ad primum; & ita poſita revelatione certò cognoſcimus, & creditus Spiritum Sanctum apparuiſſe. Ad ſecundum dico eam eſſe differentiam inter miſsionem viſibilem, & inviſibilem, quod inviſibilis nunquam contingit ſine nova ſanctificatione, ſed ad miſsionem viſibilem ſatis eſt nova manifeſtatio ſanctitatis præhabitæ, & ad hoc ſignificandum, & manifeſtandum mitti poteſt viſibiliter perſona divina; quapropter licèt Spiritus Sanctus dùm apparuit in ſpecie columbæ non habitaret noviter in Chriſto, habitavit tamen vt noviter manifeſtatus, ideſt noviter habitavit, non novitate habitationis, ſed novitate manifeſtationis.

Ad

13 Ad tertium, conceſsis præmiſsis, nego conſequentiam, dùm enim dicitur miſsionem importare exitum à mittente cum novo modo exiſtendi in creaturis, hic novus modus includit ſanctitatem, vt dubio ſequenti oſtendemus, aut novitèr cauſatam, aut ſaltim noviter manifeſtatam; hæc autem ſanctificatio datur in incarnatione, non in aſſumptione creaturæ irrationalis; vndè illa, & non iſta, eſt propriè miſsio, quia miſsio ordinatur ad hoc, vt creatura perfectè poſſideat perſonam miſſam, & hæc perfecta poſſeſsio fit per aſsimilationem, quæ locum habet in creatura rationali per gratiam, non in irrationali, quę gratiæ capax non eſt.

[ſ]

DVBIVM V.

An perſonæ divinæ per miſsionem ad creaturam rationalem ſint in illa duntaxat per dona gratię. An etiam realiter, & perſonaliter.

§. I.

1 SPECIALIS modus, quo Spiritus Sanctus tangit penetralia cordis, animabuſque iuſtorum amicabili fœdere copulatur, ita mihi apparet ad expoſitionem difficilis, ſicut amanti certus. Sunt aliqui (inquit Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 14.) qui dicunt Spiritum Sanctum ipſum Deum non dari, ſed dona eius, quæ non ſunt ipſe Spiritus S. Et Magiſter Zumel in præſenti diſp. 1. ait: Plurimi Theologi docent, quod cum homo ſanctificatur, dantur illi dona creata, non tamen perſona Spiritus Sancti, & conſequenter affirmant, quod tunc non mittitur perſona Spiritus Sancti. Communis tamen Theologorum ſententia affirmat vi miſsionis perſonarum divinarum non ſolùm dari dona gratiæ, verùm & eaſdem perſonas ad nos venire, ac ſpeciali quodam modo in animabus iuſtis tanquam in templo ſuo inhabitare. Ita docet Eximius Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. Salmanticenſes tract. 6. diſp. 19. Granados tract. 15. diſp. 4. Magiſter Ioannes à S. Thoma diſp. 17. a. 3. & alij frequentius. Sed Illuſt. Godoy tract. 14. diſp. 100. media via incedens affirmat cum Authoribus ſecundæ ſententiæ divinas perſonas vi miſsionis conſtitui quidem ſpecialiter præſentes, ſed præſentia duntaxat obiectiva, non tamen phiſica, & reali. allegat pro eadem ſententia alios Authores, ſed eo ſolo titulo, quia de præſentia reali mentionem non faciunt, verùm nec eam negant, immò pars affirmativa ex eorum doctrina facilè colligitur, vt ex dicendis conſtabit.

Sententia affirmativa eligitur, ac diverſimodè ſuadetur.

§. II.

2 DIcendum in miſsione inviſibili divinarum perſonarum donari nobis, non ſolùm dona gratiæ, verùm & ipſas perſonas miſſas nobis dari, ac nobis præſentes realiter, & perſonalitèr conſtitui. Clariſsimè ſuaderi poteſt ex Sacra Pagina. Primò ex illo Apoſtoli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; vbi apertè diſtinguit Paulus Spiritum Sanctum à dono charitatis; ergo præter charitatis donum datur etiam perſona Spiritus Sancti.

3 Secundò. Ex illo 1. ad Cor. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ad Galatas 4. *Miſsit Deus ſpiritum Filij ſui in corda noſtra.* Et Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Item. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Rurſus. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ac tandem Act. 8. *Per impoſitionem manum Apoſtolorum datur Spiritus Sanctus.* Ex quibus, & alijs pluribus ita apertè conſtat dari nobis non ſolùm dona gratiæ, ſed eandem divinam perſonam, vt oppoſitum iudicet erroneum Ang. Doctor 1. p. quæſt. 43. art. 3.

4 Suffragatur Anſelmus cap. 10. de proceſsione Spiritus Sancti, vbi per inſufflationem Chriſti dicentis Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum*: perſonam Spiritus Sancti intelligit. Et probat Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 20. poſt alia dicens: *Quis enim dementiſsimus dixerit alium fuiſſe Spiritum, quem ſufflans dedit, & alium, quem poſt Aſcenſionem ſuam miſsit*; at poſt

Aſcenſionem in linguis igneis miſsiſſe perſonam Spiritus Sancti nemo dubitat; ergo & perſona Spiritus Sancti fuit, quam Chriſtus per halitum ſignificavit, ac in Diſcipulos miſsit. Sed clarius idem Auguſt. ſerm. 43. de verbis Domini ea Apoſtoli verba: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris*, exponens ait: *Si charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, à quo datur? Ab illo, qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum Sanctum, qui tale dat donum, qualis eſt ipſe: magna eſt miſericordia eius, qui donum dat æquale ſibi, quia donum eius Spiritus Sanctus eſt.* Ita etiam Ambr. Beda, Leo Primus, & alij communiter.

5. Adſtipulatur Doctor Ang. pluribus in locis, quæ longum eſſet recenſere. Id expreſsè affirmat 1. p. quæſt. 43. a. 3. per hæc verba: *In ipſo dono gratiæ gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, & inhabitat hominem; unde ipſemet Spiritus Sanctus datur, & mittitur.* Quod ibidē ſæpè repetit. Et in 1. diſt. 14. quæſt. 2. a. 1. ait: *Dicendum quod ipſemet Spiritus Sanctus procedit temporali proceſſione, vel datur, & non ſolùm dona eius.*

6 Ratio deducta ex Anſelmo ſub hâc forma proponitur. Ex miſsione temporali Spiritus Sancti in Apoſtolos probatur proceſsio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, vt SS. Doctor ſæpé probat; ſed ipſa perſona Spiritus S. eſt, quę æternaliter procedit á Patre, & Filio; ergo & ipſa perſona Spiritus S. eſt quæ mittitur tēporaliter in Apoſtolos. Confirmatur. Per miſsionē Spiritus Sancti in Diſcipulos, v. g. in linguis igneis aliter fuit Spiritus Sanctus in illis, ac anteá erat; at hic ſpecialis exiſtendi modus non eſt per ſola dona gratiæ, cùm per dona gratiæ etiam anteà fuiſſe credendum ſit; ergo dum deſcendit in linguis igneis novo titulo ad eos veniſſe, ac novo modo inhabitaſſe credendum eſt; ergo & ad eos perſonaliter venit.

7 Denique. Prædicta Scripturæ verba in ſenſu proprio, & litterali de perſona Spiritus Sancti communiter exponuntur á Patribus, & intelligūtur à Theologis; ergo ita exponenda, & intelligenda ſunt; nec in re gravi, ac in Scriptura ſatis expreſſa licet aliter opinari, quàm communitèr à Sanctis Patribus traditur; nec ad ſenſum improprium detorquere; ſed ad ſenſum prorſus improprium detorquet quicumque aſſerit ſolùm mitti Spiritum Sanctum per dona ſua, & non perſonaliter, quoniam tunc intelligeretur effectus pro cauſa, nimirùm, gratia pro Spiritu Sancto; ergo.

8 Ex his facilé deducitur media miſsione inviſibili non ſolùm nobis donari Spiritum Sanctum, ſed cæteras quoque perſonas nobis dari, vt conſtat ex allegato textu Ioan. 14. dicente Filio in nomine totius Trinitatis: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; ergo omnes perſonæ ad animas iuſtorum deſcendunt, Pater quidem vt veniens, & cæteræ duæ procedentes vt miſſæ iuxta dicta in ſuperioribus. Ratione pariter convincitvr. Præſentia divinarum perſonarum in iuſtis (quocumque modo exponatur ſecundùm diverſos opinandi modos) importat aliquid omnibus perſonis commune; ergo omnes perſonæ ad nos veniunt. Antecedens probatur. Ea præſentia vel fundatur in perfecta amicitia, vel in ſpeciali coniunctione per cognitionem, & amorem, vel in vnione cum ipſo Deo tanquam cum obiecto fruitionis, vel in alio ſimili infra exponendo; ſed hæc omnia omnibus perſonis indiviſibiliter conveniunt; ergo præſentia facta per miſsionem non eſt ſpecialis Spiritus Sancti, aut alterius perſonæ, ſed communis omnibus perſonis, quanquàm ſecundùm diverſitatem donorum, & effectuum ſæpe apprietur vni, ſæpé alteri, vt etiam ex ſuperioribus ſatis, ſuperque conſtat.

9 His omnibus conſentit Illuſtriſsimus Godoy, verùm ait ex his non probari præſentiam realem, & phiſicam, ſed tantùm obiectivam: nam aliud eſt nobis dari præter dona gratiæ perſonam miſſam; & aliud eandem perſonam conſtitui in nobis phiſicè præſentem, in quo deceptos iudicat Authores contrarios. Differentia autem conſtat ex eo, quod primum certum eſt, & oppoſitum iudicat P. Suarez cum D. Thoma erroneum; at ſecundum tuetur idem Suarez tanquam probabile, & pium; ergo inter vtrumque eſt aperta diſparitas; vndè ad miſsionem eiuſdem perſonæ divinæ propugnandam neceſſaria non eſt præſentia phiſica, ſed ſufficit obiectiva. Præterea. Quia D. Thomas hunc ſpecialem exiſtendi modum divinarum perſonarum in anima iuſti ſemper explicuit per obiectivam præſentiam nulla facta mentione de præſentia reali, & phiſica, cùm ſolùm aſſerat eſſe in iuſto tanquam obiec-

obiectum cognitum, & amatum, quod ſolùm probat præſentiam obiectivam, & affectivam; ergo contra D. Thomam fit recurſus ad præſentiam realem, & perſonalẽ.

10 Sed contrà. Nam eſtò in miſsione inviſibili nobis dari prꝛeter dona gratię perſonam Spiritus Sancti ita certum ſit, vt oppoſitum putandum ſit erroneum; & phiſica præſentia non ita certa ſit, vt oppoſitum ſimili cenſura dignum ſit, nihilominùs vnum ab alio haud facilè ſeparari poteſt. Quod ſic oſtendo. Præſentia purè obiectiva nullã connexionẽ habet cũ ſpeciali miſsione perſonæ Spiritus Sancti, quoniã ea ſecluſa poteſt eſſe præſens obiectivé, & ita de facto eſt reſpectu iniuſti Deum cognoſcentis; ergo ad miſsionem, ac ſpecialem exiſtentiam eiuſdem perſonæ Spiritus Sancti in animabus iuſtis non ſufficit obiectiva prꝛeſentia, ſed vlterius requiritur realis, & perſonalis.

11 Secundó. Obiectiva præſentia ſita eſt in ſola repræſentatione, vel per ipſam cognitionẽ, vel in verbo peripſam producto; ſed ad hunc exiſtendi modum nihil aliud requiritur, niſi donũ ipſum cognitionis, & amoris; ergo ad hanc obiectivã prꝛeſentiam ſufficiunt dona gratię: vndè Authores primæ ſententiæ aſſerentes nobis donari duntaxat dona gratiæ, hanc obiectivã præſentiam nõ negant, ſed nec negare poſſunt, vndé negantes præſentiam realem, & perſonalem in primam ſentẽtiam incidere neceſſe eſt. Denique. Deum eſſe obiectivê cognitum, & amatum eſt denominatio extrinſeca deſumpta ex cognitione, & amore; ergo hoc ipſo, quod Deus mittat donum cognitionis, & amoris, erit Deus prꝛeſens obiectivé; ergo præſentia purè obiectiva optimè ſalvatur ſine ſpeciali exiſtentia, & habitatione Spiritus S. in animabus iuſtis.

12 Ad id, quod additur ex D. Thoma reſpondeo Angelicum Doctorem non tantũ dixiſſe Deum eſſe in anima iuſti tanquam obiectum cognitum, & amatum, ſed tanquam *cognitum in cognoſcente, & amatum in amante*, quaſi dicat: debet eſſe cognitum tanquam præſentialitèr exiſtens in cognoſcente, & re ipſa per ſuam ſubſtantiam in amante; & ita ſæpè docet. Nam in 1. diſt. 37. q. 1. a. 2. relato primo exiſtendi modo in creaturis *per ſimilitudinem, & non per ſubſtantiam*, inquit: *Iſta coniunctio invenitur in omnibus creaturis divinam bonitatem aſsimilantibus, & ſic erit modus communis, quo Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam*: *Secundo creatura attingit ad ipſum Deum ſecundùm ſubſtantiam ſuam conſideratum, & ſecundùm ſimilitudinem tantùm.* Et 4. contra Gent. c. 18. ait: *Spiritus Sanctus ſecundùm ſubſtantiam ſuam inhabitat mentem*; & hac ratione vocat eam cognitionem *experimentalem*.

13 Reſpondet Godoy ſine reali, & phiſica præſentia diſtincta à communi præſentia per immenſitatem divinas perſonas eſſe ſpecialiter in nobis, quia dum Deus confert dona ſua, non ſolùm vnimur cum ipſa gratia, & donis, ſed per gratiam vt radicem operationum vnimur cum Deo ipſo ſecundùm ſubſtantiam, quatenùs per actus cognitionis, & amoris in Deum ſecundùm ſuam ſubſtantiam tendimus. Sed contra hanc ſolutionem regreditur impugnatio facta: nam vnio illa cum Deo medijs actibus fidei, & charitatis radicatis in gratia eſt vnio iuxta hunc Authorem cum Deo tanquam cum obiecto extrinſeco cognito, & amato; ſed hæc vnio non indiget ſpeciali præſentia divinarum perſonarum in anima iuſti, nec ab Authoribus primæ ſententiæ talis vnio negatur, ſolaque dona creata actus fidei, & charitatis ad talem vnionem ſufficiunt; ergo re ipſa hic Author non ponit ſpecialem præſentiam divinarum perſonarum diſtinctam á præſentia facta per ſola dona gratiæ, atque primæ ſententiæ ſuffragari neceſſe eſt.

14 Reſpondent ſecundò Salmanticenſes, quod Deus infundens gratiam, donaque ſupernaturalia, eſt in creatura tanquam cauſa cum ſuo effectu, nempè cum ipſa gratia, & donis; ex quo ſequitur, quod creatura referatur non ſolùm ad gratiam, & dona, ſed etiam ad perſonas divinas per modum habentis illas, & viciſim perſonæ divinæ per eandem relationem referantur ad eandem creaturam vt habitæ, & poſſeſſæ ab illa. Verùm hæc doctrina non exponit ſpecialem exiſtendi modum in creaturis, ſed ſupponit: nam relatio, per quam creatura refertur ad perſonas divinas miſſas vt habens illas ſupponit eaſdem perſonas iam habitas, ideoque ſupponit ſpecialem modum, quo habentur, & poſſidentur: quarè præfata doctrina deſervire poterit ad quandam expoſitionem à poſteriori; non tamen vt ratio à priori, de qua dubium procedit.

15 Frequentior ergò exponendi modus eſt ille, quem tradit D. Thomas loco citato ex 1. p. a. 5. videlicet, perſonas divinas mitti ad nos, & eſſe ſpecialiter in nobis, quatenus media gratia, & donis ſunt in anima iuſti tanquam obiectum cognitum in cognoſcente, & amatum in amante. Sed hæc ſolutio ſua etiam difficultate laborat, quoniam non aliam videtur requiri præſentiam, niſi obiectivam, & affectivam, vt patet ex ſupra dictis.

16 Undè P. Suarez, Salmanticenſes, & alij ad eandem ſolutionem facilius expendendam notant per gratiam, & charitatem conſtitui veram amicitiam cum Deo, ideoque perſonas miſſas eſſe in anima iuſti vt obiectum cognitum cognitione ſufficienti ad veram, & perfectam amicitiam, & ſimul amatum amore amicabili; ſed amicitia exigit vnionem non ſolùm intentionalem, ſed phiſicam; eſt ergo Deus præſens non ſolùm intentionaliter, & obiectivè, ſed phiſicè. Minorem probant, eo quod exigit quantum poteſt præſentiam realem amici, nec ſola intentionali contentus eſt; & ita docere videtur D. Thomas 1. 2. q. 28. a. 2. ex Dioniſio, de divinis nominibus cap. 4. Diſtinguit enim D. Thomas duplicem vnionem, quam facit amor: vnam realem: aliam affectivam, ac de prima ait: *Hanc facit amor effectivè, quia movet ad deſiderandum, & quærendum præſentiam amati, quaſi ſibi conuenientis.* Et Auguſtinus lib. 10. de Trinit. c. 10. ait: *Amor eſt velut iunctura duo aliqua copulans, vel copulare appetens, nempe amatum, & amantem.*

17 Sed ſi aliud non additur, hæc doctrina ſufficiens non apparet. Quia eſtò vera amicitia ardenter deſideret perſonalem amici præſentiam, non tamen eam neceſſariò exigit; vt apertè colligitur ex ipſis allegatis authoritatibus: inquit enim D. Thomas: *Quia movet ad deſiderandum, & quærendum præſentiam amati.* Et Auguſtinus ait: *Duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; ex ſola charitate, & amicitia inter Deum, & homines probabitur quidem animam iuſti ardenter deſiderare phiſicam præſentiam Dei amati, non tamen eam habere. Ulterius. Quia eſtò amicitia exigeret præſentiam amati, non tamen pro omni ſtatu, aut pro omni tempore; ac ita in viatore ſalvari poterit vera amicitia cum exigentia præſentiæ phiſicæ Dei amati in patria; ergo ex ſolo titulo charitatis, & amicitiæ, niſi aliud addatur, non exponitur ſufficienter modus, quo Spiritus Sanctus ad animas iuſtorum mittitur, ac in eis inhabitat.

18 Quarè relictis alijs dicendi modis. Reſpondeo rationem D. Thomę optimam eſſe; nimirùm hanc ſpecialem præſentiam ſitam eſſe in eo, quod Deus ſit in anima iuſti vt cognitus in cognoſcente, & amatus in amante; non tamen qualicumque cognitione, & amore, ſed experimentali, miſtico, & affectivo, ideoque exigente præſentiam phiſicam rei cognitæ, & amatæ. In cuius rei expoſitione notandum eſt gratiam non ſolùm radicare virtutes, verùm etiam dona Spiritus Sancti; dona autem Spiritus Sancti ſpectantia ad partem intellectivam habent ex proprio conceptu cognoſcere, & iudicare de divinis, non qualicumque cognitione, ſed experimentali affectiva, & miſtica, ſive cum delectatione, & per quandam connaturalitatem ad divina: ex quo ortum habet, vt animæ iuſtorum maxima charitate flagrantes ſæpè experiantur diuinam præſentiam in ſe ipſis, Deumque intimè coniunctum, veluti Rectorem, Ducem, Magiſtrum, mentem illuminantem, affectum inflammantem, & ad heroica aggredienda impellentem: & licèt hæc omnia non ſemper, nec in omnibus iuſtis operetur, ſemper tamen ibi aſsiſtit cum gratia, & donis vt obiectum experimentaliter cognoſcibile, & fruibile.

19 Sumitur hæc doctrina ex D. Thoma in 1. diſt. 14. quæſt. 2. a. 2. ad 3. ibi. *Non qualiſcumque cognitio ſufficit ad rationem miſſionis, ſed ſolùm illa, quæ accipitur ex aliquo dono appropriato perſonæ, per quod efficitur nobis coniunctio ad Deum ſecundùm modum proprium illius perſonæ, ſcilicet, per amorem, quando Spiritus Sanctus datur, vndè cognitio iſta eſt quaſi experimentalis.* Clarius 2. 2. q. 45. a. 2. vbi diſtinguens duplicem cognitionem, aliam per vſum rationis; aliam per connaturalitatem, ita proſequitur: *Sic ergo circa res divinas ex rationis inquiſitione rectum iudicium habere pertinet ad ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis, ſed rectum iudicium habere de eis ſecundùm quandam connaturalitatem ad ipſas pertinet ad ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti: huiuſmodi autem*

autem connaturalitas ad res divinas ſit per charitatem, quæ vnit nos Deo. Sic ergo ſapientia, quæ eſt donum, cauſam quidem habet in voluntate, ſcilicet, charitatem, ſed eſſentiam habet in intellectu, cuius actus eſt rectè iudicare. Quæ omnia erudité confirmat 1. p. quæſt. 43. a. 5. ad 2. *Et ideo ſignanter dicit Auguſtinus, quod Filius mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur; perceptio autem experimentalem quandam notitiam ſignificat. Et hæc propriè dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia, &c.*

20 Sita ergo eſt hæc ſpecialis præſentia in ipſo Deo vt cognito per donum ſapientiæ, cuius cognitio eſt experimentalis, & affectiva, ac per quandam connaturalitatem, & delectationem, quæ proinde exigit vnionem non tantùm obiectivam, ſed phiſicam, & realem; quæ quidem cognitio, vt inquit D. Thomas, cauſam habet in voluntate, quia charitas applicativè concurrit, quia iuxta quantitatem amoris divinis attendimus, accreſcente charitate attentiùs divina conſideramus, facilius percipimus, & ardentius in eis delectamur; vt docet Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 9. ibi: *Quantò flagrantius Deum diligimus, tantò certius, ſereniuſque videmus*: quæ doctrina deſumpta videtur ex illo Ioan. 1. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrùm à Deo ſit.*

21 Nec huius rei, quanquàm difficilis, deficiunt exempla ſatis oportuna. Nam homo ſuam animam rationalem cognoſcit, non qualicumque cognitione, ſed experimentali; quatenus cognoſcit ab ea vivificari, informari, ab eaque habere eſſe, & motum; quapropter experimentaliter percipit, & cognoſcit eam eſſe præſentem phiſicé, & realitér. Angelus cognoſcit ſuam ſubſtantiam ſibi præſentem, non præſentem duntaxat obiectivè, ſed realiter, & phiſicè. Quod idem contingit in Beatis reſpectu Dei; ergo hoc etiam ſuo modo contingere poterit in anima iuſti, ac proinde præſentia illa, qua vi miſsionis Deus eſt in iuſto vt cognitus in cognoſcente, & amatus in amante [vt inquit D. Thomas] non eſt purè obiectiva, ſed realis, perſonalis, & phiſica: quarè media miſsione inviſibili perſona miſſa non ſolùm conſtituitur præſens animæ per dona ſua, nec duntaxat obiectivè, ſed realiter, perſonaliter, & phiſicè.

22 Ex his formatur ſecunda ratio, Perſonæ miſſæ per miſsionem taliter ſunt in anima iuſti, in eaque habitant veluti in templo ſuo, vt ſi per impoſsibile non eſſent in illa realiter per immenſitatem, eſſent illi præſentes per miſsionem; ergo per miſsionem conſtituuntur præſentes præſentia reali. Antecedens probatur. Vi miſsionis ita conſtituuntur præſentes vt cognoſcantur, & amentur, cognitione, & amore experimentali, affectivo, & miſtico; ſed talis cognitio, & amor exigit præſentiam phiſicam; quoniam præſentia obiecti exacta à prædictis actibus nequit eſſe purè obiectiva, quia præſentia purè obiectiva nullum experimentum, guſtum, & connaturalitatem cauſat; ergo eſt præſentia realis, & phiſica.

[5]

Contraria argumenta enervantur.

§. III.

23 ARGUITUR primò. Si perſonæ miſſæ conſtituerentur phiſicè præſentes animæ iuſtorum præſentia diſtincta à præſentia per immenſitatem, daretur in gratia aliquod prædicatum talem præſentiam exigens; at non datur; ergo nec talis præſentia. Minor probatur. Gratia viatorum ſolùm eſt radix cognitionis obſcuræ per fidem, & amoris per charitatem, & actuum aliarum virtutum; ſed gratia vt radicans tales actus non exigit phiſicam præſentiam divinarum perſonarum; ergo in gratia nullum eſt prædicatum exigens talem præſentiam. Minor probatur. Nulli ex prædictis actibus debetur phiſica præſentia divinarum perſonarum; ergo nec gratiæ vt eſt radix eorum actuum, quoniam deberi non poteſt radici, quod non debetur actibus radicatis. Antecedens probatur. Non debetur phiſica præſentia cognitioni per fidem, quæ eſt obſcura, ac reſpicit obiectum, non vt habitum, ſed habendum in ſpe: non amori, nam amor vel eſt actus deſiderij, vel amoris proprié dicti, vel delectationis; ſed deſiderium exigit abſentiam: amor proprié dictus præſcindit à præſentia, vel abſentia: delectatio autem viatori poſsibilis non eſt de re habita, ſed habenda, quoniam coniungitur cú ſpe; ergo nullus ex actibus radicatis in gratia viatoris exigit realē Dei præſentiam.

24 Reſpondeo cōceſſa maiori negādo mi-

minorem. Ad probationẽ ſimiliter conceſſa maiori, nego minorẽ. Nam licet gratia abſolutè ſumpta, & vt radicans præcise virtutes non exigat realem divinarum perſonarum præſentiam, attamen vt radicans dona Spiritus Sancti talẽ præſentiam exigit propter dicta, quę repetere non licet; ex quo oritur, vt etiã fidei, & charitati talis præſentia debeatur, non quidem ratione ſui, ſed ratione donorum fidei præſuppoſitivè, & charitati applicativè; prius namque ſupponenda eſt veritas revelata, & credita per fidem, antequam donum ſapientiæ eiuſdem veritatis creditæ convenientiam, amabilitatẽ, aliaſq; conditiones per experimentũ, guſtum, & cõnaturalitatẽ attingat, quare fidei vt regulanti talẽ cognitionem experimentalem in via debetur realis perſonarum divinarum preſentia; ſicut etiam charitati modo dicto num. 20.

25 Sed contra hanc doctrinam opponit Godoy. Primó. Quia perſonæ divinæ mittuntur, & nobis dantur ratione gratiæ iuſtificantis, quatenùs vnit nos Deo vt obiecto cognito per fidem, & amato per charitatem; ſed gratia vt ſic nos vniens nõ exigit realem præſentiam; ergo miſsio divinarum perſonarum ſalvatur ſine reali earundẽ perſonarum preſentia. Maior conſtat ex D. Thoma in 1. diſt. 37. q. 1. a. 2 vbi ita exponit miſsionem, ac ſpecialẽ præſentiam divinarum perſonarum in Sanctis: *Secundo, creatura attingit ad ipſum Deum ſecundùm ſuam ſubſtantiam conſideratum, & non ſecundùm ſimilitudinem tantùm, & hoc eſt per operationẽ, ſcilicet, quando aliquis fide adhæret primæ veritati, & charitate ipſi ſummę bonitati; & ſic eſt alius modus, quo Deus eſt ſpecialiter in Sanctis*; ergo hæc ſpecialis præſentia conſiſtit in coniunctione cum Deo per fidem, & charitatem; ſed fides realem præſentiam non exigit, quia cognitio fidei experimentalis non eſt: nec eam exigit ſola charitas, vt ſupra num. 17. dictum eſt; ergo ad veram miſsionem, ſpecialemque Dei preſentiam, non requiritur præſentia realis, & phiſica.

26 Si fiat recurſus ad cognitionem experimentalem per donum ſapientię. Contra eſt. Quoniam in miſsione divinarũ perſonarum prius eſt miſsio appropriata Filio, quàm appropriata Spiritui Sancto; ſed hoc eſt falſum ſi ratio miſsionis eſt cognitio experimentalis per donum ſapientiæ, quia donum ſapientiæ ſequitur ad charitatem; at ratione charitatis mittitur Spiritus Sanctus, vt ſupra ex D. Thoma conſtat; ergo prior erit miſsio appropriata Spiritui Sancto, quàm appropriata Filio.

27 Uerùm hæc impugnatio ex dictis præoccupata manet. Nam miſsio divinarum perſonarum debetur gratiæ radicanti fidem, & charitatem, vt optimè docet Ang. Magiſter, ſed fidei vt regulanti, & charitati vt applicanti donum ſapientiæ ad cognitionem experimentalem modo ſupra dicto: vnde non probatur miſsionem appropriatam Spiritui Sancto præcedere miſsionem appropriatam Filio, cum prior ſit regulatio per fidem, quàm applicatio per charitatem.

28 Arguitur ſecundò. Notitia experimentalis de Deo habita in hac vita realem obiectivam præſentiam non exigit; ergo nec gratia talem notitiam radicans; ergo ratione gratiæ radicantis talem cognitionem experimentalem non conſtituitur Deus realiter obiectivè præſens. Probatur antecedens. Notitia experimentalis habita in hac vita non eſt certa, ſed coniecturalis; at notitia coniecturalis, & non certa, realem obiectivam præſentiam non exigit; ergo notitia experimentalis realem obiectivam Deipræſentiam non exigit. Maior conſtat ex D. Thoma in 1. diſt. 15. q. 4. a. 1. ad 1. vbi ait: *Me habere actuale donum, in quo perſonâ divina datur, non poſſum ſcire certitudinaliter in actu propter ſimilitudinem actuum moralium ad actus meritorios, etſi poſsim ex aliquibus ſignis conijcere.* Minor autem probatur. Eo ipſo, quod cognitio ſit tantùm coniecturalis poteſt exiſtere obiecto non exiſtente; ergo notitia experimentalis non petit eſſentialiter realem obiectivam Dei præſentiam.

29 Secundò. Notitia experimentalis habita per donum ſapientiæ eſt iudicium de divinis ex connaturalitate ad divina, quæ per charitatem fit, vel applicativè vt dictum eſt, vel connaturalitate facta per charitatem tranſeunte in conditionem obiecti, vt opinatur Magiſter Ioannes à Sancto Thoma; ſed charitas vt communicata in hac vita non petit realem Dei præſentiam obiectivam, qnia non terminatur ad Deum vt eſt in ſe exiſtentem realiter in amante; ergo notitia experimentalis, & iudicium formatum de Deo per donum ſapientiæ realem

ſem obiectivam Dei pręſentiam nõ exigit.

30 Tertiò. Notitia habita in hac vita per donum ſapientiæ dicitur experimentalis, quia nititur experientiæ de divinis per actum charitatis; & ex guſtu, ac dulcedine ex actu charitatis relictis formatur; ſed actus charitatis elicitus à viatore non terminatur in Deum vt realiter obiectivè præſentem, & conſequenter guſtus, & dulcedo non ſunt de Deo realiter obiectivè præſenti; ergo talis notitia experimentalis non eſt de Deo realiter obiectivè pręſenti.

31 Quartò. Fruitio, & delectatio, qua Deo in hac vita fruimur, eoque delectamur, non eſt Dei vt habiti in re, ſed vt habiti in intentione, in ſpe, vel in iure; ſed dulcedo, & guſtus, quem iuſti in hac vita percipiunt, vel in ipſa fruitione, & declaratione conſiſtunt, vel ad illam conſequuntur; ergo non ſunt de Deo vt habito in re, ſed vt habito in intentione, & in ſpe; ergo nec notitia doni ſapientiæ, nec guſtus, nec delectatio. terminantur ad Deum vt realiter obiectivè præſentem. Quam doctrinam corroborat idem Godoy ex D. Thoma loco citato.

32 Ad argumentum nego antecedens, ad probationẽ, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Cognitio coniecturalis non exigit realem præſentiam, vt coniecturalis, concedo minorem: vt experimentalis, nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem diſtincto eodem modo antecedenti, nego conſequentiam. Aliud namque eſt nos non cognoſcere certò in hac vita Deum eſſe realiter obiectivè prę-ſentem ex vi miſsionis, quanquam cognitio ſit elicita à dono ſapientiæ, ſicut nec certò cognoſcimus cognitionem ipſam eſſe experimentalem, elicitamque á dono ſapientiæ: & aliud eandem cognitionem experimentalem non exigere re ipſa realem Dei præſentiam. Primum eſt verum; ſecundum autem falſum: vndè ſi revelatione divina cognoſceretur talem notitiam eſſe verè experimẽtalem, certò inferendũ eſſet Deum eſſe realiter prę-ſentem.

33 Ad ſecundum conceſſa maiori, diſtinguo minorẽ. Charitas non terminatur ad Deum vt exiſtentem in amante, abſolutè, concedo minorem; vt applicans ad notitiam experimentalem, nego minorẽ, & conſequentiam propter dicta. Per quod cõſtat ad tertium. Ad quartum, diſtinguo maiorẽ. Non eſt Dei vt habiti in re intuitivè, concedo maiorem. Abſtractivè, & obſcurè cogniti, nego maiorẽ. Etenim notitia viatorum regulatur fide, quanquã ſit à dono ſapientiæ, atque adèò remanet locus ad ſpem, & deſiderium habendi, & poſsidendi Deum intuitivè per viſionem beatam; vndè fruitio, & delectatio huius vitæ nõ eſt de Deo clarè cognito, ſed obſcurè. Certum namque eſt Deum eſſe nobis phiſicè præſentem per immenſitatem, quæ tamen præſentia non obſtat ad ſpem, & deſiderium ipſius Dei clarè viſi; ergo nec realis præſentia per cognitionem experimentalem obſtabit.

34 Arguitur tertiò. Divinæ perſonæ mittuntur, & dantur infantibus virtute gratię baptiſmalis; ſed in infantibus nullus eſt guſtus, nec delectatio de divinis, nec Deus eſſe poteſt in illis veluti cognitum in cognoſcente, & amatũ in amante; ergo in hoc non conſiſtit miſsio divinarum perſonarum, nec ſpecialis earum præſentia in iuſtis. Secundò. In via cognoſcimus Deum in verbo creato; ſed cognitio Dei in verbo creato non probat realem Dei præſentiam, ſed tantũ intentionalem; ergo nulla datur prę-ſentia obiectiva realis.

35 Reſpondeo ad argumentum conceſſa maiori, diſtinguendo minorẽ. In infantibus nullus eſt guſtus actualiter, concedo minorẽ, radicaliter, nego minorem, & conſequentiam; quoniam exiſtẽte gratia, charitate, cæteriſq; virtutibus, & donis, datur quidquid requiritur ad fruitionem, licèt per accidens infantes non prorumpãt in actum ex defectu diſpoſitionis, quod etiam contingit in adultis, qui non ſemper dictam cognitionem experimentalem habent. Ad ſecundum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Cognitio in verbo creato non probat præſentiam realem, ſi experimentalis ſit, nego minorẽ. Si non ſit experimentalis, ſed purè ſpeculativa, concedo minorem, & nego conſequentiam. Certum namque eſt nos in via non cognoſcere Deum per ſpeciem propriam, ſive per ſe ipſum gerẽtem munus ſpeciei, ſed in verbo creato, quod tamen non impedit vt experiamur divinam præſentiam: ſicut etiam animam noſtram non cognoſcimus per ſpeciem propriam, nec alia ſpiritualia pro hoc ſtatu; nihilominus taliter eam cognoſcimus per alienam ſpeciem, vt experiamur realiter præſentem.

DVBIVM VI.

An ſolùm ratione gratiæ ſanctificantis animam fiat miſsio divinarum perſonarum.

§. I.

1 DIctum eſt in præcedentibus miſsionem importare proceſsionem æternam à mittente, & effectum temporalem ad extra, vi cuius perſona miſſa ſit novo titulo in creatura; modò inquirimus quinam ſit hic effectus? An ſola gratia habitualis? Ut frequentiùs docent Theologi. An etiam dona naturalia? Ut colligi videtur ex Durando in 1. diſt. 15. quæſt. 3. & docet Arriaga de Trinit. diſp. 55. ſect. 4. & 5. An etiam ratione aliorum donorum ſupernaturalium, vt Alij iudicant ſaltim in miſsione ſecundùm quid.

Communis ſententia authoritate ſuadetur.

§. II.

2 DICENDUM perſonas divinas mitti duntaxat ratione gratiæ ſanctificantis animam. Et probatur. Spiritus Sanctus mittitur ad nos habitandum in nobis tanquam in templo ſuo; ſed Spiritus Sanctus habitare non poteſt in nobis tanquam in templo ſuo, niſi ratione gratiæ ſanctificantis animam; ergo Spiritus Sanctus non mittitur ad nos, niſi ratione gratię ſanctificantis animã. Conſequentia optimè deducitur. Et præmiſſæ conſtant expreſsè ex Sacra Pagina. Maior conſtat ex illo Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Item dicit Filius: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Et Apoſtolus 1. ad Cor. 6. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.*

3 Minor autem facilè oſtenditur ex eodem Apoſtolo ex dictis inferente: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quaſi hunc formans diſcurſum. Spiritus Sanctus venit ad habitandum in nobis tanquam in templo ſuo; ſed templum ſuum debet eſſe ſanctum; ergo venit duntaxat ratione formæ ſanctificantis. Secundò conſtat ex illo Sap. 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Item Ex illo Proverb. 15. *Longè eſt Dominus ab impijs.* Denique. Ex Apoſtolo ad Romanos 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum, & qui datus eſt nobis.*

4 Adſtipulatur Auguſtinus lib. 3. de Trinit. vbi ait: *Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam creaturam.* Ex quibus Divus Thomas 1. p. quæſt. 43. a. 5. deducit: *Cum igitur ſanctificatio creaturæ non ſit niſi per gratiam gratum facientem, ſequitur quod miſsio invisibilis divinæ perſonæ non ſit niſi per gratiam gratum facientem.* Quod alijs in locis tanta claritate repetit, vt ſupervacaneum iudicem alia teſtimonia producere.

5 His omnibus reſponderi poteſt primò, ex prædictis teſtimonijs Scripturæ, & Auguſtini ſatis convinci Spiritum Sanctum mitti ratione gratiæ ſanctificantis animam, non tamen probari non mitti ſine illa ex vi alterius doni. Vel dici poteſt ibi ſermonem eſſe de miſsione completa, vel vt Alij loquuntur de miſsione ſimpliciter tali; non tamen de miſsione incompleta, aut de miſsione ſecundum quid.

6 Uerùm prima ſolutio nullo pacto ſubſtinenda eſt. Et ex locis allegatis facilè improbatur, quoniam ex eis vtrumque conſtat, & perſonas divinas mitti ratione gratiæ, & non mitti ſecluſa gratia, quia *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. Et quia *Dominus longè eſt vb impijs.* Prov. 15. Et quia *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugium fictum.* Sap. 1. *Quicumque enim caret gratia pro ficto habetur,* inquit D. Thomas in 1. diſt. 14. quæſt. 2. a. 2. Suffragatur Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. vbi docet alia dona ſine charitate nihil prodeſſe, & addit: *Neque Spiritus Sanctus*

pro-

proprie dicitur donum, niſi propter dilectionem. Undè optimè intulit D. Thomas ex authoritate Auguſtini: *Miſsio invisibilis divinæ Perſonæ non fit, niſi per gratiam gratum facientem.*

7 Rurſus id ipſum ratione convincitur. Nam Apoſtolus poſtquam dixerat nos eſſe templum Dei, in quo habitat Spiritus Sanctus, vt quid addidit: *Templum Dei ſanctum eſt.* Si ſanctitas neceſſaria non eſt, vt in nobis habitet Spiritus Sanctus? Ut quid charitatem diffuſam in cordibus noſtris proponit ad donationem Spiritus Sancti ſignificandam, ſi dari poteſt ſine charitate? Ergo dicendum eſt Spiritum Sanctum dari ratione gratiæ, & non dari, nec mitti ſine gratia.

8 Nec ſecunda ſolutio admittenda eſt. Quia miſsio illa, vel dicitur incompleta, aut ſecundùm quid, eo quod re vera non mittatur perſona aliqua divina, ſed ſolùm per modum cauſæ operetur aliquid in nobis? Vel ea miſsione quantumvis incompleta, & ſecundùm quid verè datur perſona miſſa? Si primum. Ad præſentem quæſtionem non attinet, ſed id facilè concedimus. Si ſecundum. Contra eſt. Nam ſi miſsione illa incompleta, aut ſecundùm quid verè mittitur Spiritus Sanctus ſine gratia ſanctificante; ergo pariter peccator in aliquo vero ſenſu erit templum Spiritus Sancti: & in malevolam animam verè intrabit ſapientia, nempè Filius, qui eſt ſapientia Patris; ac habitabit in corpore ſubdito peccatis; nec Deus longè erit ab impijs, cum ad eos verè mittatur, & veniat. Quod ſi ſemel admittatur beneficio diſtinctionis datæ, facilè illudi poterunt omnia Scripturæ teſtimonia.

9 Dices. Poteſt Deus per nos aliquid operari in creatura ſine miſsione Spiritus Sancti; ergo, & producere gratiam ſine miſsione Spiritus Sancti; ergo, & ſanctificare animam ſine tali miſsione; ergo perperam probatur miſſio Spiritus Sanctus ratione gratiæ. Secundò. Dictum eſt Spiritum Sanctum mitti ratione gratiæ, quia mittitur ad ſanctificandam animam; ſed hoc eſſe non poteſt. Nam miſsio Spiritus fit per ſpecialem præſentiam in anima; at hæc ſpecialis præſentia ſanctitatem non cauſat, ſed ſupponit; ergo miſsio Spiritus Sancti non fit ad ſanctificandam animam. Antecedens probatur. Hæc ſpecialis præſentia eſt per delectationem, & cognitionem experimentalem, ac amorem vnitivum cum Deo; ſed hæc omnia charitatem, & ſanctitatem ſupponunt, qua ratione docere videtur Ang. Doctor Deum per gratiam ſanctificantem diſponere animam vt ſit dignum templum Spiritu Sancti; ergo.

10 Ad primum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia de facto, & ſecundùm præſentem providentiam (quidquid ſit de abſoluta, quæ ad rem non attinet) Deus non producit gratiam, nec animam ſanctificat, niſi vt in ea habitet, & in ipſa permaneat, vt ex dictis conſtat. Ad ſecundam conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem conceſſa maiori, diſtinguo minorem; ſed ſupponit cauſatam ab ipſa perſona divina, quæ eſt obiectivè præſens, concedo minorem; non cauſata, nego minorem, & conſequentiam. Itaque perſona miſſa duplici modo ſe habet in ſanctificatione: primo modo vt cauſa gratiæ actiua cum cæteris perſonis, quo ſenſu non ſupponit gratiam, ſed cauſat: ſecundo modo, vt obiectum cognitum, & amatum, quo ſenſu ipſa perſona obiectivè præſens ſupponit ſanctitatem cauſatam à ſe ipſa in ipſa miſsione: & hoc modo facilè percipitur, qualiter gratia cauſata à tota Trinitate diſponat animam, vt ſit dignum templum perſonæ miſſæ.

(o)

Ratione eadem aſſertio evincitur.

§. III.

11 RATIO Præcipua conſtat ex dubio antecedenti. Perſonæ divinæ dumtaxàt mittuntur ad creaturas ratione illius, vi cuius ſunt in illis vt obiectum cognitũ in cognoſcente, & amatum in amante; at hoc tantùm eſſe poteſt vi gratiæ ſanctificantis cum cæteris donis in ipſa radicatis; ergo ſolùm ratione gratiæ, & donorum fit miſsio divinarum perſonarum ad creaturas. Minor probatur ex dictis. Deus eactenus eſt ſpecialiter in creatura, quatenus eſt in illa vt cognitus in cognoſcente, & amatus in amante, cognitione experimen-

mentali, & amore vnitivo; ſed vterque actus ſupponit gratiam, ſicut & donum ſapientiæ, & charitas, á quibus procedunt; ergo ea ſpecialis præſentia ſolùm eſſe poteſt vi gratiæ ſanctificantis.

12 Confirmatur primò. Perſonæ miſſæ vi miſsionis habent ſpecialem præſentiam in creatura, ad quam mittuntur; ergo, & ſpecialem vnionem; ſed hæc ſpecialis vnio eſſe non poteſt ſine gratia ſanctificante; ergo eſt media gratia ſanctificante. Minor probatur: tùm quia ea ſpecialis vnio non eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: tùm & maximè, quia ſpecialis vnio Dei ad creaturas eſſe non poteſt ſtante averſione à Deo, quia Deus non eſt ſpecialiter vnitus peccatoribus, ſed potius *longè eſt ab impijs*; ergo ea ſpecialis vnio eſſe non poteſt ſine gratia.

13 Confirmatur ſecundò. Quanquam omnes divinæ perſonæ ad nos veniant, nihilominus miſsio ſæpè appropriatur Filio, ſæpè Spiritui Sancto; ſed appropriari non poteſt, niſi ratione alicuius doni, in quo perfectè aſsimiletur vni potius, quàm alteri; ergo miſsio Filij, & Spiritus Sancti eſſe non poteſt, niſi ratione talis doni; ſed donum, in quo perfectè aſsimilatur divinæ ſapientiæ, nempè Filio, eſt donum ſapientiæ; & donum, in quo perfectè aſsimilamur divino amori, ideſt, Spiritui Sancto, eſt charitas; ergo fieri non poteſt miſsio divinarum perſonarum ſine his donis; at hæc dona radicantur in gratia ſanctificante, eamque ſupponunt; ergo miſsio divinarum perſonarum fieri non poteſt ſine gratia ſanctificante.

14 Dices. Etiam mittuntur divinæ perſonæ per fidem, vt ex dubio antecedenti conſtat, præſertim ex D. Thoma docente miſsionem fieri, quatenus conjungimur Deo tanquam primæ veritati per fidem; at fides non exigit neceſſariò gratiam, cum maneat in peccatore; ergò fieri poteſt miſsio divinarum perſonarum ſine gratia. Secundò. Specialis exiſtentia Dei in creaturis exacta ad miſsionem eſt eſſe in illis vt cognitum in cognoſcente, & amatum in amante; ſed ita exiſtit, dum cognoſcitur, & amatur cognitione, & amore naturali vt finis vltimus in eodem ordine naturæ; ergo vi talis cognitionis, & amoris habet Deus eam ſpecialem præſentiam in creatura, qualis ad miſsionem requiritur; ergo vi talis cognitionis, & amoris mittuntur divinæ perſonæ ad creaturas. Tertiò. Sicut Deus datur creaturis, vt Author ſupernaturalis, ita vt Author naturæ; ergo ſicut fit miſsio divinarum perſonarum per dona gratiæ, fieri poteſt per dona naturalia.

15 Ad primum dico, divinas perſonas mitti dumtaxàt ratione fidei formatę, & regulantis cognitionem experimentalem doni ſapientiæ, quia hęc cognitio experimentalis non eſt, niſi de veritate prius credita per fidem, vt dubio antecedenti dictum eſt. Ad ſecundum ſimiliter dico, eam ſpecialem præſentiam ſitam non eſſe in qualicumque cognitione, ſed experimentali per donum ſapientiæ, cùm tamen cognitio naturalis ſit purè ſpeculativa attingens Deum dumtaxàt vt obiectum extrinſecum, non tanquam ſponſum, & amicum exiſtentem intimè in anima, quo frui poſsit. Ad tertium dico, Deum etiam vt Authorem naturalem exiſtere in creaturis, ſed modo communi, videlicèt, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam cauſando, & conſervando eſſe naturale, ac dando dona naturalia, ad quod non requiritur ſpecialis præſentia, nec miſsio.

(†)

Solvuntur argumenta.

§. III.

16 ARGUITUR Primò. Sæpè datur miſsio Spiritus Sancti ſine collatione gratiæ; ergo non ſemper mittitur Spiritus Sanctus ratione gratiæ, nec ſemper venit ad ſanctificandam animam. Antecedens probatur primò. Quia Spiritus Sanctus miſſus eſt ad Virginem Deiparam, vt Corpus Chriſti in clauſtro virginali formaret; at ibi nulla fuit collatio gratię; ergo ſæpè fit miſsio Spiritus Sancti ſine collatione gratiæ. Minor probatur. Ex ea formatione corporis in clauſtro virginali ſolùm probari poteſt maternitas Virginis; at maternitas gratiam ſanctificantem neceſſariò non exigit, poſſet enim Verbum divinum carnem aſſumere ex Matre infecta peccato; ergo.

17 Secundò probatur idem antecedens. Chriſtus inſufflavit in Apoſtolos di-

dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſſeritis peccata, &c.* Ioan. 29. vbi interceſsit vera Spiritus Sancti miſsio; ſed ibi nulla interceſsit collatio gratiæ, quia poteſtas remittendi peccata, nec eſt forma ſanctificans, nec formam ſanctificantem neceſſariò exigit; ergo iam datur miſsio Spiritus S. ſine ſanctificatione creaturæ. Tertiò. Dum Chriſtus dedit poteſtatem eijciendi Dæmonia, curandi infirmos, &c. Verè etiam miſſus eſt Spiritus Sanctus in illos, vt docent Interpretes; ſed nec talis poteſtas connexa eſt cum gratia ſanctificante; ergo Quartò. Chriſtus ante Aſcenſionem dixit Apoſtolis: *Mittam ad vos Spiritum Sanctum veritatis Paraclitum, ille docebit vos omnem veritatem, &c.* Ac poſtea in die Penthecoſtes miſſus eſt; at ibi nulla fuit collatio gratiæ, cùm iam anteà Apoſtolos, cæteroſque Diſcipulos fuiſſe iuſtos dubitare non liceat; ergo facta fuit miſsio ſine collatione gratiæ iuſtificantis. Denique. Quoties augetur gratia fit nova miſsio Spiritus S. cum novo titulo exiſtat in homine; & tamen abſolutè non confertur gratia; ergo de primo ad vltimum, ſine collatione gratiæ verificatur miſsio divinarum perſonarum.

18 Reſpondeo, hæc omnia noſtram non impugnare aſſertionem. Nam ſicut Sacramenta Novæ Legis, quamquam gratiam ſupponant, ſunt cauſativa gratiæ ſecundum ſpeciales effectus, & proprios cuiuslibet Sacramenti; ita miſsio divinarum perſonarum tendit ad ſanctificandam animam, ſi gratiam non ſupponat, ſi autem ſupponat, ſemper cauſat ſpeciales effectus, ad quos ordinatur talis miſsio; vnde etſi ſæpè non conferatur gratia ſecundùm entitatem, ſemper tamen fit innovatio ſecundùm gratiam, vt ait D. Thomas 1. p. q. 43. a. 6. ibi: *In eo, ad quem fit miſsio oportet duo conſiderare, ſcilicèt, inhabitationem gratiæ, & innovationem quandam per gratiam; ad omnes ergo fit miſsio inviſibilis, in quibus hæc duo conſiderantur*; at in Beata Virgine deſcendente Spiritu Sancto ad formandum Corpus Chriſti erat inhabitatio gratiæ, & facta eſt innovatio per gratiam; ergo facta eſt vera miſsio Spiritus Sancti.

19 Ex his in forma. Ad primum, nego antecedens, quia licèt in dicto caſu collata non ſit gratia ſecundùm entitatem, collata eſt ſecundùm innovationem, & ſtatum, cum elevata fuerit gratia Deiparæ quodammodò ad ordinem hypoſtaticum. Quod ſi ſecluſa omni gratia Deus eam in Matrem elegiſſet, vti potuit, nulla eſſet miſsio Spiritus Sancti, ſed ſolùm activa formatio corporis ſine miſsione: veruntamen in præſenti providentiâ res omninò aliter ſe habuit. Ex quibus conſtat ad alia adducta ex Sacra Pagina in argumento, quæ non amplius vrgent.

20 Ad vltimum dico cum Angelico Doct. loco citato dari novam miſsionem, quoties anima ſuſcipit augmentum gratiæ, quia verè datur innovatio ſecundùm gratiam; ſed quia quoties augmentum eſt regulare, & factum per actus meritorios virtutum ſecundùm communem operandi modum, ea innovatio per gratiam non dicitur abſolutè, & ſimpliciter talis, ſed ſolùm quando innovatio gratiæ eſt ſecundùm augmentum irregulare, aut gratia novum ſtatum acquirit, ideò abſolutè, vt ſimpliciter loquendo tantùm in hoc ſecundo caſu dicendum eſt fieri miſsionem ſimpliciter, & abſolutè. Quæ omnia optimè, & eruditè docet Ang. Mag. 1. p. q. 43. a. 6. ad 2. per hæc verba: *Dicendum, quod etiam ſecundum profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit miſsio inviſibilis: vnde Auguſtinus dicit 4 de Trinitat. quod tunc vnicuique mittitur Filius, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur, quantum cognoſci, & percipi poteſt pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis. Sed tamen ſecundùm illud augmentum gratiæ præcipuè miſsio inviſibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum ſtatum gratiæ: vt puta cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex fervore charitatis exponit ſe martirio, aut quodcumque opus arduum aggreditur.*

21 Arguitur ſecundò. Quoties nobis conferuntur illuſtrationes, inſpirationes, aliaque auxilia, & dona ordinis ſupernaturalis, ſpeciali modo in nobis exiſtunt perſonæ divinæ; ergo tunc fit miſsio divinarum perſonarum; ſed prædicta dona ſæpè ſunt ſine gratia; ergo ſæpè fit miſsio divinarum perſonarum ſine gratia. Antecedens probatur. Eo in eventu perſonæ divinæ exiſtunt in creatura rationali modo, quo non exiſtunt in irrationali: immò per ea dona ſupernaturalia exiſtunt in creatura rationali modo, quo

non

non exiſtunt in eadem creatura per dona naturalia; ergo exiſtunt ſpeciali modo; ſed poſita ſpeciali exiſtentia datur miſsio; ergo.

22 Confirmatur. Quoties creatura participat de novo aliquod donum, per quod ſpecialiter aſsimilatur alicui perſonæ divinæ, fit miſsio talis perſonæ; ſed creatura rationalis ſæpè participat plura dona, per quæ aſsimilatur Filio v.g. ſine gratia iuſtificante, vt cum participat virtutem ſapientiæ; nam licèt ſapientia, quæ eſt donum Spiritus Sancti connectatur cum gratia, non tamen ſapientia virtus; ſed ſicut creatura rationalis aſsimilatur divinæ ſapientiæ, nempè Filio per ſapientiam donum, ita per ſapientiam virtutem; ergo etiam in participatione ſapientiæ, quæ eſt virtus, fit miſsio Filij.

23 Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem ex ſuperioribus conſtat, qualiter ille modus exiſtendi in creatura rationali ſit quædam extenſio communis exiſtentiæ per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, non verò inhabitatio per modum obiecti fruibilis, & experimentaliter cognoſcibilis. Ad confirmationem diſtinguo maiorem. Per quod aſsimilatur perſonæ divinæ vtcumque, nego maiorem. Perfectè, ſivè coniungente cum Deo vt amico, ſponſo, obiectoque fruibili, concedo maiorem. Hoc autem non habet ſapientia virtus, ſed ſapientię donum, quæ propterea dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia [inquit D. Thomas dicta q. 43. a. 6. ad 2.] & ibidem ait: *Ad hoc, quod aliqua perſona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet, quod fiat aſsimilatio illius ad divinam perſonam, quæ mittitur, per aliquod gratiæ donum... Filius autem eſt Verbum, non qualecumque, ſed ſpiratus amorem. Vnde Auguſtinus dicit in 9. lib. de Trinit. Verbum autem, quod inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt. Non igitur ſecundùm quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, ſed ſecundùm talem inſtructionem intellectus, qua prorrumpat in affectum amoris, &c.*

DVBIVM VII.

An miſsio Divinarum Perſonarum dicenda ſit temporalis, vel æterna?

§. I.

1 QUANQUAM Dubij propoſiti reſolutio ex ſuperioribus ſatis conſtet, nihilominùs adhúc in aliquas incidimus difficultates in prçſentiarúm enodandas. Etenim miſsionem importare duplicem proceſsionem, æternam, & temporalem, ex toto Tractatu compertum eſt. Inquirimus ergo an ratione primæ dicenda ſit ęterna? aut ratione ſecundæ temporalis? aut vtroque modo, temporalis, & æterna? Ex quo inſurgit alia dubitandi ratio. An proceſsio æterna ſit principale ſignificatum in miſsione; & proceſsio eiuſdem perſonæ ad ſanctificandam creaturam in tempore ſolúm de connotato: aut è contra; aut vtraque in recto, & principaliter? in quo diſſentientes invenio D. Thomæ Interpretes.

2 Etenim miſsionem importare eſſentialiter proceſsionem temporalem perſonę miſſæ ad creaturam, atque adeò dicendam eſſe temporalem, & non æternam, probat exprofeſſo Ang. Doctor 1. p. q. 43. art. 2. vbi poſt alia inquit: *Quædam verò cum habitudine ad principium important terminum temporalem, ſicut miſsio, & datio: mittitur enim aliquid ad hoc, vt ſit in aliquo, & datur ad hoc, quod habeatur. Perſonam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel eſſe novo modo exiſtendi in ea, eſt quoddam temporale: vndè miſsio, & datio in divinis dicitur temporaliter tantùm.*

3 Quod autem miſsio importet principaliter proceſsionem temporalem ad ſanctificandam creaturam, quæ eſt quid eſſentiale, & commune toti Trinitati: & ſolùm ex conſequenti, quod notionale eſt, ſcilicèt, proceſsionem æternam, oſtendit in 1. ad Annib. diſt. 15. q. vnic. art. 2. per hæc verba: *Quidam dicunt, quod miſsio principalius ſignificat, quod notionale eſt. Alij autem dicunt, quod principalius ſignificat, quod eſſentiale eſt; & hoc videtur verius, quia miſsio*

miſsio non ponit de ſe exitum miſsi à mittente ſecundùm ſe, ſicut patet de ſervo miſſo à Domino, ſed importat ſolùm quantùm ad aliquem effectum authoritatem mittentis reſpectu miſsi; ſed quia in divinis non poteſt authoritas eſſe in mittente, niſi quatenus miſſus procedit ab eo, ideò ex conſequenti ſignificat, quod notionale eſt. Ex quibus deducit Mag. Ferte miſsionem adæquatè conſtitui per proceſſum temporalem ad ſanctificandam creaturam, eſtò indeſpenſabiliter ſupponat tanquam præambulum proceſsionem æternam à ſuo principio, & ita miſsio dicenda eſt temporalis, non æterna: quod aliter contingeret, ſi æquè primó importaret vtramque proceſsionem.

4 Denique. Quod vtroque modo dici poſsit, nimirum, temporalis, & æterna, colligi videtur ex eodem D. Thoma artic. citato ex 1. p. ad 3. vbi ait: *Miſsio includit proceſsionem æternam, & aliquid addit, ſcilicèt, temporalem effectum: vnde gemina dicitur proceſsio, æterna, ſcilicèt, & temporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini, æterni, & temporalis.* Ex quibus tanti Doctoris mens ſatis anceps fortaſsè aliquibus apparebit.

(o)

Reſolvitur Dubium.

§. II.

5 DICENDUM Miſsionem divinarum perſonarum dicendam eſſe temporalem, & non æternam. Conſtat expreſsè ex Ang. Doctore loco citato num. 2. vbi hanc concluſionem tradit, & probat, quia miſsio cum habitudine ad principium, quæ æterna eſt, importat effectum temporalem; ſed effectus temporalis ab æterno non eſt; non ergo dici poteſt æterna, ſed temporalis. Et ita conſtare videtur ex illo Ioan. 6. *Exivi à Patre, & veni in mundum*: vbi miſsio Filij explicatur per vtramque habitudinem, nimirum, per exitum á Patre ab æterno; & per adventum in mundum temporaliter; ergo ex defectu huius proceſsionis in mundum ab æterno, dici non poteſt æterna.

6 Explicatur hæc ratio. Quod conſurgit ex duobus, deficit quolibet deficiente; ſed miſsio conſurgit ex duobus, nimirum, ex proceſsione æterna à mittente; & novo modo exiſtendi in creaturis; ergo quolibet deficiente miſsio deficit; ſed ab æterno deficit novus ille modus exiſtendi in creaturis; ergo deficit denominatio miſsionis ab æterno.

7 Oppones. Chriſtus conſurgit ex perſona divina, quæ eſt æterna; & humanitate, quæ æterna non eſt; & tamen dicitur perſona æterna; ergo licèt miſsio conſurgat ex nova præſentia in creatura, quæ æterna non eſt, cùm tamen importet proceſsionem æternam á ſuo principio, æterna dici poteſt, & debet. Similiter. Chriſtus eſt perſona infinita, quamquã humanitas, ex qua conſurgit ſit finita. Homo dicitur rationalis, quamquam materia, ex qua componitur, rationalis non ſit. Merita Chriſti Domini ſunt infinita, eiuſque ſatisfactio, quamquam operatio meritoria, & ſatisfactoria ſit finita, & limitata.

8 Reſpondet Godoy, compoſitionem Chriſti ex perſona Verbi, & humanitate non eſſe compoſitionem ex his, ſed cum his: compoſitionem verò miſsionis ex proceſsione, & novo modo eſſendi in creaturis eſſe comparationem, non cum his, ſed ex his; quare non eſt ſimile, ſed hæc ſolutio non minus voluntaria appareat, quàm ſubtilis, ideòque ſua ſubtilitate decidit. Veriùs dici poteſt denominationem regulariter non ſummi ex parte materiali, ſed formali, cùm ergo perſonalitas æterna, & infinita de formali concurrat ad denominationem perſonę æternæ, & infinitæ, ideò Chriſtus propter perſonalitatem æternam, & infinitam, dicitur perſona æterna, & infinita, quamquam humanitas, quę eſt pars quaſi materialis, nõ ſit æterna, nec infinita. Quod idem dicendum de alijs exemplis. Sic ſimiliter in miſsione, proceſsio, quę æterna gerit munus partis materialis, & temporalis ad creaturam, ſe habet per modum formæ, & quod determinat proceſsionem æternam, ideòque dicenda eſt temporalis, & non æterna: quo etiam ſenſu creatio mundi eſt temporalis, quamquam actio creativa ſit æterna.

(†)

Authoritates §. 1. Propoſitæ explicantur.

§. III.

9 AD Authoritatem D. Thomæ ex num. 3. quæ propoſitam doctrinam impugnare videtur, reſpondeo, quod habitudo ad effectum temporalem, quæ eſt quid eſſentiale, ſe habet per modum formæ determinantis proceſsionem æternam ad ſanctificandam animam in tempore: & exitus à principio, ſivè æterna proceſsio, vt pars materialis; cùm ergo in qualibet re præcipuè attendatur ad partem formalem, ideó dixit D. Thomas miſsionem importare principalius, quod eſt eſſentiale, & ex conſequenti, quod eſt notionale, quamquam vtrumque eſſentialiter miſsionem conſtituat.

10 Vel ſecundò dici poteſt iuxta D. Thom. miſsionem *principalius* importare, quod eſt eſſentiale, loquendo de natura communi miſsionis, quod ſatis conſtat ex illis verbis *ſecundùm ſe*; vel vt loquitur in 1. diſt. 15. q. 1. art. 2. vbi eadem habet verba: *Conſiderata virtute vocabuli*; vndè *ex conſequenti*, ideſt, conſequenter importat, quod notionale eſt. Vel tertió dico, quocumque modo exponatur nihil obſtare, vt miſsio ſit temporalis, & non æterna, quia proceſsio temporalis ad ſanctificandam creaturam ſemper eſt de conceptu miſsionis, ſivé ſe habeat æquè principaliter, ſivè minus principaliter.

11 Ad aliam authoritatem ex num. 4. dico optimè aſſerere D. Thomam in miſsione duplicem intercedere proceſsionem, æternam, & temporalem, vndè proceſsio dicitur æterna, & temporalis; attamen miſsio ſolùm dicitur temporalis, quia licèt importet proceſsionem æternam, eam tamen includit vt determinatam per temporalem.

12 Et hæc de divinarum perſonarum miſsione, ac de toto excelſo, & arcano ſummæ Trinitatis Myſterio vtcumque dicta ſufficiant, in quibus ſi quid videntes in enigmate, aut ſpeculo denſis ignorantiæ nebulis deturpato, erravimus; aut rectam catholicæ veritatis ſemitam, vel ad vnguem declinavimus, toto animo retractamus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubijcimus, & ad Lydium Anſelmi lapidem omnia probanda, aut reprobanda deferimus docente ſpiritu veritatis Eccleſ. 3. v. 22. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*; eſt enim Trinitatis Sacrarium ad humano ingenio prorſus inſcrutabilè, quòd cum Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum expoſuerit, prudentiſsimè addidit: *Qui poteſt capere capiat, qui autem non poteſt, credat, & oret, vt quòd credit, intelligat*; quia vt inquit ſerm. 20. de verbis Apoſtoli: *Si ſcrutari inſcrutabilia veniſti, crede, quia perijſti; tale eſt enim velle ſcrutari inſcrutabilia, & inveſtigabilia veſtigare, quale eſt velle inviſibilia videre, & ineffabilia fari.*



DE

DE VOLUNTATE DEI.

QVANQVAM Opuſculum, quod Anſelmus Parens, & Doctor egregius, ſcripſit de Voluntate Dei, ſit breviſsimum, ac quinque dumtaxàt capitulis abſolutum proponat, nihilominus præcipuam hùius rei doctrinam brevi ſtylo complectitur relictis alijs difficultatibus ad eundem tractatum ſpectantibus, quas Opuſculo de Concordia gratiæ, & prædeſtinationis cum libero arbitrio luculenter tractaverat. Agit de eadem Volantate Dei Doctor Ang. 1. p. q. 19. vbi duodecim articulis præcipuas difficultates luculenter expendit: Item in Diſputatis idem examen aggreditur, & octo articulis rem totam explorat, & alijs in locis vberrimè expendit. Nos igitur more ſolito vtriuſque Doctoris ſequentes veſtigia rem ipſam explanare, & explorare curabimus.

TRACTATUS I.

De Exiſtentia, & natura voluntatis Divinæ.

DUBIUM PRIMUM.

VTRVM IN DEO SIT VOLVNTAS.

§. I.

1 AFFIRMATIVE Reſpondet vtèrque Magiſter Anſelmus, & Thomas, ac meritò; cum ſit res Fide Catholica certa: attamen rationem probativam non omnes eodem modo exponunt: quapropter notandum alium eſſe appetitum innatum, & alium elicitum. Primus eſt propenſio, & inclinatio indita ab Authore naturæ in bonum ſibi conveniens, & hic reperitur in rebus etiam inanimatis. Secundus, & qui dumtaxàt proprie appetitus dicitur, eſt propenſio, & inclinatio in bonum apprehenſum, ſivè media cognitione propoſitum: quòd ſi bonum ſit apprehenſum per ſenſum, appetitus erit ſenſitivus, & hic reperitur etiam in brutis; ſi verò fuerit apprehenſum per intellectum, appetitus erit rationalis, qui propriè dicitur voluntas, de qua agimus.

2 Dicendum igitur in Deo eſſe voluntatem, ſicut & in eo eſt intellectus.

Conſtat ex illo ad Theſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Et ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei.* Et Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* Confirmatur ex Agathone Papa in VI. Synodo generali, vbi contra Apollinariſtas, & Monotheliras decernitur in Chriſto duas eſſe voluntates, *quia reddere neceſſe eſt, quæ divina ſunt eidem vt Deo; & quæ humana ſunt eidem vt homini.* Et probat, quia neque divinitatem eius, quantum ad naturæ rationem pertinet, humanam habuiſſe voluntatem dicendum eſt, neque humanitatem eius divinam habuiſſe naturaliter voluntatem credendum eſt; neque rurſus aliquam ex duabus Chriſti ſubſtantijs abſque naturali voluntate extitiſſe fatendum eſt. Ac tandem concludit: *Neceſſe eſt duas naturales in eo fateri voluntates, divinam, ſcilicèt, & humanam.* Et hanc doctrinam ferè eiſdem terminis traddit Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 7.

3 Confirmatur ex eodem Sanct. Doctore Opuſculo de Fide Trinit. cap. 3. vbi ait: *Divinam naturam ſine voluntate, & poteſtate eſſe nullatenus intelligi poteſt.* Rationem reddit in Monolog. cap. 49. ibi: *Palàm certè eſt rationem habenti, nec eum idcircò ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat, ſed ideò ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit; nec eum ſe poſſe amare, ſi ſui non ſit memor, aut ſe non intelligit.* Ex quibus formatur ratio. Ex intellectu ſequitur voluntas; at in Deo eſt intellectus; ergo vt voluntas. Maior, & minor conſtat ex Anſelmo allegato docente Deum poſſe ſe amare ſi ſe intelligit; at poſſe ſe amare eſt habere potentiam amandi, nimirum voluntatem; ergo ex intellectu ſequitur voluntas.

4 Ratio huius eſt. Nam medio intellectu cognoſcitur obiectum, eiuſque bonitas proponitur, & repræſentatur; at non proponitur, nec repreſentatur, niſi vt cognoſcens media aliqua potentia feratur in ipſum, eſt enim in quacumque natura inclinatio, & propenſio in bonum ſibi conveniens, vt dictum eſt; ergo cognita bonitate obiecti aſsignanda eſt aliqua potentia, qua cognoſcens feratur in ipſam; ſed hæc eſt voluntas; ergo ex intellectu ſequitur voluntas. Et hac ratione dixit Angelicus Doctor 1. contra Gentes cap. 72. *Cuilibet enti competit appetere ſuam perfectionem, & conſervationem ſui eſſe, vnicuique tamen ſecundùm ſuum modum, intellectualibus quidem per voluntatem; animalibus per ſenſibilem appetitum; carentibus verò ſenſu per appetitum naturalem, aliter tamen quæ habent, & quæ non habent, nam ea, quæ non habent per appetitivam virtutem ſui generis deſiderio tendunt ad acquirendum, quod eis deeſt; quæ autem habent, quietantur in ipſo. Hoc igitur primo enti, quod eſt Deus, deeſſe non poteſt. Cùm igitur ipſe ſit intelligens, ineſt ſibi voluntas, quia placet ſibi ſuum eſſe, & ſua bonitas.*

5 Probatur ſecundò. Ex alia ratione S. Anſelmi in Monol. cap. 15. vbi perfectionem ſimpliciter ſimplicem, id-eſt, nulla admixtam imperfectione, ſic definit: *Eſt melior ipſa quàm non ipſa*, id-eſt, melior ipſa, quàm omnis alia incompoſsibilis cum ipſa, quam definitionem communi calculo probant Theologi. Ex qua formatur ratio. In Deo ponenda eſt formaliter omnis perfectio ſimpliciter ſimplex; ſed voluntas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo ponenda eſt formaliter in Deo. Maior conſtat, quia Deus eſt infinitus in omni genere, omnem ambiens perfectionem. Minor probatur. Voluntas eſt melior ipſa, quàm non ipſa in omni habenti ipſam, cum ſit propenſio in bonum ſibi conveniens, quod deſiderat ſi non habet, & gaudet de eo, ſi habet; gaudere autem de ſummo bono ſumma perfectio eſt. Rurſus. Importat libertatem erga bona libera, quæ eſt melior, quàm neceſsitas incompoſsibilis cum ipſa. Denique. Nullam includit in ſuo conceptu imperfectionem, quia facultas inclinans in bonum ſibi conveniens, non imperfectionem, ſed perfectionem importat; ergò eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo ponenda in Deo.

6 Dices. Voluntas includit imperfectionem, nimirum potentialitatem, cum ſit indifferens ad actum, & non actum; ergo in Deo ponenda non eſt. Secundò. Si ponenda eſſet in Deo voluntas pari titulo ponendus eſſet appetitus naturalis, quia hic præſupponitur ad appetitum elicitum, qui in ſubiecto rationali dicitur voluntas; at appetitus naturalis imperfectionem importat, ni-

mi-

mirum carentiam cognitionis, cum reperiatur in rebus cognitione carentibus ; ergo , & voluntas imperfectionem importat. Tertiò. Voluntas eſt facultas inclinans in bonum ſibi conveniens ; ſed talis inclinatio importat imperfectionem , nimirum , carentiam illius boni , in quod inclinat; ergo.

7 Hæc tamen facillimè enodantur. Ad primum dico , vt ſummum probare non eſſe in Deo voluntatem per modum actus primi , ſed nec id ipſum probat , vt dubio ſequenti oſtendemus. Ad ſecundum concedo ſequelam , nam appetitus innatus , etſi ex proprio , ac generali conceptu appetitus innati cognitionem non exigat , eam tamen non excludit : quod autem reperiatur in creaturis ſentientibus , aut etiam inanimatis nihil probat , nam etiam ratio entis , ſubſtantiæ , & aliæ ſimiles in eiſdem creaturis locum habent , cum tamen nullam importent imperfectionem, & reperiantur formaliter in Deo. Ad tertium dico, eam rationem procedere de appetitu deſiderij ; cum tamen inclinatio , & propenſio Dei ſit fruitionis, gaudij.

(†)

Aliquæ obiectiones enodantur.

§. II.

8 OPPONUNT primò. Non implicat ſubiectum intellectivum, non volitivum ; ergo ex intellectu non probatur per conſequentiam neceſſariam exiſtentia voluntatis ; ergo etſi in Deo ſit intellectus non probatur in eo eſſe voluntatem. Antecedens probatur. Intellectivum præcedit volitivum , ideòque ſupponitur in ſuo eſſe conſtitutum pro priori ad volitivum ; at prius non pendet à poſteriori ; ergo intellectivum non pendet à volitivo;ergo eſſe poteſt ſine illo.

9 Confirmatur. Non implicat perfecta cognitio , cui repugnet excitare aliquem voluntatis affectum ; at ſubiectum ita cognoſcens eſſet intellectivum,& non volitivum ; ergo non repugnat intellectivum ſine volitivo. Maior, in qua ſola eſt difficultas , probatur. Poteſt Deus efficacitér decernere non concurrere cum ſubiecto cognoſcente ad aliquem voluntatis affectum , & hoc decretum tali ſubiecto revelare , hoc enim non repugnat, cum totum ſit Deo liberum ; ſed talis cognitio nec excitaret, nec poſſet excitare aliquem voluntatis affectum ; ergo non repugnat cognitio, cui repugnet excitare aliquem voluntatis affectum. Minor probatur. Implicat affectus voluntatis , ad quem Deus non concurrat ; ſed poſito tali decreto Deus nullo pacto concurreret ; ergo talis cognitio,nullo pacto excitaret voluntatis affectum : immò talis affectus eſſet chymericus, & repugnans , quia chymericus eſt affectus independens á divino concurſu.

10 Roboratur hæc ratio. Ea cognitio præſtaret aſſenſum decreto revelato, ſivè revelationi divinæ dictanti,nullum eſſe excitandum voluntatis affectum ; ergó talis cognitio ab intrinſeco, & ex motivo ſupernaturali pugnaret cum excitatione affectus voluntatis ; ergò talis affectus eſſet omninó repugnans; ergò poſsibile eſt intellectivum repugnante actu voluntatis; ergo poſsibile eſt intellectivum, quod non inferat , ſed potius pugnet cum voluntate.

11 Ad impugnationem nego antecedens. Ad probat. diſtinguo maiorem. Præcedit volitivum formaliter, concedo maiorem. Volitivum radicaliter, nego maiorem , vel aliter. Præcedit volitivum ſine ordine tranſcendentali ad volitivum , nego maiorem , cum tali ordine , concedo maiorem. Dato autem poſſe Deum ponere intellectum creatum ſine voluntate , non probatur poſſe ponere intellectum non radicantē voluntatem , ordinemque tranſcendentalem ad illam non dicentē; poſito autem intellectum radicare voluntatem , Deus ſibi voluntatem negare non poteſt,cum nequeat ſibi violentiam inferre, ſuamq; ſibi negare perfectionem ; immó ſi id efficeret , ex voluntate efficeret , ac ideó ſupponeretur voluntas , cuius exiſtentia impugnatur. Sed nec in creatis probatur poſſe Deum ponere intellectum ſine voluntate , quia etſi intellectus præcedat voluntatem poteſt habere neceſſariam connexionem cum illa propter dicta ; vnde viſio beata præcedit amorem , ſi-

ſine quo eſſe non poteſt. Deſiderium boni præcedit gaudium; & tamen repugnat ſubiectum potens deſiderare, & non potens gaudere de tali bono iam poſſeſſo. Præmiſſæ concluſionem præcedunt; & tamen implicat poſſe elicere præmiſſas ſine potentia inferendi concluſionem. Omnis cauſa etiam actualiter cauſans præcedit effectum; & tamen ſic eſſe non poteſt ſine effectu; & generaliter plura ſunt priora, quæ eſſe non poſſunt ſine poſterioribus.

12 Confirmatio aliquibus difficilis apparet, ſed mihi videtur ſibi ipſi contradicere, & tandem ſupponere id ipſum, quod impugnat. Si enim Deus per liberum decretum decernit non concurrere ad affectum voluntatis; ergo tám in Deo, quám in creatura ſupponitur voluntas: in Deo quidem, quia decretum liberum, actus eſt voluntatis. In creatura, quia prorſus otioſum eſt decretum non concurrendi ad affectum voluntatis, ſi non ſupponitur voluntas; quis enim ponet in Deo decretum non concurrendi cum lapide ad aliquem voluntatis affectum? Igitur ex doctrina impugnationis dumtaxát inferri poteſt non extiturum voluntatis affectum, non quia ſit impoſsibilis, ſed quia decrevit ad illum non concurrere, cúm ſit illi liberum præbere, vel non præbere concurſum.

13 Sed ita reſpondentes [inquit P. Aldrete] ſatis oſtendunt ſe non penetraſſe ſufficienter vim argumenti: nam licèt ex terminis affectus voluntatis non ſit impoſsibilis, nec repugnans; attamen in tali ſubiecto eſſet impoſsibilis, & chymericus; ergo talis affectus non ſolùm peraccidens ex deffectu concurſus non exiſteret, ſed per ſe, & ab intrinſeco eſſet impoſsibilis. Probat aſſumptum; nam cognitio illa revelationis, ſivè decreti revelati non concurrendi ad aliquem amorem obiecti cogniti eſſet ab intrinſeco, & eſſentialiter infalſificabilis, ſiquidem eſſet aſſenſus ſupernaturalis veritatis revelatæ; at ſi poſſet excitari aliquis affectus, cognitio illa poſſet falſificari, quoniam poſito voluntatis affectu re ipſa falſificaretur; ergo per ſe, & ab intrinſeco repugnat in tali cognoſcente actus voluntatis; ſed repugnante actu voluntatis non datur voluntas; ergo poſsibilis eſt intellectus ſine voluntate.

14 Sed ſolutio data optima eſt, & impugnatio nihil evincit. Nam cognitioni ab intrinſeco infalſificabili ſatis eſt ſi repugnet affectus voluntatis eo modo, quo ab ipſa cognitione affirmatur; ſed á tali cognitione non affirmatur affectum eſſe repugnantem abſolutè, & antecedenter, ſed ſolùm conſequenter, ex ſuppoſitione decreti, & ex deffectu concurſus, quod non pugnat cum poteſtate eliciendi affectum voluntatis, ſed potius ſupponitur, & hoc ſatis eſt ad exiſtentiam voluntatis; quapropter licèt ea ſuppoſitio decreti ſit eſſentialis reſpectu cognitionis, & reddat impoſsibilem actum amoris, eſt tamen accidentalis reſpectu intelligentis, & amantis, vndè non impugnatur exiſtentia voluntatis.

DVBIVM II.

Vtrùm detur in Deo voluntas per modum actus primi?

§. I.

1 REM Facilem reddunt difficilem varij opinandi modi. Ad expoſitionem notandum voluntatem poſſe conſiderari per ordinem ad terminum, ſivè ad intrà, ſivè ad extrà; & per ordinem ad actum, ſivè eſſentialem, ſivè notionalem. Voluntas eſt potentia per ordinem ad terminum ad intrà, cum concipitur vt potentia ſpirativa Spiritus Sancti; & per ordinem ad terminum ad extrà, quando concipitur vt productiva creaturarum, quo ſenſu voluntatem divinam habere propriè rationem potentiæ nemo dubitat, & oſtendit Anſelmus, cum opuſculo de Proceſsione Spiritus Sancti ſæpé docet voluntatem eſſe potentiam ſpirativam Spiritus S. ſicut & intellectus eſt potentia generativa Filij;

ac

ac dum oſtendit in Deo eſſe potentiam productivam creaturarum. Quare tota dubitandi ratio devoluitur ad voluntatem, non reſpectu termini, ſed reſpectu actionis, ſivè in ordine ad actum. An poſsit comparari ad illum per modum potentiæ, non quidem realiter diſtinctę, quia in Deo nulla eſt realis diſtinctio, niſi in his, in quibus obviat relationis oppoſitio, ſed per rationem cum fundamento in re ipſa?

2 Prima ſententia concedit in Deo voluntatem per modum potentię, reſpectu termini, non verò reſpectu volitionis, ſivè actus ſecundi ex parte rei ſignificatæ, niſi dumtaxàt ex modo ſignificandi. Ita Salmanticenſ. Herize, & alij plures ex vtraque Schola Doctores. Secunda concedit in Deo voluntatem per modum potentiæ in ordine ad actus notionales, & negat in ordine ad actus eſſentiales. Ita Ioannes à Sancto Thoma. Pater Suarez lib. de Trinitate, cap. 5. num. 1. Tertia concedit voluntatem per modum potentiæ, & actus primi tàm in ordine ad actus eſſentiales, quàm notionales. Ita Ruiz. Gonçalez. Arauxo, & alij citantes pro eadem ſententia Caietanum. Ferrara. Durandum. Scotum, & alios, inter quos aliqui ponunt voluntatem per modum potentiæ formaliter, alij tantùm virtualiter.

Sententia affirmativa eligitur & ſuadetur.

§. II.

3 DICENDUM In Deo dari voluntatem per modum potentiæ activæ, & actus primi, non ſolùm relatè ad terminum, ſed etiam relatè ad volitionem, aut actum ſecundùm, ſivè eſſentialem, ſivè notionalem. Non obſcurè docet hanc concluſionem S. Anſelmus Opuſculo de Volunt. in communi, vbi docet voluntatem eſſe poteſtatem quandam; *& poteſtatem eſſe aptitudinem ad faciendum*; ergo voluntas eſt aptitudo ad volendum, & amandum, quæ aptitudo importat actum primum. Et clariùs de proceſsione Spiritus S. ſæpè docet in Deo eſſe potentiam per ordinem ad actus notionales, quatenus ponit potentiam generandi, & ſpirandi, ſivè in ordine ad generationem, & ſpirationem: nec enim Pater poteſt eſſe principium Filij geniti, niſi pari titulo ſit principium generationis, media qua eſt principium Filij. Quapropter D. Thomas 1. p. q. 41. art. 4. inquirit: *An in Deo ſit potentia reſpectu actuum notionalium?* Et reſpondet affirmativè. Ibi: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ponuntur actus notionales in divinis, ita neceſſe eſt ibi ponere potentiam reſpectu huiuſmodi actuum, cum potentia nihil aliud ſignificet, quàm principium alicuius actus; vndè cum Patrem intelligimus vt principium generationis, & Patrem, & Filium vt principium ſpirationis, neceſſe eſt, quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri, & Filio potentiam ſpirandi, quia potentia generandi ſignificat id, quo generans generat*, &c.

4 Inſurges ex eodem S. Doctore 1. p. q. 25. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod potentia in rebus creatis, non ſolùm eſt principium actionis, ſed etiam effectus; ſic igitur in Deo ſalvatur ratio potentiæ quantùm ad hoc, quod eſt principium effectus, non autem quantùm ad hoc, quod eſt principium actionis, quæ eſt divina eſſentia, niſi fortè ſecundùm modum intelligendi, prout divina eſſentia, quæ in ſe ſimpliciter præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ; ſicut etiam intelligitur, & ſub ratione ſuppoſiti habentis eſſentiam, & ſub ratione naturæ; ſic igitur in Deo ſalvatur ratio potentiæ quantum ad hoc, quod eſt principium effectus.*

5 Reſpondeo Div. Thomam in corpore eiuſdem artic. ponere expreſsè potentiam activam, non paſsivam, etiam reſpectu actionis. Solutione autem ad tertium ponit dumtaxàt potentiam, reſpectu actionis ſecundum modum intelligendi facta comparatione ad potentiam creaturæ, quæ eſt ab actione realiter diſtincta, quo ſenſu non eſt in Deo, niſi ſecundùm modum intelligendi, quatenus intelligitur ad modum, quo potentia creata ab actu realiter diſtincta: abſolutè tamen hanc potentiam eſſe veram potentiam, verùmque principiũ

probat eodem art. patet hæc doctrina ex eodem exemplo allegato divinæ eſſentiæ, quæ poteſt intelligi per modum naturæ, & per modum ſuppoſiti habentis naturam ; at ratio ſuppoſiti, & naturæ ſunt verè in Deo, non ſolùm ex modo concipiendi, ſed ex parte rei conceptæ ; ergo nec dicto loco negat D. Thomas veram potentiam reſpectu actionis.

6 Confirmatur ex eodem S. Doct. quæſt. 1. de Potentia art. 1. vbi proponit hoc argumentum : *Potentia eſt operationis principium ; ſed operatio Dei, quæ eſt eius eſſentia, non habet principium, quia nec eſt genita, nec procedens ; ergo nec in Deo eſt potentia.* Reſpondet primò, negando in Deo potentiam reſpectu actionis. Sed ſecundò ait : *Vel dicendum & meliùs, quod in divinis invenitur duplex relatio, vna realis, ſcilicèt illa, qua Perſonæ adinvicem diſtinguntur, &c. alia rationis tantùm, quæ ſignificatur, cum dicitur, quod operatio divina eſt ab eſſentia divina, &c. Eſt enim de ratione operationis habere principium, non de ratione eſſentiæ ; vndè licèt eſſentia divina non habeat aliquod principium, neque re, nec ratione, tamen operatio divina habet aliquod principium ſecundùm rationem.*

7 Probatur concluſio ratione. Voluntas per modum potentiæ reſpectu actionis nullam includit imperfectionem; ergo ponenda eſt in Deo. Antecedens probatur. Voluntas per modum potentiæ nihil aliud importat, quam eſſe principium proximum volitionis ; ſed hoc nullam dicit imperfectionem ; ergo voluntas per modum potentiæ nullam includit imperfectionem. Probo minorem. Eſſentiam divinam eſſe principium radicale operationum nullam dicit imperfectionem, & ita conceditur ab Adverſarijs ; ergo voluntatem eſſe principium proximum volitionis nullam importat imperfectionem, non enim eſt maior ratio vnius, quàm alterius, ſi namque ratio radicis non importat perfectibilitatem reſpectu radicati, non eſt cur principium proximum eam perfectibilitatem includat reſpectu actus.

8 Reſpondet Magiſter Ioannes á S. Thoma non repugnare naturam eſſe principium radicale attributorum, & operationum, repugnare tamen in voluntate rationem principij reſpectu volitionis. Ratio diſparitatis eſt, quia natura, attributa, & operationes, ſunt perfectiones diverſæ lineæ, quia natura eſt in genere ſubſtantiæ, attributa verò concipiuntur ad modum accidentis : natura ſpectat ad genus entitativum ; attributa, & operationes ad genus operativum ; vnde natura, & quodlibet attributum eſt actus purus in ſua linea : attamen ſi voluntas eſſet potentia reſpectu volitionis, non eſſet actus purus in ſua linea, cum ei defficeret volitio, quæ ad eandem lineam volitivi ſpectat ; poteſt vna perfectio, quæ eſt actus purus in ſua linea, eſſe radicem reſpectu alterius, non tamen poteſt vna perfectio eſſe potentia, & radix actus vltimi eiuſdem lineæ.

9 Sed contra primò. Quia in oppoſitum eſt communis Theologorum ſententia conſtituens naturam divinam per intelligere radicale, & natura divina ſic conſtituta eſt radix, & radicale principium intellectionis actualis, quæ eſt actus vltimus eiuſdem lineę ſine vlla imperfectione. Secundò. In ſententia eiuſdem Authoris datur in Deo potentia notionalis ad actus notionales, qui tamen ſunt eiuſdem lineæ, non minus quam actus eſſentiales potentiæ eſſentialis. Tertiò. Quia eadem eſt ratio vt vna perfectio ſit principium, & radix perfectionis alterius lineæ, ac actus ſecundi eiuſdem lineæ, ideó namque primum non repugnat, quia radix non comparatur ad radicatum, ſicut perfectibile ad perficiens, ſed ſicut perfectio ad perfectionem ; ſed ita contingit in potentia reſpectu actus ſecundi eiuſdem lineæ ; ergo qua ratione conceditur primum, concedendum eſt ſecundum.

10 Dices, latum eſſe diſcrimen, quandoquidem vna perfectio eſt actus puriſsimus in ſua linea, tametſi vtcumque præſcindat à perfectione alterius lineæ, quia carentia alterius perfectionis non eſt privativa, ſed negativa, cùm perfectio vnius lineæ non ſit debita perfectioni alterius lineæ, quare in hoc nulla eſt repugnantia : verumtamen ſi voluntas conciperetur per modum potentiæ, reſpectu volitionis, conciperetur vt imperfecta privativè, quia ei defficeret perfectio vltima propriæ lineæ.

11 Sed

11 Sed contra. Aliud eſt concipere voluntatem per modum potentiæ, non concepta vltima actualitate actus ſecundi: & aliud eſt concipere voluntatem per modum potentiæ ſine vltima actualitate, ſive vt privatæ vltima actualitate, aut iliam excludentis. Primum eſt verum tàm in potentia reſpectu actus ſecundi, quàm in vno attributo reſpectu alterius: ſecundum eſt falſum vtrobique, vndè quo pacto poteſt concipi vnum attributum ſine expreſsione alterius, eo potentia ſine expreſsione actus ſecundi.

12 Secundò. Deus non ſolùm eſt actus purus in vna linea, ſed in omni; ergo ſicut repugnat perfectibilitas in vna linea, ſic in omni; & tamen in ſententia oppoſita poteſt concipi cum perfectione vnius lineæ ſine perfectione alterius lineæ; ergo pari titulo, & in eodem ſenſu, poterit concipi cum perfectione potentiæ ſine perfectione actus ſecundi eiuſdem lineæ. Eo vel maximè, quia naturæ divinæ (quomodocumque conſtituatur) non ſolùm eſt debita perfectio lineæ intellectivæ, ſed etiam volitivæ; & tamen ſine imperfectione poteſt in ſententia oppoſita concipi ſine perfectione lineæ volitivæ; ergo quanquam potentiæ ſit debita perfectio volitionis poterit concipi non concepta volitione.

13 Denique. Quia ſicut ſententia oppoſita diſtinguit diverſas perfectiones in lineas diverſas, ita & nos perfectionem potentiæ à perfectione actus, quoniam in eadem linea quaſi generica non repugnant diverſæ lineæ quaſi ſpecificæ. Et ita ſententia oppoſita diſtinguit lineam eſſendi à linea intelligendi, quanquam eſſentiam divinam conſtituat per intelligere radicale, vel actuale. Item diſtinguunt in eodem genere intellectivo lineam intelligendi communiter, ſive eſſentialiter à linea intelligendi notionaliter Rurſus. Lineam ſcientiæ viſionis à linea ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ: & lineam prudentiæ à linea ſapientiæ: ac tandem in eadem linea eſſendi diſtinguunt eſſentiam ab exiſtentia, quanquam exiſtentia ſit actus vltimus in eadem linea eſſendi; ergo pari titulo in eadem linea generica volitivi diſtingui poterit linea potentiæ à linea actus ſecundi.

14 Probatur ſecundò concluſio. Non repugnat in Deo potentia per ordinem ad actus notionales; ergo nec in ordine ad actus eſſentiales. Antecedens conſtat expreſſe ex D. Thoma citato, & concedunt plures ſententiæ oppoſitæ Doctores. Conſequentia probatur. Ideò non repugnat potentia in ordine ad actus notionales, quia comparatur ad illos vt potentia activa, & non paſsiva; ſed pari titulo comparatur ad actus eſſentiales vt potentia activa, & non paſsiva, eſt enim eadem vtrobique ratio; ergo.

15 Secundò. Sicut actus notionalis actuat potentiam notionalem, ita eſſentialis eſſentialem; ergo ſi prima actuatio eſt ſine imperfectione, ita ſecunda. Tertio. Sicut actus eſſentiales ſunt immanentes, ità & notionales, cum producant terminum ad intra, nimirùm Filium, & Spiritum Sanctum; ſed hoc non obſtante datur potentia ad actus notionales; ergo & ponenda eſt ad actus eſſentiales.

16 Reſpondet Magiſter Ioannes à Sancto Thoma t. 2. in 1. p. quæſt. 19. diſp. 4. a. 2. num. 30. actus notionales poſſe conſiderari entitativè, & relativè. Primo modo ſunt idem cum eſſentialibus, & hoc modo non datur in Deo potentia ad illos. Secundo modo tangunt terminos, ſive perſonas procedentes, & hoc ſenſu ſunt verè notionales, daturque potentia ad illos. Ratio diſparitatis conſtat ex eodem Authore n. 23. quia ſi daretur potentia ad actus eſſentiales, compararetur ad illos tanquam ad terminum vltimum, à quo perficitur, & actuatur, quod arguit perfectibilitatem, & imperfectionem in potentia, vel principio: attamen ad actus notionales non comparatur vt principium ad terminum, à quo perficitur, ſed tanquam ad actum, medio quo perficit terminum, ſive medio quo dat eſſe, & perfectionem termino, quem producit, quarè potentia ad actum notionalem importat perfectionem activam, quam alteri communicat, quod Deo non repugnat, ſed maximè convenit: potentia verò ad actum eſſentialem importat perfectionem paſsivam, quam ab alio accipit, quod Deo repugnat.

17 Sed contra. In Deo non ſolùm datur potentia ad terminum actus notio-

notionalis, ſed ad ipſum actum, vt docet D. Thomas, & præfatus Author cum ipſo; & tamen non perficitur ab actu notionali, nec ponitur perfectibilitas in potentia; ergo nec in potentia actus eſſentialis. Conſequentia probatur. Ideó non ponitur perfectibilitas in potentia actus notionalis, quia talis potentia non excludit realem, ſummamque identitatem cum actu; at eandem identitatem habet potentia cum actu eſſentiali; ergo.

18 Secundò. Sicut actus notionalis petit procedere à ſuo principio notionali, ita eſſentialis ab eſſentiali. Tertiò. Sicut in Patre eſt perfectio eſſe principium intellectionis, ita in tota Trinitate; ſed intellectio reſpectu Trinitatis eſt actus eſſentialis; ergo in Deo eſt perfectio eſſe principium actus eſſentialis. Quartò. Ideò D. Thomas ponit potentiam ad actus notionales, quia potentia nihil aliud ſignificat; quam principium alicuius actus; ſed idem contingit reſpectu actus eſſentialis; ergo.

Solvuntur argumenta.

§. III.

19 RELICTIS Uatijs authoritatibus D. Thomæ, quibus ex dictis ſatis conſtat. Arguitur ſecundò. Voluntas per modum potentiæ importat imperfectionem á Deo regulandam; ergo admitti non poteſt. Antecedens probatur. Importat conceptum potentiæ paſsivæ; ſed hæc eſt imperfectio à Deo relegandæ; ergo. Probatur maior. Voluntas per modum potentiæ diſtinguitur virtualiter ab actu; ſed hoc ipſo depurari non poteſt ab imperfectione potentiæ paſsivæ, quia de ratione actus immanentis, vt eſt volitio, eſt eggredi, & recipi in potentia, à qua dimanat; ergo ſi voluntas concipitur per modum potentiæ reſpectu actus, neceſſariò concipitur vt potentia receptiva illius.

20 Secundò. Potentia activa realiter diſtincta ab actu eſt realiter receptiva illius; ergo potentia virtualiter diſtincta eſt virtualiter receptiva; ſed virtualis receptio dicit imperfectionem potentiæ paſsivæ à Deo relegandæ; ergo. Tertiò. Conceptus potentiæ, & actus primi eſt conceptus actus non vltimi; ſed conceptus actus non vltimi maximam includit imperfectionem, nimirùm imperfectionem actus potentialis perfectibilis per alium actum vltimum; ergo. Quartò. Omnis potentia eſt determinabilis per actum; ergo ſi voluntas concipitur per modum potentiæ reſpectu actus, concipitur vt determinabilis per actum.

21 Propter hæc Pater Suarez in Meth. diſp. 30. ſect. 15. n. 8. negat eſſe in Deo potentiam ad intelligendum. Et ſect. 16. n. 8. negat potentiam ad volendum. Et n. 11. eiuſdem ſect. negat potentiam ad actus notionales, eamque ſolùm concedit reſpectu termini ad intra, & effectus ad extra; eo quod illa potentia eſt neceſſariò paſsiva, hæc autem activa, vt inquit ſect. 17. n. 2. Nihilominus lib. 6. de Trinit. cap. 5. concedit in Deo potentiam ad actus notionales, qua poſita facilé retorquentur impugnationes factæ, vt ex dictis ſatis liquet. Retorquentur pariter in eſſentia reſpectu exiſtentiæ: in natura per ordinem ad attributa, & alijs exemplis ſupra allegatis.

22 Ad argumentum igitur reſpondeo negando ſequelam; nimirùm ſequi voluntatem eſſe potentiam paſsivam, quia de conceptu actionis immanentis non eſt recipi determinatè in potentia, ſed manere in illa, aut per receptionem, aut per identitatem. Manet per receptionem, & informationem ſi realiter diſtinguitur: per identitatem ſi non diſtinguitur, vt contingit in præſenti; non enim ponimus potentiam diſtinctam ab actione realiter, immó nec virtualiter adæquatè, ſed inadæquatè, ideſt vnam perfectionem cum duplici expreſsione, quod non probat receptionem, ſed excludit confuſionem; & hac ratione attributa quanquam diſtincta à natura non recipiuntur in illa, nec natura eſt eorum potentia paſsiva.

23 Ad ſecundum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia diſtinctio inadæquata, quam admittimus non excludit ſummam incluſionem pro implicito, nec ſummam identitatem, quam excludit diſtinctio realis,

&

& ideò non eſt ſimile; vt etiam patet in natura reſpectu attributorum. Ad tertium, diſtinguo maiorem. Eſt conceptus actus non vltimi includentis vltimum, concedo maiorem. Ultimum excludentis, nego maiorem, & eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Ad quartum, diſtinguo antecedens. Omnis potentia eſt determinabilis per actum non intimè incluſum, concedo antecedens. Intimè incluſum, nego antecedens, & conſequentiam.

24 Arguitur primò ex Parente Anſelmo. In Deo nec conſideratione noſtra admittenda eſt vlla diſtinctio: vndè in Proſol. cap. 18. inquit: *Quidquid eſt partibus iunctum non eſt omnino vnum, ſed quodammodo plura, & diviſum à ſe ipſo, & vel actu, vel intellectu diſſolvi poteſt, quæ aliena ſunt à te, quo nihil maius cogitari poteſt.* Et in Monol. cap. 17. *Quemadmodum ìtaque vnum eſt quidquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur, ita ipſa vno modo, vna conſideratione eſt quidquid eſſentialiter eſt.* Et opuſc. de fide Trinit. cap. 3. impugnans Ruzelinum docet naturam Dei eſſe ſummè ſimplicem, ita vt nec actu, nec intellectu diſſolvi poſsit, quia ſi intellectu aliquomodó diſſolvi poſſet *aliquid maius intelligi poſſet natura Dei*; & hac ratione ſæpè docet Deo eſſe concedendam eam vnitatem, qua maior excogitari non poteſt; ergo neganda eſt etiam diſtinctio virtualis inter potentiam, & actum; ſed hoc ipſo nulla eſt vera potentia ex parte rei conceptæ reſpectu actus; ergo.

25 Hoc argumentum qualiter diſſolvendum ſit à ſententia oppoſita in eſſentia, & attributis, in ipſiſque attributis inter ſe, non oportet expendere. Pro omnibus dico Deo attribuendam eſſe maiorem vnitatem excogitabilem in illa ratione, & linea, qua concipitur, non verò ſi concipiatur vna perfectio relatè ad alteram, hoc enim potius confuſionem, quàm perfectionem induceret, vt eruditè oſtendit D. Thomas q. 1. de potent. a. 1. ad 2. *Licèt omne perfectiſsimum ſit Deo attribuendum, non tamen oportet, quod omne illud, quod Deo attribuitur ſit perfectiſsimum, ſed oportet, quod ſit conveniens ad deſignationem perfectiſsimi.* Oportet ergo Deo tribuere vnitatem illam, quæ conveniens eſt ad deſignãdam ſummam perfectionem Dei, quæ eſt vnitas cum diſtinctione virtuali inadæquata. Et quod attinet ad Anſelmum, palàm eſt ex eiſdem locis allegatis ſolùm excludere á Deo diſtinctionem, & compoſitionem partium, quam nos iure merito excludimus, non tamen excludit munera diverſa in illa ſumma perfectione Dei, nec diſtinctionem expreſſivam, quæ ad claritatem, & ordinem divinarum perfectionum neceſſaria eſt.

26 Dices. Si ſemel ponitur diſtinctio virtualis in re, & formalis per intellectum inter potentiam, & actum ſecundum, negari non poteſt compoſitio, & potentialitas; ergo vel illa neganda, vel hæc admittenda. Antecedens probatur. Conceptus generícus non niſi virtualiter diſtinguitur à differentijs; ſed conceptus generícus eſt potentialis, & facit compoſitionem metaphiſicam cum differentijs; ergo & potentia cum actu, ſi ab illo virtualiter diſtinguitur. Confirmatur. Nihil magis incluſum in differentijs; nec illas magis includens, quám conceptus entis; & tamen concipitur vt potentialis per ordinem ad differentias, per quas determinatur; ergo licet voluntas per modum potentiæ includat actum ſecundum erit verè potentialis, & determinabilis per differentias.

27 Ad primum, nego antecedens. Quod non evincit exemplum gradus generici, qui præſcindit adæquatè à differentijs, eaſque actu implicitè non includit, ſed potius excludit à ſuo conceptu formali, vt docent communiter Philoſophi, quia genus non eſt de conceptu differentiarum, quod è contra contingit in voluntate divina reſpectu volitionis, vt dictum eſt. Ad confirmationem reſpondeo ens includere differentias, non tamen ratione ſuæ actualitatis, ſed potentialitatis, quia in creatis conceptus magis vniverſalis eſt magis potentialis: è contra in Deo, vt docet Ang. Doct. 1. p. quæſt. 13. a. 11. *Quantò aliqua nomina ſunt minus determinata, & magis communia, & abſoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo à nobis.*

28 Arguitur tertiò. Ideò diximus admittendam eſſe in Deo voluntatem per modum potentiæ, quia potentia non eſt aliud, quám principium; at voluntas licèt ſit principium termini ad intra,

tra, & effectus ad extra, non tamen volitionis, quia volitio nec eſt producta, nec procedens; ergo non eſt potentia reſpectu volitionis. Secundò. Diverſo modo comparatur potentia ad terminum, ac comparatur ad actionem, quia ad terminum comparatur vt ad aliquid, quod accipit eſſe à potentia; ad actionem verò vt aliquid, quod actuat ipſam potentiam; ſed dare eſſe termino eſt perfectio, actuari verò imperfectio; ergo licet potentia admittenda ſit in Deo reſpectu termini, non reſpectu actionis.

29 Hoc argumentum proponitur expreſsè à D. Thoma quæſt. 1. de potent. a. 1. §. antecedenti allegato, ex quo ibidem conſtat ſolutio ex eodem S. Doctore aſſerente potentiam eſſe principium non ſolùm termini, ſed etiam operationis. Undé diverſo modo comparatur ad terminum, ac ad actionem, quia terminus eſt *qui* producitur, actio verò *quo* producitur terminus, vel attingitur obiectum; ad vtrumque tamen per modum potentiæ ſine imperfectione, vt ex ſuperioribus conſtat.

DVBIVM III.

Vtrùm velle, aut voluntas ad conceptum metaphyſicum divinæ naturæ pertineat?

§. I.

1 QUANQVAM Ad propoſitam controverſiam dirimendam ſatis eſſet explorare, an aliqua perfectio de linea volitiva naturam divinam conſtituat? Attamen ne eadem alibi repetamus controverſiam abſolutè examinabimus. Et licet vix, aut ne vix quidem poſsit reperiri nomen, vel verbum, quod dignè dicatur de *creatrice rerum ſubſtantia, tentandum tamen eſt ad quid hanc indagationem ratio perducat*, inquit Auſelmus in Monol. cap. 1. certum enim eſt eſſe infallibilem perfectionem aliquam Dei, qua diſtinctè, & quidditativè illius exprimatur natura iuxta illud Prov. 30. *Quod eſt nomen eius, aut quod eſt nomen Filij eius, ſi noſti?* Vndè Gen. 32. dicitur, *Cur quæris nomen eius?* Qua ratione Auguſt. in Pſalmo 85. dixit: *Facilius dicimus, quod Deus non ſit, quàm quod ſit; terram cogitas, non eſt hoc Deus. Omnia cogitas, quæ ſunt in terra, in mari, in Cœlo, non eſt hoc Deus. Hoc ſolum poſſum dicere quid non ſit Deus, non quid ſit.* Nihilominus pro modulo noſtro tentandum, quo nomine aptiori Deus, vel divina exprimatur natura, quodvé ſit prædicatum, per quod metaphiſicè, vel formaliter conſtituatur?

2 Titulus propoſitus de natura divina pariter intelligendus eſt de divina eſſentia, quia in divinis non diſtinguimus obiectivé naturam ab eſſentia, ſed idem formaliter prædicatum, quod per ordinem ad exiſtentiam dicitur eſſe, ſive eſſentia; per ordinem ad attributa, & operationes dicitur natura, nam licét plura, quæ ſunt prorſus indiſtincta in divinis, diſtinguantur in creatis; ea tamen quæ in creatis nullo pacto diſtinguntur multò minus in divinis; at eſſentia, & natura, vt frequentior tenet opinio, nec in creatis virtualitèr diſtinguntur; ergo multò minus in divinis.

3 Prima igitur ſententia docet voluntatem ad conceptum formaliſsimum eſſentiæ pertinere. Ita P. Suarez t. 2. Meth. diſp. 3. ſect. 6. n. 4. & ſect. 16. n. 13. Zumel 1. p. quæſt. 28. a. 2. diſp. 6. dub. 2. vbi docet attributa eſſe de conceptu quidditativo divinitatis. Secunda tenet conſtitui divinam naturam per exiſtentiam. Ita Lezana tractat. 2. diſp. 1. quæſt. 3. Smiſing. Felix, & plures Scotiſtæ. Tertia docet conſtitui per intellectionem actualem. Ita Salmanticenſes tract. 3. de Scientia Dei, diſp. 4. dub. 1. & 2. Ioannes à Sancto Thoma, Herize, Faſolis, & alij. Quarta conſtituit naturam divinam per intellectionem radicalem, ſive per ſubſtantiam ſpiritualem radicaliter intellectivam. Ita Caietanus, & frequentius Thomiſtæ.

4 Quinta, & vltima tuetur conſtitui per rationem entis à ſe. Ita Emin. Card. de Aguirre t. 1. in Monol. S. Anſelmi, diſp. 24. vbi plures allegat ex vtraque Schola Doctores; cui ſententiæ meo iudicio accedunt Authores conſtituen-

tituentes divinam naturam per pelagum omnium perfectionum exiſtentium formaliter in Deo, qui opinandi modus non eſt exponendus de omnibus perfectionibus in ſuo conceptu formali, quaſi omnes ſecundùm proprium, & formalem conceptum conſtituant naturam divinam, id enim verum eſt in ſenſu reali, & phiſico, de quo non loquimur; ſed exponendus eſt de prædicato omnes perfectiones ambiente, & radicante, quod pelagum perfectionum appellant. Et licet Ioannes à S. Thoma diſtinguat vnam ſententiam ab alia, eam tamen indiſtinctam iudicat SS. Magiſter Curiel 1. 2. quæſt. 110. a. 3. dub. 1.

5 Ad clariorem expoſitionem ſupponendum eſt controverſiam non procedere de conſtitutivo divinæ eſſentiæ in ſenſu reali, & phiſico, ſed formali, & metaphiſico, nam in ſenſu phiſico, & reali omnia attributa eſſe de conceptu eſſentiali naturæ ſæpé docet Parens Anſelmus, quoniam in Deo nulla eſt compoſitio metaphiſica, nec vna perfectio excludit aliam à ſuo conceptu formali, & eſſentiali, ſed intimè includit, vt oſtendit Sanctiſsimus Doctor pluribus in locis. Præſertim in Monol. cap. 15. vbi latè docet naturam divinam eſſe eſſentialiter iuſtitiam. ibi. *Quid magis conſpicuum, quid magis neceſſarium, quam quod eadem natura eſt ipſa ſumma iuſtitia? Cum iuſta per ſe dicitur eſſe, non aliud intelligitur, quàm ipſa iuſtitia; quapropter ſi quæratur quid ſit ipſa ſumma natura, de qua agitur. Quid verius reſpondebitur, quàm ipſa iuſtitia?*

6 Ibidem latè oſtendit iuſtitiam prædicari de natura divina non ſolùm adiectivè, ſed ſubſtantivè, quia ita iuſta eſt, vt ſit ipſa iuſtitia. Et hoc docet intelligendum eſſe de alijs divinis perfectionibus. Ibi. *Quod verò exemplo iuſtitiæ ratum eſſe conſpicitur, hoc de omnibus, quæ ſimiliter de ipſa ſumma natura dicuntur, intellectus ſentire per rationem conſtringitur; quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta, ſed magis quid ſit monſtratur. Illa igitur eſt ſumma eſſentia, & ſumma vita, ſumma ratio, ſumma ſalus, ſumma iuſtitia, ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſumma bonitas, &c.* Eodem modo loquitur c. 16. c. 24. 26. & 28.

7 Id ipſum docuerat Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 6. vbi ait: *Hoc illi eſt eſſe, quod Deum eſſe, quòd magnum, quod bonum, &c.* Et 15. de Trinit. c. 6. *Deus eſt ſua ſapientia, quia non eſt aliud ſapientia eius, aliud eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe.* Et ita alij Patres frequentius. Noſtra ergo controverſia in alio ſenſu, nempé metaphiſico, ac de prima omnium attributorum radice, procedit.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

8 DICENDUM Primô. Nec intelligere, nec velle actuale, aut radicale eſſe conſtitutivum formale, & metaphiſicum naturæ divinæ. Plures continet partes concluſio, & quoad primam probatur ex D. Thomâ 1. p. quæſt. 26. a. 2. vbi ait: *In Deo eſſe, & intelligere, eſt idem ſecundùm rem, ſed non ſecundùm rationem;* ergo intelligere diſtinguitur ratione ab eſſe Dei; ergo illius eſſentia non conſtituitur per intelligere. Et quæſt. 14. de ſcientia in principio inquit: *Poſt conſiderationem eorum, quæ ad divinam ſubſtantiam pertinet, reſtat conſiderandum de his, quæ pertinent ad operationem ipſius;* ergo intelliqere, quod eſt operatio ſupponit ſubſtantiam Dei conſtitutam.

9 Quod verò non conſtituat naturam divinam ipſum intellectionis principium, nimirùm intellectum probatur ex eodem Sancto Doctore dicta quæſt. 26. a. 2. ibi. *Dicendum, quod Deus ſit beatus ſecundùm ſuam eſſentiam, non autem quod beatitudo ei conveniat ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectus;* ergo beatitudo convenit Deo ſecuudùm rationem intellectus, & non ſecundum rationem eſſentiæ; ergo intellectus non pertinet ad conceptum eſſentiæ.

10 Ex his facili conſequentiæ filo deducitur non conſtitui naturam divinam per perfectionem lineæ volitivæ, ſive per modum actus, ſive per modum principij. Nam intellectus præcedit voluntatem, quia nihil volitum quin præcogni-

cognitum ; ergo in linea intellectiva ſupponit naturam conſtitutam , potiori titulo linea volitiva , ſive ſumatur per modum actus , ſive per modum principij. Undé 1. ad Annib. diſt. 35. quæſt. 1. a. 2. ad 3. ait : *Sicut intelligere eſt idem re cum eſſentia , ſed differens ratione , ita & velle.*

11 Probatur concluſio generaliter de omni intellectivo , & volitivo , ſive actuali , ſive radicali. Nulla eſſentia conſtituitur per aliquem gradum , aut perfectionem determinatam eiuſdem eſſentiæ , cum eſſentia ſit radix omnium , quæ ipſi conveniunt ; ſed linea intellectiva eſt gradus determinatus , ac determinata perfectio eſſentiæ divinæ ; ergo non conſtituitur naturâ divina per id , quod ſpectat determinatè ad lineam intellectivam ; quæ ratio pari , & potiori titulo vrget in linea volitiva. Confirmatur. Nulla eſſentia eſt demonſtrabilis á priori , cum ſit prima radix in quocumque ente ; at linea intellectiva , & volitiva eſt demonſtrabilis á priori , ac re ipſa demonſtratur ab ang. Doct. in Deo eſſe voluntatem , quia in eo eſt intellectus , vt conſtat ex dubio 1. Rurſus. Demonſtrat perfectionem intellectivi ex immaterialitate 1. p. quæſt. 14. a. 1. Tandèm immaterialitas demonſtratur ex ratione entis à ſe , vt §. ſequenti oſtendemus ; ergo nec ratio volitivi, nec intellectivi eſt conſtitutiva metaphiſicè naturæ divinæ

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

12 DICENDUM Secundo. Conſtitutivum formale divinæ eſſentiæ , vel naturæ , eſſe ens à ſe , ſive ens per eſſentiam , & impartici patum ab alio , quod propriè ſignificatur per nomen *qui eſt.* Conſtat primò ex Sacra Pagina Exodi 3. vbi Moiſi inquirenti Deo , quod eſt nomen eius? Reſpondit. *Ego ſum qui ſum: hæc dices filijs Iſrael , qui eſt miſit me ad vos.* Ideſt. Ego ſum ens habens eſſe per eſſentiam , á me ipſo, & non ab alio; ergo ens à ſe , ſive eſſe per eſſentiam , & imparticipatum ab alio eſt conſtitutivum formale divinæ eſſentiæ.

13 Conſtat ſecundo ex Anſelmo in Monol. cap. 5. inquirenti : *Quomodò intelligi poſsit , quod illa ſumma natura poſsit eſſe per ſe , & ex ſe* ; & toto capite repetit , quod ſumma natura eſt per ſe , & ex ſe , ſive ens à ſe eſt formale conſtitutivum naturæ divinæ. In eundem dicendi modum conſpirant communiter alij Patres , quos cauſa brevitatis omitto.

14 Accedit Doctor Ang. 1. p. quæſt. 13. a. 11. vbi eandem doctrinam clariſsimè tradit. Ibi. *Dicendum quod hoc nomen , Qui eſt , triplici ratione eſt maximè proprium Dei. Primo quidem propter ſui ſignificationem , non enim ſignificat formam aliquam , ſed ipſum eſſe ; vndè cum eſſe Dei ſit ipſa eius eſſentia , & quod nulli alij conveniat , manifeſtum eſt , quod inter alia nomina hoc maximè propriè nominat Deum.* Et infra. *Vndè & Damaſcenus ait, quod principalius omnibus , quæ de Deo dicuntur nominibus eſt , Qui eſt ; totum enim in ſe ipſo comprehendens habet ipſum eſſe velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum, & indeterminatum ; quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus ſubſtantiæ rei.* Ex quibus apertiſsimè conſtat ens à ſe conſtituere eſſentiam divinam , non velle , nec intelligere , nec perfectionem aliam, quia omnes determinant aliquem modum ſubſtantiæ Dei.

15 Ratione efficaci ſuadetur. Per id aliqua res metaphiſicè conſtituitur , per quod primo diſtinguitur ab omni alio ; at per ens à ſe primo diſtinguitur eſſentia divina ab omni alio ; ergo per ens à ſe metaphiſicè conſtituitur. Probo minorem. Per ens á ſe diſtinguitur primò eſſentia divina ab omni creatura , cum omnis creatura ſit ens ab alio: Secundo. Ab omni alia perfectione divina tanquam prædicatum ſecundario conceptum , cum ens à ſe ſit omnibus alijs vniverſalius , & ab ente per eſſentiam ſubſequantur omnia Dei attributa ; ergo ens per eſſentiam eſt ratio à priori omnium perfectionum divinarum , per quod eſſentia divina primario diſtinguitur : tùm ab attributis : tùm à creaturis; ergo ens per eſſentiam eſt primum prædicatum , per quod metaphiſicé conſtituitur eſſentia divina.

Robo-

16 Roboratur hæc ratio, & præoccupatur Adverſariorum ſolutio. Licèt omnia attributa ſint ens à ſe realitèr, non tamen virtualitèr, quia licèt ſint ens à ſe per excluſionem principij realis realiter diſtincti, non ſunt ens à ſe per excluſionem principij virtualis, aut virtualiter diſtincti; ergo ens à ſe, tàm realiter, quàm virtualiter eſt primum prædicatum, per quod eſſentia divina, & convenit cum cæteris perfectionibus, & ab illis diſtinguitur; at primum prædicatum, per quod aliqua res partim convenit, & primò diſtinguitur ab omni alia, eſt conſtitutivum metaphiſicum illius; ergo.

17 Confirmatur. Ens per eſſentiam caret omni cauſa, à qua limitetur; Item: ſub ſe comprehendit omnes perfectiones, quæ comprehenduntur in tota latitudine entis; ergo eſt prima, univerſalis, & perfectiſsima ratio, per quam divina natura poteſt conſtitui. Præterea. Hanc perfectionem non habet, nec intellectivum, nec volitivum, nec aliud quodcumque prædicatum determinatum, ſive actualiter, ſive radicaliter conſideretur, cum ſub illo duntaxát comprehendi poſsit quidquid pertinet ad eandem lineam, ſive intellectivam, ſive volitivam; ergo non per intellectivum, aut volitivum, ſed per ens á ſe conſtituitur natura divina.

18 Reſpondet Mag. Ferre ens à ſe eſſe quidem primum, & radicale principium pertinens ad conſtitutionem naturæ, non tamen per modum differentiæ, ſed rationis genericæ, ſicut animal ſpectat ad eſſentiam hominis, non per modum differentiæ, ſed generis. Verùm hæc ſolutio impugnata manet ex dictis. Nam ens á ſe tàm poſitivè, quàm negativè; tàm realitèr, quám virtualitèr; non convenit attributis, quia ſunt ab alio virtualiter; ergo ens à ſe abſolutè, & omni modo eſt ratio differentialis, & diſtinctiva naturæ ab attributis.

19 Inſurgit prædictus Author. Natura eſt radix attributorum; ſed ens à ſe non eſt radix attributorum, cùm tranſcendat omnia attributa; ratio autem tranſcendens attributa nequit eſſe radix attributorum; ergo. Reſpondeo ens à ſe realiter, ideſt excludens principium realiter diſtinctum tranſcendere omnia attributa: verumtamen ens à ſe, tám realiter, quàm virtualitèr, non tranſcendit attributa, nec de eis formalitèr prædicatur; & hoc modo conſtituit naturam. Patet ex doctrina Salmanticenſium docentium naturam divinam tranſcendere relationes, quod tamen non obſtat, vt ſit radix attributorum, quia non tranſcendit in vi naturæ, ſed in vi eſſentiæ; ergo pari, & potiori titulo ens à ſe poterit conſtituere naturam, & eſſe radicem attributorum, quia non tranſcendit vt conſtiiutivum naturæ, nimirùm vt excludens principium virtuale, ſed reale.

20 Adhuc opponit idem Author. Si hoc ita eſſet, ratio ſubſtantiæ, ſpiritus, viventis, & aliæ eſſent proprietates Dei; at proprietates eſſe non poſſunt, cum proprietates non ſint in rebus creatis; ergo nec in Deo. Patet conſequentia, nam creaturæ ſunt participationes imperfectæ naturæ divinæ; ergo ſi in creatis non ſunt proprietates, ſed ſpectant ad eſſentiam, pariter in divinis. Reſpondeo primo nullum cenſendum eſſe abſurdum, ſi ea prædicata dicantur proprietates, ſicut & cætera attributa. Reſpondeo ſecundo, non eſſe proprietates, quia licet ea prædicata non explicentur in conceptu eſſentiali, in eo tamen eſſentialiter includuntur, quarè potius ſunt prædicata eſſentialia implicita, quàm proprietates. Reſpondeo tertio ſe habere rationem proprietatis in divinis, quod correſpondet accidentibus in creaturis; ſicut ſapientia, bonitas, potentia, & ſimilia; ratio autem ſubſtantiæ, ſpiritus, & viventis non correſpondent accidentibus creatis, vndè proprié loquendo non ſunt proprietates; quapropter ſubſiſtentia, & exiſtentia, quanquàm diſtinguantur realiter ab eſſentia creaturæ non dicuntur proprietates, nec accidentia illius, ſed terminus, & complementum intrinſecum entis, vel ſubſtantiæ; ergo ſimiliter ea prædicata non ſunt appellanda proprietates, ſed prædicata formaliter incluſa, & implicita in ente à ſe, ſive in natura.

21 Probatur ſecundò concluſio. Ea eſt ratio conſtitutiva eſſentiæ Dei, à qua omnia originantur, & ipſa non originatur ab alia; ſed hæc eſt ratio

entis per eſſentiam ; ergo ratio entis per eſſentiam eſt conſtitutiva naturæ, & eſſentiæ Dei. Minor probatur. Ea eſt ratio originans, & non originata, á qua valet conſequentia á poſteriori ad cætera omnia in tota latitudine talis entis ; ſed huiuſmodi ratio eſt ens per eſſentiam, nã ab ente per eſſentiam valet conſequentia ad ſummam ſapientiam, bonitatẽ, æternitatem,& alia, cum ens per eſſentiam ſit prorſus illimitatum, & omnia comprehendens, quæ quidem illatio non valet ex *intelligere*, nam licet ſummè intellectivum ſit pariter bonum, infinitum, æternum, & alia, hoc tamen non eſt per conſequentiam formalem, ſed identicè ſicut etiam ſummè volitivum eſt ſummè bonũ, & æternum. Rurſus. Ex intellectivo ad ens per ſe non fit conſequentia à poſteriori, ſed à priori, vt patet ; ergo de primo ad vltimum, non intellectivum, nec volitivum ; nec aliud prædicatum determinatum, ſed ens per eſſentiam eſt conſtitutivum divinæ naturæ. Et hæc eſt ratio D. Thomæ citato a. 11. vbi ait: *Quolibet alio nomine determinatur aliquis modus ſubſtantiæ rei ; ſed hoc nomen, Qui eſt, nullum modum eſſendi determinat, ſed ſe habet indifferenter ad omnes, & ideò nominat ipſum pelagus ſubſtantiæ infinitum.*

22 Deſumpta eſt eádem ratio ex Parente noſtro Bernardo ſerm. 8. in Cantica. ita loquente : *Neque enim aliundè bonus, quàm vndè magnus ; neque aliundè iuſtus, aut ſapiens, quàm vndè magnus, & bonus, neque aliunde denique ſimul hæc omnia eſt, quàm vndè Deus, & hoc eſt, quia non eſt aliud alio, quàm à ſe ipſo*; ergo ens à ſe eſt ratio à priori cæterorum omnium.

Solvuntur argumenta contraria.

§. IV.

23 PLURA Congerunt Adverſarij teſtimonia D. Thomæ ſæpè docentis, quod *intelligere Dei eſt eſſe Dei.* Rurſus etiam docet, quod *velle eſt ſuum eſſe.* vndè 1. p. quæſt. 19. a. 1 inquit: *Et ſic oportet in Deo eſſe voluntatem, cum ſit in eo intellectus, & ſicut ſuum intelligere eſt ſuum eſſe, ita & ſuum velle.* Et 1. contra Gent. cap. 73. *Deus vult in quantum intelligit ; ſed intelligit per ſuam eſſentiam ; ergo vult per illam, & conſequenter ſua eſſentia eſt ſuum velle.* Ergo per velle, & intelligere, & conſequenter per pelagum omnium perfectionum conſtituitur eſſentia divina. Uerum loqui Ang. Doctorem, ſicut & Anſelmum locis §. 1. allegatis, in ſenſu reali, non formali, & metaphiſico, clariſsimè probat Godoy. t. 4. in 1.p. diſp. 57. §. 7. & apertè conſtat ex 1. p. quæſt. 19. a. 2. ad 1. ibi. *Dicendum quod licet divinum velle ſit eius eſſe ſecundum rem differt tamen ratione.*

24 Arguitur ſecundò. Ens à ſe nequit conſtituere naturam divinam, nec ratione entis, nec ratione aſſeitatis ; ergo nullo modo. Antecedens probatur. Non ratione entis, quia ens eſt gradus communis nullam eſſentiam conſtituens : non ratione aſſeitatis, quia aſſeitas eſt conceptus negativus importans carentiam eſſendi ab alio; at ex conceptu poſitivo, & negativo non poteſt natura poſitiva conſtitui ; ergo ex ente á ſe conſtituitur natura divina. Secundò. Sicut Deo convenit eſſe á ſe, ita creaturæ eſſe ab alio; ſed eſſe ab alio nequit naturam aliquam determinatam conſtituere ; ergo nec eſſe à ſe. Tertiò. Licèt aſſeitas ſit propria differentia Dei, tamen debet applicari prædicato alteri magis determinato, quàm ens ; vndè quemadmodum inepté exponeretur eſſentia hominis per ens rationale, ita eſſentia Dei per ens à ſe.

25 Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Nullam eſſentiam creatam conſtituens, concedo maiorem, increatam, nego maiorem, quia ens dividitur immediatè in ens creatum, & increatum, & ſub hoc ſecundo diviſionis membro non continetur, niſi Deus, vndé poteſt optimè ens ingredi in conſtitutionem divinæ naturæ. Nec aſſeitas eſt aliquid negativum, licèt exponatur per carentiam principij, tàm realis, quám virtualis, ſed eſt quid poſitivum verè importans neceſsitatem eſſendi à ſe ipſo.

26 Ad ſecundũ conceſsis præmiſsis, diſtinguo cõſequens; ergo nec eſſe à ſe poteſt conſtituere naturã determinatã creatã, con-

concedo conſequentiam : increatam, nego conſequentiam : immò ex hoc retorqueretur argumentum. Sicut Deo convenit eſſe à ſe, ita creaturæ eſſe ab alio ; ſed creatura conſtituitur formaliter per eſſe ab alio ; ergo & Deus per eſſe à ſe. Quod enim per eſſe ab alio non conſtituatur natura determinatè ideò eſt, quia gradus entis creati non eſt individualis, ſed communis, quod é contra contingit in ente increato, quod eſt ſummè vnum, & individuum.

27 Ex quibus conſtat ad vltimam impugnationem, nam eſſentia divina non debet conſtitui per conceptum correſpondentem naturæ humanæ, vel alteri naturæ determinatæ, ſed per conceptum oppoſitũ naturæ creatæ in communi, quia vt dictum eſt, ens nõ dividitur immediatè in humanum, & increatum, ſed in creatum, & in increatum.

28 Arguitur tertiò ex D. Thom. 1. p. q. 93. a. 2. & 3. docente aliqua aſſimilari Deo in quantum ſunt, nimirùm in ratione entis. Aliqua in quantum viuunt, videlicet in gradu vitæ. Alia in quantum intelligunt ; *ſic ergo patet, quod ſolæ intellectuales creaturæ propriè loquendo ſunt ad imaginem Dei, quia* (vt præmiſſerat) *ad imaginem requiritur aſſimilatio in gradu ſpecifico.* Ex quibus formatur ratio. Creaturæ intellectuales ſunt ſpecialitér imago Dei, quia aſsimilantur Deo in gradu intellectivo ; ſed propria ratio imaginis exigit aſsimilationem in gradu ſpecifico ; ergo gradus intellectivus eſt ſpecifica ratio conſtitutiva eſſentiæ Dei. Præmiſſæ ſunt D. Thomæ, & conſequentia legitimè deducitur, nam ſi gradus intellectivus non eſſet ſpecificus in Deo, creaturæ intellectuales nec eſſent propria imago, nec aſsimilarentur in gradu ſpecifico, quanquam aſsimilarentur in gradu intellectivo.

29 Confirmatur. Sicut homo, & Angelus ſpecialiùs participant naturã divinam in ordine naturali, ita gratia habitualis in ordine ſupernaturali, quaté per gratiam *efficimur divinæ conſortes naturæ* 1. Petri 2. At gratia habitualis non participat ens à ſe, ſed ſolam rationem entis, ſicut aliæ creaturæ ; ergo ſi natura divina conſtituitur per ens à ſe, gratia habitualis dici non poteſt ſpecialis participatio naturæ divinæ in ordine ſupernaturali ; at re ipſa gratia habitualis eſt ſpecialis participatio naturæ divinæ, quatenus eſt prima radix videndi, & amandi Deum ſupernaturaliter ; ergo conceptus proprius naturæ divinæ eſt eſſe primam radicem videndi, & amandi ſe ipſum per eſſentiam ; ſed hoc eſt conſtitui per intellectivum radicale ; ergo ita conſtituitur.

30 Hoc argumentũ eandẽ continet difficultatem in ſententia aſſerente naturam divinam conſtitui per exiſtentiam, nam creatura intellectiva præ cæteris creaturis facta eſt ad imaginem Dei, & tamen non participat exiſtentiam prę cæteris creaturis ; ergo licèt non participet ens divinum, niſi eo modo, quo participatur ab alijs poterit eſſe ſpecialiter ad imaginem Dei. Eadem pariter laborat difficultate in ſententia aſſerente conſtitui naturam divinam per intellectionem, & volitionem actualem, quoniam nec creatura intellectiva in linea naturali, nec gratia habitualis in linea ſupernaturali, participat intellectionem, aut volitionem actualem, ſed ſolùm eſſe intellectivum, & volitivum ; ſi ergo hoc non obſtante in prædictis ſententijs componitur ſpecialis participatio, tàm in ordine naturali ab Angelo, & homine, quàm in ſupernaturali à gratia, pariter in noſtra.

31 Reſpondeo igitur naturam divinam eſſe primam radicem exiſtendi, & operandi, quo ſenſu diverſimodè participatur á creaturis : aliquæ enim participant naturam, ſive eſſentiam divinam vt eſt ratio exiſtendi : viventia, vt eſt ratio operandi vitaliter : creatura intellectualis vt eſt ratio operandi intelligibiliter, & hoc diverſimodè iuxta diverſitatem gradus intellectivi hominum, & Angelorum ; & hoc modo creatura intellectualis eſt ſpecialiter imago Dei, ac naturam divinam ſpecialiter participat, nimirùm, ens à ſe, ſive naturam divinam vt eſt prima radix operationum intellectualium, quod ſatis eſt ad veram rationem imaginis, cum ita aſsimiletur Deo in gradu ſpecifico ; nimirùm, in natura vt radicante gradum intellectivum.

32 Similiter gratia habitualis eſt ſpecialis participatio naturę divinę, quia ſicut

natura divina eſt prima radix operationum, & perfectionum divinarum, ita gratia eſt prima radix donorum, & operationum ſupernaturalium: natura divina eſt ens á ſe radicans perfectiſsimas operationes videndi, & amandi ſuam bonitatem; & gratia eſt ens per participationem radicans ſimiles operationes in creatis.

33 Dices. Gratia habitualis non eſt ens à ſe, ſed ab alio; ergo ſi natura divina conſtituitur per ens à ſe, gratia habitualis non participat formaliter naturam divinam. Reſpondeo, dubitari non poſſe naturam divinam eſſe ens à ſe, ſivè id ſit ratio generica, ſivè ſpecifica; quare impugnatio in omnium ſententia diſſolvenda eſt. Prætereà. Nec participat intellectivum á ſe, nec volitivum; quarè etiam ab Authoribus huius ſententiæ enodanda eſt. Reſpondeo, ergo gratiam habitualem participare ens à ſe analogicè, & imperfectè, non perfectè, & vnivocè; vel alijs terminis, diſtinguo antecedens. Gratia habitualis non eſt ens à ſe logicè, & formaliter, nego antecedens: phiſicè, & realiter, concedo antecedens. Eſt enim prima ratio, aut prima radix donorum ſupernaturalium, quod tamen non obſtat vt realiter producatur ab alio, vtpotè creatura.

34 Arguitur quartò. Eſſentia divina debet conſtitui per gradum perfectiſsimum; at gradus omnium perfectiſsimus eſt gradus vitæ intellectivæ; ergo hic, & non gradus entis á ſe eſt conſtitutivus eſſentiæ divinæ. Minor probatur. Gradus vitæ intellectivæ continet perfectionem entis, & vlterius ſuperaddit propriam perfectionem; ergo eſt illo perfectior. Reſpondeo, pari ratione poſſe probari conſtitui per intellectionem actualem, per volitionem, & exiſtentiam, ſapientiam, aliaque attributa, quia important perfectionem entis, & vlterius ſuperaddunt propriam perfectionem. Vndè dico eſſentiam divinam conſtituendam eſſe per prædicatum perfectiſsimum per modum radicis, quod eſt ens à ſe, non per modum radicati, vt eſt gradus vitæ intellectivè; & licet ea parte, quá vita intellectiva exprimit perfectionem vitæ excedere videatur gradum entis á ſe, quia tamen ea perfectio eſt in linea determinata, & ens per eſſentiam contineat cum ſumma actualitate omnes perfectiones divinas, longè excedit gradum vitæ intellectivæ.

35 Ratio omnium eſt, quia prædicata in creatis, quantò magis vniverſalia, ſunt tantò magis imperfecta, quia ſunt magis potentialia: è contra in divinis, quò magis communia, ſunt magis perfecta, quia ibi nihil eſt potentialitatis, ſed quodlibet prædicatum eſt actus purus, & ex alia parte continet, & radicat cæteras perfectiones, vt docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 11. dicente: *Quantò aliqua nomina ſunt minus determinata, & magis communia, & abſoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo à nobis*, &c.

36 Arguitur 5. Si eſſentia divina conſtitueretur per ens á ſe, eſſentia multiplicaretur in divinis ad multiplicationem relationum, & Perſonarum; ſed hoc dici non poteſt; ergo per ens á ſe non conſtituitur. Sequella probatur. Omnia tranſcendentia multiplicantur ad multiplicationem Perſonarum; ſed ens à ſe conſtituit eſſentiam divinam; ergo eſſentia divina multiplicatur, cum multiplicato conſtitutivo neceſſariò multiplicetur conſtitutum. Explicatur hæc ratio in creatura, quæ quia conſtituitur per eſſe ab alio, hoc multiplicato creatura pariter multiplicatur; ergo ſi eſſentia divina conſtituitur per eſſe á ſe, hoc multiplicato eſſentia divina neceſſariò multiplicatur.

37 Reſpondeó ex dictis, quod licèt ens proùt opponitur nihilo ſit tranſcendens; attamen ens á ſe excludens principium reale, & virtuale nullo pacto tranſcendit. Patet exemplo allegato ex doctrina Salmanticenſium naturæ divinæ, quæ tranſcendit in vi eſſentiæ, non in vi naturæ. Patet etiam in immaterialitate, quæ licèt ſit communis omnibus attributis, attamen vt contracta per ſubſtantiam per ſe, non eſt communis, ſed ſpecialiter conveniens eſſentiæ divinæ, eamque conſtituens, vt docet Ferre in præſenti num. 377.

38 Arguitur ſextó. Ideò proceſſio Verbi Divini dicitur generatio, & non proceſſio Spiritus Sancti, quia illa eſt per intellectum, ac proindè ex ſua ratione formali aſsimilativa ſuo principio in natura, vt frequentius docent Theologi; ſed proceſsio ex ſua ratione formali aſsimilat in gradu intellecti-

lectivo; ergo natura divina constituitur per gradũ intellectivum. Minor probatur, processio illa est productiva Verbi Divini; at Verbum Divinum est de linea intellectiva; ergo. Confirmatur. Quod Verbum Divinum sit etiam ens à se habet præsuppositivè, & quasi materialiter, attamen ex vi processionis habet esse Verbum, & quid de linea intelligibili; ergo principium, cui assimilatur, debet esse de linea intellectuali; sed assimilat terminum suo principio in natura; ergo natura est constituta per aliquid de linea intellectuali.

39 Respondeo primam processionem præ secunda esse assimilativam in natura, quia prima est à principio coniuncto, non ita secunda, quoniam prima est ab intellectu producente medio principio, nimirùm specie coniuncta cum ipso intellectu, vt tract. de Trinit. dub. 5. diximus. Nec ex prædicto dicendi modo aliquid evincitur. Nam concessis præmissis, distinguo consequens. Per intellectivum radicaliter, sive per ens à se radicans gradum intellectivum, concedo consequentiam. Formaliter, nego consequentiam; etenim natura divina cum sit illimitata in tota linea entis exprimit in suo conceptu radicem omnium perfectionum divinarum; cum ergo natura illa constituta metaphisicè per ens à se communicetur Verbo per intellectum, qui est potentia assimilativa infinitè, assimilat nedum principio proximo, sed radicali; non tantùm intentionaliter, sed etiam phisicè.

40 Ad confirmationem, nego antecedens. Nam Verbum habet esse ens à se, non præsuppositivè duntaxat, sed formaliter ex vi suæ processionis tendentis ad assimilandum terminum non solùm in esse intentionali, sed etiam phisicè in eadem numero natura: è contra se habet processio Spiritus Sancti, nam voluntas licet communicet esse à se per essentiam, id habet tantum identicè, & quia divina; non formaliter, quia ex sua natura non est assimilativa principio, vndè producit per modum impulsus.

41 Dices. Processio Verbi tendit ad assimilandum in natura; sed tendit ad assimilandum in gradu intellectivo, quia producit Verbum; ergo gradus intellectivus est constitutivus naturæ. Respondeo concessis præmissis, negando consequentiam, quia vt processio Verbi assimilet in natura, & in gradu intellectivo, non requiritur, quod natura constituatur metaphisicè per gradum intellectivum, sed quod intellectivum communicatum ex vi processionis sit communicatum per potentiam assimilativam infinitè, quæ proinde assimilat etiam in natura.

DVBIVM IV.

Quodnam sit obiectum formale, & adæquatum voluntatis divinæ?

§. I.

1 SUPPONENDVM primò. Deũ verè, & proprie non solùm amare se ipsum, sed etiam creaturas, teste Sacra Pagina Psalmo 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Et Sap. XI. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et 1. ad Thesal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

2 Confirmat eamdem veritatem Anselmus in Mol. c. 69. *Dubitari nullatenùs debet, quod ipse omnem naturam se verè amantem amet.* Et Medit. 12. ait: *Si diligam multùm te, tu certè ante me dilexisti, & plus, in hoc enim charitas Dei apparet, ait Apostolus, non quasi dilexerimus Deum, sed quia prior dilexit nos.* Ratio est, quia qui vult finem, vult ea, quæ sunt ad finem; at Deus vult bonitatem suam, quæ est finis creaturarum, quia *omnia propter semetipsum operatus est Deus.* Prov. 16. ergo vult creaturas. Secundò. Amans aliquam bonitatem amat, etiam quæcumque talem bonitatem participant; sed Deus amat suam bonitatem; ergo, & creaturas bonitatem diuinam participantes.

3 Oppones. Si Deus creaturas diligeret aliquam perfectionem accipere à creaturis; sed hoc repugnat; ergo, & quod, illas diligat. Sequela probat. quælibet potentia recipit perfectionem ab obiecto,

& commenſuratur cum illo ; tantò enim perfectior eſt potentia, quantò ad plura ſe extendit obiecta, vt patet in ſcientia, quæ nobilior eſt, quantò plura obiecta attingit ; ergo ſi Deus diligeret creaturas, cum illis commenſuraretur, & ab illis perfectionem acciperet. Secundò. Poſita creatura ponenda eſſet nova habitudo in voluntate divina ad illam, ſi illam diligit ; at hæc nova habitudo eſt nova perfectio ; ergo ex dilectione creaturarum adveniret nova perfectio Deo. Tertiò. Sola bonitas divina eſt obiectum adæquatum voluntatis divinæ ; ergo nequit amare creaturas, aliàs excederet ſphæram ſui obiecti adæquati, quod repugnat.

4 Ad primum dico amorem Dei erga bonitatem ſuam eſſe affectivum, & cum ea commenſurabilem: attamen reſpectu bonitatis creatę non eſt puré affectivus, ſed effectivus quaré perfectionẽ tribuit creaturæ, non accipit ab ea, vt docet S. Anſelmus in præſenti opuſc. de Voluntate Dei, c. 1. ibi. *Voluntatem Dei appellamus quidquid in nobis ipſe miſericorditer operatur revocando nos ab errore, & piè conformando iuſtitiæ ; vndè voluntas Dei eſt (vt breviter dicam) quidquid fit, vel fieri invenitur in creaturis.* Quod etiam docet Bernardus Parens in Soliloq. n. 12. *Nunquam accidente, vel incidente amoris affectu ames, quod amas, aut aliquo afficeris, qui omnes, & omnia facis ; abſit, abſurdum eſt, procul eſt à fide, alienum ab omnium Creatore : quomodò ergo nos amas, ſi nos amore non amas? Sed amor tuus bonitas tua eſt ; amas itaque in quantum nos efficis tui amatores. Nos affectu, tu effectu vnum nos in te efficiens.* Secunda impugnatio tangit generalem difficultatem de conſtitutivo actuum liberorum Dei, quam infra tract. 2. demonſtrabimus. Ad tertiam progreſſu diſputationis conſtabit.

5 Suppoſito ergo amore Dei ad creaturas inſurgit dubitandi ratio. An obiectum adæquatum voluntatis divinæ ſit bonum, tàm creatum, quàm increatum. An ſola bonitas increata? Item. An ſola bonitas eſſentiæ, aut etiam attributorum? Nec dubium procedit de obiecto extenſivo divinæ voluntatis, quoniam ſub obiecto extenſivo contineri etiam creaturas certiſsimum eſt, aliàs non amaret ; ſed procedit de obiecto, aut bonitate, quæ ratione ſui movet, & terminat divinam voluntatem, & cuius ratione cætera amantur.

6 In hac re. Prima ſententia docet obiectum formale motivum divinæ voluntatis eſſe bonitatem abſtrahentem á creata, & increata. Allegantur Scotus, Durandus, Albiz, Herize, Capreolus, Ferrara, P. Suarez, & alij. Sed plures oppoſitum docent; pluresque eorum non ſe ſatis exponunt. Secunda diſtinguit inter obiectum motivum, & terminativum: primum aſſerit eſſe ſolam bonitatem divinam : ſub ſecundo contineri etiam creaturas. Ita P. Arrubal in præſenti diſput. 54. cap. 4. & diſp. 57. cap. 3. Tertia docet ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum formale motivum, & terminativum divinæ voluntatis. Ita communiter Sancti Thomæ Interpretes ; quibus accedit P. Suarez lib. 3. de attributis poſitivis, cap. 6. n. 3. Uazquez, Molina, Granados, Bartholomęus Durand. & alij communiter ; inter quos aliqui includunt bonitatem eſſentiæ, & attributorum : alij ad ſolam eſſentiæ bonitatem reſtringunt.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

7 DICENDUM Primò ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum formale motivum, & adæquatum divinæ voluntatis. Probatur ex Parente Anſelmo in Monol. cap. 1. *Quis autem dubitet illud ipſum, per quod cuncta ſunt bona eſſe magnum bonum, illud igitur eſt bonum per ſe ipſum, quoniam omne bonum eſt per ipſum ; ergo conſequitur, vt omnia alia bona ſint per aliud, quàm quod ipſa ſunt, & ipſum ſolum per ſe ipſum.* Ergo ſola bonitas divina poteſt movere divinam voluntatem ad amorem, cætera autẽ terminare poterunt divinum amorem per bonitatẽ divinam. Patet conſeq. Quia voluntas divina, vtpotè rectiſsima, ſolùm moveri poteſt à bonitate ſecundùm cõditionẽ bonitatis; ſed ſola bonitas divina eſt bona per ſe ipsã, cętera verò per bonitatẽ divi-

divinam ; ergo ſola bonitas divina ratione ſui, creata verò ratione divinæ terminare poterit divinam voluntatem.

8 Hac ratione dixit D. Thomas 1.p.q.19. artic.2. *Sic igitur Deus vult ſe eſſe, & alia, ſed ſe vt finem, alia verò vt ad finem.* Et ſolut.ad 2. *In his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi eſt finis, & hoc eſt, quod movet voluntatem ; & hoc maximè apparet in his, quæ volumus tantùm propter finem. Qui enim vult ſumere potionem amaram, nihil in ea vult, niſi ſanitatem; & hoc ſolùm eſt, quod movet eius voluntatem : ſecus autem eſt in eo, qui ſumit potionem dulcem, quàm non ſolùm propter ſanitatem, ſed etiam propter ſe aliquis velle poteſt. Vndè cum Deus alia à ſe non velit niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, niſi bonitas ſua : & ſic ſicut alia à ſe intelligit intelligendo eſſentiam ſuam, ita alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam.* Idem repetit pluribus alijs in locis, præſertim in 1.diſt. 41.artic.3. Et 1. contra Gent. cap. 87. & q. 23. de ver.art.1.ad 7.& artic.4.ad 13.

9 Suadetur ratione. Obiectum formale primarium,& adæquatum alicuius potentiæ debet commenſurari cum potentia, eſt enim obiectum menſura potentiæ, eiuſque ſpecificativum extrinſecum; ſed ſola bonitas divina poteſt commenſurari cum illius voluntate, quia ſolùm infinitum poteſt importare commenſurationem cum potentia infinita, quoniam debet præcontinere tantam perfectionem in ratione menſuræ, quantam continet potentia in ratione menſurabilis; ergo ſola bonitas divina poteſt eſſe obiectum adæquatum primarium voluntatis divinæ.

10 Confirmatur. Obiectum motivum,& ſpecificativum voluntatis eſt finis,vt communiter docent Philoſophi;ſed ſola bonitas divina poteſt finalizare voluntatem divinam ; ergo ſola bonitas divina poteſt eſſe obiectum ſpecificativum illius. Minor probatur. Finis alicuius potentiæ aliquam cauſalitatem ſaltim virtualem exercet in potentiam ; at ſola bonitas divina, non creata, poteſt aliquam exercere cauſalitatem virtualem in divinam voluntatem; quod enim exercet cauſalitatem dumtaxàt virtualem, talis conditionis eſt, vt exerceret realem,ſi realiter diſtingueretur ; at nulla bonitas creata, quamquam realiter diſtincta, poteſt exercere cauſalitatem realem in divinam voluntatem : qua ratione dixit D. Thomas 1.p.q. 23. art. 5. *Nullus fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis.* Et in Comment.Epiſt.2.ad Epheſ.lect. 1. *Divina voluntas nullam habet cauſam, vndè ex parte voluntatis nulla eſt ratio, niſi eius bonitas*; ergo nulla bonitas creata poteſt ſpecificare, finalizare, aut terminare primariò voluntatem divinam.

11 Confirmatur ſecundò. Voluntas Dei eactenus terminatur ad creaturas, quatenus in illis aliquid miſericorditer operatur, vt inquit Anſelmus loco citato; etenim Deus amans creaturas nihil aliud intendit, quam oſtendere divitias bonitatis ſuæ ; ergo tantummodó ratione ſuæ bonitatis amat creaturas; ergo ſola bonitas divina eſt ratio terminandi amorem creaturarum. Et hac ratione dixit Bernardus loco allegato, quod amor Dei erga ſe ipſum eſt affectivus, quia ſola bonitas divina allicit affectum divinæ voluntatis ; erga creaturas veró effectivus, quia creatura non allicit, nec attrahit divinam voluntatem in ſui amorem, ſed potius bonum cauſatum ab amore divino in ſe recipit ; ergo Deus non amat creaturas primarió attractus, & illectus à bonitate creata, ſed à ſola bonitate divina,& infinita ; ergo ſola bonitas divina eſt ratio motiva divinæ voluntatis.

12 Hæc ratio non placet Illuſtriſsimo Silva t.1.in 1.p.q.19.art. 2. §.5. quia ex ea tantúm convincitur bonitatem eſſe finem, & obiectum primarium voluntatis, non veró adæquatum, quoniam obiectum adæquatum comprehendit primarium, & ſecundarium. Nec optimè confunditur obiectum formale cum primario, quandoquidem obiectum ſecundarium etiam eſt formale, & in ſe continet rationem formalem terminandi potentiam, vndè non ſolúm in Deo, ſed etiam in creaturis reperitur intrinſeca bonitas, quæ eſt ratio formalis *ſub qua* divini amoris. Rurſus. Ex prædictis ſolùm deducitur Deum amare creaturas propter ſe ipſum, quod concedit, non verò infertur creaturas non amare, quarè cùm Div. Thomas aſſerit Deum velle ſe vt finem, & alia vt ad finem, apertè docet Deum velle creaturas; ergo etiam bonitas creata

eſt

eſt ratio formalis terminandi divinum amorem.

13 Reſpondeo ex præiactis ſatis aperte deduci ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum adæquatum ſpecificativum divinæ voluntatis, licèt non ſit obiectum adæquatum extenſivum, cum etiam extendatur ad creaturas; ſed quia ratio amandi creaturas eſt ſola bonitas divina; ideò dicimus ſolam bonitatem divinam eſſe obiectum adæquatum ſpecificativum divinæ voluntatis. Nec oportet examinare an conceptus proprius obiecti formalis reperiatur in obiecto ſecundario [de quo agitur in Logica] nam licèt in creatura reperiatur intrinſeca bonitas, media qua poſsit terminare, & ſpecificare voluntatem creatam, non tamen divinam propter dicta. Nec negamus Deum diligerè creaturas, ſed aſſerimus formalem rationem diligendi eſſe bonitatem divinam, ſicut bonitas ſanitatis eſt ratio terminandi amorem infirmi in potione amara.

14 Dices. Ideó ratio amandi potionem amaram eſt bonitas ſanitatis, quia in potione amara non eſt ratio terminandi amorem infirmi, nec alliciens ad amorem: attamen é contra potionem dulcem amat infirmus, & propter ſanitatem, & propter ſe; ſed in creatura eſt vera bonitas conducens in Deum vltimum finem; ergo amari poteſt à Deo propter ſe ipſum, & propter bonitatem creaturæ. Reſpondeo, creaturas non minus carere bonitate alliciente Deum ad amorem propter ſe ipſas, quam potio amata caret bonitate alliciente infirmum ad amorem propter ſe ipſam, quia creaturæ ſunt in conſpectu Dei quaſi non ſint, & tanquam nihilum reputatæ ſunt ei; vnde D. Thom. vtitur exemplo potionis amaræ ad præſentem exponendam difficultatem.

15 Explicatur hæc ratio. Etſi amor charitatis terminetur ad Deum & ad proximum, attamen ad Deum terminatur vt ad obiectum primarium, & proximum, vt obiectum ſecundarium; ad Deum ratione ſui, ad proximum ratione bonitatis divinæ, aliàs talis amor non eſſet actus virtutis Theologicæ, quippè qui non reſpiceret immediatè Deum; ſed hoc ideò eſt, quia Deum diligimus propter ſe, & proximum propter Deum; cum ergo Deus nullam creaturam poſsit diligere niſi propter ſe ipſum, conſequens eſt vt tota ratio diligendi creaturas ſit bonitas divina.

16 Inſurges. Amor tendens in creaturam propter Deum eſt amor charitatis; at in Deo non ſolùm eſt habitus charitatis, ſed virtutes pariter morales, vt miſericordia, iuſtitia, liberalitas, & aliæ virtualiter diſtinctæ à charitate; ergo actus harum virtutum tendere non poteſt in creaturas ratione bonitatis divinæ, aliàs eſſent omnes virtutes theologicæ, nec haberent obiectum formale diſtinctum ab obiecto charitatis, quod conſtat eſſe falſum: Undè obiectum miſericordiæ eſt ſublevatio alienæ miſeriæ; obiectum iuſtitiæ eſt debitum vnicuique reddendum: & liberalitatis eſt beneficium ſine ſpe lucri conferendum; ergo dantur in voluntate divina virtutes tendentes in obiectum formaliter diverſum ab obiecto charitatis; at voluntas media charitate tendit in bonitatem increatam; ergo voluntas divina determinata per alias virtutes tendit in bonitatem creatam; alioquin in Deo non eſſet niſi virtus charitatis.

17 Aliqui opinantur eas virtutes nullo modo diſtingui à voluntate, ſed ſolùm ex hac, vel illa tendentia ſortiri diverſas denominationes. Alij opinantes nullam eſſe diſtinctionem ex parte actus primi ponunt formalem diſtinctionem ex parte actus ſecundi. Alij ponunt diſtinctionem virtualem tàm ex parte actus primi, quàm ex parte actus ſecundi, quæ opinio loquendo de diſtinctione ſaltim inadæquata mihi veriſsima eſt, & hoc ſatis eſt ad efficaciam argumenti. Cui tamen reſpondeo conceſsis præmiſsis, diſtinguendo conſequens. Ratione bonitatis divinæ in rectò, nego conſequentiam. In obliquo, concedo conſequentiam. Itaque nullus actus divinæ voluntatis reſpicere poteſt ex parte recti, niſi divinam bonitatem: attamen bonitas divina ex parte recti connotare poteſt aliquid ex parte creaturæ, per quod diverſas terminet virtutes: ſic actus divinæ miſericordiæ reſpicit divinam bonitatem vt includentem ex parte connotati alienam miſeriam ſublevandam, reſpicit enim divinam bonitatem vt eſt ratio ſublevandi alienam miſeriam: ſic actus iuſtitiæ reſpicit divinam bonitatem, vt eſt ratio conſe-

ſerendi vnicuique ius ſuum ; v. gr. vt eſt ratio conferendi præmium propter merita. Et ſic de alijs. Ut dixi t. 1. Tract. de Merito Chriſti, §. 2.

18 Oppones. Sequitur ex hac doctrina nullum eſſe in Deo charitatis actum erga creaturas, quia amor tendens in amatum propter amantem non eſt amor charitatis, ſed concupiſcentiæ ; ſed talis eſt amor Dei à nobis poſitus erga creaturas ; ergo non eſt amor charitatis. Reſpondeo negando ſequelam. Ad prob. diſtinguo mai. Propter amantem vt finem *qui*, nego maiorem. Ut finem *cui*, concedo maiorem, & conceſſa minori in eodem ſenſu, nego conſeq. Etenim Deus amans creaturas propter ſe, non reſpicit ſe ipſum vt finem, cui ſequatur aliqua vtilitas, quia Deus bonorum noſtrorum non indiget, ſed tota vtilitas eſt reſpectu creaturæ : attamen reſpicit ſe ipſum vt finem *cuius gratia* omnia facta ſunt, quia *vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus.* Proverb. 16. nec aliter eſſe poteſt : vndè alia eſt ratio in Deo, & alia in creatura, quia creatura amans obiectum propter ſe ipſam quærit vtilitatem ſui, ideóque eſt amor concupiſcentiæ : é contra contingit in Deo propter oppoſitam rationem.

(†)

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

19 DICENDUM Secundò. Solam bonitatem divinam eſſe obiectum primarium terminativum divinæ voluntatis. Conſtat ex §. præcedenti. Nam obiectum primarium terminativum eſt illud, quod ratione ſui terminat potentiam, ſivè quod ratione ſui proportionem, aut rationem formalem habet, vi cuius terminare poſſit potentiam; ſed hoc tantùm habet bonitas divina, non creata ; ergo ſola bonitas divina, non creata eſſe poteſt obiectum terminativum primarium divinæ voluntatis. Minor probatur ex dictis. Nihil amare poteſt Deus niſi ratione ſuæ bonitatis, quia nihil amare poteſt niſi ratione finis, eſt enim Deus rectiſsimum ſpectans, & amans, ac ideó amare debet ratione finis; at finis voluntatis divinæ non alius eſſe poteſt, quám bonitas divina ; ergo nihil amare poteſt, niſi ratione bonitatis divinæ ; quarè reſpectu voluntatis divinæ ægrè ſeparari poteſt obiectum motivum ab obiecto terminativo.

20 Confirmatur. Quod habet rationem medij, & non finis, ſolùm terminare poteſt divinam voluntatem ratione finis, & non ratione ſui, ita ſe habent creaturę ; ergo ſolùm terminare poſſunt divinam voluntatem ratione finis, & non ratione ſui; ſed finis eſt ſola bonitas divina; ergo dumtaxàt ratione bonitatis divinæ terminare poſſunt divinam voluntatem.

21 Dices. Id eſt medium, quod deſeruit ad conſecutionem finis, vel illius conſervationem ; ſed creaturæ deſervire non poſſunt Deo ad conſecutionem ſuæ bonitatis, nec ad ſui conſervationem, quoniam independenter á creaturis Deus poſsidet, & in æternum poſsidebit ſuam bonitatem ; ergo creaturæ non habent rationem medij ; ergo non attinguntur á divina voluntate vt medium; ergo vel nullo modo amantur, vel amantur ratione ſui. Hæc impugnatio probat, ſi quid evincit, Deum nec amare, nec amare poſſe, creaturas vt medium, quia nec deſerviunt, nec deſervire poſſunt Deo tanquam medium ad ſuam bonitatem conſequendam, vel conſervandam ; quod dici non poteſt. Undé reſpondeo, creaturas non eſſe medium reſpectu Dei ad ſuam bonitatem conſequendam, aut conſervandam, ſed ad divinam bonitatem vt manifeſtandam, communicandam, & participandam, oſtendit enim Deus divitias bonitatis ſuæ in creaturis, ideòque creaturæ ſunt medium aptum ad hanc manifeſtationem.

22 Dices item. Hæc manifeſtatio non eſt quid infinitum, ſed finitum, quoniam finitè manifeſtatur divina bonitas in creaturis; ergo obiectum divinę voluntatis non eſt quid infinitum, ſed finitum, & conſequenter aliquid creatum poterit eſſe obiectum terminativum divinæ voluntatis. Reſpondeo, manifeſtationem activam ex parte Dei, ſivè bonitatem divinam paſſivè manifeſtandam eſſe quid infinitum, licèt terminativè ex parte creaturæ participantis ſit finita limitata.

TER-

TERTIA CONCLVSIO.

§. IV.

23 DICENDUM Tertiò. Solam bonitatem eſſentiæ, & non attributorum eſſe obiectum primarium, & ſpecificativum divinæ voluntatis. Colligitur etiam ex Parente Anſelmo in Monol. cap. 66. ibi: *Nihil enim aptius, quàm rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, vt ſummam eſſentiam amet ſuper omnia bona; ſicut ipſa eſt ſummum bonum; immò vt nihil amet, niſi illam, aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum, niſi per illam*; ergo nihil movet divinam voluntatem ad amorem, niſi eſſentia, aut propter eſſentiam; ergo eſſentia eſt vltima, & prima ratio motiva, & ſpecificativa divinæ voluntatis.

24 Reintegratur ratio facta. Illud eſt obiectum primò ſpecificativum divinæ voluntatis, quod ratione ſui amatur, & vi cuius cætera amantur; ſed ita ſe habet bonitas eſſentiæ; eſt enim prima radix, à qua bonitas ad omnia attributa deſcendit; ergo ſola bonitas eſſentiæ ſpecificat divinam voluntatem. Confirmatur. Ita ſe habet voluntas ad bonum, ſicut intellectus ad verum; ſed ſola veritas eſſentiæ ſpecificat divinum intellectum, docente Ang. Doct. loco citato, quod *ſicut alia à ſe Deus intelligit intelligendo eſſentiam ſuam, ita alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam*; ergo ſola bonitas eſſentiæ ſpecificat divinam voluntatem.

25 Dices. Obiectum ſpecificativum voluntatis diuinę eſt bonum divinum proùt eſt in ſe; ſed bonum divinum proùt eſt in ſe neceſſariò importat bonitatem eſſentiæ, & attributorum; ergo ex bonitate eſſentię, & attributorum conſurgit obiectum ſpecificativum divinæ voluntatis. Retorqueo argumentum. Obiectum ſpecificativum divini intellectus eſt verum proùt eſt in ſe; ſed verum proùt eſt in ſe importat veritatem eſſentiæ, & attributorum; ergo ex vtraque veritate conſurgit obiectum ſpecificativum divini intellectus; at hoc non obſtante docent ſolam veritatem eſſentiæ eſſe obiectum primarium divini intellectus; ergo pariter in voluntate.

26 Præterea. Obiectum ſpecificativum voluntatis eſt bonum proùt eſt in ſe; ſed bonum proùt eſt in ſe eſt bonitas eſſentiæ per modum radicis virtualiter, & attributorum per modum radicati; ergo ita ſpecificat divinam voluntatem; ſed hoc ipſo ſola bonitas eſſentiæ eſt ſpecificativum divinæ voluntatis, quia radicatum amatur ratione radicis, à qua bonitas deſcendit in radicatum; & ita viſio beata, licèt ſit intuitiva Dei, nimirùm eſſentiæ, & attributorum proùt ſunt in ſe, nihilominus ad ſolam eſſentiam vt ad primarium obiectum terminatur; ergo ſola bonitas eſſentiæ eſt obiectum primarium divinæ voluntatis.

27 Dices. Quodlibet attributum eſt bonùm infinitum; ergo ſufficiens ad ſpecificandam voluntatem infinitam. Secundò. Bonitas cuiuslibet attributi eſt finis vltimus, cum ſit bonitas Dei; ergo non ordinatur ad aliam bonitatem; ergo amatur propter ſe, & non propter aliud. Reſpondeo, quodlibet attributum eſſe bonum infinitum, non tamen radicis, ſed radicati: non ordinatum ad aliud bonum realiter, ſed virtualiter, quatè non eſt omnibus modis finis vltimus voluntatis.

28 Probatur ſecundò concluſio. Ea eſt bonitas ſpecificativa divina voluntatis, quæ conſtituit Deum obiectum congruum divinæ dilectionis; ſed hoc ſolùm habet natura, non attributa; vndè in creatis ſola gratia, quæ eſt participatio formalis divinæ naturæ, eſt vera ſanctitas, ſolaque conſtituit creaturam rationalem obiectum congruum divinæ dilectionis; ergo ſola natura divina conſtituit ipſum Deum obiectum congruum divinæ dilectionis.

Sed

Solvuntur argumenta contraria.

29 ARGUITUR Primô contra primam concluſionem. Si bonitas creata non poſſet eſſe motivum divinæ voluntatis invtiles redderentur plures in tota theologia quæſtiones, ſivé dum inquiritur. An electio efficax ad gloriam ſit ex prævisis meritis? An reprobatio ſit mota á demeritis? An Incarnatio ſit propter noſtram ſalutem? & aliæ ſimiles in tota Theologia controverſiæ; ſed hoc dici non poteſt; ergo in his omnibus ſupponunt Theologi voluntatem divinam moveri poſſe à bonitate creata, aliàs invtiliter inquirerent an moveatur, ſi moveri non poteſt.

30 Secundò. Collatio gloriæ per modum coronæ eſt actus iuſtitiæ remunerativæ; ſed hic movetur à meritis; ergo iam datur in divina voluntate aliquis actus motus á meritis. Minor probatur. Merita non aliter ſunt cauſa præmij niſi movendo voluntatem præmiantis ad conferendum præmium; ergo actus ille Dei collativus gloriæ movetur á meritis. Quod idem dicendum dum Deus confert gratiam, gloriam, & alia dona ex meritis Chriſti, tunc enim merita Chriſti movent Deum ad dona conferenda. Item. Plures ex Theologis diſtinguentes in ſerie prædeſtinationis actum intentivum ab executivo, & adſtruentes intentivum omninò gratuitum, adhùc ponunt executivum motum á meritis; ſed decretum illud eſt actus divinæ voluntatis; ergo non implicat actum aliquem divinæ voluntatis moveri à bonitate creata meritorum. Denique. Reprobatio eſt actus divinus; & tamen movetur â demeritis, cum ſit actus iuſtitiæ ſupponens cauſam, & motivum ad punendum; ergó.

31 Reſpondet Mag. Ferre in præſenti, q. 3. In his omnibus non ſignificari cauſalitatem aliquam creaturæ in divinam voluntatem, ſed meriti in præmium; vndè cum dicitur Deum conferre gloriam propter merita, non ſignificatur merita movere Deum ad actum voluntatis collativæ gloriæ, ſed ſignificatur ſola cauſalitas meritoria meriti in gloriam per modum præmij, quia vt docet D. Thomas, Deus non vult vnum propter aliud, ſed vult vnum eſſe propter aliud; non ergo vult gloriam propter merita; ſed vult gloriam eſſe propter merita, ſivé merita ordinari ad gloriam per modum præmij, & coronæ.

32 Verùm hæc ſolutio difficilis apparet, & præoccupata manet ex dictis. Nam merita nullam cauſalitatem habent in gloriam, niſi movendo voluntatem Dei præmiantis ad conferendam gloriam; ergo vel merita nullam prorſus cauſalitatem habent in gloriam, vel aliquam cauſalitatem exercent meritoriam in voluntatem præmiantis. Secundó. Etiam decretum intentivum gloriæ præcedens merita vult gloriam eſſe propter merita; & tamen non movetur à meritis; ergo ſi nihil aliud habet decretum intentivum, ſatis invtiliter vnum ab alio diſtinguitur, & falsò adſtruunt primum non moveri à meritis, moveri tamen ſecundum: primum eſſe actum liberalitatis, & ſecundum iuſtitiæ.

33 Vtiùs ergo ex doctrina data reſpondeo eas quæſtiones non reddi invtiles, ſed ſemper eſſe neceſſarias, & difficiles, & ab hac quæſtione prorſus independentes. Nam licèt ſola bonitas divina ſit ratio formalis motiva divinæ voluntatis ex parte recti, ſæpè tamen neceſſariò connotat merita, vel demerita creaturæ vt moveat divinam voluntatem ad aliquem actum, vel decretum ponendum; vndè merita concurrunt de connotato, & per modum conditionis neceſſariæ ad actum iuſtitiæ remunerativę; quare merita ſunt vera cauſa moralis in ordine ad gloriam per modum prędmij, & conditio neceſſaria vt bonitas divina moveat divinam voluntatem ad collationem eiuſdem gloriæ. Per quod conſtat in forma ad omnes impugnationes factas. Dum autem prædictę examinantur controverſiæ non oportet expendere. An merita ſint vera cauſa moralis movens in recto voluntatem Dei, an ſolum concurrant de connotato, & per modum conditionis, cum id ad eas controverſias dirimendas invtile appareat.

34 Arguitur ſecundò contra ſecundam concluſionem. In creaturis reperitur quidquid requiritur ad terminandum actum voluntatis divinæ; ergo ſic terminant. Antecedens probatur. Creaturæ non ſolùm ſunt amabiles ratione bonita-

ratis divinæ, ſed etiam ratione bonitatis intrinſecæ, & propriæ; ergo habent quidquid requiritur ad terminandam voluntatem divinam. Conſequentia conſtat. Quia ſi ratione ſui ſunt amabiles, ita debent amari á Deo, cuius amor eſt infinitus amans obiectum omnibus modis, quibus eſt amabile. Antecedens autem probatur. Bonitas eſt ratio terminandi amorem; at creaturæ non ſolùm denominantur bonæ à bonitate Dei, ſed ſunt bonæ propria bonitate intrinſeca; ergo nõ ſolùm ſunt amabiles ratione bonitatis divinæ, ſed etiam ratione propriæ bonitatis intrinſecæ.

35 Secundó. Ita ſe habet bonitas ad voluntatem, ſicut veritas ad intellectum; ſed creaturæ cognoſcuntur à divino intellectu non ſolùm in Deo, & ratione veritatis divinæ, ſed etiam in ſe ipſis, & ratione cognoſcibilitatis propriæ; ergo & ita amantur á divina voluntate; quarê ſi nullum eſt inconveniens creaturas ratione propriæ veritatis terminare divinam cognitionem, nullum poteſt eſſe in eo, quod ratione bonitatis propriæ terminent divinum amorem.

36 Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens. Ratione bonitatis propriæ á creatura, concedo antecedens. A Deo, nego antecedens. Quia etſi bonitas propria creaturæ ſit proportionata reſpectu voluntatis creatæ, non reſpectu Dei, vt dictum eſt. Vel aliter. Sed etiam ratione bonitatis propriæ, vt ratio *quæ* amata, concedo antecedens. Vt ratio *ſub quâ* terminandi amorem. Nego antecedens, nam licèt Deus re ipſa amet creaturas, ratio tamen motiva, & terminativa divini amoris debet eſſe bonitas divina. Quod autem amor Dei ſit infinitus non probat amandas eſſe creaturas modo aliquo imperfecto, & Deo non convenienti, qualis eſſet amor bonitatis creatæ ratione ſui; ſicut quod cognitio Dei ſit infinita non probat, quod ſit cognoſcitiva per diſcurſum. Ad ſecundum iam conſtat idem eſſe dicendum de intellectu, ac voluntate.

37 Inſurges. Non implicat voluntatem divinam terminari primò, & per ſe ád bonitatem creatam; ergo Deo concedendum eſt. Antecedens probatur. Si aliqua ratione implicaret, maximè quia voluntas divina aliqualiter penderet à bonitate creata; ſed hoc non implicat, nam hæc dependentia non eſſet in entitate, ſed in terminatione; at dependentia in terminatione non implicat, nèc imperfectionem probat; ergo nec dependentia tanquam ab obiecto terminativo. Minor probatur. Dependentia illa conſiſtit in eo, quod actus divinæ voluntatis defficeret defficiente creatura; hoc autem non implicat, quoad terminationem, vt patet in actu remunerativo, qui defficeret deſinientibus meritis; ergo deffectus ille quoad terminationem non implicat, nec imperfectionem probat.

38 Urgetur in Omnipotentia, quæ habet pro obiecto primario terminativo creaturas poſsibiles; & tamen hoc non includit imperfectionem Deo repugnantem; ergo nec, quod bonitas creata ſit obiectum primariò terminativum divinæ voluntatis. Maior probatur. Omnipotentia eſt potentia effectiva; at potentia effectiva nullum obiectum poteſt reſpicere primariò niſi factibile; ergo habet pro obiecto primarió creaturas factibiles, aut poſsibiles.

39 Ad primam impugnationem, nego antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens, quia defficiente obiecto ſpecificativo primariò defficit entitas potentiæ, quoniam ab obiecto primariò ſpecificatur, ac in tali ſpecie conſtituitur. Rurſus. Omnis potentia eſt per ſe primò ordinata ad obiectum primarium, quam ordinationem ad creaturam arguit maximam imperfectionem in Deo. Quod autem actio non poſsit eſſe remunerativa ſine meritis probat impotentiam conſequentem, quatenus ita liberè determinavit, vt gloria conſequeretur ex meritis, præterquam quod, hæc non eſt dependentia tanquam ab obiecto ſpecificante, ſed tanquam á conditione, & connotato, vt ſuprà dictum eſt.

40 Ad ſecundum, nego maiorem. Ad probationem, conceſſa maiori, nego ſuppoſitum minoris. Nam potentia effectiva vt talis non reſpicit obiectum, ſed effectum producendum; cauſa autem non pendet ab effectu, ſed effectus á cauſa. Etenim Omnipotentia poteſt conſiderari vt potentia ſpecificabilis in ordine ad obiectum ſpecificativum, & hoc modo non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, nec reſpicit effectum creatum, aut creabile,

bile, ſed verum, & bonum divinum tanquam obiectum primarium: & vt potentia purè effectiva, quo ſenſu reſpicit effectum producendum, non obiectum ſpecificativum.

41 Arguitur tertiò contra tertiam concluſionem. In Deo omnia ſunt vnum vbi non obviat relationis oppoſitio, vt ſæpè repetit N. Anſelmus Opuſc. de Proceſſione Spiritus Sancti; ſed in ratione obiecti ſpecificativi divinæ voluntatis nulla eſt oppoſitio inter eſſentiam, & attributa; cum ſint quid abſolutum, & non relativum; ergo quo pacto ea perfectio convenit eſſentiæ convenire debet attributis. Reſpondeo conceſsis præmiſsis, diſtinguendo conſequens. Convenire debet attributis realiter, concedo conſequentiam; virtualiter, nego conſequentiam. Nam illud axioma Anſelmi procedit in ſenſu reali, aliás ſicut eſſentia eſt prima radix omnium attributorum, ita quodlibet attributum eſſet prima radix omnium attributorum.

42 Arguitur quartò. In Deo coincidit ratio primi principij cum vltimo fine; at non ſola eſſentia, ſed etiam Omnipotentia eſt primum principium; ergo non ſolùm bonitas eſſentiæ, ſed etiam Omnipotentiæ eſt vltimus finis; ſed vltimus finis terminat divinam voluntatem primò, per ſe, & ratione ſui; ergo bonitas Omnipotentiæ eſt obiectum primarium terminativum, & motivum divinæ voluntatis.

43 Reſpondeo Deum eſſe primum principium, & finem vltimum, non tamen ſecundùm eandem rationem; eſt enim primum principium ratione virtutis effectivæ, & vltimus finis ratione infinitæ bonitatis, quarè etſi Omnipotentia ſit virtus proxima effectiva in Deo, non ideò illius bonitas eſt formaliter vltimus finis, ſed ſola bonitas eſſentiæ, in qua radicatur bonitas cuiuslibet attributi.

44 Arguitur vltimò. Id eſt obiectum motivum, & ſpecificativum divinæ voluntatis, quod eſt obiectum charitatis; at non ſola bonitas eſſentiæ eſt obiectum charitatis; ergo non ſola bonitas eſſentiæ, ſed omnium etiam attributorum eſt obiectum ſpecificativum divinæ voluntatis. Minor probatur. Obiectum charitatis debet eſſe ſummum bonum; ſed ſumma bonitas ſita non eſt in ſola bonitate eſſentiæ; eſt enim Deus magis bonus ex bonitate eſſentiæ, & attributorum, quàm ex ſola bonitate eſſentiæ; ergo. Confirmatur. Ea eſt ratio ſpecificativa divinæ voluntatis, quæ poteſt beare appetitum creaturæ rationalis; at hæc non eſt ſola bonitas eſſentiæ, nam ſi ſola bonitas eſſentiæ eſſet ſummum bonum potens beare appetitum creaturæ rationalis, ſi videretur eſſentia divina non viſis attributis, vt poſsibile tuetur Scotus, homo eſſet verè beatus; ſed hoc non admittunt Adverſarij; ergo dicendum eſt non ſolum bonitatem eſſentiæ, ſed vtranque bonitatem eſſentiæ, & attributorum eſſe obiectum ſpecificativum divinæ voluntatis.

45 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Debet eſſe ſummum bonum radicale, concedo maiorem. Attributale, nego maiorem. Nam ſola bonitas de linea naturæ eſt vera ſanctitas conſtituens obiectum congruum divinæ dilectionis, & ita gratia habitualis participans formaliter divinam naturam conſtituit hominem obiectum congruum dilectionis divinæ. Ad probationem nego antecedens, quia non eſt magis bonus Deus addita bonitate attributorum, quàm ex ſola eſſentiæ bonitate, cùm omnis bonitas attributorum contineatur in bonitate eſſentiæ.

46 Ad confirmationem reſpondent aliqui, negando maiorem, quia non eſt eadem ratio de obiecto ſpecificativo, ac de obiecto viſionis beatæ, quoniam viſio beata terminatur ad Deum vt eſt in ſe realiter, cùm ſit cognitio intuitiva, ac ideò attingere debet quidquid eſt in Deo formaliter. Sed clariùs, diſtinguo maiorem. Quæ poteſt beare per modum obiecti primarij, & primæ radicis, concedo maiorem; abſolutè & ſimpliciter, nego maiorem. Nam licèt ſola eſſentia ſit ſummum bonum, non tamen ſine attributis, nedum abſolutis, ſed nec relativis, quanquam hæc nullam ſuperaddant perfectionem eſſentiæ.

DVBIVM V.

An Deus diligat creaturas poſsibiles?

§. I.

1 PROPOSITA Controverſia procedit de creaturis poſſibilibus, ſivè in illo ſtatu manentibus, nam ſi extrahantur à ſtatu poſsibilitatis amantur amore efficaci dante illis exiſtentiam. Prima ergo ſententia docet amari amore quodam inefficaci, quem vocant ſimplicis complacentiæ. Allegari ſolet Scotus, & Caietanus, ſed de eorum mente non ſatis conſtat. Eam docent Vazquez. Ruiz. Alarcon. Herize. Arrubal, & alij, quos citat, & ſequitur P. Aldrete t. 2. in 1. p. q. 10. Inter quos aliqui dictum amorem adſtruunt neceſſarium: Alij verò liberum, vt dubio ſequenti expendemus. Secunda verò, & frequentior omnem amorem negat.

Sententia negativa eligitur, & probatur.

§. II.

2 DICENDUM Creaturas purè poſsibiles nullo pacto amari à Deo. Probatur ex S. Anſelmo lib. de caſu Diaboli, cap. 1. ibi: *Sicut omne bonum eſt à ſummo bono, ita omnis eſſentia eſt à ſumma eſſentia, vndè quoniam ſummum bonum eſt ſumma eſſentia, conſequens eſt, vt omne bonum ſit eſſentia, & omnis eſſentia bona; nihil ergo, & non eſſe, ſicut non eſt eſſentia, ita non eſt bonum*; at creaturæ poſsibiles ſunt nihil, nullum eſſe habent, nihil participant in illo ſtatu à ſummo bono; ergo nullam bonitatem habent amabilem á Deo.

Confirmatur ex D. Thoma ſæpè ſæpiùs eandem tradente doctrinam, & relictis alijs locis, quæ expendunt Doctores in præſenti. Ita docet 1. p. q. 5. art. 2. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod non eſſe non eſt ſecundum ſe appetibile, ſed per accidens, in quantum ſcilicèt ablatio alicuius mali eſt appetibilis; illud igitur, quod eſt per ſe appetibile eſt eſſe.* Et ad 4. ait: *Dicendum, quod vita, & ſapientia, & alia huiuſmodi ſic appetuntur, vt ſunt in actu, vnde in omnibus appetitur quoddam eſſe.* Quarè art. ſequenti docens, quod omne ens, in quantum ens, eſt bonum. Id aſſerit; quia *omne ens, in quantum eſt ens, eſt in actu*; at creaturæ poſsibiles non ſunt ens in actu, non habent aliquod eſſe, ſed ſunt purum nihil; ergo non amantur à Deo.

3 Ex his formatur ratio. Poſsibilia vt talia nullum habent eſſe amabile; ergo amari non poſſunt à Deo. Antecedens probatur. Poſsibilia vt talia nullam habent bonitatem, cum nullam habeant entitatem. Nec ſatis eſt, ſi dicatur habere entitatem, & bonitatem in potentia. Nam bonitas poſsibilis, ſicut eſt in potentia ad eſſe, ita eſt in potentia ad terminandum amorem, & cum nullam bonitatem habeant actu, actu terminare amorem non poſſunt.

4 Si vlteriùs occurrant bonitatem in potentia eſſe ſufficientem ad terminandam actu voluntatem, ſicut veritas in potentia eſt ſufficiens ad terminandum actu intellectum. Contra eſt. Nam intellectus trahit res ad ſe, ideóque poteſt cognoſcere obiectum proùt eſt in cognoſcente, quanquam non ſit in ſe ipſo: attamen voluntas fertur ad res proùt ſunt in ſe ipſis, vnde res, quæ non habent eſſe actu, vel ſaltim ordinem determinatum ad actum, amari non poſſunt, quanquam cognoſci poſsint. Ut patet in impoſsibilibus, quæ non habent eſſe actu, nec in potentia, quæ tamen cognoſcuntur, & non amantur.

5 Tota hæc doctrina deſumpta eſt ex D. Thoma 1. p. q. 19. art. 6. ad 7. *Dicendum, quod actus cognoſcitivæ virtutis eſt ſecundùm quod cognitum eſt in cognoſcente; actus autem virtutis appetitivæ eſt ordinatus ad res ſecũdum quod in ſe ipſis ſunt; quidquid autem poteſt habere rationem entis, & veri, totum eſt virtualiter in*

Deo,

Deo, ſed non totum exiſtit in rebus creatis; & ideò Deus cognoſcit omne verum, non tamen vult omne bonum, niſi inquantum vult ſe, in quo totum bonum virtualiter continetur.

6 Hanc diſparitatem non admittit Moneda eo quod poſsibilia nec habent actu veritatem, nec bonitatem, ſicut nec entitatem, quia veritas non minus eſt proprietas entis, quàm bonitas, quarè vbi nulla eſt entitas, nulla poteſt eſſe veritas: nec prodeſt, quod intellectus ex proprio cognoſcendi modo trahat res ad ſe, nam prius eſt rem eſſe, quàm quod trahi poſsit ab intellectu. Verùm hæc doctrina difficilis apparet, nam poſsibilia eſſe cognoſcibilia non ſolùm in cauſa, ſed in ſe ipſis communiter ſupponunt Theologi, dum inquirunt. An Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam cognoverit omnia poſsibilia; conſtat autem ſcientiam infuſam eſſe cognoſcitivam rerum in ſe ipſis, & per propriam ſpeciem, per hoc enim diſtinguitur à beata, quæ eſt cognoſcitiva in Verbo, ac media eſſentia divina gerente munus ſpeciei. Undé optimè dixit Doct. Angelic. quæſt. 2. de ver. artic. 3. ad 12. *Quamvis cognitio non ſit niſi entis, non tamen oportet, quod illud, quod cognoſcitur, ſit tunc ens in ſui natura, quando cognoſcitur, ſicut enim cognoſcimus diſtantia loco, ita cognoſcimus diſtantia tempore.*

7 Prætereà. Latius patet veritas, quam bonitas, eſt enim bonitas proprietas entis, non tamen abſolutè ſicut veritas, ſed in ſtatu determinato!, & capaci ad terminandum amorem. Nam etiam virtutes ſunt proprietates gratiæ, non tamen omnes eodem modo, & in omni ſtatu, nam charitas eſt proprietas abſolutè ſemper eam concomitans. Fides verò & ſpes, ſolùm in via, & non in patria. Caſtitas in homine, non in Angelis. Lumen gloriæ in patria, non in via; pœnitentia, fides, & ſpes, in cæteris hominibus, non in Chriſto. Denique. Univerſalia cognoſcuntur, & non amantur, quia in eo ſtatu non poſſunt finalizare voluntatem, vt docet expreſsè D. Thom. q. 21. de ver. artic. 5. Ipſa formalis malitia peccati cognoſcitur, & non amatur. Quidquid nocivum eſt naturæ in quantum tale eſt cognoſcibile, & non appetibile; ergo à cognoſcibilitate ad bonitatem, & amorem non optima fit illatio.

8 Dices. Bonitas poſsibilis aliqua bonitas eſt, & ſufficiens vt diſtinguatur actu á bonitate impoſsibili; ergo ſufficiens eſt ad terminandam actu complacentiam Dei. Sed contra. Bonitas purè poſsibilis actu nulla bonitas eſt, nec diſtincta actu poſsitivè à bonitate impoſsibili, ſed tantùm negativè, in quantum capax eſt, vt ponatur in actu, & diſtinguatur poſsitivè. Undè bonitas poſsibilis in eo ſtatu erit quidem intelligibilis, non tamen amabilis ſicut albedo ſi ſeparetur à quantitate erit quidem intelligibilis, non tamen viſibilis.

9 Occurrunt Adverſarij aſſerentes creaturas poſsibiles habere in ſtatu poſsibilitatis aliquod eſſe actuale actualitate eſſentiæ, proindeque ſufficientem bonitatem ad terminandum amorem ſimplicis complacentiæ; quarè de homine poſsibili verificatur actu, quod ſit animal rationale, nam *homo eſt animal rationale*, eſt propoſitio ſempiternæ veritatis præſcindens á tempore determinato; quam entitatem, & bonitatem approbat Godoy in præſenti, quanquam aſſerat eſſe inſufficientem ád terminandum amorem.

10 Sed eſtò nonnulli antiquiores Philoſophi docuerint creaturas poſsibiles habere aliquod eſſe actuale eſſentiæ, id tamen communiter improbatur, & meritò, quoniam ſatis non congruit doctrinæ revelatæ, ex qua conſtat omnia eſſe facta in tempore ex nihilo, vt docet D. Thom. 1.p. q. 61. artic. 2. ibi: *Dicendum, quod ſolus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, eſt ab æterno, hoc eſt, quod fides docet, & omne contrarium, vt hæreticum refutandum eſt, ſic enim Deus creaturas produxit, quod eas ex nihilo fecit, poſtquam nihil fuerant.* Deſumpta eſt hæc doctrina ex Anſelmo noſtro in Monol. cap. 8. dicente: *Præter ſummam eſſentiam, cuncta, quæ ſunt ab eadem, ex nihilo facta ſunt.*

11 Nec video, quo iure dici poſsit creaturam produci ex nihilo, qualiter requiritur ad creationem, ſi ſupponitur eſſentia in actu; nec quo iure poſsit annihilari, ſi á Deo eſſentia huius creaturæ deſtrui non poteſt. Nec vllius eſt momenti, quod additur de propoſitione

ſempiternę veritatis, nam verbum *eſt* in propoſitione eſſentiali non ſignificat aliquam actualitatem, ſed conveniențiam prædicati cum ſubiecto conditionatè, id eſt, quod ſi ponatur in eſſe poni non poteſt niſi cum tali prædicato: vndè hæc propoſitio *homo eſt animal* non ſignificat hominem poſsibilem eſſe actu animal, ſed ſignificat, quod ſi ponatur ſub exiſtentia, neceſſariò ponendus eſt animal.

12 Probatur vlteriùs concluſio. Si Deus amaret creaturas poſsibiles, aut eſſet neceſſariò, aut libere; ſed neutrum dici poteſt; ergo non amat. Probatur minor. Non neceſſariò, quia nulla bonitas finita poteſt neceſsitare Deum ad amorem. Non liberè, quia eactenus eas amaret, quatenus cum bonitate, & Omnipotentia Dei connectuntur; ſed hæc connexio eſt neceſſaria; ergo neceſſariò amaret. Sed de hoc argumento latius dubio ſequenti.

Solvuntur argumenta.

§. III.

13 CÆTERUM Eminent. Aguirre t. 2. diſp. 56. oppoſitam ſententiam ſuadere conatur ex N. Anſelmo in Monol. cap. 14. docente, quod perfectio ſimpliciter ſimplex eſt melior ipſa, quàm non ipſa, ideſt, perfectio pura nulli alteri perfectioni repugnans; ita eſt amor poſsibilium, non enim pugnat cum nolitione, quia cohæret ſimplex complacentia cum nolitione efficaci eas producendi; ergo amor poſsibilium eſt perfectio ſimplex, & pura; ſed omnis perfectio ſimplex, & pura Deo concedenda eſt; ergo & talis amor. Verùm hæc ratio amorem poſsibilium ſupponit, non probat; non enim poteſt eſſe perfectio, nec ſimplex, nec mixta, amare non amabile. Solùm ergo procedit hæc ratio ex ſuppoſitione amoris poſsibilium, ex quo optimè deducitur debere eſſe neceſſarium, vt nos etiam dubio ſequenti dicemus.

14 Arguitur ſecundò ex D. Thoma 1. contra Gent. cap. 84. vbi inquit de Deo: *Qui vult ea, quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona*; ergo Deus vult poſsibilia. Reſpondeo. Solutionem eſſe clariſsimam ex contextu, ibi enim loquitur de amore poſsibilium comparativè ad impoſsibilia, quæ Deus non vult, nec velle poteſt, vndè non loquitur de volitione actuali terminata ad poſsibilia, ſed de potentia volendi ea, quatenus poteſt ea producere; ex quo apertè deducitur non loqui de ſimplici complacentia, quam adſtruunt Adverſarij, ſed de amore efficaci dante rebus exiſtentiam, quam dare poteſt poſsibilibus, non impoſsibilibus.

15 Arguitur tertiò. Creaturæ poſsibiles in eo ſtatu manentes habent aliquam bonitatem, habent enim aliquam entitatem; ergo & bonitatem, quia bonitas eſt paſsio tranſcendentalis entis, & ideò habent veritatem attingibilem ab intellectu; ergo & bonitatem amabilem à voluntate. Secundò. Bonitas nihil aliud eſt, quàm perfectio, & integritas entis, ſed homo in ſtatu poſsibilitatis habet totam ſuam perfectionem, & integritatem convenientem in eo ſtatu, eſt enim animal rationale cum omnibus ſuis proprietatibus, & paſsionibus modo convenienti in eo ſtatu; ergo in eo ſtatu habet bonitatem ſufficientem ad amorem. Tertiò. Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ſed hæc volitio terminatur ad ſalutem dumtaxat poſsibilem, nam ex vi illius voluntatis ſalus omnium, nec redditur exiſtens, nec futura: ergo actus ille voluntatis terminatur ad ſalutem purè poſsibilem; ergo Deus amat purè poſsibilia.

16 Ad argumentum nego antecedens. Quia in eo ſtatu poſsibilitatis nec habent entitatem, nec bonitatem, & licèt aliqua concederetur entitas non eſſet in ſtatu apto ad terminandum amorem. Ad id, quod additur de veritate ex ſuperioribus conſtat. Ad ſecundum conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Habet perfectionem, & integritatem in actu, nego minorem. In potentia, concedo minorem; immò abſolutè non habet, ſed habere poteſt, ſicut & ſuum eſſe, vndè non eſt capax terminandi amorem. Ad tertium reſpondent aliqui, conceſſa maiori, negando minorem, nam voluntas illa generalis Dei reſpicit ſalutem exiſtentem in ſuis cauſis ſufficientibus, nam ex vi illius voluntatis conferuntur homini auxilia ſufficientia, per quæ poteſt homo conſequi ſalutem.

Sed

16 Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum. Inſurges. Deus non ſolùm vult hominem poſſe conſequi ſalutem, ſed vult quantum eſt ex ſe omnium ſalutem; ergo non ſolùm vult potentiam conſequendi ſalutem, ſed complacet in ipſa ſalute omnium hominum; at hæc ſalus eſt purè poſsibilis; ergo datur in Deo ſimplex complacentia erga poſsibilia. Præterea. Illa voluntas Dei eſt generalis, & inefficax; ergo vt talis non terminatur ad auxilia ſufficientia, per quæ homo ſalutem conſequi poteſt, quoniam in ordine ad auxilia ſufficientia eſt voluntas efficax, ac ſortitur effectum; ergo vt inefficax ordinatur ad ipſam ſalutem omnium; at hæc eſt dumtaxàt poſsibilis; ergo terminatur aliquis actus Dei ad poſsibilia.

17 Reſpondeo igitur ad tertiam impugnationem, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Non redditur futura abſolutè, & ſimpliciter, concedo antecedens. Affectivè, & conditionatè, nego antecedens. Nam Deus non vult hominibus poſsibilitatem ſalutis, ſed vult homines rè ipſa conſequi ſalutem ex motu proprio, & ex ſuæ miſericordiæ affectu, alioquin talis actus non eſſet liber, quamquam rè ipſa ſalutem non conſequentur: tùm ex inefficacia ex parte actus: tùm ex impedimento ex parte creaturæ, quarè ſalus omnium reſpicitur vt futura conditionatè. Sed de hoc argumento operoſius agendum toto Tractatu Tertio.

18 Inſurgit Card. de Aguirre. Hæc ſalus vt conditionatè futura, nec eſt exiſtens, nec vnquam extitura; ergo Deus amare poteſt, quod nec exiſtit, nec vnquam extiturum eſt; ergo & purè poſsibilia. Secundò. Deus etiam amat ſalutem eorum, qui in vtero matris obierunt; & eorum, qui nati ſunt inter Barbaros, vbi nulla eſt copia baptiſmi, nullaque auxilia ſufficientia in infantili ætate. Ad primum dico, Deum amare, quod nec exiſtit, nec vnquam extiturum eſt abſolutè, ſed affectivè, & conditionatè, quod ſatis eſt vt amor non terminetur ad purè poſsibilia; quæ doctrina meo iudicio negari non poteſt à ſententia oppoſita, in qua amor poſsibilium eſt neceſſarius; & tamen voluntas illa, qua Deus vult omnium ſalutem eſt Deo libera; ergo non tendit in puram poſsibilitatem, ſed exiſtentiam ſaltim conditionatam. Ad ſecundum dico, Deum omnibus conferre auxilia ſufficientia ſaltim remota, vt fatetur idē Card. Aguirre loco citato à diſp. 134.

19 Dices. Salus tantùm poſsibilis potens eſt ad terminandum aliquem actum voluntatis, nempè deſiderij; ergo & ad terminandum actum ſimplicis complacentiæ in Deo. Anteced. prob. ex communi opinione tract. de Spē, vbi dicitur hominem, cui facta eſſet revelatio de ſua reprobatione, non poſſe ſperare ſalutem, eo quod reſpicit obiectum futurum, poſſet tamen eam deſiderare, quia deſiderium fertur in ſalutem dumtaxàt vt ſpeculativè poſsibilem; ergo ſalus vt poſsibilis poteſt terminare actum deſiderij.

20 Reſpondeo, diſtinguendo anteced. Salus poſsibilis materialiter, ſivè ex parte obiecti materialis, concedo antecedens. Formaliter, ſivè ex parte motivi deſiderij, nego antecedens. Aliud namque eſt, quod obiectum deſideratum ſit tantùm poſsibile, vt dicebamus de ſalute omnium hominum; & aliud quod motivum deſiderij ſit poſsibilitas; ſivè quod deſiderium terminetur in rem vt poſsibilem: obiectum deſideratum poteſt eſſe poſsibile; attamen non deſideratur vt poſsibile, ſed vt exiſtens, ſivè vt exiſtat, quia nemo deſiderat poſsibilitatem ſalutis, ſed exiſtentiam; quarè licet ſalus illius hominis facta revelatione non ſit extitura, nihilominus ex affectu, & deſiderio reſpicitur vt extitura.

21 Replicabis. Si hoc ita eſſet, facta revelatione reprobationis homo ille poſſet ſalutem ſperare. Et probatur. Quamquā deſiderium tendat in rem extituram, ſalus nullo pacto extitura poteſt deſiderari, vt dictum eſt; ergo quanquam ſpes tendat in rem futuram, ſalus nullo pacto futura poteſt pati titulo ſperari. Sed nego ſequelā. Ratio diſparitatis eſt, quod ad ſpem requiritur futuritio, vel in re, vel ſaltim in apprehenſione, quæ facta revelatione repugnat: ad deſiderium verò nec requiritur exiſtentia in re, nec in apprehenſione, ſed in affectu, qui affectus manere poteſt, quanquam ſalus ex ſuppoſitione ſit impoſsibilis; quarè ea ſalus poteſt deſiderari, non ſperari: Deus autem non habet affectum vt purè poſsibilia exiſtant, aliàs non reſpiceret ea vt merè poſsibilia; ergo nequit tendere ſimplici complacentia in purè poſsibilia.

22 Arguitur quartò. Non implicat voluntatem amare impoſsibilia; ergo multò minus poſsibilia. Antecedens probatur. Homo ſæpè delectatur de re ficta, & impoſsibili; v.gr. de fabulis, & fictionibus; ſæpe appetit ſe eſſe immortalem, eſſe Angelum, & alia huiuſmodi prorſus impoſsibilia; ac Lucifer appetijt ſimilitudinem Dei; ergo impoſsibilia amari poſſunt. Reſpondet Anſelmus, de caſu Diaboli c.4. Luciferum non ita fuiſſe obtuſæ mentis, vt appeteret eſſe Deum, cum id cognoſceret prorſus impoſsibile: Rurſus. Talis appetitus non eſt ſimplex complacentia, ſed deſiderium efficax, vnde ſententiæ oppoſitę non favet. Denique. Si amari poſſunt impoſsibilia; ergo inutilis eſt recurſus ſententiæ contrariæ ad bonitatem poſsibilem, vt ſimplicem complacentiam probent.

23 Undé reſpondeo, quod in rem abſolutè, & ſimpliciter impoſsibilem non fertur amor; dum autem delectatur homo de re impoſsibili, & ficta, delectatur ſub ea qualicumque exiſtentia, qua apprehenditur, & proponitur, quare res impoſsibilis ſe habet tanquam obiectum materiale, non tanquam motivum delectationis: imò ſæpè delectatur homo, non de re impoſsibili, & ficta, ſed de artificioſa fictione, quæ eſt exiſtens.

24 Arguitur quintò. Deus amat ſuam Omnipotentiam; ergo & poſsibilia cum Omnipotentia connexa. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Implicat amor Omnipotentiæ ſine amore illius, quod requiritur ad eius exiſtentiam; at poſsibilia requiruntur ad exiſtentiam Omnipotentiæ; ergo implicat amor Omnipotentiæ ſine amore poſsibilium. Secundò. Amor Dei eſt comprehenſivus; ergo non ſolùm amat Omnipotentiam, ſed quidquid cum ipſa connectitur. Patet conſequentia â paritate ſcientiæ Dei, quæ quia comprehenſiva, non ſolùm cognoſcit verum divinum, ſed quidquid cum veritate divina connectitur.

25 Reſpondeo hoc argumentum, in quo maximè fidit ſententia oppoſita, ſolvendum eſſe ab omnibus adſtruentibus amorem liberum, cum argumentum probet amorem neceſſarium. Ulteriùs dico ex amore comprehenſivo Omnipotentiæ probari amorem obiecti connexi, ſi ſit bonum, & amabile, non tamen ſi nec bonum, nec amabile ſit, vt patet exemplis §. antecedenti allegatis: vndè nihil vrget exemplum ſcientię, quia quidquid connectitur cum veritate divina eſt cognoſcibile, non tamen omne connexum cum Omnipotentia eſt amabile.

26 Contra hanc ſolutionem opponit Card. Aguirre. Poſsibilitas creaturarum eſt Omnipotentiæ conveniens, nam earum impoſsibilitas eſt diſconveniens, cum ex earum impoſsibilitate ſequeretur á poſteriori deſtructio Omnipotentiæ; ergo poſsibilitas creaturarum eſt Omnipotentiæ bona; ergo amabilis. Reſpondeo, etiam poſsibilitatem peccati eſſe cum Omnipotentia connexam, & ex illius repugnantia ſequeretur deſtructio Omnipotentiæ, cùm tamen Deus peccatū poſsibile nō amet. Si peccatum permittitur ex præintenta pœnitentia, pœnitentia ſic præintenta connectitur neceſſariò cum peccato, cûm tamen ex intentione pœnitentiæ non probetur amor peccati. Urgeri etiã poſſet in Incarnatione connexa cum peccato Adæ. In materiale peccati connexo cum malitia. In ipſa Omnipotentia vt permiſſiva, & vt punitiva peccati, quo ſenſu connectitur cum peccato.

27 Reſpondet idem Author peccatum poſsibile connecti cum Omnipotentia tantum remotè, creaturas verò immediatè, & proximè: Omnipotentiam autem permiſsivam peccati non connecti cum peccato veluti cauſam cum effectu, ſed veluti cum malo ipſi repugnante, cuius vitationem amat. Sed hoc nihil prodeſt, nam ſive connexio ſit mediata, ſivè immediata, ſivè cauſæ cum effectu, ſivè quocumque alio modo, ſemper verificatur talis connexio, vt ex repugnantia talis termini ſequeretur à poſteriori deſtructio Omnipotentiæ; ergo poſsibilitas peccati eſt conveniens Omnipotentiæ; & tamen non eſt bona, nec amabilis: Hoc autem ideò eſt, quia non connectitur vt bonum, & amabile, ſed vt permiſsibile; ſicut connectitur cum pœnitentia, cum incarnatione, & alijs, non vt vtile, & amatum, vel amandum, ſed vt materia deſtruenda.

28 Replicabis. Eſtò ex duobus connexis poſsit Deus vnum amare, & aliud non amare, attamen implicat

Deum

Deum vnum amare, & aliud no velle aliquo actu ſuæ volũtatis ſaltim permiſsivo, vt patet in exemplis allegatis; ergo implicat Deum amare ſuam omnipotentiam, & non velle aliquo actu ſuæ voluntatis poſsibilia; at hic eſſe non poteſt, niſi ſimplex complacentia; ergo. Secundò. Non cohæret Deum amare omnipotentiam connexam cum poſsibilibus, & non velle poſsibilia eſſe poſsibilia, ſive non eſſe impoſsibilia; vult ergo Deus poſsibilia eſſe poſsibilia. Tertiò. Poſsibilia terminant actus nolitionis divinæ, quia Deus vult ea non eſſe; ergo & actum volitionis; patet conſequentia, quia nolle poſsibilia exiſtere eſt velle exiſtere. Quartò. Obiectum voluntatis eſt bonum in communi; ſed bonum in communi non concernit exiſtentiam; ergo vt bonum terminet voluntatem Dei non requirit exiſtentiam; ergo etſi poſsibilia nullam importent actualitatem terminare poterunt actum voluntatis divinæ.

29 Ad primum dico ex amore omnipotentiæ ſequi amorem poſsibilium in ipſa omnipotentia, non in ſe ipſis, quia primo, & non ſecundo modo habent eſſe, & bonitatem terminativam voluntatis divinæ. Ad ſecundum, diſtinguo antecedens: & non velle poſsibilia eſſe poſsibilia negativé, concedo antecedens. Poſsitivé, nego antecedens; hoc eſt, velle non poteſt poſsibilia eſſe impoſsibilia, nequit tamen habere actum poſsitivum, quo velit poſsibilia eſſe poſsibilia, id enim non pendet ex voluntate Dei, ſed habent ex ſua intrinſeca natura. Ad tertium, diſtinguo antecedens. Terminant actum nolitionis vt poſsibilia, nego antecedens. Ut important carentiam exiſtentiæ, concedo antecedens; vnde actus ille non terminatur ad poſsibilitatem, ſed ad exiſtentiam non futuram. Ad quartum, diſtinguo maiorem. Eſt bonum in communi communitate concurrente per modum conditionis ad amorem, concedo maiorem; per modum obiecti amati, aut motivi ad amandum, nego maiorem; nam voluntas non amat bonum in communi, ſed bonum particulare, licèt non ſub ratione particulari, ſed vt præſcindibile, aut præciſum à conditionibus individualibus. Quæ ratio magis vrget in voluntate divina, cuius intellectus non format eas præciſsiones obiectivas, eiuſque voluntas amat creaturas determinatè ſub ratione bonitatis divinæ, vt dubio antecedenti dictum eſt.

DVBIVM VI.

An poſito amore creaturarum poſsibilium in Deo amor ille eſſet neceſſarius, aut liber?

§. I.

1 DICTUM Eſt dubio antecedenti Deum non amare creaturas poſsibiles, quia amor ille nec poſſet eſſe neceſſarius, nec liber. Sed quia Authores adſtruentes in Deo amorem ſimplicis complacentiæ dividuntur inter ſe, ideò examinandum ſupereſt, quidquid probabilius dicendum caſu, quo creaturæ poſsibiles ſupponantur amabiles, ac re ipſa terminent amorem ſimplicis complacentiæ? Amor poteſt eſſe neceſſarius quoad ſpecificationem, & quad exercitium; Deus amat neceſſariò quoad ſpecificationem, quando ita amat, vt non poſsit odio habere, ſi velit operari. Amat verò neceſſariò quoad exercitium, quatenùs ipſum amorem exercitum omittere non poteſt.

2 Prima igitur ſententia affirmat Deum amare creaturas poſsibiles affectu ſimplicis complacentiæ, non tamen neceſſariò, ſed liberè ſaltim quoad exercitium. Ita Molina, Bañez, Valencia, Zumel, apud Maſtrium in præſenti diſp. 4. quæſt. 1. & adde Gonçalez, Franciſcum de Lugo, Alderete, Izquierdo, & alios. Secunda diſtinguit inter creaturas poſsibiles vt connexas cum omnipotentia, & poſsibilia in ſe ipſis ſeclusa connexione cum omnipotentia: primo modo docet amari neceſſariò: ſecundo liberè. Ita Lezana, tract. 4. diſp. 4. quæſt. 6. Tertia docet amari neceſſariò affectu ſimplicis complacentiæ ſimpliciter talis, & liberè affectu complacentiæ ſecundum quid. Ita Aliqui, quos ſupreſſo nomine citat Herize in præſenti tract. 2. diſp. 18. n. 7. Quarta docet amorem

illum

illum eſſe neceſſarium, tàm quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium. Ita frequentius cæteri Theologi. Sed quanquàm præcipuè tribuatur Scoto, nihilominus Maſtrius loco citato de illius mente dubitat, & allegat nunnulla Subtilis Doctoris teſtimonia, in quibus expreſsè oppoſitum affirmat; vndè hic Author neceſsitatem ſe tueri affirmat, non quia ſit expreſſa Scoti ſententia, ſed quia eſt communis opinio.

Sententia affirmativa eligitur, & probatur.

§. II.

3 DIcendum. Si creaturæ poſsibiles ſunt in ſe ipſis amabiles, amantur à Deo amore neceſſario, & non libero. Probat hanc concluſionem ratio ſupra facta ex Sancto Anſelmo docente, quod perfectio ſimplex, pura, ac nulla imperfectione admixta eſt melior ipſa, quã nõ ipſa, ideſt quã aliud incompoſsile cum ipſa; ſed amor creaturarum poſsibilium (ſi ſemel ſupponantur amabiles) eſt melior ipſe, quàm non ipſe, & quàm aliud incompoſsibile cum ipſo; ergo talis amor eſt perfectio ſimplex, & pura, ac nulla imperfectione admixta; at ſimilis perfectio neceſſariò ponenda eſt in Deo; ergo ſuppoſita amabilitate poſsibilium amor illorum neceſſariò ponendus eſt in Deo.

4 Dices amorem neceſſarium creaturarum poſsibilium eſſe incompoſsibilem cum altiori perfectione, nimirùm cum libertate. Sed contra. Libertas Dei non explicatur in ordine ad poſsibilitatem, ſed in ordine ad exiſtentiam, nam eorum poſsibilitas eſt neceſſaria; at poſita neceſsitate amoris erga poſsibilia, adhuc manet integra libertas Dei ad exiſtentiam; ergo amor ille neceſſarius non eſt incompoſsibilis cum altera perfectione. Secundò. Sine præiudicio divinæ perfectionis Verbum Divinum procedit neceſſariò ex cognitione poſsibilium, quia ſupponuntur cognoſcibilia; ergo ſine præiudicio divinæ perfectionis Spiritus Sanctus procedet ex amore omnium poſsibilium, ſi ipſa ſunt amabilia; ſed ſi Spiritus Sanctus procedit neceſſariò ex amore omnium poſsibilium, talis amor eſt neceſſarius; ergo.

5 Tertiò. In ſententia, quam ſupponimus creaturæ poſsibiles ita ſunt amabiles, ſicut & cognoſcibiles; ſed ſunt cognoſcibiles neceſſariò, taliſque cognitio eſt perfectio ſimplex, & neceſſaria in Deo; ergo ſunt neceſſariò amabiles, taliſque amor eſt perfectio ſimplex, & neceſſaria in Deo. Quartò. Amor ille antecedit omne decretum liberum voluntatis; ergo eſt neceſſarius, & non liber. Antecedens probatur. Eorum amabilitas antecedit omne decretum liberum voluntatis; ergo eorum amor antecedit omne decretum liberum voluntatis; vt patet in cognitione, quæ antecedit omne decretum liberum voluntatis, eo quod eorum cognoſcibilitas ita antecedit; & in amore exiſtentium, qui ſubſequitur ad decretum liberum voluntatis, eo quod eorum amabilitas, ſicut & exiſtentia, ad decretum liberum divinæ voluntatis ſubſequitur.

6 Roboratur hæc ratio. Si amarentur liberè poſſet Deus tranſire de amante in non amantem poſsibilium; ſed hoc repugnat. Et probatur. Implicat tranſitus de amante in non amantem ſine aliqua mutatione, vel ex parte Dei, vel ex parte obiecti, vt patet in tranſitu de non creante in creantem, vbi datur mutatio ex parte creaturæ: in tranſitu de non diligente peccatorem in diligentem illius infundendo gratiam, ac ideò cum illius mutatione; ſed in præſenti repugnat mutatio ex parte Dei, quia Deus eſt immutabilis: item. Ex parte poſsibilium, quia poſsibilitas creaturarum eſt immutabilis, indefectibilis, & neceſſaria; ergo repugnat ille tranſitus, & conſequenter amorem eſſe liberum.

7 Confirmatur. Deus neceſſariò amat ſuam omnipotentiam; ergo & quidquid neceſſariò cum illa connectitur ſi aliundè eſt amabile; ergo ſi poſsibilia ſunt amabilia implicat amor omnipotentiæ ſine amore poſsibilium. Et ita reintegrari poſſunt omnia argumenta dubij antecedentis, quæ licèt non ſuppoſita eorum amabilitate non vrgeant, ea tamen ſuppoſita efficaciter convincunt.

8 Hæc vltima ratio non placet Maſ-

trio, eo quod omnipotentia non ita connectitur cum possibilibus, vt illis repugnantibus repugnaret omnipotentia, aliàs omnipotentia Dei penderet à creaturis, quod dici non potest. Secundò. Maior est necessitas Dei, quàm creaturarum possibilium; at maior necessitas non pendet á minori; ergo ex amore omnipotentiæ non infertur necessarius amor possibilium: etenim si repugnantibus possibilibus repugnaret pariter omnipotentia, possibilia essent æquè necessaria, ac omnipotentia, quod dici non potest, cum necessitas omnipotentiæ sit summa, non necessitas creaturarum.

9 Verùm hæc nihil vrgent. Non primum. Nam connexio non probat dependentiam, quoniam in sententia eiusdem Authoris datur necessaria connexio, quanquam non sit summa; & tamen nulla datur dependentia. Secundó. Nulla maior connexio, quàm quæ datur inter relativa, sive inter Patrem, & Filium; & tamen Pater non pendet á Filio, nec é contra. Scientia simplicis intelligentiæ connectitur cum ipsis possibilibus; sicut & scientia visionis cum futuris, quod nullam probat dependentiam; ergo nec connexio omnipotentiæ cum possibilibus, præsertim cum hæc connexio non sit ad recipiendam perfectionem, sed ad perfectionem communicandam, vndè est ad terminum, qui pendet ab omnipotentia vt sit, non ad terminum, à quo pendeat omnipotentia, vt ab ipso aliquam perfectionem mutuetur. Vel si placet, dic omnipotentiam pendere à creaturis tanquam à recipientibus, non tanquàm à dantibus; sicut dives pendet à paupere, vt ei eleèmosynam largiatur, quæ est dependentia grammaticalis, non philosophica.

10 Ad secundum dico tàm necessariam esse possibilitatem possibilium, quàm existentiam Dei, logicè, & obiectivè, quia est essentialis, essentia autem non suscipit magis, & minus; licèt materialiter, & ex parte subiecti tantùm distet, quantùm distat creatura à Deo: non enim minus componunt numerum tres lapilli, quàm tres Angeli, quanquam ex parte subiecti tantùm distet primus numerus à secundo, quantum distant lapilli ab Angelis. Nec ideò necessitas est summa in possibilibus, quia est necessitas præcisè quoad connexionem obiectivam prædicatorum essentialium, non physicam, quoad existentiam, quod è contra in omnipotentia contingit.

(†)

Solvuntur oppositæ sententiæ argumenta.

§. III.

11 ARGVITUR Primò. Nulla bonitas finita, & limitata potest necessitare Deum ad amorem; at bonitas creaturarum possibilium est finita, & limitata; ergo necessitare non potest Deum ad amorem; ergo non amantur necessariò, sed liberè. Maior probatur. Nam voluntas Dei à solo bono infinito potest satiari; ergo à solo bono infinito potest necessitari. Confirmatur. Creaturæ possibiles non minus sunt producibiles, quàm amabiles; at non ideò producuntur necessariò; ergo non amantur necessariò.

12 Ad argumentum, distinguo maiorem. Ad amorem efficacem, & productivum, concedo maiorem. Ad amorem simplicis complacentiæ, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, cuius ratio constat ex dictis. Vel aliter, distinguo maiorem. Nulla bonitas finita ex titulo bonitatis finitæ, concedo maiorem. Ex connexione cum bono infinito, nego maiorem, nam licet bonum finitum ex se necessitare non possit Deum ad amorem, si tamen necessariò connectatur cum bono infinito implicat amari primariò bonum infinitum, & amorem comprehensivum Dei non extendi secundariò ad bonum finitum, cuius etiam ratio ex superioribus constat.

13 Ad confirmationem concessis præmissis, distinguo consequens; ergo non amantur necessariò amore efficaci dante illis existentiam, concedo consequentiam. Amore simplicis complacentiæ, nego consequentiam, quia sicut in possibilibus nihil est, quod exigat necessariò productionem, pariter nihil est, quod exigat necessariò amorem, vel actum voluntatis decernentem productionem: attamen cum supponantur intrin-

trinſecè bona, & aliundè connectantur cum omnipotentia, neceſſariò terminant ſimplicem complacentiam.

14 Arguitur ſecundò. Ex connexione cum omnipotentia non probatur neceſsitas amoris; ergo nullo titulo poſſibilia amantur á Deo. Antecedens probatur. Si ex connexione cum omnipotentia probaretur amor poſsibilium, probaretur non ſolùm amor ſimplicis complacentiæ, ſed amor efficax, & effectivus; nam ſi connexio cum poſsibilibus probat amari poſsibilia neceſſariò, probat amari quantum amabilia ſunt, quia Deus amat omnipotentiam quantùm amabilis eſt; ſed poſsibilia ſunt amabilia amore efficaci, & effectivo dante exiſtentiam; ergo ſic amari debent, ſi ex connexione cum omnipotentia probatur neceſſarius amor.

15 Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem, quantum amabilia ſunt in eo ſtatu, & ordine, concedo maiorem. In alio ſtatu, & ordine, nego maiorem. Vel alitèr. Quantùm amabilia amore affectivo, nego maiorem. Simplicis complacentiæ, concedo maiorem. Nam ex connexione poſsibilium cum omnipotentia ſolùm probatur amor eorum, quantùm neceſſaria ſunt ad exiſtentiam, & permanentiam omnipotentiæ, ad quam non requiritur exiſtentia poſsibilium, ſed ſatis eſt poſsibilitas.

16 Arguitur tertiò. Voluntas divina per ordinem ad obiectum ad extrà eſt omnino libera; ſed poſsibilia ſunt obiectum ad extra; ergo per ordinem ad illa eſt omninó libera; ergo non amat illa neceſſarió. Confirmatur. Noſtra voluntas non amat neceſſarió poſsibilia, quanquam ſupponantur bona, & amabilia; ergo multó minus voluntas divina, quæ eſt magis libera, quàm creata.

17 Ad argumentum iam conſtat, nimirùm voluntatem divinam eſſe omninó liberam quoad amorem efficacem, non tamen quoad amorem ſimplicis complacentiæ, ſi poſsibilia ſupponantur bona amabilia. Vel aliter. Eſt omninò libera titulo boni ad extra, concedo. Titulo connexionis cum bono ad intra, nego. Ad confirmationem dico voluntatem creatam amare actu realitèr diſtincto, ac ideò poſſe omnem actum ſuſpendere; immó & odio habere bonum, quæ omnia è contra contingunt in Deo; vndè non eſt ſimile.



TRAC-

TRACTATUS II.

DE DIUINA LIBERTATE.

NIHIL Diuina libertate clarius, nihil expositione obscurius; libertas indifferentiam exposcit, ac mutabilitatem præ se ferre convinci videtur, sed immutabilitas Dei mutabilitatem non patitur, vndè vtramque perfectionem amico fœdere copulare, hic opus, hic labor est; in eo insudant Theologi, sed impugnatis alijs dicendi modis, tandem in eadem impingunt salebra, ac nihil certi definiri posse plures ingenuè fatentur.

DVBIVM I.

Vtrùm in Deo ponenda sit libertas, eaque non solùm ad producendum, sed etiam ad volendum?

§. I.

1 CONTROVERSIAM Aggredimur, in qua non minus facilis apparet impugnatio, quàm difficilis definitio: immutabilitatem Dei credimus, libertatem Dei constanter fatemur, vtrumque facilè evincitur, sed cohærentiam vtriusque perfectionis mortalium mentibus ita inaccessa probatur, vt eam aliqui censeant prorsus incomprehensibilem; alij infallibilem, ac Trinitatis arcano simillimam; alij mysterium nostrę Religionis solis Beatorum mentibus manifestum iudicent.

2 Difficultate pressi antiquiores Philosophi Deo libertatem negarunt, ac dixerunt Deum omnia operari ex necessitate naturæ. Subscribunt Novatores Hæretici, Vbicleph, Abailardus, Bucerus, & Calvinus, vt refert Belarminus lib. 3. de gratia, & lib. arbitrio, cap. 15. & 16. Sed Vorstius Calvinista ita libertatem adstruit, vt immutabilitatem destruat asserens decreta libera Dei esse accidentia à substantia Dei distincta, vt tradit Becano de voluntate Dei, quæst. 4. & 6.

3 Ex Catholicis Aureolus opinatur nullam voluntatem efficacem liberam esse in Deo, nec in ordine ad se, nec in ordine ad creaturas, solamque simplicem complacentiam agnoscit: attamen non ideò negat libertatem, sed ait sitam

non

non eſſe in volendo, aut nolendo, ſed in producendo, aut non producendo; quare ponit productionem manare immediate à voluntate, quin præcedat aliquis eiuſdem voluntatis actus, quo decernat, vel non decernat productionem, vndé voluntas denominatur libera ex dominio, & indifferentia, non ad volendum, vel nolendum, ſed ad operandum, vel non operandum ad extra; hanc autem operationem ad extra docet non eſſe perfectionem intrinſecam, ſed extrinſecam Deo, ac proinde ſive adſit, ſive abſit, nullam probat mutabilitatem in Deo.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

4 DICENDUM Primò in Deo ponendam eſſe libertatem, tàm ex parte potentiæ, quàm ex parte actus. Eſt fide Catholica certa, eamque pluribus firmavi t. 1. in S. Anſelmum tract. 2. dub. 1. & apertiſsimè conſtat ex Sacra Pagina, præſertim ex Apoſt. ad Epheſ. 1. vbi de Deo ait: *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, vbi autem adeſt conſilium, ibi & libertas. Et ad Cor. 12. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult.* Ex illo Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Poterat ergo Pater mittere duodecim legiones Angelorum, quas non miſsit. Ex Pſalmo 134. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.* Exod. 33. *Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.*

5 Et ratio ipſa ſuadet. Nam operari cum libertate eſt maxima perfectio; hæc autem Deo negari non debet; ergo illi concedenda. Maior conſtat: tùm ex dictis tract. antecedenti, dub. 1. ex noſtro Anſelmo definiente perfectionem ſimplicem, & puram per hoc quod *ſit melior ipſa, quàm non ipſa*, ac propterea Deo concedenda; hæc autem definitio propriè convenit libertati, vt ibi oſtenſum eſt: tùm quia operari ex libertate ideò conceditur intellectualibus creaturis, quia cæteras creaturas excedunt in perfectione; perfectius namque eſt operari cum dominio ſui actus, quàm ex impulſu naturæ, & ſine dominio. Minor probatur. Neganda non eſt Deo perfectio, quæ creaturis conceditur; ſed libertas conceditur creaturæ intellectuali; ergo & Deo: qua ratione dixit Parens Bernardus, ſerm. 81 in Cantica: *Arbitrij libertas hæc eſt planè diuinum quoddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro.*

6 Secundò. Agens ex fine ſibi præfixo non operatur ex neceſsitate naturæ, ſed cum poteſtate agendi, & non agendi; at Deus operatur ex fine ſibi præfixo, cum ſit agens ſummè intellectuale, & primum; ergo non operatur ex neceſsitate, ſed cum poteſtate agendi, & non agendi hoc, vel aliud. Tertiò. Poteſt Deus facere alia, quàm quæ fecit, eſt enim Omnipotens, nec facta ſunt omnia, quæ poteſt facere, immò plura nunquàm faciet, nam *ſi in Bethſaida, & Coroſain facta fuiſſent, quæ facta ſunt in Tyro, & Sydone, pœnitentiam egiſſent, & credidiſſent.* Matth. 11. 21. quæ pœnitentia nec facta eſt, nec futura eſt. Quartò. Etſi voluntas Dei tendat in bonitatem ſuam tanquam in finem, non tamen tendit neceſſariò in media, ſine quibus finis haberi poteſt; at bonitatem ſuam habere poteſt, & habet, ac perfectiſsimè poſsidet quin aliquid ad extra producat; ergo nullo iure compellitur ad producendum aliquid ad extra. Alia vide loco citato ex t. 1.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

7 DICENDUM Secundò Deum non ſolùm eſſe liberum in producendo, vel non producendo, ſed præcipuè in volendo, & nolendo, ſive creaturarum productionem decernendo. Clariſsimè conſtat ex pluribus Sacræ Paginæ teſtimonijs. Et primò ex illo Pſalmi 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis;* fecit ergo quia voluit; ergo eſt liber in

volendo. Ex Apoſtolo ad Eph. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: quæ omnia exponens Anſelmus in præſenti opuſc. de volunt. Dei, c. 2. inquit: *Voluntas Dei accipitur aliquando in Scripturis æquipollens omnipotenti ſuæ præſcientiæ, & ordinationi ſagaciter omnia diſponenti*; *vndè dicitur Pſalmo* 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*: *Hoc eſt, quidquid Deus ab æterno facturum ſe ordinavit, nihil inexpletum reliquit*; ergo in tempore Deus opere explevit quæcumque ab æterno ſua voluntate facienda decrevit; non ergo ſola operatio temporalis eſt libera, ſed etiam & potiori titulo decretum æternum talia operandi in tempore: eaque propter ſententiam Aureoli improbant cæteri Authores, alij vt temerariam: alij vt erroneam: alij vt fidei principijs parum conſonam.

8 Confirmatur. Quæcumque fiunt in tempore, vel Deus ab æterno voluit ea in tempore fieri, vel noluit? Si noluit; ergo facta ſunt nolente Deo, ac proinde nec concurrente, vndè non erit liber in temporali productione. Si voluit. Ergo cum ab æterno creaturas non produxerit, conſequens eſt, vt ſit liber non ſolùm in productione temporali, ſed in actu voluntatis poſito ab æterno.

9 Reſpondet Deum denominari liberè volentem, quatenùs liberè producit potens non producere, quin propterea neceſſarius ſit alius actus voluntatis antecedens productionem: vndè teſtimonia Scripturæ interpretatur de actu externo, & exercito, non de interno voluntatis. Hanc doctrinam probare videtur Parens Anſelmus in hoc libro de volunt. Dei, c. 1. vbi ait: *Humana ratio ex rebus colligit effectum voluntatis Dei ſecundùm occultam iuſtitiam, vel ſecundùm miſericordiam, vel ſecundùm iræ ſuæ vindictam. Voluntatem igitur Dei appellamus quidquid in nobis ipſis miſericorditer operatur revocando nos ab errore, vel piè conformando iuſtitiæ. Voluntas Dei eſt (vt breviter dicam) quidquid fit, vel fieri invenitur in creaturis*; ergo actus denominans voluntatem Dei eſt id, quod fit in creaturis; ergo actio operativa ad extra eſt actus voluntatis divinæ ipſam denominans operativam, & liberam.

10 Sed hæc ſolutio verba Sacræ Scripturæ, & authoritatem Anielmi in ſenium prorſus alienum, & violentum detorquet; eamque improbat Apoſt. ad Eph. 1. ibi. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*; ergo electio prædeſtinatorum ad gloriam fuit ab æterno; at non fuit ab æterno prædeſtinatio externa, & exercita; ergo fuit ab æterno aliquis actus internus voluntatis, quo voluit gloriam conſequendam in tempore. Secundò. Obſtat contra prædictam ſolutionem illud Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*; at dilectio eſt actus internus voluntatis, & charitatis; ergo Deus denominandus eſt liberè diligens ab actu interno ſuæ voluntatis. Tertiò obſtat illud Pſalmi 17. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*; ergo non ſolùm in operatione ſalutis, ſed in actu voluntatis, quo ſalutem voluit, eſt Deus maximè liber.

11 Denique. Nulla poteſt eſſe libertas in potentia operativa ſine libertate voluntatis; ergo vel hæc admittenda, vel illa reſpuenda. Antecedens probatur. Voluntas eſt prima radix totius libertatis, & vbi voluntas, ibi libertas; nec aliæ potentiæ creaturæ rationalis denominantur liberæ, niſi libertate voluntatis; ergo ſi voluntas Dei non eſt in propria linea, & in proprijs actibus libera, nulla poteſt eſſe libertas in potentia operativa. Ad id, quod additur ex Anſelm dico re vera voluntatem Dei eſſe quidquid in nobis miſericorditer operatur; non quia operatio ſit exercitium immediatum voluntatis, ſed quia à voluntate Dei manat quidquid in creaturis fit, aut fieri invenitur.

12 Adhuc reſpondet Aureolus omnia præiacta convincere in libertate propria, & ſtricta, non in libertate impropria, & metaphorica, de qua libertate [inquit] exponenda ſunt teſtimonia Scripturæ, ſicut exponuntur alia, quæ Deo attribuunt iram, odium, pœnitentiam, & ſimilia. Sed hæc ſolutio, & ſententia planè incidit in errorem ſuprà improbatum Hæreticorum negantium Deo libertatem; nam hæc libertas impropria, & metaphorica optimè cohæret cum abſoluta neceſſitate; ſi-

cut odium, pœnitentia, & alia dicta de Deo metaphoricè, optimè cohærent cum eorum carentia.

13 Secundò. Immeritò detorquet manifeſta Scripturæ teſtimonia in ſenſum improprium nulla vrgente evidẽti ratione in oppoſitum, ſed potius reclamante littera, contradicente ipſa natura Dei, ac doctrina Patrum. Si autem Deo perfectionem propriæ libertatis negat, eo quod componere non poſsit cum immutabilitate, pariter negare poterit immutabilitatem, eo quod componere non poſsit cum libertate: negare poterit Trinitatem, eo quod facile non percipiet cohærentiam cum vnitate, & ſic de alijs.

14 Denique. Aut libertas illa potentiæ operativæ eſt propria, aut impropria? Si impropria; ergo non ſolùm negat libertatem propriam in voluntate, ſed etiam in potentia operativa; eſt ergo inutilis recurſus ad libertatem in operando, vt Deum liberum adſtruat. Si propria. Reddunt impugnationes factæ, quia libertas operationis temporaneæ pẽdet à determinatione æterna, cum nihil faciat in tempore, quod ab æterno faciendum non decrevit.

15 Hæc omnia luculenter expendit Ang. Doct. q. 23. de ver. a. 4. ad 15. *Dicendum quod voluntas ad volitum habet duplicem reſpectum: primum quidem habet ad ipſum, in quantum eſt volitum: ſecundum habet ad ipſum in quantum eſt productum in actu per voluntatem, & hic reſpectus præſupponit primum. Primò enim intelligimus voluntatem velle aliquid; deinde ex hoc ipſo, quod vult illud, intelligimus, quod producat illud in rerum natura, ſi voluntas ſit efficax.*

Argumenta contraria enervantur.

§. IV.

16 ARguitur contra primam concluſionem. Deum liberè producere creaturas eſt liberè eis ſuam bonitatem communicare; at Deus non poteſt ſuam bonitatem creaturis non communicare; ergo in Deo nulla eſt libertas. Minor probatur. Summum bonum nequit ſuam bonitatem non communicare: tùm quia bonum eſt diffuſivum ſui; ergo ſummum bonum ſummè diffuſivum; ergo in Deo eſt ſumma, & infinita inclinatio ad ſe communicandum; ſed Deus contra ſummam, & infinitam inclinationem nequit operari; ergo vel neganda eſt Deo ſumma bonitas, vel neganda libertas. Tùm quia vbi eſt maior bonitas eſt maior inclinatio ad ſe communicandum; ergo vbi bonitas eſt infinita, inclinatio ad ſe communicandum debet eſſe infinita; ſed inclinatio infinita neceſsitat, & impellit ad communicationem; ergo in Deo eſt neceſsitas, & non libertas ad ſe communicandum: tùm quia Deus nequit operari contra ſuam naturalem inclinationem; ſed operaretur, ſi ſuam bonitatem non diffunderet; ergo.

17 Hoc argumentum etſi vtcumque prodeſſe poſſet Philoſopho ponenti mundum ab æterno; nullo iure ſuffragari poteſt Calvino, & Aſſeclis, quibus indubium eſt mundũ eſſe productum in tẽpore. Sed nec Philoſopho favet, & facilè retorquetur in qualibet creatura modò producta, quę proculdubio deberet eſſe producta ab æterno, ſi in Deo eſt ſumma, infinita, & neceſſaria inclinatio ad ſe communicandum; vel aſsignet titulũ, quo potius vni, quàm alteri ſuam bonitatẽ communicaverit ab æterno, ſi nulla eſt libertas in communicatione. Undè reſpondeo in Deo eſſe naturalem inclinationem ad ſe communicandũ ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, non aliter, quia omne bonũ creatum eſt infinitum, & limitatum, atque adeò neceſsitare non poteſt divinam voluntatem ad illud amandũ, & volendum, quapropter diximus loco citato ex t. 1. in S. Anſelmum, omnem Dei inclinationem eſſe quaſi conditionatam, & pendentem à beneplacito voluntatis ſuæ. Nec ea inclinatio eſt ſumma, & infinita, non propter defectum ſummi boni, ſed propter repugnantiam termini, in quo non eſt capacitas ad communicationem infinitam.

18 Arguitur ſecundò contra ſecundam concluſionem. Voluntas Dei nequit eſſe libera, niſi per aliquid ſibi extrinſecum; ſed hoc eſſe non poteſt, niſi externa operatio; ergo ſolùm poteſt denominari liber per externã operationẽ.

Ma-

Maior probatur. Quidquid divinæ voluntati eſt intrinſecum eſt abſolutè neceſſarium, quia quidquid eſt intrinſecum Deo, Deus eſt, ac ideó eſt indefectibile; at liberum eſt defectibile; ergo ſi divina volitio eſſet libera, & intrinſeca Deo, poſſet deficere aliqua perfectio intrinſeca, & Deus non eſſet, ſed aliquid diſtinctum à Deo.

19 Reſpondeo negando maiorem. Quia voluntas Dei eſt intrinſecè libera, ac libertas eſt perfectio conveniens Deo ab intrinſeco; & id haberet, quanquam eſſet libera per actionem operativam ad extra, falsò enim ſupponit Aureolus actionem potentiæ operativæ eſſe Deo extrinſecam, id enim improbat Anſelmus in Monol. c. 9. vbi docet omnia feciſſe Deum per ſuæ ſubſtantiæ locutionem iuxta illud Gen. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*; de hac autem locutione, aut actione creativâ inquit c. 11. *Quid magis neceſſarium videri poteſt, quam hanc ſummæ eſſentiæ locutionem non eſſe aliud, quàm ſummam eſſentiam.* Qualiter autem cohærere poſsit, quod ſit indiſtincta à ſumma eſſentia, & ſimul libera, ac defectibilis dub. 3. enodare curabimus.

20 Arguitur tertiò. Sæpè in Sacra Pagina attribuuntur Deo affectus pœnitentiæ, doloris, iræ, indignationis, furoris, alijſque perturbati animi motus; vndè Gen. 6. V. 6. dicitur: *Pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo (inquit) hominem, quem creavi à facie terræ*; & tamen hæc de vero dolore, veraque pœnitentia non intelliguntur, ſed impropria, & metaphorica; ergo verba Scripturæ libertatem ſignificantia de impropria libertate exponi poſſunt.

21 Sed in oppoſitum eſt regula Auguſtini, quam omnia Scripturæ oracula probant, omneſque Interpretes recipiunt: ideſt, verba Sacræ Paginæ in ſenſu proprio eſſe intelligenda, quoties ſenſus proprius bonis moribus non contradicit, nec ex illo ſequitur abſurdum, aut aliqua evidens ratio non ſuadet oppoſitum, vt contingit in ſupradictis motibus, & animi perturbationibus, quæ his omnibus titulis Deo apertè repugnant. Undè Ambr. lib. de Noe, & arca, cap. 4. inquit: *Neque enim Deus cogitat, ſicut homines, vt aliqua ei nova ſuccedat ſententia; neque iraſcitur quaſi mutabilis: ſed ideò hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offenſam, tanquam eouſquè increverit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non movetur, aut ira, aut odio, aut paſsione vlla provocatus videatur ad iracundiam.*

DVBIVM II.

An libertas actuum liberorum Dei ſita ſit in perfectione aliquâ ſpontanea, & indefectibili; an verò addat actui neceſſario aliquam entitatem, aut perfectionem re ipſa defectibilem?

§. I.

1 DUplicem proponimus ſub præfixo titulo examinandam ſententiam. Prima traditur ab Illuſt. Silva t. 2. in 1. p. q. 19. a. 3. dub. 5. docente libertatem divinorum actuum eſſe perfectionem intrinſecam Dei ſine vlla contingentia, aut indifferentia, ſalvarique in ſpontanea deliberatione potentiæ ad melius præcedente conſilio ſapientiæ regulantis voluntatem ad vnicum medium eligendum, quem opinandi modũ probat Doctiſsimus Thomaſinus, de Incarnat. lib. 5. c. 12. cum ea tamen differentia, quod Thomaſinus omnem relegat à Deo indifferentiam: Silva tamen ponit indifferentiam remotam, & in actu primo, quatenùs pro priori ad conſilium omnipotentia reſpicit plura poſsibilia, ſed quia voluntas divina nullum medium eligere poteſt, niſi præcedente ſapientiæ conſilio, quod neceſſariò dictat eligendum melius, ideò ſuppoſito conſilio nulla manet in divina voluntate indifferentia ad vtrumque, ſed voluntaria, & ſpontanea indifferentia ad melius, in qua libertatem actus, aut decreti conſtituit.

2 Secunda ſententia docet decreta libera Dei ſita eſſe in perfectione aliqua re ipſa defectibili. Tribuitur Caie-

tano 1. p. q. 19. a. 2. & 3. & 3. p. q. 1. a. 1. §. ad 1. *dubium*. Hanc ſententiam plures Doctores acri cenſura reſpuunt, ſed ſimul vtraque manu recipiunt; conſtituunt enim libertatem decretorum in realitate quadam modali, ſive in modo reali extenſionis, qui potuit non eſſe in Deo realiter, licèt ſemel poſito, deeſſe non poſſit. Ita Salas 1.2. q. 6. a. 2. Fonſeca 3. Met. lib. 7. c. 48. Alij docent decretum liberum Dei eſſe actum defectibilem, & perfectum perfectione indefectibili, quatenus perfectio vnius ſubrogari poteſt per oppoſitum, ideoque deficiente volitione creandi mundum, maneret Deus æquè perfectus per nolitionem. Ita P. Aldrete, de volunt. Dei, diſp. 9. ſect. 4. ac diſp. 13. de Incarn. ſect. 1. Alij aliter ſententiam Caietani exponunt.

3 In ſententiam Caietani virgam ferunt cenſoriam frequentius Authores, at ni fallor immeritò, fingunt enim hoſtem, quem feriant. Quoniam ex Caietano ſolùm conſtat perfectionem illam actus liberi eſſe duntaxat extenſivam ad creaturas, non intenſivam Dei, ideoque poſſe deficere. An autem quoad entitatem, formalitatem, terminationem, aut alio modo, nec affirmat, nec ex illius poteſt deduci ſententia. Etenim loco citato a. 3. §. *ad hoc poteſt*, diſtinguens duplicem modum divinam amandi bonitatem, vnum intenſivum, ac neceſſarium: alium extenſivum, & liberum, inquit: *Inter hos tantùm differt, quod primus graduat perfectionem amoris, ſecundus autem non, ſed extendit ipſum, & ſi quandoque inveniatur ſcriptum, quod ſecundus pertinet ad perfectionem, intelligendum eſt de perfectione extenſiva, & non ſimpliciter; vndè in propoſito divina bonitas neceſſariò eſt perfectiſsimè volita à Deo perfectione intenſiva, quia eſt infinitè amata, ſicut eſt infinitè amabilis, ſed non neceſſariò eſt perfectiſsimè volita perfectione extenſiva, ſed liberè; amari autem ſic, ſcilicet, ſecundùm decentiam ad extra, non ad perfectionem intenſivam, ſed extenſivam pertinet, & conſequenter non eum neceſſariò, ſed eum liberè convenientibus Deo computanda eſt*; at decretum liberum Dei importare perfectionem extenſivam, & in aliquo ſenſu defectibilem nulla cenſura dignum eſt, id enim eſt cæteris opinionibus commune; ergo.

4 Nec ex defectu extenſionis ad creaturas probari poteſt defectus entitativus, quia cum in omnium ſententia certum ſit poſſe Deum ſuum amorem ad creaturas non extendere in omnium ſententia ſequeretur defectus entitatis. Si autem opponas cæteros Doctores aſſerentes perfectionem liberam eſſe defectibilem duntaxat quoad denominationem, vel terminationem, vel alio modo, docere eam perfectionem eſſe propriè, & ſimpliciter talem; at Caietanus ait eſſe perfectionem ſolùm *condecentiæ*, & *congruitatis*; ergo quia ſentit eſſe defectibilem quoad entitatem. Reſpondeo apud Caietanum eam perfectionem eſſe duntaxat *condecentiæ*, quatenus oppoſitum non eſt indecens, nec magis decens, quia æquè perfectus eſſet Deus nolens mundum, ac modò volens. Sed in hoc immorandum non eſt, quoniam ea ſententia cuiuſcumque ſit, aut quocumque modo exponatur, arridere non poteſt.

PRIMA CONCLUSIO.

§. II.

5 DIcendum primò decretum liberum Dei ſitum non eſſe in ſpontanea, & prorſus indefectibili deliberatione potentiæ. Hæc concluſio duplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt contra P. Roſende ſuo Magiſtro Janſenio ſubſcribentem, ſolamque agnoſcentem libertatem, ſive in Deo, ſive in nobis *à coactione* ſecluſa omni indifferentia ad vtrumque, quæ in Deo ſatis ſit ad honeſtatem, & laudem; in creatura ad meritum, & demeritum. Quem errorem à Pontificibus improbatum, à Theologis efficaciter impugnatum, noſtrum non eſt impræſentiarum reſpuere. Plura diximus t. 1. in S. Anſelmum tract. 2. dub. 1. §. 3. & tract. 8. dub. 7. §. 2. Secundus concluſionis ſenſus eſt contra primam ſententiam ſupra allegatam, de quo in præſenti.

6 His poſitis ſuadetur concluſio. Si ſola voluntaria, & ſpontanea determinatio potentiæ ſatis eſſet ad libertatem,

fatem, cohæreret perfecta libertas cum neceſsitate ad vnum; ſed hoc omninó repugnat; ergo ſatis non eſt. Maior eſt ſententia præfati Doctoris. Minor probatur. Si perfecta libertas cohæreret cum neceſſitate ad vnum ex ſola voluntaria determinatione potentiæ vera eſſet hæc propoſitio: *Quod voluntariè fit, etiam ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*; ſed hæc eſt vna ex propoſitionibus Michaelis Baij, in quam Pontifices cenſoriam virgam tulerunt, ac reprobarunt; ergo prorſus repugnat libertas cum neceſsitate ad vnum non obſtante ſpontanea, ac voluntaria determinatione.

7 Confirmatur ex N. Anſelmo, lib. de Concord. præſcientiæ cum libero arb. c. 3. vbi inter alia inquit: *Notandum quod ſicut neceſſe non eſt Deum velle, quod vult, ita neceſſe non eſt in multis hominem velle, quod vult*; at homo ita vult vt poſſit non velle cum indifferentia ad vtrumque; ergo & Deus, ac potiori titulo. Et lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 18. ait: *Iam diximus, quia Deus impropriè dicitur aliquid non poſſe, aut neceſsitate facere; omnis quippè neceſsitas, aut impoſsibilitas eius ſubiacet voluntati; illius autem voluntas nulli ſubditur neceſsitati, aut impoſsibilitati; nihil enim eſt neceſſarium, aut impoſſibile, niſi quia ita vult: ipſum verò velle, aut nolle aliquid propter impoſsibilitatem, aut neceſsitatem, alienum eſt à veritate*, &c.

8 Eundem dicendi modum ſæpè reijcit D. Thomas. Undè q. 6. de malo, art. vn. ait: *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſsitate movetur ad aliquid agendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; hæc autem opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium, & demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſsitate agit, vt vitare non poſsit. Eſt etiam numeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones; quod non ſolùm contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis.* Et licèt hæc cenſura directè ſit contra P. Roſende, quatenùs procedit de libertate creata, nihilominus eadem ratio militare videtur in Deo.

9 De vtraque libertate loquitur 1. p. q. 19. a. 10. *Dicendum, quod liberum arbitrium non habemus reſpectu eorum, quæ neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu; non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe fœlices, ſed ad naturalem inſtinctum; cum igitur Deus ex neceſsitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſsitate, reſpectu eorum, quæ non ex neceſsitate vult, liberum arbitrium habet.* Quam doctrinam repetit ibid. q. 83. a. 3. & q. 24. de ver. a. 3. pluribuſque alijs in locis.

10 Probatur ratione. Libertas indifferentiæ eſt illa, qua agens poteſt eligere vnum alio non electo; ſed ita eſt libertas Dei ad creaturas; ergo eſt libertas indifferentiæ. Minor probatur. Ita Deus voluit productionem mundi, quod illam poſſet non velle: ita prædeſtinavit Petrum, quod poſſet prædeſtinare Iudam relicto Petro: ita noluit immittere duodecim legiones Angelorum Chriſto Domino, quod immittere poſſet, vt teſtatur ipſe Chriſtus. Matth. 26. & ita reproduci poſſunt omnia Scripturæ teſtimonia, quibus ſupra probavimus libertatem in Deo, quæ apertiſsimè, ac diſſertis verbis evincunt indifferentiam ad vtrumque, & ita, *quæcumque voluit fecit.* Pſalm. 134.

11 Reſpondebis ex doctrina præfati Doctoris hęc omnia procedere de indifferentia remota, & ex parte obiecti creati, quod cum ſit finitum, & limitatum nequit attrahere neceſſariò voluntatem in ſui amorem; non tamen de indifferentia proxima, nec ex parte intellectus proponentis, nec voluntatis eligentis, quia nec intellectus divinus poteſt proponere, niſi melius; nec voluntas poteſt eligere, niſi quod ex conſilio ſapientiæ vt melius eligendum proponitur.

12 Sed hanc doctrinam, quatenus imponit Deo neceſsitatem eligendi melius, latè impugnavimus t. 1. in S. Anſelmum tract. 2. dub. 1. & 2. nec oportet iterum reciprocare ſerram. Rurſus. Si ſalvatur in Deo perfecta libertas ſine vlla indifferentia ex parte iudicij, ergo & in creatura ſalvari poterit, quia libertas creata quò magis accedit ad divinam, eó eſt perfectior; ſed divina perfectiſsimè ſalvatur ſine vlla indifferentia iudicij; ergo & creata. Conſequens autem eſt abſurdum, & contra communem Theologorum conſenſum; ergo nec in Deo ſalvari poteſt ſine indifferentia iudicij.

13 Secundò. Iuxta hunc Authorem nulla eſt libertas in Deo, niſi in ordine ad obiecta creata, non in ordine ad ſuam bonitatem; at libertatem, quam adſtruit in ordine ad obiecta creata, pari titulo adſtruere poteſt, & debet in ordine ad ſuam bonitatem; ergo illud libertatis genus ſubſtinendum non eſt. Minor probatur. Libertas, quam adſtruit in ordine ad creaturas, eſt ſine indifferentia iudicij proponentis, & voluntatis eligentis; ſed libertas ſine indifferentia iudicij proponentis, nec ex parte voluntatis eligentis, optimè conſtitui poteſt, & debet, in Deo reſpectu ſui; & probatur. Nam libertas ex genere ſuo importat perfectionem, aliundè adhuc in ordine ad ſuam bonitatem nullam importat imperfectionem, quia nullam dicit contingentiam, nec defectibilitatem. Inſuper. Non minus eſt ſpontaneus amor ſui, quàm creaturarum, immò multò magis; ergo ſi amor creaturarum eſt liber, etiam & amor ſui iuxta hunc dicendi modum.

14 Tertiò. Uel carentia iudicij indifferentis ex parte intellectus proponentis, ac defectus poteſtatis in voluntate ad reſpuendum tale obiectum probat neceſsitatem, vel non probat? Si probat. Ergo non ſalvatur divina libertas per ordinem ad creaturas ſine indifferentia, & poteſtate ad vtrumque. Si non probat. Ergo nec probabit in Deo reſpectu ſuæ bonitatis, ac ideó liberè amabit ſuam bonitatem, ſicut liberè amat creaturas.

15 Reſpondebis ex eodem Authore maximum eſſe diſcrimen, quia bonitas divina eſt infinita; creata verò finita, & limitata; vndè illa, & non iſta neceſsitat ad amorem. Sed contra. Licèt bonitas creata, eoquod finita, non attrahat neceſſariò divinam voluntatem in ſui amorem, attamen ſuppoſito conſilio divinæ ſapientiæ ad obiectum melius neceſſariò eligendum eſt ſine vlla indifferentia (vt ipſe ait) nec poteſt oppoſitum eligere; ergo quo pacto bonitas divina neceſsitatem inducit ad amorem, ita bonitas creata ſuppoſito conſilio; ſed hæc ſuppoſitio eſt neceſſaria, antecedens, & nullo modo libera divinæ voluntati, quia agere non poteſt, niſi ex directione ſapientiæ, & ad oppoſitum eſt omninò impotens; ergo. Præterea. Sapientia dirigens nullo modo poteſt proponere, niſi obiectum melius, vt docet idem Author, aliter conſilium non eſſet ſapiens, ſed inſipiens, vt verbis ipſius vtar; ergo neceſsitas ad illud obiectum melius eligendum eſt omninò antecedens, & voluntas nullo pacto libera; ergo ea electio eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, & nullo pacto libera. Undè ea ſola erit differẽtia inter amorem Dei, & amorem creaturarum, quod ille eſt neceſſarius duplici titulo, & titulo bonitatis infinitæ, & ex directione conſilij; hic verò ex ſola directione conſilij.

16 Denique. Quid magis ſpontaneum, quàm amor ſui; quàm proceſsiones divinæ; quàm amor beatificus; & tamen ibi non ſalvatur libertas; ergo nec in amore creaturarum ſi nulla eſt indifferentia. Quod ſi his omnibus libertatem concedas, vt aliqui concedere non renuunt, profectò erit libertas nomine tenus cum ſumma neceſsitate cõiuncta, quæ ad propoſitum nihil atrinet, nec de vocibus cõtendendũ. Nec cuique permittendum definitiones rerum evertere, ſibi ſomni. fingere, & immutare vocabula; hoc enim permiſſo tota Theologia, immò & Naturalis Philoſophia corruet, & à veritate aberrãtes facilè nobis ſuos errores obtrudent.

SECUNDA CONCLUSIO

§. III.

17 DIcendum ſecundò actum liberum Dei nullam addere actui neceſſario extẽſionem, perfectionem, aut modum, qui poſsit, aut potuerit quoad ſuam entitatẽ non eſſe in Deo. Probatur. Libertas actualis divinę voluntatis ſummam Dei ſimplicitatem non evertit; at everteret, ſi adderet aliquam perfectionem re ipſa diſtinctam; ergo non addit. Minor probatur. Ea perfectio realiter ſuperaddita veram faceret compoſitionem; ergo & ſummam ſimplicitatem everteret. Ut probat Anſelmus in Proſol. c. 18. *Quomodò ergo Domine es omnia hæc? An ſunt partes tui, an potius vnumquodque horum totum eſt, quod es? Nam quidquid eſt partibus iunctum, non eſt omninò vnum, ſed quodammodo plura, & diverſum à ſe ipſo, & vel actu, vel intellectu diſſolvi poteſt, quæ aliena ſunt à te, quo nihil melius cogitari poteſt; nullæ igitur*

igitur partes in te ſunt; at eſſent partes in Deo, ſi conſtitueretur liber per aliquid diſtinctum; actu diſſolvi poſſet, ſi perfectio illa actualis libertatis eſſet re ipſa defectibilis, quæ omnia aliena ſunt à Deo; ergo. Idem repetit in Monol. cap. 17. & probat, quia quod componitur ex alijs, illis indiget, quibus componitur, quia per illa eſt id, quod eſt; quod autem alio indiget, ſummum non eſt; ergo ſi Deus in eſſe liberè volentis mundum conſtituitur per aliquid á ſe diſtinctum, illo indiget; ergo non eſt ſummum ens, nec ſummè ſimplex.

18 Confirmatur. Entitas, aut modus re ipſa defectibilis lædit divinam immutabilitatem, quam ſartam tectam ſalvare contendunt; ergo repugnat. Antecedens probatur. Ablata, aut poſita ea entitate, aut modo aliter ſe haberet Deus, ac anteà ſe habebat, quod planè mutationem probat, & improbat Anſelmus in Monol. cap. 25. *Igitur ſumma natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in ſua ſimplicitate locum tribuit ::: Vndè hoc quoque concludi poteſt, quia nullius accidentis ſuſceptibilis eſt; quippè quemadmodum illa accidentia, quæ mutationem aliquam accedendo, vel recedendo faciunt, ipſo ſuo effectu verè accedere rei, quàm mutant, perpenduntur.*

19 Hæc ratio deſumpta ex immutabilitate Dei non placet Pontio diſp. 3. q. 3. num. 24. vbi diſtinguit duplicem mutabilitatem, vnam, quæ imperfectionem arguit: aliam, quæ imperfectionem non importat; certum namque eſt Deum plures de novo ſuſcipere denominationes ſine imperfectione; poſſetque Verbum divinum recipere in ſe ipſo vnionem cum humanitate ſine imperfectionis nævo; ac re ipſa Deus ſuſcipit relationes ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis ad creaturas de novo productas. Ideòque diſp. 6. q. 2. n. 7. docet ex hoc titulo inefficaciter impugnari ſententiam Caietani.

20 Sed hanc doctrinam iam anteà improbaverat Anſelmus locis allegatis; & improbatur in cap. *Firmiter* de ſumma Trinit. vbi definitur Deum eſſe ſummè ſimplicem, quæ ſumma ſimplicitas penitus corruit quacumque compoſitione poſita, præſertim reali: eandemque doctrinam reprobaverat D. Ang. 1. contra Gent. cap. 13. impugnans errorem eorum, qui ponebant in Deo intentiones accidentales ſuperadditas eſſentiæ, eo quod facerent compoſitionem accidentalem cum divina eſſentia.

21 Reijcit etiam eandem ſolutionem Anſelmus ex capite infinitatis, quæ penitus corruit poſita aliqua compoſitione partium, nam quælibet pars eſſet finita, cum ei defficeret alteriùs partis perfectio; at finitum additum finito non facit infinitum; ergo Deus ita compoſitus non eſſet infinitus. Denique. Ea doctrina ſuppoſita neceſſariò ponenda eſt in Deo potentialitas ad illud ſuperadditum recipiendum; ideóque non erit actus purus; ac ponenda erit perfectibilitas in eſſentia, cum perficeretur per illam perfectionem diſtinctam, ideóque non erit ſummè perfecta.

22 Reſpondet Pontius non repugnare Deum recipere novas denominationes; ergo nec recipere formas, á quibus denominatio provenit: vndè ſi Verbum divinum potuit in tempore recipere relationem vnionis ad humanitatem, poterit ſimiliter recipere ipſam vnionem. Sed hęc ſatis invtilia ſunt. Nam Deum recipere denominationes, quæ nihil ſuperaddunt intrinſecè, ſed ſunt vel relationes rationis; vel quid extrinſecum Deo, nulla ratione repugnat: Nec Verbum divinum denominatur vnitum humanitati per relationem aliquam realem realiter ſuperadditam; hoc enim immutabilitatem, ſimplicitatem, infinitatem, aliaſque Dei perfectiones penitus everteret, vt ſupra dictum eſt.

23 Propterea alij reſpondent eam perfectionem actus liberi potuiſſe quidem Deo defficere; ſed ſemel poſita identificatur cum Deo, nec vlteriùs poteſt ab eo ſeparari. Sed malæ cauſæ peius patrocinium. Si enim illa perfectio potuit non eſſe in Deo; ergo erat diſtincta á Deo; ergo nunquam poteſt eſſe Deus. Profectò mirabilis eſſet tranſmutatio perfectionis non divinæ in divinam; non Dei in Deum; & quod perfectio, quæ anteà nihil erat, tranſiret in Deum.

24 Secundò. Hæc ſolutio evertit divinam immutabilitatem, quam protegere curat. Nam ſi ea perfectio libera ſolùm identificatur cum Deo ex ſuppoſitione, quod eſt, cum non eſſe poſſit; ergo non abſolutè, & neceſſariò; ſed ex ſuppoſitio-

ſitione libera identificatur cum Deo; at hoc abſolutam immutabilitatem non probat; vt patet in prædeſtinatione Petri, v. gr. quæ licèt ex ſuppoſitione quod eſt in Deo, à Deo ſeparari non poſsit, cùm tamen non ſit neceſſariò abſolutam neceſſitatem non probat; ergo pariter licèt ex ea ſuppoſitione Deus non eſſet mutabilis, cum tamen ea ſuppoſitio non ſit neceſſaria, non eſſet abſolutè, & ſimpliciter immutabilis. Eò, vel maximè, quia licèt Deus identificet illam perfectionem liberam ſemel poſitam, attamen eam potuit non identificare; at ſubiectum potens non identificare perfectionem, quam re ipſa identificat, mutabile eſt; ergo nunquam protegitur immutabilitas Dei.

25 Ideò alij reſpondent præfata argumenta convincere in diſtinctione reali actuali, non verò in diſtinctione reali virtuali, quam ſolam ponunt inter perfectionem liberam, & neceſſariam, quæ diſtinctio ſufficit vt perfectio neceſſaria non poſsit realiter deficere; & libera poſſit realiter deficere: ſicut ſimilis diſtinctio inter relationem, & eſſentiam ſatis eſt, vt eſſentia realiter communicetur, & relatio realiter non communicetur. Sed nec iſta ſolutio ſubſtinenda eſt. Primò. Quia diſtinctio illa virtualis ſufficiens, vt eſſentia communicetur, & non relatio, inſufficiens eſt vt eſſentia ſeparetur à relatione, vel vna perſona ab alia ſeparabilis ſit; at diſtinctio virtualis poſita à ſuis Authoribus inter perfectionem liberam, & neceſſariam, ſatis eſt, vt libera ſeparetur realiter á neceſſaria, & vt in Deo realiter non ſit, cum potuerit realiter non eſſe, vt ipſi docent; ergo mirabiliior eſt, ponitque in Deo miſterium altiús miſterio Trinitatis.

26 Secundò. Diſtinctio illa virtualis inter eſſentiam, & relationem non ponitur, nec ſufficit, vt Pater non ſit in Filio per *circum inſeſsionem*, vt aiunt, canente Eccleſia: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*; vel vt inquit Anſelmus lib. de Fide Trinit. cap. 9. *Sicut punctum in puncto non eſt niſi punctum, ita Deus in Deo, & de Deo non eſt niſi Deus*; at diſtinctio illa virtualis inter perfectionem neceſſariam, & liberam talis eſt apud Adverſarios vt vna poſsit eſſe realiter ſine alia; ergo admittenda non eſt.

27 Tertiò. Diſtinctio virtualis inter eſſentiam, & relationes talis eſt, vt relationes ſint idem cum eſſentia, & realiter diſtinctæ inter ſe; ergo ſi proportio Adverſariorum ſervanda eſt, diſtinctio virtualis inter perfectionem neceſſariam, & perfectiones liberas talis erit, vt identificentur cum perfectione neceſſaria, & diſtinguantur realiter inter ſe; at hæc illatio, quanquam ex paritate optimo conſequentiæ filo deducta, vt abſurda improbanda eſt; ideò namque primum verum eſt, vt poſt Anſelmum communiter docent Theologi, quia inter relationes datur oppoſitio relativa, quæ ſola facit diſtinctionem in divinis; at inter perfectiones liberas nulla eſt oppoſitio relativa; cum vna originem non trahat ex alia; ergo exemplum deductum ex diſtinctione virtuali inter eſſentiam, & relationes nihil probat.

28 Efficaciam prædicti diſcurſus ſe ſatis declinare opinantur alij docentes volitionem liberam virtualiter intrinſecè diſtinctam ab actu neceſſario nullam addere perfectionem, vt plures opinantur de relationibus divinis, ideòque parum intereſt ſi Deo deficiat, quia ex illius defectu nulla adimitur Deo perfectio, & ita periculum mutabilitatis excuſatur. Sed contra. Nam formalitas illa actus liberi ſi ſit realiter ſeparabilis neceſſariò probat mutabilitatem in Deo, ſivè perfectionem importet diſtinctam ab actu neceſſariò, ſivè non. Nam tranſitus de privatione formæ ad formam, aut é contra, eſt vera mutatio; at in Deo eſſet tranſitus de privatione formæ ad formam, ſivé ad illam formalitatem liberam, quæ iuxtà ipſos potuit realiter non eſſe in Deo, poteſtque ab ipſo realiter ſeparari; ergò neceſſariò mutabilitatem probat: vndè ſi Deo deficerent relationes apertè mutaretur, totaque natura, & perfectio Dei everſionem pateretur, quanquam relationes ex proprio conceptu nullam afferant perfectionem; ergo hoc exemplum potius evertit, quàm confirmet eum opinandi modum.

29 Prætereá. Formalitas illa virtualiter diſtincta ab actu neceſſario conſtituit Deum in eſſe agentis liberi, quod conſtat maximam importare perfectionem Deo dignam: maximè dum incarnationem decernit, dum beneficia confert, dum largitur gratiam, dum eligit ad gloriam, dum hortatur ad virtutes, dum alia cha-

charitatis, miſericordiæ, liberalitatis, ac cæterarum virtutum exercitia decernit, quæ omnia probant maximam honeſtatem, & laudabilitatem in Deo.

30 Ideò alij prædictam difficultatem ſe poſſe emolire opinantur aſſerendo volitionem liberam importare perfectionem propriam, ſed Deo indefectibilem adhùc deficiente volitione, quia perfectio illa ſita non eſt in ſola volitione determinatè, ſed in disiuncto volitionis, & nolitionis, quare deficiente volitione ſubſtituitur neceſſariò nolitio, eademque manet perfectio, nam Deus vtroque actu carere non potuit, quia non potuit manere ſuſpenſus. Ratio eorum eſt, quia volitio mundi non eſt melior nolitione, nec Deus eſt magis perfectus volendo, quàm nolendo aliquod poſsibile. Vtuntur exemplo Dei; nam hic numero Deus conſiſtit in hac numero Deitate determinatè, & in disiuncto huius, vel illius perſonalitatis, ac vna perſonalitate deficiente maneret hic numero Deus. Perfectio viſiva conſiſtit in hac numero potentia concurrente hoc, vel illo oculo, & alterutro deficiente eadem numero perfectio potentiæ viſivę maneret.

31 Sed hæc ſolutio prædicta non excuſat incommoda, ſed alia plura præ ſe ferre convincitur. Et primò. Omninò falſum aſſumitur hunc numero Deum ſitum eſſe in hac Deitate, & perſonalitate vaga, nam hic numero Deus eſt neceſſario trinus in perſonis, ac trinam perſonalitatem determinatè, & neceſſariò exigit, vndè qualibet deficiente non ſubſiſteret natura huius Dei. Et ratio eſt, quia natura Dei eſt neceſſariò fœcunda per intellectum, & voluntatem, ideòque exiſtentia Filij per intellectum, & Spiritus Sancti per voluntatem eſt ſummè neceſſaria. Nec eadem potentia viſiva æquè perfecta maneret in vno oculo, quàm in vtroque; vndè exempla facilè retorqueri poſſunt in Authores eis vtentes. Secundò. Si eadem numero perfectio eſt in volitione, & nolitione defectibili; ergo volitio, & nolitio ex ſe defectibiles identificantur cum eadem numero perfectione indefectibili, atque adeò ponenda erit realis diſtinctio extremorum cum identitate in tertio ſine oppoſitione relativa, & ita reddent impugnationes factæ.

32 Rurſus. Perfectio Dei libera ſita in disiuncto volitionis, aut nolitionis, ſivè in vtroque actu vagè ſumpto, prorſus implicatoria apparet. Nam quidquid eſt in rerum natura verè determinatum eſt, ergo implicat perfectionem determinatam re ipſa exiſtentem in Deo conſiſtere in actu vago, & indeterminato. Nec facile percipitur qualiter perfectio identificata cum volitione poſsit eadem numero identificari cum nolitione, & in nolitionem tranſire. Quod autem dicitur Deum eſſe æquè perfectum per volitionem, ac per nolitionem mundi veriſsimum eſt; ſed hinc reſultat hic Gordianus nodus immutabilitatis Dei, ſi volitio libera poteſt deficere, qui nodus prædicta ſolutione non extricatur, ſed novis difficultatibus implicatur.

Argumenta contraria diluuntur.

§. IV.

33 IN Subſidium primæ ſententiæ opponit primò eruditus Thomaſinus lib. 5. de Incarn. cap. 12. Non licèt omnia ad noſtrum modulum revocare; ergo etſi libertas creata ſit flexibilis, & verſatilis ad vtrunque, non ita divina; id enim non habuit creatura à natura, nec ab Authore naturæ, ſed à vitio adulterante naturam; ergo hanc bicipitem, verſatilem, ac deſultoriam libertatem in Deo reponere non licet. Sed id aſſumit hic Author, non probat, ſed nec probare poteſt. Nam potentiam peccandi habet creatura rationalis ab ipſo conceptu naturæ factæ ex nihilo, vndè antequam peccaret, habuit potentiam peccandi, ac libertatem flexibilem ad vtrunque; ergo indifferentia ad peccandum, & non peccandum non eſt à peccato.

34 Sed quis mentis compos [inquit] Deo vel libertatem detraxerit, vel peccandi poteſtatem affinxerit? Sed quis non detrahet Deo libertatem ad peccandum, ſi nulla eſt in eo ad peccandum poteſtas? Profectò novum libertatis genus eſt ad opus, ad quod nulla eſt in agente poteſtas. Nec ſimilis libertas ſpectat ad perfectionem Dei; nec enim minus perfecta eſt Omnipotentia Dei, quam Dei volun-

luntas ; ſed perfectio Omnipotentiæ eſt ſine potentia peccandi; ergo, & perfectio voluntatis ſine libertate ad peccandum.

35 Inſurgit ex Auguſtino in extremo opere contra Iulianum ſic ipſum redarguente : *Liberum non eſt , niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum, vel malum? Liber Deus non eſt, qui malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti , Deus eſſe non niſi iuſtus non poteſt. Siccine Deum laudas , vt ei auferas libertatem?* Ergo iuxtá Auguſtinum ſalvatur libertas ſine indifferentia ad vtrunque. Sed conceſſa authoritate, diſtinguo conſequens. Sine indifferentia ad vtrunque, quod ſit bonum, vel malum, cõcedo conſequentiam. Quod ſit bonum, vel non bonum, aut hoc bonum, vel illud bonum, nego conſequentiam. Itaque Iulianus componere non poterat libertatem ſine indifferentia ad bonum, & malum; hoc autem impugnat Auguſtinus , & optimè, quia in Deo , & in Chriſto ſalvatur perfecta libertas ſine indifferentia ad bonum, & malum , nunquam tamen ſine indifferentia ad duo extrema , vt millies tradit Auguſt. & nos cum ipſo tom. 1. tract. 8. dub. 7.

36 Et vt alia omittam audiendus eſt idem Auguſtinus lib. de Duabus Animabus, cap. 11. vbi definito peccato per voluntatem retinendi , vel conſequendi, quod prohibet iuſtitia , ſic proſequitur: *Nec hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem neminem vituperatione , ſupplicioue dignum, quid id velit , quod iuſtitia velle non prohibet, aut id faciat , quod facere non poteſt. Nonnè iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum ?* Et capite ſequenti: *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit , ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.*

37 Arguitur ſecundò ex doctiſſimo Silva. Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur ; ſed libertas in Deo recipitur in ſubiecto immutabili ; ergo ſine contingentia , & indifferentia ; nam contingentia mutabilitatem neceſſariò probat. Secundò. Libertas Dei eſt maxima Dei perfectio ſine imperfectione ; ſed libertas cum indifferentia, & contingentia eſt perfectio imperfectione admixta, quia omnis contingentia , & defectibilitas eſt imperfectio ; ergo eſt in Deo ſine contingentia, & defectibilitate. Tertiò. Libertas Dei regulatur conſilio ; ſed implicat conſilium proponere voluntati diuinæ plura media indifferenter eligibilia ; ergo implicat in Deo libertas cum indifferentia ad plura media. Minor probatur. Implicat conſilium non proponere voluntati determinatè obiectum meliùs, conuenientius , Deumque magis decens , alioquin conſilium non eſſet ſapiens , ſed inſipiens: nec diuina ſapientia ignorat quid conuenientius eligendum ſit propter rationes ſibi notas; ergo hoc determinatè eligendum proponit ; ergo in ſpontanea, & voluntaria huius medij electione ſita eſt libertas diuina , & non in indifferentia ad plura.

38 Quartò. Si voluntas diuina eſſet indifferens ad plura media, vel id haberet ex ſe, vel ex propoſitione intellectus, vel ex conditione obiecti; at ex nullo capite eſt indifferens ; ergo eſt libera ſine indifferentia ; probat minorem. Non ex ſe, quia voluntas Dei eſt immobilis , nam voluntas Dei eſt Deus; ſed Deus eſt immobilis, & immutabilis ; ergo & voluntas; ergo voluntas ex ſe non habet indifferentiam, quarè indifferentia erit imperfectio voluntatis creatæ , quę imperfectio in Deo locum non habet. Non ex propoſitione intellectus, quia propoſitio intellectus eſt cognitio comprehenſiva perfectè cognoſcens quid conuenientius, & eligibilius ſit , ideòque hoc determinatè proponit. Non denique ex conditione obiecti. Nam licèt obiecta creata ſint plura, vtpotè limitata, & à Deo attingantur vt ſpeculativè poſsibilia , attamen nihil proponi poteſt vt practicè eligibile, niſi quod conuenientius eſt ad finem intentum ex diuina diſpoſitione, & conſilio; ergo ex nullo capite aſsignari poteſt indifferentia.

39 Sed ſi nulla eſt indifferentia, nec ex parte intellectus proponentis , nec ex parte voluntatis eligentis , nec ex conditione obiecti, non video quid ſupereſſè poſsit libertatis , niſi nomen , nihil enim deficit ad abſolutam neceſsitatem , nam quod electio ſit ſpontanea , non coacta impedire non poteſt ſummam neceſsitatem, vt fatetur idem Author in exemplis §. 2. allegatis. Quod enim reſpondet libertatem ſolum eſſe circa media , quo-

rum

tum electio procedit ex conſilio rationis, non in ordine ad finem, vt eſt amor ſuæ bonitatis, quia ad hoc nec datur electio, nec requiritur conſilium, in eadem incidit ſalebra. Quæ enim electio, vbi vnicum tantum eſt medium? quæ electio, vbi nulla diſcretio vnius ab alio? vndè commendari poteſt dilectio Dei, quam filium ſuum vnigenitum dedit, ſi nulla fuit poteſtas, nec ad ſalutem hominum omittendam, nec ad aliud medium redemptionis eligendum?

40 Argumentum autem tangit communem difficultatem infrà exponendam, cui prædicta doctrina non occurrit, ſed ſuccumbit, ſicut ſuccumbunt negantes Deo libertatem, cum prædicta libertas ſit nomine tenus, quod paris delicti, pariſque periculi eſt. Nec idem eſt contingentia, ac indifferentia, nam contingentia eſt in eo, quod accidentaliter evenit non præviſum, quod in Deo locum non habet; indifferentia eſt poteſtas ad vtrumque extremum, quæ eſt de conceptu potentiæ liberæ. Per quod conſtat ad ſecundum.

41 Ad tertium conceſſa maiori, nego minorem. Nam ſi obiecta ſunt Deo poſsibilia, cur non à Deo eligibilia; & ſi ſunt à Deo eligibilia, cur ita ab intellectu proponi non poterunt? Quod autem re ipſa conſilium proponat eligendum hoc medium præ alio pendet ex conſilio voluntatis ſuæ, ideòque propoſitio intellectus eſt quaſi conditionata, & pendens á beneplacito voluntatis ſuæ. Ad quartum dico. Indifferentiam illam ortum habere: tùm ex parte intellectus proponentis obiectum limitatum: tùm ex natura voluntatis, quæ ex ſuo conceptu eſt indifferens: tùm ex conditione obiecti propter ſuam limitationem. Quod additur de voluntate divina, quæ eſt immobilis, ſolum probat non poſſe mutare decretum, quia Deo nulla nova ſuccedit ſententia.

42 Ulteriùs opponi poteſt ex Parente Anſelmo, qui lib. de libero arb. latè probat Deum, & Angelos beatos, qui peccare non poſſunt perfectiori libertate gaudere, quàm nos, qui peccare poſſumus. Undè concludit: *Liberior igitur eſt voluntas, quæ à rectitudine non peccandi declinare non poteſt, quàm illa, quæ poteſt deſerere.* Et ibid. cap. 14. *Libertas Dei multùm differt ab illis, quæ rationalis creaturæ ſunt.* Nam in Deo eſt à ſe, & cum rectitudine inſeparabili, in homine ab alio, & cum rectitudine ſeparabili; in beatis ab alio, ſed inſeparabiliter; ergo ex eo, quod libertas noſtra importet indifferentiam; non ideò libertas Dei. Denique lib. 2. *Cur Deus homo*, docet quòd *omnis neceſsitas eſt coactio, aut prohibitio*; ergo vbi nulla coactio, aut prohibitio, ibi nulla neceſsitas; ergo ibi plena libertas; ergo vt Deus ſit perfectè liber ſatis erit ſpontanea electio huius medij ſine vllà coactione, aut prohibitione; ergo nulla requiritur indifferentia. Urgetur ex D. Thoma q. 10. de Potentia artic. 2. ad 5. vbi ait: *Voluntas liberè appetit fœlicitatem, licèt neceſſariò appetat illam; & Deus ſua voluntate liberè amat ſe ipſum.*

43 Sed ex vtroque S. Doctore luce meridiana conſtat locis ſuprà allegatis neceſſariam eſſe indifferentiam ad libertatem. Et prima, ac ſecunda, authoritas Anſelmi ſolùm probat potentiam peccandi non pertinere ad libertatem, quòd veriſsimum eſt, non tamen probat libertatem ad peccatum ſine indifferentia ad peccandum, vel non peccandum, vt ſuprà ad Auguſtinum dictum eſt. Ad vltimum dico, ex eodem libro & capite ſupra §. 2. allegato clariſsimè conſtare plenam Dei indifferentiam. Dum autem inquit neceſsitatem eſſe coactionem loquitur non ſolùm de coactione ſtrictà inferente violentiam, ſed de omni coactione determinante ad vnum. Ad id, quod additur ex D. Thoma, reſpondeo, ex eodem S. Doctore ſuprà allegato aperte conſtare *non pertinere ad liberum arbitrium, quod volumus eſſe fœlices*; dicto autem loco ſolum loquitur de libertate á coactione, quæ ad liberum non ſpectat arbitrium, ſed ad naturalem inſtinctum.

44 Dices. Idem D. Thomas in 3. diſt. 18. art. 2. ad 5. Chriſto concedit meritum per ſolam libertatem à coactione; ergo & Deus per ſolam electionem ſpontaneam erit liber, & laudabilis. Ibi enim inquit: *Vel ſecundò dicendum, quod etiam ſi eſſet determinatus ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen ex hoc non admittit libertatem, aut rationem laudis, ſivè meriti, quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus.* Sed his iam conſtat ex citato tract. 8. de Impeccab. Chriſti: &

vlterius dico ibi loqui D. Thomam de determinatione, non ad vnum actum, ſed vnum obiectum, in quod pluribus actibus ferri poteſt, & ita eſt actus ſui Dominus potens vnum eligere, & alium omittere, vt docet 2. contra Gent. cap. 45. n. 2. *Voluntas ideò dicitur Domina ſui actus, quia in ipſa eſt agere, & non agere.* Et 1. contra Gent. cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas ſuprà ſuos actus; per quod eius poteſtas eſt velle, & non velle, excludit determinationem ad vnum virtutis actum.*

45 Oppones. Si indifferentia ſpectaret ad perfectionem libertatis non evacuaretur per beatitudinem, ſed perficeretur; at evacuatur; ergo non pertinet; ergo non eſt ponenda in Deo. Reſpondeo non evacuari, quia Viator habet indifferentiam ad amorem Dei obſcurè cogniti, non ad amandum Deum cognitum intuitivè; & hoc idem contingit in patria.

DVBIVM III.

An actus liber Dei conſtituatur in eſſe liberi, per terminationem aliquam intrinſecam, aut per recurſum ad connotata?

§. I.

1 ALIIS Dicendi modis in hac ſalebroſa diſputatione impugnatis, adhúc ſupereſt diſcurrendi via, quæ faciliorem exitum præſtat ad hanc difficultatem mortalium mentibus inacceſſam vtcumque exponendam. Primus itaque, & ſatis communis, eſt aſſerentium actus liberos Dei importare terminationem quandam actiuam ad volitum, quæ ita eſt in Deo, vt potuerit non eſſe: ponunt enim eundem actum voluntatis terminari ad bonitatem diuinam neceſſariò, & liberè ad creaturas, ſecundùm quam terminationem liberam potuit deficere non deficiente entitate, aut perfectione intrinſeca Dei; quod diverſimodè á ſuis Patronis exponitur, vt conſtabit ex progreſſu.

2 Secundus eſt aſſerentium actum liberum Dei nihil aliud importare, quàm actum neceſſarium vt connotantem creaturas; non quod creatura connotata ſit forma conſtitutiva decreti divini in eſſe liberi, ſed ſolum per modum complemẽti; & in obliquo. Et hæc eſt differentia inter vtranque ſententiam, quod prima docet deficiente actu libero deficere Deo terminationem aliquam intrinſecam ex parte recti quoad terminationem actiuam. Secunda verò nullum agnoſcit defectum ex parte recti, totuſque defectus ponitur ex parte connotati.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDUM Primò. Dei creata libera Dei non poſſe conſtitui per terminationem aliquam intrinſecam defectibilem; nec ſic conſtituta cohærere cum divina immutabilitate. Communi, & efficaci ratione oſtenditur. Quidquid eſt intrinſecum Deo eſt ſummè neceſſarium in exiſtendo, vtpotè indiſtinctum à Deo; ergó implicat eſſe defectibile. Rurſus. Si terminatio illa eſt Deo intrinſeca, & defectibilis; ergo aliquid Deo intrinſecum eſt defectibile; ſed aliquo intrinſeco Dei deficiente Deus mutatur; ergo Deus non erit immutabilis.

4 Reſpondent illud intrinſecum eſſe defectibile quoad terminationem, non quoad entitatem, & perfectionem; Sed contra. Illa terminatio in eo ſenſu, in quo ponitur defectibilis eſt quid Deo intrinſecum, cum Deum conſtituat in eſſe liberé volentis mundum, v.gr. ergo actus liber Dei ſecundùm aliquid intrinſecum eſt defectibilis; ergo eo deficiente in eo ſenſu, in quo ponitur à ſententia oppoſita defectibilis, Deus aliter ſe haberet intrinſecè, & conſequenter mutaretur. Secundò. Quidquid ſit an terminatio illa actiua importet, aut non importet perfectionem eſt aliquid identificatum cum Deo; ergo aliquid identificatum cum Deo eſt defectibile; quod immutabilitatem, & perfectionem actus puri penitùs evertit.

5 Tertiò. Terminatio illa ſumpta quoad determinationem non eſt aliquid fictum, nec aliquid extrinſecum Deo, alioquin

quin Deus conſtitueretur in eſſe liberè volentis mundum per aliquid fictum, aut per aliquid extrinſecum, quod prædicti Authores non permittunt; ergo eſt aliquid reale, & intrinſecum Deo; ergo ponendum eſt aliquod reale Deo intrinſecum defectibile, quod ſine mutabilitate eſſe non poteſt. Quartò. Relationes divinæ non ſunt aliquid re ipſa diſtinctum ab eſſentia; immò nec ſunt alia res; vt plures eorum opinantur, cum in divinis non ponant tres res; nec in ſuo conceptu formali, & expreſſo important perfectionem; & tamen probarent ſummam mutationem in Deo ſi eſſent defectibiles; ergo quod terminatio illa non addat entitatem, vel perfectionem actui neceſſario non impedit, ſed ponit mutabilitatem, ſi eſt defectibilis. Eàque propter ea terminatio qualitercumque, aut quomodocumque exponatur, aut qualicumque tergiverſatione efficaciam argumenti declinet, mutabilitatem excuſare non poteſt, ideòq; ab alijs impugnationibus abſtineo.

6 Adhûc tamen aliqui ſe ſatis occurrere opinantur ponendo inter actum neceſſarium, & terminationem liberam, diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſivè eminentialem, vi cuius re ipſa ſuſcipere poſsit prædicata contradictoria: vt patet in eſſentia, & relatione, quæ beneficio ſimilis diſtinctionis ſubeunt prædicata contradictoria, & ita eſſentia realiter communicatur, paternitas re ipſa non communicatur filio; ergo etiam inter actum liberum, & neceſſarium poni poterit diſtinctio virtualis intrinſeca, vi cuius vt neceſſarius ſit indefectibilis, & vt liber ſit defectibilis. Præterea. Ponunt actum liberum volitionis divinæ eſſe æquivalenter nolitionem, ſolumque ab ea virtualiter diſtingui, ſicut & volitio huius creaturæ à volitione alterius; vndè de facto exiſtit in Deo formaliter nolitio mundi quoad totam ſuam entitatem, & perfectionem, non tamen virtualiter, & æquivalenter, ideòque non denominat Deum nolentem: è contra, quia exiſtit in Deo volitio mundi non ſolùm quoad ſuam entitatem, & perfectionem, ſed etiam æquivalenter, & virtualiter denominat Deum volentem. Notant tamen hanc diſtinctionem virtualem eſſe prorſus diverſam à diſtinctione virtuali ſupra contra alios impugnatam, quoniam illi ponebant diſtinctionem virtualem, vi cuius volitio diſtingueretur realiter à nolitione, & ab illa realiter ſepararetur, quod repugnat: attamen diſtinctio virtualis hic aſsignata ſolùm probat diſtinctionem virtualem volitionis à nolitione, atque adeò ſolam ſeparabilitatem, ac defectibilitatem virtualem.

7 Sed hæc doctrina mihi difficilis apparet, ac rem difficilem replicatis terminis difficiliorem reddit. Etenim iuxta dicta Deus non eſt formaliter volens exiſtentiam mundi, nec formaliter nolens exiſtentiam alterius mundi; ergo non eſt formaliter liber. Patet conſequentia. In eo ſenſu Deus dici poteſt actu, & formaliter liber circa exiſtentiam mundi, quatenus actus volitionis mundi eſt defectibilis; at in eorum ſententia eſt defectibilis tantùm virtualiter, & equivalenter; ergo eſt liber tantùm virtualiter, & æquivalenter. Urgetur. Actus liber conſtituitur in eſſe talis per defectibilitatem, nam idem eſt actum eſſe liberum, ac defectibilem; ſed eſt defectibilis dumtaxàt virtualiter; ergo liber dumtaxat virtualiter. Maior eſt certa, procedit enim á conſtitutivo ad conſtitutum. Minor eſt doctrina Adverſariorum; conſequentia autem legitimè infertur; & tamen mihi abſurda videtur.

8 Nihilominus reſpondent id eſſe verum in creatis, non in Deo; vndè volitio creata non eſt formaliter libera, niſi ſit formaliter contingens, & defectibilis propter ſuam limitationem: non ita divina propter ſuam infinitatem, & eminentiam, quarè ad libertatem formalem ſatis eſt defectibilitas virtualis: nam formalis importat imperfectionem Deo repugnantem, non tamen virtualis. Ex quibus reſpondent conſtitutivum formale libertatis non eſſe defectibilitatem formalem, ſed virtualem.

9 Sed ſimili ſubterfugio protegere curarunt ſuum opinandi modum Silva, & Thomaſinus dubio antecedenti impugnati, aſſerentes aliter diſcurrendum de libertate Dei, ac de libertate creaturæ, ideòque divinam propter ſuam immutabilitatem ſolùm exigere electionem ſpontaneam, & voluntariam, quamquam creata propter ſuam limitationem exigat defectibilitatem; & tamen hæc differentia

cæteris omnibus Theologis non arridet; ergo nec prædicta arridere poteſt. Nec dubito libertatem divinam diſtare à creata, quantum diſtat Deus á creaturis, non tamen in his, quæ ſpectant ad conceptum libertatis, quare vel neganda erit Deo formalis libertas, vel ponenda erit formalis defectibilitas.

10 Secundó. Eactenus volitio mundi denominat Deum libere volentem mundum, & non nolentem, quatenus eſt volitio, & non nolitio; at iuxta ipſos eſt volitio, & non nolitio virtualiter, & non formaliter; ergo denominat Deum liberé volentem virtualiter, & non formaliter. Tertiò. Ex terminis idem eſt liberum, ac defectibile; ergo idem erit liberum formaliter, ac defectibile formaliter; patet conſequētia in cæteris omnibus prædicatis, quia idem eſt neceſſarium, ac non liberum, in eo ſenſu, quo aliquid eſt neceſſarium, eſt non liberum: quia idem eſt intellectivum, ac potens intelligere, & quo ſenſu aliquod eſt intellectivum, eſt potens intelligere, &c.

11 Ulteriùs. Permiſſa totâ eâ doctrinâ adhúc eádem innodantur difficultate. Nam Deus conſtituitur formaliter liber per defectibilitatem virtualem iuxtá dicta; ergo hæc virtualitas eſt defectibilis; ſed hæc eſt aliquid Deo intrinſecum; ergo ſemper aliquid Deo intrinſecum eſt defectibile. Si propterea reſpondeant illam virtualitatem eſſe defectibilem virtualiter, & non formaliter; profectò incidunt in modum ſuprà ab ipſis, & à nobis impugnatum aliorum aſſerentium terminationem liberam eſſe defectibilem quoad terminationem, & non quoad formalitatem; vnde argumenta ab ipſis efformata contra terminationem formalem defectibilem quoad terminationem, & non formaliter, pari efficacia retorqueri poſſunt contra virtualitatem defectibilem virtualiter, ſivè quoad virtualitatem, & non formaliter.

(o)

Probabilior ſententia eligitur, ac authoritate ſuadetur.

§. III.

12 DICENDUM Igitur ſecundó actum liberum Dei nihil intrinſecum addere actui neceſſario, ſed eſſe ipſam entitatem actus neceſſarij connotantis extrinſecum, ſivé importantis habitudinem ad obiectum volitum. Hanc ſententiam iudico præ cæteris eligendam, non ſolùm quia magis apta ad conciliandam Dei libertatem cum eius immutabilitate, ſed quia á Parente Anſelmo clariſsimé traditá, & ab Ang. Doctore pluribus confirmata. Nam Anſelmus in Monol. cap. 25. „ ait: Sed quid repugnant quorundam, „ quæ accidentia dicuntur, ſuſceptibilitas „ & naturalis incommutabilitas, ſi ex eo„ rum aſſumptione nulla ſubſtantiæ con„ ſequatur variabilitas; omnium quippè, „ quæ accidentia dicuntur, alia non „ niſi cum aliqua participantis variatione „ adeſſe, & ab eſſe poſſe intelliguntur, vt „ omnes colores; alia omninò nullam „ vel accedendo, vel recedendo mutatio„ nem circa id, de quo dicuntur, efficere noſcuntur, vt quædam relationes... „ Palam itaque fit, quia eorum, quæ „ accidentia dicuntur, quædam aliqua„ tenus attrahant commutabilitatem, „ quædam verò nullatenus ſubtrahant „ incommutabilitatem. Sicut igitur ſum„ mæ natura accidentibus mutationem „ efficientibus nunquam in ſua ſimplici„ tate locum tribuit; ſic ſecundùm ea, „ quæ nullatenus ſummæ incommutabi„ litati repugnant, aliquando dici aliquid „ non reſpuit, & tamen aliquid eius eſ„ ſentiæ, vnde ipſa variabilis intelligi „ poſsit, non accidit. En qualiter expreſsè docet aliquid dici poſſe contingenter de Deo, quod eius immutabilitatem non detrahit, ſi ſit reſpectivum, quod ibidem docet poſſe dici accidens impropriè, quia non phiſicè, ſed logicè advenit divinæ ſubſtantiæ; hoc autem non eſt aliud, quàm habitudo ad creaturas; ergo actus liber, & contingens nihil addit neceſſario niſi habitudinem ad creaturas.

13 Ang. Doctor non tam eâdem doctrinâ, quam eiſdem terminis vtitur. Nam

§. 3. p. q. 16. a. 6. ad 2. ait: Dicendum, quod „ fieri importat, quod aliquid prædicetur „ de novo de altero; vndè quandocumque „ aliquid prædicatur de novo de altero „ cum mutatione eius, de quo dicitur, tũc „ fieri est mutari; & hoc contingit in om„ nibus, quæ absolutè dicuntur, non enim „ potest albedo, aut magnitudo advenire „ alicui, nisi per hoc, quod de novo muta„ tur ad albedinem, vel magnitudinem: ea „ verò, quæ relativè dicuntur, possunt de „ novo prædicari de aliquo absque eius „ mutatione: sicut homo de novo fit dex„ ter absque sui mutatione per motum „ alterius, qui fit sinister. Undè in talibus „ non oportet omne, quod dicitur fieri, „ esse mutatum, quia hoc potest accidere „ per mutationem alterius; & per hunc „ modum dicimus, Deus refugium factus „ est nobis. Esse autem hominem conve„ nit Deo ratione vnionis, quæ est relatio „ quædam, & ideò esse hominem prædi„ catur de novo de Deo absque eius mu„ tatione per mutationem humanæ natu„ ræ, quæ assumitur in divinam personam. „ Et ideò cum dicitur, Deus factus est ho„ mo, non intelligitur aliqua mutatio ex „ parte Dei, sed solúm ex parte natu„ ræ.

14 Item q. 33. de ver. art. 4. ad 1. „ Velle Dei est necessarium, & æternum „ ex parte volitionis, quæ est divina essen„ tia; & ex parte eius, quod est ratio vo„ lendi, quod est divina voluntas; non au„ tem quantum ad respectum volitionis „ ad volitum. *Et ad* 13. Cum dicitur „ Deum velle aliquid, non significatur il„ lud in esse Deo; sed tantummodo im„ portatur ordo ipsius ad illius effectio„ nem in propria natura, & ideó ex hac „ parte deficit conditio absolutæ necessi„ tatis. *Et* 1. *contra Gent. cap.* 82. Voluntas „ Dei vno, & eodem actu vult se, & alia, „ sed habitudo eius ad se est necessaria, & „ naturalis; habitudo autem eius ad alia „ est secundum convenientiam quandam, „ non quidem necessariam, & naturalem, „ sed voluntariam. Idem repetit 1. p. q. 19. art. 2. ad 1. Idem, eademque claritate pluribus alijs in locis. Constat ergo ex vtroque S. Doctore habitudinem ad aliud prædicari de Deo contingenter, & liberè; & nullam efficere mutationem in Deo: & hoc modo Dei filius factus est homo sine mutatione; ac Deus refugium factus est nobis; factus est autem refugium nobis per actum liberum suæ voluntatis; ergo actus liber voluntatis divinæ solúm importat supra entitatem actus necessarij habitudinem ad volitum.

(†)

Ratione probatur.

§. IV.

15 QUAMQUAM In his, & similibus controversijs præcipua ratio pendeat ex solutione argumentorum. Nihilominus ratione ostenditur conclusio. Per id constituendus est actus liber Dei, quod importet defectibilitatem cum immutabilitate coniunctam; sed hoc habet actus necessarius cum habitudine ad creaturas; ergo in hoc, & non alio constituendus est actus liber Dei. Minor, in qua sola potest esse disidium, probatur. Defectibilitas habitudinis, connotationis, aut connexionis cum creaturis non probat defectibilitatem in actu libero, cui nihil intrinsecum ea deficiente detrahitur, nec posita ponitur, sed tota defectibilitas se habet ex parte obiecti voliti. Et probatur. Ut deficiat in actu habitudo ad aliud satis est defectus alterius, quemadmodum vt deficiat connexio inter duo extrema non requiritur defectus vtriusque extremi, sed sufficit defectus vnius, vt connexio in altero deficiat nulla facta mutatione in illo; ergo vt deficiat habitudo actus liberi ad creaturas satis erit defectus creaturarum nulla facta mutatione in actu libero Dei.

16 Explicari potest doctrina, & exemplis suprà ab Anselmo, & Thoma allegatis; & vlterius exponitur in scientia Dei, quæ tendens ad obiectum posibile est scientia necessaria simplicis intelligentiæ, & posita existentia obiecti redditur scientia libera visionis, quin propterea existentia, vel non existentia obiecti ponat aliquid, vel demat in scientia, nec vllam mutationem in ea efficiat; ergo pariter actus necessarius voluntatis transire poterit de necessario in liberum ex sola connotatione obiecti liberi nulla facta mutatione in actu.

17 Reſpondet eruditione ſolita Card. de Aguirre t. 1. in S. Anſelmum diſp. 37. ſect. 2. num. 12. Nullum aſsignari poſſe inter ſcientiam liberam, & volitionem diſcrimen idoneum, cum etiam ſcientia per ſe ipſam independenter ab obiecto extrinſeco tranſeat à neceſſaria in liberam. Et aliundè eſt aperta inter vtranque diſparitas. Nam ſcientia libera ſupponit decretum, vi cuius creaturæ habent exiſtentiam, quam ſcientia ſpeculatur: attamen decretum liberum eſt prima cauſa exiſtentiæ rerum, vnde non poteſt conſtitui in eſſe talis dependenter à creaturis, ſed conſtitutum ſupponitur, ſicut omnis cauſa ſupponitur ad effectum.

18 Sed contra. Quanquam ſcientia libera vt purè ſpeculativa ſupponat decretum, & conſequenter creaturas exiſtentes, aut extituras pro ſua differentia temporis, non tamen vt practica, quo ſenſu [vt docet D. Thomas, & cum eo frequentius Theologi] eſt cauſa rerum, vt infra operoſiùs confirmabimus; ergo ſcientia libera vt practica tranſit de neceſſaria in liberam per ordinem ad effectum, quem cauſat; ergo pariter decretum liberum Dei. Quo tamen ſenſu ſivè ſcientia, ſivè actus voluntatis conſtituatur in eſſe liberi per connotationem, & habitudinem ad effectum, quem cauſat, infrà exponemus. Præterea. Licèt exiſtentia creaturæ ponatur ex vi decreti, ſcientia tranſit de neceſſaria in liberam poſita tali exiſtentia nulla ſuperaddita ſcientiæ formalitate, aut perfectione intrinſeca, ſed ſola habitudine ad creaturam exiſtentem; ergo ſola ſuperaddita habitudine ad terminum actus voluntatis tranſire poterit à neceſſario in liberum.

19 Dices ex doctrina laudati Doctoris non ſufficere ad libertatem actus cohærentiam defectibilitatis cum immutabilitate, ſed vlterius requiri ſummam independentiam à creaturis, hoc enim eſt neceſſarium, & dignum Deo; at conſtitutivum actus liberi aſsignatum importat dependentiam à creaturis ſaltim tanquam à connotato; ergo eſt inſufficiens. Reſpondeo eam non eſſe dependentiam, ſed connexionem, & habitudinem; quod ſi dependentiam importaret negari non poſſet dependentia in Omnipotentia, nec in ſcientia neceſſaria connexa cum poſsibilibus; nec in libera connexa cum futuris; nec in eſſentia in ratione ideæ connexa cum rebus ideatis; nec in ipſo ſupremo Dei dominio, quod intelligi non poteſt ſine habitudine ad inferiores.

Argumenta oppoſita diſſolvuntur.

§. IV.

20 ARGUITUR Primò. Habitudo libera actus neceſſarij ad creaturas eſt quid intrinſecum Deo; ſed illa habitudo eſt defectibilis, ac re ipſa deficeret deficiente creatura; ergo aliquid intrinſecum Dei eſt defectibile. Maior probatur. Habitudo illa eſt id, per quod Deus conſtituitur in eſſe liberè volentis creaturam; ſed id, per quod Deus conſtituitur in eſſe liberè volentis creaturam eſt aliquid intrinſecum, aliàs divina libertas conſtitueretur per aliquid extrinſecum, atque adeò per aliquid creatum; ergo habitudo illa eſt aliquid intrinſecum.

21 Ulteriùs. Decreta libera Dei ſunt intrinſeca Deo; at decreta libera poſſunt deficere, alioquin libera non eſſent, ſed neceſſaria; ergo conſtituenda ſunt per aliquid intrinſecum defectibile; ergo ſi deficiente habitudine nihil intrinſecum deficit, per talem habitudinem ad creaturas conſtitui non poſſunt; ſi autem ea deficiente deficit aliquid intrinſecum, corruunt omnia argumenta facta contra terminationem intrinſecam.

22 Ad argumentum diſtinguo maiorem. Eſt quid intrinſecum reſpectivè, connotativè, aut connexivè, concedo maiorem; abſolutè, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Eſt defectibile reſpectivè, aut connexivè, concedo conſequentiam. Abſolutè, nego conſequentiam. Itaque deficiente creatura nihil intrinſecum deficit Deo, ſed illud intrinſecum Dei deſinit eſſe connexum cum extrinſeco, quod nullam probat defectibilitatem, aut mutationem in Deo, vt ex doctrina Anſelmi, & Thomæ allegata clariſsimè conſtat. Et eodem modo occurrendum eſt alteri impugnationi. Et conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Decreta Dei poſſunt def-

deficere quoad perfectionem intrinſecam, nego minorem, quoad habitudinem ad extrinſecum, concedo minorem, & nego conſequentiam in eodem ſenſu.

23 Inſurges. Implicat decreta libera deficere quoad connexionem cum extrinſeco, & non deficere quoad perfectionem intrinſecam; ergo ſolutio data nulla eſt. Antecedens probatur. Implicat Omnipotentiam deficere vt connexam cum poſsibilibus, & non deficere quoad virtutem intrinſecam; ergo implicat decreta libera deficere vt connexa cum exiſtentibus, & non deficere quoad perfectionem intrinſecam. Hæc impugnatio facilè regreditur in Adverſarios. Implicat enim terminationem aliquam Omnipotentiæ ad poſsibilia deficere non deficiente virtute, immò & tota entitate intrinſeca Omnipotentiæ; ergo implicat terminationem aliquam liberam ad creaturas exiſtentes deficere non deficiente perfectione, immò & tota entitate intrinſeca actus liberi; quare pari titulo ab ipſis reſpondendum eſt.

24 Reſpondeo igitur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio diſparitati eſt, quia prima connexio eſt neceſſaria, ſecunda autem libera: prima connexio ſita eſt in ipſa virtute productiva Omnipotentiæ, vndè ea connexione deficiente neceſſariò deficeret virtus productiva Omnipotentiæ: attamen ſecunda connexio non conſiſtit in aliqua virtute libera Dei, nam ſivè creatura producatur, ſivè non, ſemper in Deo eſt eadem virtus libera ad productionem, vndè ex illius defectu nulla virtus deficit in Deo, ſed ſola habitudo ad obiectum liberum, quod ſolùm probat defectum obiecti liberi. Pateret hæc doctrina in ſcientia neceſſaria, quæ pateretur intrinſecum defectum, ſi ei deficeret habitudo ad aliquam veritatem poſsibilem: attamen ſcientia libera nullum patitur intrinſecum defectum, quanquam deficiat habitudo, vel vt Adverſarij locuntur, terminatio, ad obiectum liberum.

25 Arguitur ſecundò. Si actus liber conſiſteret in entitate actus neceſſarij connotantis temporaneam exiſtentiam creaturæ, Deus non eſſet liber ab æterno; ſed hoc eſt incidere in ſententiam Aureoli cæteris omnibus exoſam, & à nobis improbatam; ergo in eo non conſiſtit. Maior probatur. Deus non eſt actu liber, niſi ponens aliquid, quod poſsit non ponere; ſed ſi actus liber conſiſtit in entitate actus neceſſarij connotantis temporaneam exiſtentiam creaturæ, Deus ab æterno nihil poneret, quod poſſet non ponere; ergo non eſſet liber ab æterno. Minor probatur. Entitas actus neceſſarij connotantis exiſtentiam temporaneam creaturæ conſurgit ex entitate actus, & exiſtentia temporanea creaturæ; at ab æterno nec ponit entitatem actus neceſſarij potens non ponere, nec re ipſa ponit exiſtentiam temporaneam creaturæ; ergo nihil ponit ab æterno potens non ponere.

26 Explicatur. Deus non eſt liber in aliquo complexo, niſi pro libito ponat, aut totum, aut ſaltim partem illius; ergo non eſt liber in hoc complexo *Vola creare mundum*, niſi ponat pro libito totum, aut partem; at ſi libertas illius actus conſiſtit in entitate actus neceſſarij connotantis exiſtentiam temporaneam mundi, nec ponit totum, nec partem pro libito ab æterno; ergo Deus in illo complexo non eſt liber. Probatur minor. Non ponit pro libito ab æterno entitatem volitionis, quę eſt neceſſaria: non exiſtentiam mundi, quæ eſt in tempore; ergo nihil ponit ab æterno pro libito; ergo ſolum Deus eſt liber circa exiſtentiam mundi; dum in tempore mundum pro libito producit, quod eſt incidere in ſententiam Aureoli.

27 Reſpondeo, quod ſicut in ſententia oppoſita terminatio activa volitionis liberæ ad creaturas eſt ab æterno, quin ſit ad creaturas exiſtentes ab æterno, ſed ad creaturas extituras pro ſua differentia temporis, & iam ab æterno futuras; ita in noſtra ſententia connotatio, & habitudo. In forma, nego maiorem. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Et exiſtentia temporanea exercita ab æterno, nego maiorem. Exercenda pro ſua differentia temporis, & iam ab æterno futura, concedo maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Etenim in nulla ſententia negari poteſt decretum æternum importare habitudinem, & connotare exiſtentiam temporaneam rei determinatæ, ſivè à tali re tanquã à connotato pendeat ad ſui exiſtentiam,

ſivè non pendeat; vndè controverſia eſſe non poteſt in eo, quod decretum æternum connotet exiſtentiam temporaneam rei, ſed in eo, quod tale connotatum poſsit, vel non poſsit concurrere adhuc per modum connotati ad conſtitutionem decreti liberi, quod alterius eſt argumenti: per quod conſtat ad confirmationem.

28 Arguitur tertiò. Nulla cauſa conſtituitur per ſuum effectum, quia pro priori debet ſupponi conſtituta, ſed volitio divina eſt cauſa omnis effectus creati; ergo nequit conſtitui per illos; atqueadeó per aliquid intrinſecum indepẽdens ab effectu conſtituitur talis volitio libera. Secundò. Deus nequit intelligi volens creaturam, niſi creatura ſupponatur exiſtens, quia generaliter nulla denominatio conſiſtens in coexiſtentia duorum intelligi poteſt, niſi vtroque extremo exiſtente; ſed volitio libera Dei nequit ſupponere creaturam exiſtentem; ergo denominatio liberè volentis non conſurgit ex entitate actus neceſſarij, & exiſtentia creaturæ.

29 Tertiò. Complexum coaleſcens ex duobus non eſt cauſa alicuius extremi, ex quibus idem complexum coaleſcit; ſed in noſtra ſententia complexum *volitionis liberæ* coaleſcit ex actu neceſſario, & creatura exiſtente; ergo volitio libera non eſt cauſa creaturę exiſtentis; ſed hoc dici non poteſt; ergo dicendum volitionem liberam non coaleſcere ex actu neceſſario, & exiſtentia creaturæ. Quartò. Ideò ſcientia viſionis non eſt cauſa creaturæ exiſtentis, ad quam terminatur, quia illam ſupponit exiſtentem ex vi decreti præcedentis; ergo ſi volitio libera dicit ordinem, & habitudinem ad creaturam exiſtentem, debet eam ſupponere iam exiſtentem, & conſequenter non erit cauſa illius.

30 Quinto. Ideò ſcientia viſionis non eſt cauſa exiſtentiæ creaturarum, eo quod per illam videntur, quia exiſtunt, non verò è contra exiſtunt, quia videntur; at etiam volitio libera dicit habitudinem ad creaturam exiſtentem, quia exiſtit; ergo non eſt cauſa exiſtentiæ illius; quod eſt abſurdum illatum. Denique. Si volitio creandi mundum includit exiſtentiam ipſius mundi, nulla poteſt aſsignari idonea ratio, cur hic mundus potius, quàm alius exiſtat: non enim exiſtit ex libera volitione Dei, quia ipſa libera volitio Dei includit ipſam exiſtentiam mundi; ergo inquirenti cur hic mundus exiſtit potius, quàm alius? Reſponderi non poterit, niſi quia exiſtit, quod eſt inepta reſponſio. Ulteriùs. Neceſſariò committendus erit circulus. Et inquirenti cur hic mundus exiſtit? Reſpondebimus, quia Deus liberè voluit: & ſi inquiratur, cur Deus libere voluit? Reſpondendum erit, quia eſt à Deo liberè volitus; vndè probamus libertatem actus ex libertate obiecti; & libertatem obiecti per libertatem actus; quapropter Vazquez noſtræ ſententiæ Patronus ingenuè fatetur circulum non poſſe excuſari, eſſeque nodum viatoribus prorſus inſolubilem; quod planè eſt difficultati ſuccumbere.

31 Sed hæc à prædicta concluſione nos diſcedere non cogunt. Et ad primum, conceditur totus diſcurſus, noſtram enim concluſionem non impugnat, quia non aſſerimus actum liberum Dei conſtitui per creaturam, ſed eam connotare: nec creatura eſt connotatum actus liberi per modum effectus, quia in hoc ſenſu ſupponit actum liberum veluti ſuam cauſam iam conſtitutam, ſed in eſſe obiecti voliti, & connotati, quo ſenſu eſt in eodem ſigno cum volitione libera, quoniam intelligi non poteſt volitio libera Petri non connotato Petro vt termino volito.

32 Ad ſecundum nego maiorem, quia ad connexionem duorum non requiritur præexiſtentia, ſed coexiſtentia, vt patet in relativis; in Omnipotentia reſpectu poſsibilium, alijſque pluribus exemplis. Ad tertium diſtinguo maiorem. Non eſt cauſa alicuius extremi in eſſe extremi, concedo maiorem; in eſſe effectus, nego maiorem. Sæpè enim contingit in complexo ex duobus vnum eſſe cauſam alterius, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, vbi per verba ponitur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & ex ipſis verbis, ac Corpore Chriſti ſub ſpeciebus conſurgit Sacramentum; & generaliter Sacramenta conficiuntur per verba, & per verba formaliter conſtituuntur: anima rationalis eſt cauſa principalis nutritionis, & ſimul

for-

forma informans partem aggeneratam: Si anima rationalis aſſumeretur, vt inſtrumentum ad creandam materiam, adhuc cum ipſa materia totum conſtitueret; non ergo repugnat partem alicuius complexi aliam producere, & cum ea totum conſtituere.

33 Sed nec repugnat eandem partem complexi eſſe ſimul cum alia in vno ſenſu, & in alio eſſe poſteriorem, vt patet exemplis allegatis. Et vlterius in Verbo Diuino, quod procedit ex cognitione intuitiva ſui; vndè vt procedens ab illo eſt poſterius origine, & vt obiectum illius eſt ſimul cum illa. Secundò. In rebus exiſtentibus, quæ ſunt obiectum ſcientiæ viſionis, & ſimul cum illa, cum tamen eadem ſcientia vt practica ſit cauſa productiva rerum. Si Sol eſſet viſivus, lumen, quod à ſe ipſo effundit, intueretur. Intellectus noſter cognoſcendo entia rationis, efformat, & eſt eorum cauſa; ergo pariter creaturæ in eſſe effectus poſſunt eſſe poſteriores actu libero Dei, & in eſſe obiecti voliti ſimul cum illo.

34 Ad quartum dico eam cauſalem eſſe ſufficientem, ſed non adæquatam, nam licet ſcientia viſionis non ſupponeret decretum, ſed creaturas produceret, ſicut re ipſa producit vt practica, eaſdem creaturas intueretur. Per quod conſtat ad quintum. Sed nec hac doctrina indigemus ad hanc controverſiam dirimendam, & ad 4. ac 5. impugnationem diſſolvendam. Vndè ad 4. conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad 5. conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Sed etiam volitio libera dicit habitudinem ad creaturam exiſtentem, quia exiſtit per exiſtentiam habitam ab eadem volitione, concedo minorem. Per exiſtentiam præſuppoſitam ex vi alterius volitionis, vel decreti, nego minorem. Nam ſcientia libera ſupponit decretum liberum, quod tribuit exiſtentiam rebus, quare ſupponit res exiſtentes: non ita decretum, ſed eſt prima radix libertatis, & prima cauſa rerum.

35 Ad vltimum, nego antecedens. Potiſsima enim ratio cur exiſtat hic mundus præ alio eſt diuina voluntas, nimirum quia Deus ita vult. Si autem vlterius inquiratur cur ita velit? Non eſt reſpondendum, quia eſt liberè volitus, ſed quia illius volitio non eſt neceſſariò connexa cum illius bonitate: & ita excuſatur circulus: immò non oportet aliam rationem reddere, niſi quia vult. Quod commune eſt ſententiæ oppoſitæ. Nam inquirenti cur hic mundus exiſtat præ alio? Reſpondebunt, quia ad hunc terminatur per terminationem liberam. Si vlterius inquiratur cur detur in Deo hæc terminatio præ alia? Non aliud reſpondebunt, niſi quia ita vult, vel quia talis terminatio non eſt neceſſariò connexa cum ſua bonitate.

36 Sed contra hanc doctrinam inſurges. Diuina volitio pro priori ad hunc mundum volitum præ alio erat indifferens ad hunc præ alio; at determinari non potuit ab exiſtentia huius mundi adhuc per modum connotati; ergo determinatur à ſe ipſa; ergo à ſe ipſa eſt determinata volitio huius præ alio; ergo libera determinatio Dei non conſurgit ex actu neceſſario, & exiſtentia mundi. Minor probatur. Si libera Dei volitio huius mundi determinaretur ab exiſtentia eiuſdem mundi, hic mundus eſſet determinatè exiſtens pro priori ad determinationem volitionis diuinæ, quod eſt abſurdum; ergo. Vrgetur. Amor neceſſarius Dei eſt indifferens ad amorem, & omiſſionem amoris, ad amandam hanc creaturam præ alia; ad amandam hoc, vel illo tempore, ſub hac vel illa circumſtantia; ergo ponendum eſt in Deo aliquid, à quo determinetur; á creatura enim determinari non poteſt, quoniam pro priori ad determinationem Dei nullam determinationem habet, ſed omnes creaturæ ſunt æquè poſsibiles; ergo datur aliquid intrinſecum inDeo, per quod determinetur, atque adeò conſtituatur in eſſe liberè volentis independenter á creatura.

37 Ad primum, diſtinguo maiorem. Erat indifferens indifferentia orta à potentialitate, aut defectu actualitatis, nego maiorem; quia diuina volitio eſt ſummè actualis, & actualiter poſsidens omnes actualitates. Indifferentia orta á ſumma independentia, & infinitate, concedo maiorem; indifferentia autem orta ab independentia, determinatur à connotatione rei dependentis. Vndè conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo determinatur à ſe ipſa per ordinem ad aliud, concedo conſequentiam, ſine tali ordine, nego conſequentiam. Itaque ipſa diui-

na

na volitio eſt ſe ipſa determinatio huius creaturæ præ alia; quod non impedit vt ipſa determinatio induat per modum termini connotati creaturam. Per quod conſtat ad aliam impugnationem. Ponendum enim eſt in Deo aliquid intrinſecum, per quod determinetur, quod eſt ipſa volitio connotata creatura.

38 Arguitur tertiò. Poſsibilis eſt variatio decreti nulla facta variatione in obiecto extrinſeco; ergo decreta libera nullo pacto pendent ab obiecto extrinſeco connotato. Antecedens probatur. Quoties creatura eſt vtilis ad plures fines, ſicut eligitur per hoc decretum ad hunc finem, poſſet eligi per aliud decretum ad alium finem; ſed hoc in eventu variaretur decretum nulla facta variatione ex parte creaturæ; ergo invariata creatura poteſt variari decretum.

39 Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Nulla facta variatione in obiecto extrinſeco ſubiectivè, concedo maiorem; terminativè, nego maiorem. Itaque Incarnatio v. g. licèt materialitèr, & ſubiectivè eadem, ſit volita propter homines, ac volita propter Angelos, nihilominus volita propter redemptionem hominum eſt formaliter, & terminativè diverſa à ſe ipſa volita propter redemptionem Angelorum per aliud decretum.

40 Dices. Creaturam eſſe volitam hoc, vel illo modo, ad hunc, vel illum finem eſt denominatio extrinſeca deſumpta à volitione Dei: ergo nihil ponit intrinſecum in creatura; ergo immutata creatura variatur actus liber Dei; ergo vel dicendum creaturam nullo pacto ingredi, nec de connotato ad conſtituendum actum liberum Dei, vel ponendus erit novus actus in Deo ſine mutatione ſui, nec creaturæ; quod in communi Theologorum ſententia prorſus repugnat. Secundò. Actus liber Dei poteſt eſſe de obiecto conditionato ſub conditione nunquam purificanda, vt volo converſionem Iudæ ſub hac circunſtantia nunquam ponenda; ſed in tali obiecto nulla fit mutatio; ergo poſsibilis eſt actus liber nulla facta mutatione in creatura; ergo dicendum actum liberum nullo pacto pendere à connotato creaturæ.

41 Hæc & alia ſimilia argumenta eandem pari difficultatem in ſententia oppoſita perſpicuum eſt, nam terminatio activa, per quam conſtituunt actum liberum Dei, ordinari poteſt ad creaturam ſub hoc, vel illo fine. Inquiro igitur, vel actus liber Dei terminatus ad Incarnationem propter ſalutem Angelorum, vel propter ſalutem hominum, immutat Incarnationem, vel non immutat? Si immutat, nihil evincit argumentum. Si non immutat; ergo vel mutatur phiſicè Deus, vel datur novus actus in Deo ſine mutatione Dei, nec creaturæ. Et ita retorquetur altera impugnatio.

42 Undé reſpondeo negando antecedens, quia licèt volitio noſtra, quæ non eſt cauſa rei volitæ, ſed tantùm affectiva, poſsit denominare obiectum purè extrinſecè volitum, attamen volitio Dei eſt effectiva, & cauſa rei volitæ, quarè dùm vult effectum in ordine ad hunc finem, re ipſa ſuo tempore ponit effectum in ordine ad talem finem, quo ſemel poſito non poteſt iterum velle eundem effectum in ordine ad alium finem, vt ſæpè propter oppoſitam rationem contingit in creaturis, ideoque purè extrinſecè denominant. Ad ſecundum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Nulla fit mutatio in obiecto abſolutè, concedo minorem, conditionatè, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Si autem vrgeant. Volitio eſt abſolutè in Deo, & creatura non exiſtit abſolutè, ſed tantùm conditionatè; ergo nequit conſtitui per habitudinem ad creaturas. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; vt patet in cognitione obiecti conditionati, quæ neceſſariò involvit obiectum, cum tamen obiectum exiſtat tantùm conditionatè, & cognitio ſit abſolutè in Deo.

43 Arguitur quartò. Habitudo ad creaturas nequit eſſe relatio realis, quæ in Deo locum non habet per ordinem ad creaturas; ſed nec rationis, alioquin noſtra ſententia incideret in opinionem conſtituentium actus liberos per relationem rationis, quæ ab aliquibus non tàm impugnatur, quàm deſpicitur; ergo conſtitui non poteſt actus liber Dei in tali habitudine. Reſpondeo D. Thomam §. 3. allegatum expreſſe ponere habitudinem non neceſſariam ad creaturas,

ras, & habitudinem neceſſariam ad ſuam bonitatem. Inquiro. Habitudo illa neceſſaria, vel eſt realis, vel rationis? Si realis, ergo datur relatio realis inter actum voluntatis, & bonitatem ſuam, atque adeò realis diſtinctio, quod eſt hæreticum. Si rationis; ergo actus neceſſarius Dei conſtituitur in eſſe talis per relationem rationis, quod nemo dicet.

44 Rurſus. Habitudo in voluntate, ſicut & in ſcientia Dei ad creaturas negari non poteſt, ſive eam importet in ſuo conceptu actus liber, ſive non. Exponant ergo Adverſarij quid ſit? Dico igitur eſſe entitatem actus abſolutam, licèt à nobis ſignificetur nomine relativo, eo quod importat connexionem voluntariam cum creaturis, & habitudinem vocamus, quæ etiam dici poteſt relatio rationis, non formaliter, ſed fundamentaliter, nec amplius (vt opinor) deſiderat allegata ſententia.

DVBIVM IV.

An in voluntate divina repugnet decretum novum in tempore?

§. I.

1 PARS Negativa fortasè videbitur primo aſpectu ex dictis dubio antecedenti facilè conſequentiæ filo deducta, aut deducenda. Si enim decretum liberum [quocumque modo conſtituatur] nihil addit actui neceſſario, quod intrinſecam mutationem probet, nullum apparet repugnantiæ motivum, vt Deus nova eliciat decreta, aut antiqua deponat. Nihilominus Illuſt. Godoy, diſp. 53. cum alijs Theologis tanquam fide certum ſupponit, nec poſſe Deum nova habere decreta in tempore, nec antiqua deponere, ideoque duntaxat dignum examine iudicat. An ex ſolo titulo phiſicæ imutabilitatis repugnent nova decreta in tempore? Et inquirit. An ex novo decreto phiſica mutatio in Deo inferatur?

2 Nihilominus partem affirmantem defendere videtur Maior. Lychetus, Delphinus, Pennotus, & Gillius apud Emin. Aguirre t. 2. diſp. 38. Subſcribit Hurtado, diſp. 1. de volunt. diffic. 3. docens decreta efficacia peracto effectu non amplius durare. Accedunt Ribadeneyra, & Quirós tuentes denominationes amantis, & odio habentis, advenire, & perire, adveniente, aut recedente peccato. Suffragatur ex parte P. Molina, qui tract. de volunt. quæſt. 14. a. 15. docet, quod ex novo decreto in tempore non ſequitur phiſica mutatio, ſed tantum viciſitudinis obumbratio. Tandem Eximius Suarez, diſp. 30. Met. ſect. 4. ait ex temporanea variatione decretorum non ſequi mutationem phiſicam, ſed moralem, nimirùm inconſtantiam, quæ eſt imperfectio moralis. Cæterorum tamen Theologorum omnium ſententia eſt affirmativa, quam plures iudicant non minus certa fide tenendam, quàm Deum eſſe immutabilem.

Sententia affirmativa eligitur, & probatur.

§. II.

3 DICENDVM Prorſus repugnare in voluntate divina decretum novum in tempore. Id aperte tradit Pſalmiſta Pſalmo 31. *Conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius à generatione in generationem.* Item Num. 23. V. 16. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* & Prov. 19. *Multæ cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini in æternum manet.* Quæ propoſitiones, ſicut & aliæ, quæ traduntur paſsim in Sacra Pagina, veræ eſſe non poſſunt in ſententia oppoſita: ſi enim poteſt Deus habere novam voluntatem, & conſilium; profectò conſilium, & voluntas Domini non manet in æternum.

4 Eandem concluſionem docet Sanctus Anſelmus, lib. de Concordia, cap. 1. *Hoc propoſitum ſecundùm quod vocati ſunt Sancti in æternitate, in qua non eſt præteritum, nec futurum, ſed tantùm præſens, immutabile eſt.* Et in præſenti opuſc. de Volunt. Dei ait: *Cum dicitur*

Deum

Deum mutare voluntatem, vt quibus lenis erat v. g. reddatur aſper; illi potius, quàm ipſe, mutantur, ſicut mutatur Sol oculis ſauciatis, & aſper quodammodò ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur; cum ipſe apud ſe maneat idem, qui fuit.

5 Ut concluſionem ratione probemus notandum eſt eam duplicem habere ſenſum. Primus eſt, quod in voluntate divina repugnet novum decretum diverſum à præcedenti. Secundus eſt, quod repugnet novum decretum in tempore nullo alio præcedente ab æterno. In primo ſenſu ſuadetur ratione deducta ex Anſelmo allegato. Decreta libera Dei menſurantur æternitate; at æterniras eſt prorſus invariabilis; ergo decreta Dei variari non poſſunt. Maior probatur. Decreta Dei ſunt ipſe Deus æternitate menſuratus. Qua ratione dixit Malach. 3. ℣. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor*, quaſi dicat, quia Deus ſum, mutationem decretorum non patior. Minor patet ex ipſa definitione æternitatis, quæ *eſt indiviſibilis, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; at non eſſet indiviſibilis, ſi novum decretum ſuperadderetur in tempore; non tota ſimul, nec perfecta poſſeſſio, ſi modó vnum, modo aliud poſſideret decretum; ergo non eſſet prorſus invariabilis.

6 Dices. Etiam creatio menſuratur æternitate; & tamen Deus habet novam creationem in tempore; ergo etſi decreta libera menſurentur æternitate non repugnant nova decreta in tempore. Sed contra. Et primò hæc obiectio non impugnat rationem præiactam, quoniam ponit creationem eſſe in tempore, & non ab æterno, cum tamen ratio facta procedat de decreto ſemel elicito, & exiſtenti in Deo ab æterno, quod propterea dicimus eſſe invariabile, ſicut ipſa æternitas, qua menſuratur. Secundò. Retorqueo impugnationem. Si creatio mundi eſſet ab æterno in Deo, ſemper æternaliter eſſet ſine vlla prorſus variatione ex parte ſui; ergo ſi decretum producendi mundum eſt ab æterno, debet eſſe æternaliter, & invariabiliter, nec vnquam poteſt ab illo deſiſtere.

7 Tertió. Producere hanc creaturam in tempore, quam ab æterno decrevit producendam in tempore, nullo titulo repugnat, quia hoc non probat variationem, ſed executionem, cum ita ab æterno decreverit, at decernere ab æterno productionem, & poſteà variare decernendo oppoſitum, divinam evertit conſtantiam, & immutabilitatem. Denique. Creatio eſt actio formaliter immanens, & virtualiter tranſiens: primo modo eſt actus voluntatis ab æterno, & in æternum exiſtens in Deo invariabiliter: ſecundo modo afficit creaturam, quam mutat, non Deum, quem mutet, nihil enim ſuperaddit actioni immanenti, quàm exercitam dependentiam creaturæ á Deo, vndé per ſolam connotationem obiecti extrinſeci tranſit Deus à non operante in operantem ad extra: quarè non eſt ſimile.

8 Vlterius. Licét creatura vt effectus creationis ſit variabilis, cum hoc modo tranſeat de non eſſe ad eſſe, attamen vt terminus, vel connotatum actus liberi voluntatis eſt prorſus invariabilis; ergo & actus liber voluntatis eſt omninò invariabilis. Patet conſequentia, quia actus liber variari non poteſt, niſi variato aliquo ingrediente ad illius conſtitutionem, vel ex parte recti, vel ex parte connotati; at rectum eſt invariabile, cum ſit entitas actus neceſſarij; ergo ſi creatura vt terminus, & connatum illius actus etiam eſt invariabilis, opus eſt vt actus ſit omninò invariabilis. Primum autem antecedens probatur. Creatura non eſt variabilis vt præcedit actum divinæ voluntatis, cum vt ſic ſit poſsibilis, & poſsibilitas eſt neceſſaria: non vt volita per talem actum, quia vt ſic vel ſupponitur exiſtens in menſura æternitatis, vel neceſſariò extitura in ſu differentia temporis; at creatura ſemel exiſtens, vel extitura, eſt neceſſariò exiſtens, vel extitura; ergo vt connotatum actus liberi eſt invariabilis; ergo & ipſe actus.

9 Hæc vltima ratio non arridet Card. de Aguirre. Nam iuxta hanc doctrinam vix, aut né vix quidem immutabilitas decretorum Dei erit maior immutabilitate decretorum hominum, nam hæc Dei immutabilitas ſita eſt in eo, quod creatura ex ſuppoſitione exiſtentiæ in ſua differentia temporis non poſſit non eſſe futura ab æterno; at etiam reſpectu hominis id, quod ab ipſo decerni-

cernitur ex ſuppoſitione, quod erit, eſt neceſſariò futurum; ergo non erit maior immutabilitas decretorum Dei immutabilitatem decretorum hominum.

10 Sed hoc nihil vrget. Nam licèt res extitura ex ſuppoſitione, quod erit, ſit neceſſariò futura, tám reſpectu Dei, quàm reſpectu hominis: attamen ex voluntate hominis non habet, quòd ſit neceſſariò, & infallibilitèr extitura, ſicut habet ex voluntate Dei. Rurſus. Actus liber hominis non pendet, nec tanquam à connotato ab exiſtentia rei volitæ, ſed eſt actus diſtinctus, qui poteſt adeſſe, & abeſſe à voluntate humana, ſive obiectum volitum exiſtat, ſive non exiſtat: attamen actus liber Dei eſt ipſemet actus neceſſarius vt connotans exiſtentiam creaturæ, quam exiſtentiam habet creatura ex vi eiuſdem actus.

11 Probatur concluſio in ſecundo ſenſu, nimirùm repugnare novum decretum in Deo quanquam de eadem re nullum aliud præceſſerit. Voluntas non tendit niſi in bonum cognitum, vt docent Philoſophi, & tradit D. Thomas 1. p. quæſt. 19. a. 7. ergo novitas voluntatis, vel provenit ex novitate boni, vel ex novitate cognitionis; ideó enim creatura amat, quod antea non amabat; vel quia res amata eſt nunc amanti bona, cum antea non eſſet; vel quia antea non cognita modó cognoſcitur; ſed vtrumque deſtruit divinam immutabilitatem; primum namque arguit mutationem in eſſentia, cum aliquid boni ei accreſcat in tempore; ſecundum verò in ſcientia, cum nunc cognoſcat, quod antea non cognoſcebat.

12 Reſpondent novitatem amoris divini ortum non habere, nec ex novitate bonitatis, nec cognitionis, ſed ex libertate arbitrij, quo velle poteſt, quod antea nolebat. Sed contra. Implicat voluntatem divinam ex ſola libertate arbitrij velle, quod antea nolebat. Et probatur. Voluntas, quæ modò vult, quod antea nolebat eſt voluntas inconſtans, & imprudens, ideoque in humana propter ſuam inconſtantiam, & flexibilitatem locum habet, quam inconſtantiam negant frequentius Theologi, non ſolúm Deo, ſed etiam Angelis propter ſuam inflexibilitatem; ſed imprudentia, & inconſtantia locum non habet in Deo; ergo nec poteſtas ad amandum, quod antea non amabat ſtante eadem bonitate, eodemque modo cognita, ex ſola libertate arbitrij.

13 Secundò. Exercitium libertatis nequit eſſe novum motivum, vt Deus in tempore velit, quod ab æterno noluit; ergo cùm nulla detur novitas ex parte bonitatis, & cognitionis, nullum ſupereſt motivum vt Deus eliciat novum decretum in tempore. Antecedens probatur. Ipſum bonum, quod eſt in exercitio libertatis erat cognitum ab æterno; ergo non eſt novum motivum in tempore; ergo ex titulo libertatis nequit habere novum decretum in tempore, ni dicas voluntatem divinam novum decretum elicere ſine novo motivo. Tertiò. Implicat novus amor in tempore, niſi facta mutatione, vel ex parte obiecti amabilis, vel ex parte voluntatis amantis, vt ſæpiús dictum eſt; at nulla eſt mutatio ex parte obiecti amabilis, vt ſupponimus; ergo ſolùm ſupereſt vt detur mutatio ex parte voluntatis amantis; ergo hæc novitas decreti non cohæret cum divina immutabilitate.

14 Quartò. Deus non eſt liber in volendo, nec nolendo creaturas; ergo ex motivo exercendi libertatem nequit habere novum decretum in tempore, ſed neceſſariò ab æterno voluit, aut noluit. Antecedens probatur. Actus liber voluntatis divinæ eſt ſummè actualis, & infinitus; ſed hoc ipſo ſe extendit neceſſariò ad omne volibile, aut volendo, aut nolendo; ergo Deus non eſt liber quantum ad velle, nec nolle. Minor probatur. Non eſt ſummè actualis ille actus, cui deficit aliqua actualitas; nec infinitus, cui deficit aliqua extenſio, quam poteſt habere; ergo actus ſummè actualis, & infinitus neceſſariò ſe extendit ad omne volibile, vel volendo, vel nolendo, in quo ſita eſt divina libertas, quoniam libertas Dei non eſt in potentia, ſicut noſtra, per ordinem ad actum, ſed in ipſo actu, quo poteſt ſe extendere ad creaturas volendo, aut nolendo.

15 Dices non repugnare novitatem ex parte cognitionis, quia non implicat Deum ab æterno non cognoſcere eas creaturas volitas per novum decretum in tempore, nec carentia cogni-

tio-

tionis argueret mutationem in Deo, eo quod ſcientia libera nihil ſuperaddit ſcientiæ neceſſariæ, niſi denominationem extrinſecam, aut relationem rationis, aut connotationem, aut aliquid aliud; quod mutationem cauſare non poteſt. Sed ſi hæc ita ſunt poterit Deus ab æterno non cognoſcere ea, quæ ab æterno futura ſunt: immò nec exiſtentia etiam dùm exiſtunt, quia ea cognitio non ſuperaddit niſi denominationem extrinſecam, aut aliquid aliud, cuius carentia non arguit defectum intrinſecum mutabilitatis in Deo, quod Adverſarij non dicent.

16 Vndè reſpondeo ſcientiam liberam futurorum non addere ſcientiæ neceſſariæ perfectionem intrinſecam; nihilominus illius carentia argueret ſummam imperfectionem, quia non eſſet omniſcius, ſed potius ignarus; ſicut carentia divinarum relationum argueret ſummam imperfectionem in Deo, quàmquam relationes nullam perfectionem ſuperaddant.

17 Propter hæc P. Suarez reſponder ex dictis ſolùm inferri in Deo inconſtantiam, quæ eſt imperfectio moralis, non verò mutationem phiſicam immediate, ſed ſolùm per conſequentiam mediatam, quia nihil perfectionis intrinſecæ ponitur, aut tollitur ex variatione decretorum. P. autem Molina reſpondet nullam ſequi mutationem, ſed ſolam viciſitudinis obumbrationem. Sed in his immorandum non eſt, quod enim mutatio phiſica ſequatur per conſequentiam immediatam, aut mediatam, res eſt parvi momenti. Et ſequi immediatè ex dictis ſatis evincitur.

18 Rurſus. Quia volitio variabilis, & mutabilis non niſi in voluntate variabili, & mutabili recipi poteſt, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; ergo ex decreto mutabili probatur immediatè mutabilitas voluntatis. Prætereà. Quia voluntas divina non eſſet ſummè actualis, ſed in potentia reali ad actum habendum in tempore, quapropter etſi ab æterno potuit Deus non habere decretum creandi mundum, nunquam tamen fuit in potentia ad illud, ſed ex quo Deus eſt, tale decretum habuit; ſi tamen haberet tale decretum in tempore, & non ab æterno, eſſet in potentia reali ad illud quod repugnat. Diſtinctio autem adducta a Molina inter tranſmutationem, & viciſitudinem admittenda non eſt. Nec Jacobus tanquam duo diſtincta propoſuit, dùm dixit: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſitudinis obumbratio*, quaſi diceret, in Deo locum non habet tranſmutatio, nec tranſmutationis vmbra, ſive fundamentum quantumvis minimum tranſmutationis.

19 Denique reſpondent Hurtado, Ribadeneyra, Quirós, & alij nullam ſequi tranſmutationem, nec inconſtantiam, quia Deus de facto ſuos variat affectus penes amorem, & odium, quoniam amat hominem iuſtum, & eundem poſteà iniuſtum odio habet; ſed hoc nullam arguit inconſtantiam, aut mutationem in Deo; ergo nec decretorum variatio ex ſuæ voluntatis arbitrio; & ita docere videtur Ambr. in cap. 1. Luc. vbi ait: *Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum.* Reſpondeo negando maiorem, quia Deus ab æterno, & in æternum amat iuſtum pro tempore iuſtitiæ, & odio habet iniuſtum pro tempore peccati ſine vlla mutatione ex parte Dei cum ſola mutatione ex parte creaturæ modò iuſtæ, modò iniuſtæ. Ex quo ortum habet, vt ſi hæc obiecta conſiderentur in propria menſura deleto peccato per pœnitẽtiam odium Dei modò non terminetur ad hominem pro hoc tempore, ſed pro præterito, cum iam non ſit obiectum odij, cum antea eſſet. Quæ doctrina negari non poteſt á prædictis Doctoribus, alioquin dicendum eſſet non ſolùm de poſsibili, verùm de facto quotidiè Deum mille variare decreta, & plures in quolibet inſtanti concipere affectus, ac totidem deponere, deterioriſque conditionis eſſet Deus, quàm creatura, *quæ quolibet vento circumfertur.* Jacobi 1. V. 6. Ad id autem, quod additur ex Ambroſio expreſſam ſolutionem habes ex eodem Ambroſio ſupra dub. 1. §. 4.

***

Solvuntur

Solvuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ.

§. III.

20 PRÆTEREA Contra prædictam concluſionem vrget argumentum §. 1. propoſitum. Decretum liberum Dei nullam ſuperaddit perfectionem, aut formalitatem intrinſecam ad entitatem actus neceſſarij; ergo quamquam incipiat in tempore, aut ab illo deſiſtat, nulla ponitur, aut ſeparatur intrinſeca perfectio; ergo nulla ſequitur mutatio. Secundò. Actus liber creandi mundum potuit Deo deficere ab æterno ſine vlla ſui immutatione; ergo & in tempore ceſſare ſine mutationis periculo. Conſequentia probatur. Ideò potuit deficere ab æterno ſine mutationis labe, quia nihil perfectionis intrinſecæ addit actui neceſſario; ſed hoc idem haberet in tempore; ergo & ceſſare, & incipere poteſt in tempore, nihil enim magis haberet in tempore, quàm haberet ab æterno. Tertiò. Ideo Deus ſine mutatione factus eſt homo in tempore, quia id fit per puram terminationem humanitatis, ex quo non ſequitur mutari paſsivè Verbum, ſed Uerbum mutare activè humanitatem; at temporaneum decretum producendi Petrum fieret per ſolam terminationem, aut habitudinem ad Petrum; ergo ex hoc non ſequeretur mutari paſsivè Deum, ſed Deum mutare activè Petrum; ergo tale decretum poni poteſt in tempore ſine immutabilitatis detrimento.

21 Ad argumentum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quæ ex vi formæ non ſequitur, vt patet in exemplo allegato divinarum perfectionum, quæ nullam ſuperaddunt perfectionem eſſentiæ, & tamen illis deficientibus deficeret perfectio eſſentiæ: patet etiam in ſcientia neceſſaria, quæ nullam mutuatur perfectionem á poſsibilibus, ſicut nec omnipotentia; & tamen deficeret tota perfectio ſcientiæ, ſi ea non attingeret, ac perfectio omnipotentiæ ſecluſa connexione cum illis: quia ſunt plura, quæ non mutuantur perfectionem ab alio, non tamen ſunt perfecta ſine illo.

22 Undè reſpondeo defectum volitionis mundi ab æterno non arguere defectum perfectionis intrinſecę propter dicta, volitionem tamen temporaneam, aut nolitionem eam neceſſarió inferre: nam volitio temporanea poteſt contingere vel Deo nihil decernente ab æterno, vel decernente nolitionem. Si primo modo. Sequitu voluntatem divinam non fuiſſe ſummé actualem, ſed potius in potentia reali ad volitionem, vt ſupra dictum eſt, & dubio ſequenti operoſius expendemus. Si ſecundo modo. Sequitur inconſtantia, dùm ſine variatione dictaminis mutat ſententiam; & phiſica imperfectio murabilitatis, quia licèt actus liber non ſit perfectio diſtincta á perfectione actus neceſſarij, eſt tamen phiſica perfectio perſeverare in ſententia, ſive in decreto ſemel elicito nulla poſita variatione in obiecto, aut circunſtantia non prævisa: qua ratione optimè dixit Doctor Ang. 1. p. quæſt. 19. a. 3. *Bonitatem divinam eſſe poſſe ſine alijs, cum nihil perfectionis ex alijs accreſcat; vndè non eſt neceſſarium Deum alia à ſe velle; & tamē neceſſarium eſt ex ſuppoſitione. Suppoſito enim quod velit, non poteſt non velle, quia non poteſt voluntas eius mutari.* Ratio illius eſt, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; cum ergo decretum mundi ponatur in Deo immutabili, recipitur immutabiliter, quarè ſi non recipitur immutabiliter probatur voluntatem eſſe flexibilem, & mutabilem.

23 Ad ſecundum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Quia nihil perfectionis intrinſecæ ſuperaddit, nec formaliter, nec arguitivè, concedo maiorem. Formaliter præcisè; nego maiorem. Nam licèt defectus volitionis mundi non probet defectum volitionis formaliter propter dicta probat arguitivé inconſtantiam, flexibilitatem, & conſequenter mutabilitatem phiſicam voluntatis, quia voluntas æterna, & mutabilis ſolum eſt capax vo-

litionis æternæ, & immutabilis; quaré ô contra ſi volitio eſt temporalis, & mutabilis, voluntas nequit eſſe æterna, & immutabilis; vndé falsó dicitur voluntatem divinam nihil magis habere per volitionem, aut carentiam volitionis in tempore, quàm haberet ab æterno, cum in tempore haberet per nóvam volitionem novam perfectionem realem, ac realiter ſeparabilem, eſſetque voluntas in potentia reali ad illam, cum re ipſa eam non haberet ab æterno: ex carentia illius ſequerentur incommoda ſupra relata; quod totum ex oppoſito contingit in poſitione, vel non poſitione illius ab æterno.

24 Ad tertium, conceſſa maiori, nego minorem. Nam decretum producendi Petrum poſitum in tempore probaret mutationem in Deo non ſolúm terminativam, aut ſecundùm habitudinem, ſed etiam entitativam propter ſæpius dicta. Quod idem dicendum de decreto Incarnationis, quia etſi Incarnatio fieri poſsit in tempore prædefinito, & diſpoſito à divina providentia ab æterno, decretum tamen illius temporaneum probaret omnia incommoda ſupra relata: nam in decernendo, & volendo Deus ſe habet activè; in temporanea verò incarnatione tantùm paſsivé terminando humanitatem, quæ terminatio paſsiva eſſe poteſt per ſolam mutationem humanitatis; ſed activa in tempore eſſe debet per novum influxum; novamque deliberationem potentiæ, ad quam erat in potentia reali, ideoque eſſe debet per novam entitatem actus.

25 Dices. Potuit Deus ab æterno manere ſuſpenſus circa poſsibilia (vt probabilis tuetur opinio) ſine nota mutabilitatis, inconſtantiæ, aut ignorantiæ; ergo pariter in tempore ſine periculo mutabilitatis poterit à decreto deſiſtere, aut novum elicere. Data ea ſententia dicendum eſſet per ſuſpenſionem poſitam ab æterno neceſſariò permanendam fore in æternum. Sed eam opinionem dubio ſequenti operoſius examinabimus.

***

DVBIVM V.

An in divina voluntate poſsibilis ſit ſuſpenſio ab omni actu circa creaturas.

§. I.

1 DISPUTARI Solet 1.2. quæſt. 6. An voluntas creata propoſito obiecto poſsit exercere ſuam libertatem per puram omiſsionem? Ubi parti negativæ cum frequentiori Theologorum ſententia ſubſcripſimus, cuius reſolutionis mo iva vrgentius probant in voluntate di v. na, quæ longé purior, & actualior eſt [1]Nihilominus ſententiam affirmativam' noviter tuentur Godoy, Moneda, & alij allegantes Scotum, Ferraram, Durandum, Catherinum, ac Sapientiſsimum Curielem. Sed oppoſitæ ſuffragantur Alij ex vtraque Schola Doctores, quos longum eſſet recenſere.

Sententia negativa eligitur, & probatur.

§. II.

2 DICENDUM Suſpenſionem ab omni actu circa creaturas includere imperfectionem voluntati divinæ prorſus repugnantem. Hæc concluſio meo iudicio ita manifeſto conſequentiæ filo deducitur ex reſolutione dubij antecedentis, vt eiſdem rationibus convinci poſsit; ideò namque diximus, dixeruntque Adverſarij repugnare in voluntate divina novum decretum in tempore, quia ex eo ſequeretur divinæ immutabilitatis diſpendium; at ex ſuſpenſione ab omni actu ſequitur poſsibilitas novi decreti

ti in tempore ; ergo pari titulo ſequitur mutabilitatis periculum. Minor probatur. Poſita ſuſpenſione ab æterno circa creationem Petri , v. g. creatio Petri in tempore eſſet Deo libera, tám antecedenter , quàm conſequenter ; ergo ſi eam non determinaſſet ab æterno poſſet eam determinare in tempore. Antecedens probatur. Eſſet libera antecedenter , quia Petrus eſt æquè poſsibilis in tempore , ac eſt ab æterno ; ſed etiam eſſet poſsibilis conſequenter , nimirùm ex ſuppoſitione ſuſpenſionis æternæ ; & probatur. Ideò diſſenſus v. g. temporaneus eſt conſequenter impoſsibilis ſuppoſita determinatione conſenſus , quia diſſenſus eſt contrarius conſenſui ; at determinatio temporanea non eſt contraria ſuſpenſioni ab æterno , nam eo in eventu ita ſe haberet Deus in tempore , ac ſe habuit ab æterno pro ſigno priori ad decretum , in quo Petrus nec erat futurus , nec non futurus , ſed meré poſſibilis ; ideòque potuit Deus pro ſigno poſteriori determinare exiſtentiam, vel non exiſtentiam Petri ; at pariter in tempore poſita ſuſpenſione ab æterno Petrus nec eſſet futurus , nec non futurus , quia omnis futuritio , vel non futuritio rei pendet à voluntate determinante , & providentia gubernante, vt Illuſtriſsimi Epiſcopi Moneda , & Godoy cum alijs docent ; ergo poſſet Deus determinare illius exiſtentiam , vel non exiſtentiam in tempore.

3 Vrgetur hæc ratio. Non exiſtentia alterius mundi re ipſa eſt ; ergo à Deo ordinata eſt , quia *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*. Ad Rom. 13. at ordinata non eſſet á Deo , ſi eius voluntas talem non exiſtentiam non determinaſſet ; ergo eam neceſſariò determinavit. Minor probatur. Non eſt ordinatum à Deo , nec ſubijcitur eius poteſtati , diſpoſitioni , & imperio id, de quo Deus nihil determinavit , nam ordinatio , determinatio , ac diſpoſitio rerum , ſunt actus divinæ voluntatis; ergo ſi voluntas divina nihil determinaſſet , ſed manſiſſet ſuſpenſa , daretur non exiſtentia alterius mundi independenter á diſpoſitione , & ordinatione divina. Confirmatur. Non exiſtentia alterius mundi non eſt nunc purè poſsibilis , cum re ipſa ſit ; ergo aliquid addit puræ poſsibilitati ; ſed quidquid additur puræ poſsibilitati pendet à voluntate divina determinante; ergo non exiſtentia alterius mundi pendet ab actu voluntatis divinæ determinantis. Minor probatur. Quidquid additur puræ poſsibilitati liberum eſt; ſed omne liberum pendet à voluntate divina , quæ eſt primum liberum , á qua eſt omne liberum ; ergo.

4 Reſpondet Moneda dub. 6. de Voluntate Dei dupliciter aliquid eſſe non futurum , vel ex poſitivo decreto determinante carentiam futuritionis ; vel ex ipſa non poſitione decreti determinantis futuritionem , aut exiſtentiam , quia cum omnis futuritio pendeat à divino decreto , hoc ipſo , quod decretum non ponatur , manet creatura non futura. Vel vt alij exponunt. Ipſa non poſitio decreti determinantis exiſtentiam alterius mundi eſt virtualis , & interpretativa nolitio exiſtentiæ alterius mundi , & infert impoſsibilitatem conſequentem determinandi per totam æternitatem illius exiſtentiam.

5 Sed contra primo. Licèt non futuritio puré negativa decreto poſitivo non indigeat , non futuritio tamen poſitiva , aut privativa decreto poſitivo indiget , cum ſi quid liberum puræ poſsibilitati ſuperadditum; at non exiſtentia alterius mundi modò eſt futura non tantùm negativé , ſed poſitivé , & privativè , aliàs integrum eſſet Deo illius exiſtentiam decernere, vt patet in poſsibilibus pro priori ad decretum , vt ſupra dictum eſt ; ergo indiget poſitivo decreto.

6 Secundó. Sicut futuritio huius mundi pendet á decreto , ita non futuritio alterius , quia ſicut hic mundus exiſtit volente Deo , ita alter non exiſtit Deo nolente ; ſed quia exiſtentia huius mundi pendet à decreto, implicat futuritio independenter à decreto ; ergo & non futuritio alterius propter eandem rationem. Tertiò. Implicat creaturam eſſe nõ futuram ex ſola carentia decreti non determinantis futuritionem , nam ex ſola carentia decre-

ti manet creatura purè poſsibilis, vt antea erat, atque adeò indifferens ad futuritionem, & non futuritionem; ergo ad veram, & poſitivam non futuritionem requiritur decretum.

7 Nec prodeſt recurſus ad nolitionem interpretativam. Primò: quia ſola non poſitio decreti non eſt ſufficiens fundamentum ad interpretandam nolitionem alterius mundi; ergo talis interpretatio ſine fundamento adſtruitur. Antecedens probatur. Deus non tenetur ad ponendum decretum alterius mundi; ergo ſola non poſitio decreti non eſt fundamentum ſufficiens ad interpretandam nolitionem; patet conſequentia ex communi Theologorum ſententia docente omiſsionem alicuius actus eſſe interpretativè voluntariam, dùm adeſt obligatio ponendi actum; hac enim obligatione ſemotâ nullum ſupereſt fundamentum ad interpretationem. Eò vel maximè; quia plures ex oppoſita ſententia ponunt puram ſuſpenſionem in Deo ducti ex eo, quod ridiculum eſſet ponere in Deo tot decreta conditionata, quot ſunt combinationes rerum, quæ nullam prorſus connexionem habent, vt ſi Petrus Romæ ambulat, Salmanticæ cantabit gallus, & alia [vt aiunt] humanæ mentis deliria; ergo in Deo non ſolùm non datur decretum nolitionis circa hæc futura, ſed potius repugnantia; ergo nullum eſt fundamentum ad interpretandam nolitionem poſita ſuſpenſione, non enim interpretari poteſt in voluntate ſuſpenſa nolitio, in qua nolitio repugnat; ergo recurſus ad nolitionem interpretativam nullius eſt momenti.

8 Secnndò. Ideò Adverſarij adſtruunt ſuſpenſionem à volitione, & nolitione, quia nec in volitione, nec in nolitione creaturarum datur bonitas neceſsitans voluntatem divinam, cum Deus ſit Dominus vtriuſque actus, & ad vtrumque liber; ſed nec in volitione, aut nolitione interpretativa eſt bonitas neceſsitans voluntatem divinam, Deuſque pati titulo eſt liber, nedùm ad volitionem, & nolitionem formalem, ſed etiam interpretativam, cum etiam hæc volitio ſit libera, & circa creaturam, in qua non eſt bonitas neceſsitans voluntatem divinam; ergo quo titulo adſtruunt ſuſpenſionem ab vtroque actu formali, adſtruere poſſunt á ſuſpenſione; atque adeó voluntas divina circa aliquam creaturam, nec erit volens, nec nolens, nec ſuſpenſa: quod ſi hoc negant, fatendum erit in Deo eſſe neceſsitatem ad aliquod extremum diviſivè, in quo nulla eſt bonitas neceſsitans voluntatem divinam.

9 Tertió. Ideó ſententia oppoſita ponit neceſsitatem nolitionis interpretativæ, quia aliter non eſſet Deo libera non exiſtentia alterius mundi; at Deo liberá non eſt duntaxat interpretativé, ſed formaliter, & poſitivè, nam voluntarium purè interpretativum eſt voluntarium imperfectum, vt docent communiter Theologi dicto loco ex 1. 2. ideoque permiſſo in creatura, in Deo locum habere non poteſt: vel ſaltim negari non poteſt voluntatem perfectiùs exercere ſuam libertatem per actum formalem, quàm per actum interpretativum; nam per actum interpretativum voluntas non vivit, ſed ita ſe habet, ac ſi viveret [vt ipſi loquuntur] ſed perfectius eſt re ipſa vivere in actu ſecundo, quàm ita ſe habere, ac ſi viveret; ergo hoc, & non illud Deo eſt concedendum.

10 Quartò. Volunrarium interpretativum locum habere poteſt circa effectum moralem, non phiſicum, quatenus creatura potens, & debens facere, & non faciens, cenſeretur nolle facere; at Deus in nolitione alterius mundi eſt phiſicè liber, immò nolitio alterius mundi non eſt effectus moralis, ſed phiſicus; ergo ponenda eſt nolitio realis, formalis, & phiſica. Denique. Non ideó novum decretum in tempore deſtruit divinam immutabilitatem, quia per ſe addat entitatem, aut perfectionem cauſantem mutationem, ſed quia eſt ſumma perfectio Dei perſiſtere in ſententia, ſive in decreto ſemel elicito; ergo ſi nullum ſupponatur decretum, nullo titulo repugnabit novum decretum in tempore; patet conſequentia, quia non repugnat eo quod ſuperaddat per ſe entitatem, & perfectionem, vt dubio antecedenti cũ Adverſarijs dictũ eſt; aliundé

non

non mutaretur ſententia, ſi nulla præceſſit ſententia, vel decretum; nec item repugnat voluntatem divinam eſſe in potentia reali ad decretum, ſi poteſt manere ſuſpenſa ſine decreto; ergo.

11 Reſpondent Deum ſuſpendentem ab æterno decretum alterius mundi, ac prævidentem ſe non poſſe vlterius per totam æternitatem decernere illius exiſtentiam, ſufficienter decernere illius non exiſtentiam, vndé mutaret ſententiam ſi in tempore illius exiſtentiam decerneret. Sed quis non videat hanc ſolutionem ſupponere id ipſum, quod impugnamus. Procedit enim ſolutio ex eo, quod Deus prævidet ab æterno ſe non poſſe ponere in tempore novum decretum, nos autem contendimus poſſe ponere poſita ſuſpenſione ab æterno; ergo vel hæc ſuſpenſio repugnat, vel novum decretum in tempore nón repugnat.

12 Prætereà. Ideò interpretatur Deum ſufficienter decernere non exiſtentiam alterius mundi ſi ſuſpendat ab æterno decretum exiſtentiæ, quia prævideret ſe non poſſe ponere determinationem in tempore; ergo vt illa prævisio vera ſit, aſsignari debet aliqua repugnantia ponendi novum decretum in tempore; at hæc repugnantia nulla eſt ſi ſupponatur ſuſpenſio ab æterno, quia nec decretum perfectionem ſuperadderet, nec mutaretur ſententia, vt dictum eſt; ergo non poſſet Deus prævidere ſe non poſſe ponere novum decretum in tempore. Hæc omnia clariora redduntur, ſi Deus ab æterno ſuſpendat actum volens ſuſpendere vſque ad tempus: quaſi dicat: nolo modò decernere quid futurum ſit de tali creatura, decernam poſteà. Si in hoc eventu poſteà decernat, non mutabit ſententiam, ſed potius pronuntiatam ſententiam executioni mandabit; aliundè nulla perfectio ſuperadderetur in tempore ex poſitione decreti; ergo totum hoc erit poſsibile.

13 Ultimò. Reintegrari poſſunt argumenta dubij præcedentis. Deus non eſt liber ad vtrumque actum volitionis, & nolitionis, licèt ſit liber ad volitionem, aut nolitionem diviſive; ergo non poteſt vtrumque actum ſuſpendere. Antecedens probatur. Libertas Dei non conſiſtit in potentia, ſicut noſtra, ſed in ipſo actu, quo ſe poteſt extendere ad creaturas, aut volendo, aut nolendo. Confirmatur. Actus liber divinæ voluntatis eſt ſummè actualis, & infinitus; ſed hoc ipſo ſe extendit neceſſariò ad omne volibile, aut volendo, aut nolendo; ergo Deus non eſt liber quantum ad velle ſimul, & nolle. Minor probatur. Non eſt ſummè actualis ille actus, cui deficit vtraque actualitas: nec infinitus, cui deficit extenſio poſsibilis; ergo actus ſummè actualis, & infinitus neceſſariò ſe extendit ad omne volibile, aut volendo, aut nolendo. Denique. Divina volitio, vel nolitio reſultat ex actu neceſſario, & connotato extrinſeco; ergo ſicut poſito actu neceſſario connotante exiſtentiam datur volitio ita poſito actu neceſſario connotante non exiſtentiam datur nolitio; ſed vtrumque connotatum, nimirùm exiſtentia, & non exiſtentia, deficere non poteſt; ergo nec actus volitionis, aut nolitionis. Quæ argumenta conſentientibus Adverſarijs dubio antecedenti efficaciter probant; ergo & hic probare neceſſe eſt.

Enodantur argumenta contraria.

§. III.

14 ARGUITVR Primò ex Godoy ſupra laudato. Complexum ex futuritione, & non futuritione rerum non habet bonitatem neceſſariam; ergo nulla eſt neceſsitas in Deo ad amorem adhúc vagè, & diviſivé; conſequentia conſtat, quia ſolùm ad neceſſarium bonum poteſt voluntas neceſſariò ferri. Et antecedens oſtendit. Negatio futuritionis non eſt bona, futuritio autem etſi bona ſit, non tamen bonitate neceſſaria; ergo complexum illud nullam habet bonitatem neceſſariam. Secundò. Nulla eſt imperfectio in ſuſpenſione ab omni actu; ergo poſsibilis eſt in voluntate divina. Antecedens probat. Sine imperfectione miſericordia, iuſtitia, omnipotentia, & alia

attributa poſſunt manere ſuſpenſa ab omni exercitio, quia poteſt Deus, nec miſereri, nec punire, nec producere, cum ſint exercitia libera; ergo etiam voluntas divina ſine imperfectione poteſt manere ſuſpenſa.

15 Tertiò. Exercitium liberæ volitionis nullam ſuperaddit perfectionem actui neceſſario, ſed terminationem, habitudinem, aut denominationem; ergo ex ceſſatione à tali exercitio nullus ſequitur defectus in Deo; ergo ſine imperfectione ceſſare poteſt ab omni exercitio. Quartò. Ideò abſque imperfectione potuit voluntas Dei ab æterno non habere volitionem Petri, quam habet, quia talis volitio nihil addit perfectionis; ſed nec nolitio nihil addit perfectionis; ergo ſine imperfectione eſſe poteſt ſine volitione, & nolitione.

16 Sed hæc digna non ſunt vt tantum Doctorem movere poſſent ad eam ſententiam amplectendam, cum ab ipſo ſoluta maneant præcedenti diſput. 53. Ad argumentum, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: nulla eſt neceſsitas titulo bonitatis creatæ, concedo conſequentiam. Titulo perfectionis divinæ, nego conſequentiam. Quia licèt in volitione, & nolitione creaturarum nulla ſit bonitas neceſſaria, eſt tamen bonitas neceſſaria ad bonitatem, & perfectionem neceſſariam Dei; vt ſæpius dictum eſt in veritate reſpectu ſcientiæ: in poſsibilibus reſpectu omnipotentiæ: in relationibus divinis reſpectu eſſentiæ. Et retorqueo argumentum. In complexo ex futuritione, non futuritione, & ſuſpenſione, in quo nulla eſt bonitas neceſſaria, cum etiam ſuſpenſio ſit libera; ergo nulla erit neceſsitas in Deo, nec ad volitionem, nec nolitionem, nec ſuſpenſionem.

17 Ad ſecundum, nego antecedens. Ad probationem dici poſſet latum eſſe diſcrimen, quia omnipotentia, & alia attributa relata ſunt virtutes proximæ operativæ ad extra, ideoque tendunt ad perfectionem effectus, non ſui quarè nihil prohibet, quod creaturam non perficiant, aut producendo, aut miſerendo, aut aliud operando: attamen voluntas actuatur, & perficitur per ſuum actum; quarè etſi Deus poſsit nihil producere, neceſſe tamen eſt, vt de carentia productionis provideat, & determinet: quæ doctrina negari non poteſt á præfato Doctore. Nam omnipotentia in tempore producit, & non ab æterno; ergo & voluntas poterit decernere in tempore, & non ab æterno, ſi exemplum convincit; ſubſiſtentia divina terminat humanitatem in tempore; attamen implicat Deum decernere Incarnationem in tempore, & non ab æterno.

18 Sed clarius diſtinguo antecedens. Manere poſſunt ſuſpenſa ab omni exercitio à voluntate determinato, nego antecedens. Non determinato, concedo antecedens, itaque omnipotentia in eſſe talis libertate non gaudet, nec miſericordia, nec iuſtitia, nec alia attributa, nec ad ea pertinet ſuſpenſio, ſed proprium omnipotentiæ exercitium eſt producere iuxta præſcriptum voluntatis determinantis, providentiæ gubernantis, & ſapientiæ dirigentis, quarè voluntate determinante non poteſt omnipotentia exercitium ſuſpendere: voluntas ergo divina petit ab æterno omnia decernere, facienda, & non facienda, quia Deus, ex quo Deus eſt, infinitus eſt in providendo, cognoſcendo, & eligendo; quapropter etſi productio poſsit differri ad tempus, non determinatio.

19 Ad tertium conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, vt ſatis, ſuperque conſtat ex dubio præcedenti, quia licèt decretum non addat perfectionem diſtinctam, eſt tamen ſumma voluntatis perfectio non carere determinatione rerum per volitionem, aut nolitionem. Et vrgetur allegatis exemplis ſcientiæ, cui obiectum creatum nullam addit perfectionem: poſsibilium, quæ non addunt perfectionem omnipotentiæ: relationum non addentium perfectionem eſſentiæ; cum tamen eſſet imperfecta ſcientia, ſi obiecta creata non attingeret: Omnipotentia ſine poſsibilibus: Eſſentia ſine relationibus.

20 Arguitur ſecundò. Si divina voluntas non poſſet manere ſuſpenſa oporteret ponere in Deo tot decreta conditionata, quot ſunt combinationes poſsibiles,

biles, quæ ſequelà videtur abſurda; plures enim ſunt nugatoriæ, & humanæ mentis deliria. V.gr. Si Pontifex Romæ dormiat, Salmanticę Petrus ambulabit, & alia pene infinita. Sed quid prohibet divinam voluntatem velle quidquid divinus intellectus intelligit? Immó potiús ſi ad perfectionem intellectus ſpectat ea omnia cognoſcere, ſpectabit ad perfectionem voluntatis de omnibus determinare, & providere. Si autem divinus intellectus non cognoſcit, locus non erit ad ſuſpenſionem, nec determinationem in voluntate. Et hoc argumentum pari difficultate laborat in decreto interpretativo, quod Adverſarij adſtruunt.

21 Arguitur tertiò. Voluntas divina eſt libera non ſolúm libertate contrarietatis, ideſt, ad hunc, vel illum actum; ſed etiam contradictionis, ad actum, vel non actum; at ex prima libertate poteſt voluntas ponere hunc actum, vel illum; ergo ex ſecunda poteſt ponere actum, vel non actum. Secundò. Ad nihil non requiritur decretum; ſed non futuritio eſt nihil; ergo ad non futuritionem non requiritur decretum. Tertió. Si voluntas divina deberet neceſſariò habere actum, nec poſſet negativè ſe habere circa quancumque contradictionis partem, hoc eſſet illi eſſentiale; ſed eſſentiale eſſe non poteſt. Et probatur. Si eſſet illi eſſentiale, voluntas prius eſſet in actu per actum volitionis, aut nolitionis creaturarum, quam per actum notionalem productivum Spiritus Sancti, quia in Deo prius ſunt eſſentialia, quàm notionalia; ſed hoc repugnat, quia Spiritus Sanctus eſt terminus primarius; creaturæ verò ſecundarius; & quia volitio, aut nolitio creaturarum ſunt actus communes toti Trinitati, atque adeò debent ſupponere Trinitatem.

22 Ad argumentum dico voluntatem eſſe liberam libertate contradictionis mediata, non immediata; hoc eſt ad eſſe, & non eſſe creaturarum, non tamen ad eſſe, & non eſſe actus, quia debet ſe neceſſariò exercere per actum poſitivum volitionis, aut nolitionis, nec aliter intelligi poteſt qualiter vivat in actu ſecundo. Ad ſecundum dico potiori titulo eſſe nihil poſsibilia, quàm non futura; & tamen poſsibilia exigunt Omnipotentiam veluti ſui cauſam. Rurſus. Non futura, quamquam ſint nihil, exigunt decretum interpretativum in ſententia oppoſita: qua propter facilè retorqueri poteſt argumentum. Reſpondeo igitur ad nihil negativé, & omni modo non requiri decretum: attamen ad nihil privativé requiritur decretum, etenim quod poſsibile quandoque non exiſtat eſt aliquid Deo liberum.

23 Tertia impugnatio eadem laborat difficultate in decreto interpretativo, ſine quo voluntas divina eſſe non poteſt in ſententia contraria, eſſet enim eſſentiale, & prius Spiritu Sancto, cum tamen Spiritus Sanctus ſit terminus primariùs. Pro omnibus reſpondeo, habere volitionem, aut nolitionem eſſe voluntati divinæ eſſentiale, non tamen in ſe, & abſolutè, ſed per habitudinem ad creaturas; vndè ſupponit Spiritum Sanctum, & totam Trinitatem, à qua eſt omnis productio ad extra. Sed de hoc operoſius tract. 6. de Trinitate dub. 4. §. 3.

***

TRACTATUS III.

DE VOLVNTATE ANTECEDENTE, & conſequente, alijſque Divinæ Voluntatis affectibus.

EXAMINANDA In hoc Tractatu (quæ quondam Auguſtini, aliorumque Patrum torquebant ingenium) ortum ducunt ex authoritate Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. vbi ait: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus pro omni pietate, & caſtitate, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; vnus enim Deus, & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Cuius doctrinæ expoſitio ex eo difficilis apparet, quòd non omnes ſalvantur; non omnes ad agnitionem veritatis perveniunt; non omnes re ipſa fructum redemptionis aſſequuntur; ideòque ad hæc omnia expendenda, & exponenda dividunt communiter Patres, & Theologi voluntatem Dei in antecedentem, & conſequentem: in abſolutam, & conditionatam; inefficacem, & inefficacem: beneplaciti, & ſigni. Inſuper dividunt auxilia, ac præſidia ex dictis voluntatibus diminantia inefficacia, & ſufficientia; aliaque plura tradunt, quæ in hoc Tractatu examinare aggredimur, & claritatis gratia in plures dividemus controverſias.

DU-

DVBIVM I.

An ſint prædictæ voluntates in Deo. Et quid ſint?

De voluntate antecedente, & conſequente.

§. I.

1 CIRCA Voluntatem beneplaciti, & ſigni non oportet reciprocare ſerram, & tundere incutem eandem; ſatis enim diximus in Scholijs ad cap. 4. huius opuſculi, quæ ibi videri poſſunt. Eſſe autem in Deo voluntatem antecedentem, & conſequentem eſt communis Theologorum ſententia, quamquam in expoſitione maximè dividantur. Frequentius Thomiſtæ docent voluntatem antecedentem eſſe illam, quæ reſpicit obiectum ſecundùm ſe, non veſtitum particularibus circunſtantijs, non verò eſſe illam, quæ merita noſtra antecedit. Alij è contra docent voluntatem dici antecedentem, quia merita, aut demerita noſtra antecedit, & conſequentem eſſe illam, quæ eadem merita, aut demerita ſubſequitur; quæ differentia quantùm ad præſens attiner, ni fallor, verbalis eſt. Nec enim impreſentiarum confundere oportet voluntatem antecedentem cum voluntate, qua Deus vult prevenire ſua gratia efficaci cum voluntate antecedenti, de qua hic loquimur. Quoniam illa ſpectat ad ſeriem prædeſtinationis: hæc non ita. Illa eſt abſoluta, & efficax: hanc autem fatentur eſſe conditionatam, & inefficacem: nam eadem verba diverſis applicata materijs diverſum prorſus ſenſum important.

2 Dicendum igitur primò dari in Deo voluntatem antecedentem, & conſequentem; non [inquam] antecedentem ſubiectivè, ſed obiectivè: primaque tendit in obiectum ex propriæ bonitatis inſtinctu: ſecunda verò in obiectum veſtitum particularibus circunſtantijs, quæ ex parte creaturæ contingunt: vnde ſine contradictione vlla Deus voluntate conſequenti ſæpè tendit in oppoſitum voluntatis antecedentis. Hæc eſt expreſſa doctrina D. Thomæ 1.p.q.19. art. 6. ad 1. vbi „ ait: Diſtinctio voluntatis antecedentis, „ & conſequentis non accipitur ex parte „ ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt „ prius, vel poſterius, ſed ex parte volitorum. Ad cuius intellectum conſiderandum eſt, quod vnumquodque ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum „ à Deo: aliquid autem poteſt eſſe in ſui „ prima conſiderarione, ſecundùm quod „ abſolutè conſideratur, bonum vel malum; quod tamen proùt cum aliquo adiuncto conſideratur, quæ eſt conſequens „ conſideratio eius, è contrario ſe habet. „ Sicut hominem vivere eſt bonum; & „ hominem occidi eſt malum ſecundùm „ abſolutam conſiderationem. Sed ſi adiungatur circa aliquem hominem, quod ſit „ homicida, vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi; & „ malum eum vivere. Undè poteſt dici, „ quod iuſtus Iudex antecedenter vult „ omnem hominem vivere; ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem „ hominem ſalvari; ſed conſequenter vult „ quoſdam damnari ſecundùm exigentiam „ ſuæ iuſtitiæ; ergo datur in Deo voluntas *antecedens*, non antecedentia ex parte Dei, ſed ex parte obiecti; ac *conſequens* tendens in obiectum contrarium voluntati antecedenti propter circunſtantiam adiunctam ex parte creaturæ, vt aperte probatur exemplo Iudicis.

3 Confirmat eandem doctrinam „ idem Ang. Doctor ibid. q. 23. art. 2. Illud, „ ad quod Deus creaturam ordinavit quātum eſt de ſe, dicitur eſſe volitum ab „ eo, quaſi prima intentione, ſivè voluntate antecedenti; ſed quando creatura „ impeditur propter ſui defectum ab hoc „ fine, nihilominus tamen Deus implet in „ ea id bonitatis, cuius eſt capax, & hoc „ eſt quaſi de ſecunda intentione eius, & „ dicitur voluntas conſequens. En qualiter voluntas antecedens eſt primaria intentio, quam conſtat ortum habere ex inſtinctu bonitatis amantis, & conſequens ex impedimento ex parte creaturæ.

4 Deſumpta eſt hæc doctrina ex Damaſceno lib. 2. Orthod. Fidei, cap. 29. „ ibi: Illud quoque nos ne fugiat, Deum „ quidem vt bonitate præſtantem primarie quidem omnes homines ſervari, ac „ regni ſui compotes eſſe velle... his quo-

„ que

„ que qui peccant, pœnam inferri nihilo-
„ minus velle: ac priùs illud antecedens
„ voluntas, ſeu beneplacitum dicitur ex
„ ipſo manans. Secundum autem conſe-
„ quens voluntas, ac promiſsio ex noſtro
„ vitio ortum ducens; ergo voluntas an-
tecedens eſt voluntas Dei ex ipſo manans;
& conſequens ex noſtra culpa.

5 Ex quibus D. Ang. in 1. ſent. diſt.
„ 46. q. 1. art. 1. ita rem totam exponit. Se-
„ cundùm Damaſcenum voluntas eſt du-
„ plex, ſcilicet, antecedens, & conſequens,
„ & hoc contingit non ex aliqua diverſi-
„ tate voluntatis divinæ, ſed propter di-
„ verſas conditiones ipſius voliti: poteſt
„ enim in vnoquoque eius conſiderari na-
„ tura eius, & aliæ circunſtantiæ illius, vt
„ quod eſt volens, & præparans ſe ad ſa-
„ lutem ſuam, vel etiam repugnans, &
„ contrariè agens. Si ergo in homine tan-
„ tum natura eius conſideretur, æqualiter
„ bonum eſt omnem hominem ſalvari,
„ quia omnes conveniunt in natura hu-
„ mana, & cùm omne bonum ſit volitum à
„ Deo, hoc etiam Deus vult, & hoc vo-
„ catur voluntas antecedens, qua Deus
„ vult omnes homines ſalvos fieri ſecun-
„ dum Damaſcenum. Conſideratis autem
„ omnibus circunſtantijs perſonæ, ſic non
„ invenitur de omnibus bonum eſſe, quod
„ ſalventur: bonum enim eſt eum, qui ſe
„ præparat, & conſentit, ſalvari per largi-
„ tatem gratiæ divinæ, nolentem non eſt
„ bonum ſalvari, quia iniuſtum eſt. Et
„ quia hoc modo ſe habet aliquid ad hoc,
„ quod ſit volitum, quomodò ſe habet ad
„ hoc, quod ſit bonum; ideò iſtum homi-
„ nem ſub his conditionibus conſideratum
„ non vult Deus ſalvari, ſed tantum iſtum,
„ qui eſt volens, & conſentiens. Et hoc di-
„ citur voluntas conſequens. Eandem re-
petit doctrinam lib. contra Manich. ad fi-
nem. Eandemque tradit D. Chriſoſt. hom.
2. in epiſt. ad Epheſ.

6 Ratio autem concluſionis ex prædictis teſtimonijs clariſsimè apparet; adhùc tamen oſtenditur. Non implicat Deum aliquid ex ſua bonitate velle, quod inſpectis particularibus conditionibus non vult; ergo non implicat voluntas antece-dens mota ex propria bonitate ad aliquid volendum, & conſequenter non velle. An-tecedens probatur. Non implicat aliquid eſſe bonum ex ſua natura, & conſequenter volibile, quod inſpectis particularibus conditionibus nec eſt bonum, nec volibile; vt patet in ſalute omnium, quæ eſt bona, atque adeò amabilis á Deo, quia Deus vult omne bonum, vt inquit D. Thomas allegatus, & in ſubiecto particulari prop-ter conditionem peccati non eſt bona, nec amabilis á Deo; ergo. Conſtat etiam ex illo 1. Petri 3. *Deus non vult aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reduci*; quod ta-men ex ſpeciali alicuius contumacia non vult; ergo datur in Deo voluntas antece-dens, & conſequens, illa mota ex propria bonitate; hæc autem ex occurrenti cir-cunſtantia.

7 His tamen non acquieſcit doc-tiſsimus Silva t. 1. in 1. p. q. 19. art. 3. dub. vnic. Quia nullum divinæ voluntatis de-cretum præſcindere poteſt à particulari-bus circunſtantijs, ſicut nec cognitio, quæ infinita, & comprehenſiva eſt; quarè diſtin-guere poſſumus obiectum ſecundùm ſe, & obiectum determinatum per circunſtan-tias reſpectu creaturarum, non tamen reſ-pectu Dei; nam reſpicere obiectum ſe-cundùm ſe, eſt aliquid fictum, quod locum non habet in Deo. Secundò. Quia in Deo nihil eſt prius, & poſterius; ergo nec in Deo voluntas antecedens, & conſequens. Tertiò. Quia voluntas illa antecedens eſſet inefficax; at voluntas inefficax repugnat ex parte Dei, cum nihil ſit, quod voluntati eius poſsit reſiſtere; ergo admittenda non eſt in Deo voluntas antecedens, & conſe-quens.

8 Sed hæc non vrgent. Ad pri-mum dico, nec actum intellectus, nec voluntatis eſſe præciſivum formaliter, eſſe tamen æquivalenter, & eminenter, quate-nus cum vnus, idemque ſit quoad effec-tum ita ſe habet, ac ſi divideretur in plu-res: vt ſi dicas nummum aureum plures argenteos complecti, non quidem nume-ro, cùm vnus, idemque ſit, ſed valore, & pretio. Nec voluntas Dei: immò nec creata, tendit in bonum ſecundùm ſe, quaſi preciſione logica, ſed in individuo, licèt ſecluſa particulari circunſtantia contin-genti; homo enim peccator ex aliqua parte eſt amabilis, quamquam ex condi-tione peccati amabilis non ſit. Per quod conſtat ad ſecundum. Ad tertium occurrendum eſt infra.

(*_*)

(†)

De voluntate efficaci, & inefficaci.

§. II.

9 IN Hoc etiam eſt controverſia inter Doctores, quam pari titulo verbalem iudico, & in quæſtione de nomine á communi loquendi modo recedendum non eſt. Dicendum igitur ſecundò voluntatem Dei diſtinguendam eſſe inefficacem, & inefficacem. Et probatur. Datur in Deo voluntas, quæ non habet effectum; ſed hæc efficax eſſe non poteſt; ergo inefficax: etenim Deus vult omnes homines ſalvos fieri: ad agnitionem veritatis venire; neminem perire, & alia ex Sacra Pagina ſatis nota; & tamen non omnes ſalvantur: non omnes ad agnitionem veritatis veniunt: ac plures pereunt; ergo non omnis voluntas Dei ſortitur effectum. Confirmatur exemplo Mercatoris, qui imminente tempeſtate vult efficaciter proijcere merces, & inefficaciter conſervare.

10 Sed inquit Emin. Sfrondati in ſuo *Nodo prædeſtinationis*. Voluntas ab effectu denominatur effectrix, non efficax; efficacia autem deſumitur ex affectu, conatu, & voto operantis; ergo voluntas illa, qua *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, eſt verè efficax ex parte Dei, quoniam toto conatu, & affectu eam deſiderat, & ad hunc finem aſſequendum applicat media neceſſaria, commoda, & abundantiſsima, ita vt nec filio ſuo parcat, atque adeó conſtanter pronuntiat: *Quid enim vineæ meæ debui facere, & non feci?* Quid ergo deficit, vt ex parte Dei ſit efficax? Reſpondeo voluntatem Dei eſſe potentiſsimam, ac voluntati efficaci Dei nemo eſt qui poſsit reſiſtere, nec impedire effectum; ſi ergo effectum non habet efficax eſſe non poteſt.

11 Alitèr impugnat concluſionem Silva ſupra laudatus. Voluntas inefficax eſt imperfecta; ergo admittenda non eſt in Deo. Antecedens probat, quia voluntas inefficax caret effectu; at voluntas carens effectu eſt imperfecta, vel enim caret effectu, quia eſt impedibilis ab alio, & hoc probat impotentiam, vel non eſt impedibilis, & ſic eſt otioſa, & ſuperflua; vel ſe ipſam retraheret, & ita probatur ignorantia, aut inconſtantia. Secundó eſt otioſum velle omnes ſalvos fieri, ſi non vult re ipſa omnes ſalvos facere, nam fieri, & facere ſunt correlativa; non enim vult Deus homines ſalvos fieri à ſe ipſis; ergo ab ipſo Deo; ſi ergo vellet ſalvos fieri, vellet ſalvos facere; ſi autem vult ſalvos facere, quis voluntati eius reſiſtet? Nec vllius eſt momenti exemplum Mercatoris; qui imminente tempeſtate vult efficaciter merces proijcere in mare, volens inefficaciter conſervare, quia Mercator non habet in ſua poteſtate ſedere tempeſtatem, ſeque, & merces incolumes ſervare, cum è contra Deus habeat in ſua poteſtate omnium ſalutem; ergo ſi ſalutem omnium re ipſa non ponit ſignum evidentiſsimum eſt ita non velle.

12 Reſpondeo negando voluntatem Dei inefficacem eſſe imperfectam, ſed ſuavi Dei providentiæ maximè conſentaneam, non enim ita vult Deus omnes homines ſalvos fieri, vt liberum adimat arbitrium, vt inquit Auguſtinus infra allegandus, ideóque impedibilitas effectus oritur ſpecialiter ab ipſo Deo non dante ſuis actibus totam efficaciam, quam poteſt, nec dare oportet, aliàs everteretur totius vniverſi ordo, noſtraque libertas. Præterquam quod voluntas illa, quam vocamus inefficacem, non caret omni effectu, quia vt illius ordinatur creatura ad finem, & conferuntur re ipſa media ſufficientia ad conſecutionem illius, qua ratione denominatur ab alijs efficax inadequatè.

13 Exemplum autem Mercatoris, ſicut & Iudicis, allegatum ab Ang. Doctore, alijſque Sanctis Patribus ad hanc rem exponendam, idoneum, & opportunum eſt. Sicut enim Mercator non habet in ſua poteſtate ſedare tempeſtatem, ita nec Deus omnium ſalutem ſi ſuavi, ordinaria, & ordinata poteſtate vratur, & vt cauſa vniverſalis procedat, ad quem ſpectat mala permittere, quæ ſalutem impediunt. Profectò Deus vult neminem peccare, ac in ſua poteſtate habet, vt nemo peccatum committat, quo non obſtante peccata permittit; dicat ergo præfatus Autor. Ut quid Deus vult neminem peccare, ſi peccare permittit? Numquid homo poterit voluntati divinæ reſiſtere? Numquid illa voluntas Dei, qua vult neminem peccare, erit otioſa, aut ſuperflua, aut ſe ipſam retractat, dum peccata permittit? Sed hæc in

voluntate efficaci, & conſequenti locum habent, non in antecedenti, & inefficaci, vt in ſequentibus clariùs oſtendemus.

De voluntate abſoluta, & conditionata.

§. III.

14 DICENDUM Tertiò dari in Deo voluntatem abſolutam, & conditionatam. Abſoluta conſtat ex Apoſtolo ad Rom. 9. *Voluntati eius qui reſiſtet?* Et Eſther 13. *Non eſt, qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati.* Et Iſaiæ 48. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et hæc eſt voluntas, quam Anſelmus ſæpè vocat *efficientem*, vt conſtat ex Scholijs. Voluntas conditionata conſtat ex eodem Apoſt. 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, vbi Ambroſius: *Conditio latet, ſi accedant ad eum, ſi & ipſi velint.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: alijſque pluribus ex Sacra Pagina manifeſtis. Hæc autem voluntas non eſt conditionata ſubiectivè ex parte Dei, alioquin voluntas divina maneret ſuſpenſa, quod Tract. antecedenti dub. 5. improbavimus; ſed ex parte obiecti, ità vt res ipſa ſit abſolutè determinata, licèt cum dependentia ab aliqua conditione.

15 Sed hanc etiam diviſionem reijcit Silva loco citato à num. 55. Nam Deus dependere non poteſt ab aliqua conditione, quoniam voluntas pendens â conditione importat impotentiam ſi ſuperare non poteſt; vel ignorantiam ſi non cognoſcit; ſi autem cognoſcit, & ſuperare poteſt, ergo poſito decreto circa ſubſtantiam rei determinat etiam conditionem, aliâs Deus determinaret per partes determinando prius ſubſtantiam rei, & poſteà conditionem; at decretum determinans ſubſtantiam rei, & conditionem nullo pacto poteſt dici conditionatum adhùc obiectivè, quoniam totum abſolutè determinat; ergo ponenda non ſunt in Deo decreta conditionata. Eo vel maximè, quia implicat decretum eſſe abſolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte obiecti, nam decretum abſolutum ex parte Dei totum obiectum cum ipſa conditione, à qua in executione dependet, abſolutè determinat; ſed decretum de obiecto abſolutè determinato nullo pacto eſt conditionatum, ſed abſolutum; ergo.

16 Sed hæc voluntatem conditionatam, & antecedentem, de qua agimus, nec impediunt, nec impugnant; nam licèt Deus dependere non poſsit ab aliqua conditione, nihil tamen prohibet decernere aliquid dependenter ab aliqua conditione, ſicut ſi Princeps abſolutè decernat præmium conferre Militi, ſi ſtrenuè ſe gerat in bello: & quamquam Deus poſsit abſolutè, & efficacitèr prædefinire poſitionem conditionis, hoc tamen non ſpectat ad voluntatem antecedentem, & generalem, ſed ad conſequentem, efficacem, & abſolutam.

17 Opponit Eminent. Sfrondati loco citato. Ea eſt voluntas abſoluta, quæ eſt omninò gratuita, pendens à ſolo Deo, nihil creatura cooperante, nullaque expectata conditione; at quod Deus hominem creaverit, ac ita creaverit, vt æternam vitam adipiſceretur, quodque in hunc finem validiſsimis medijs inſtruxerit, totum eſt opus ſummi amoris, nihil creatura cooperante, nullaque expectata conditione; ergo hæc eſt voluntas abſoluta; ergo & voluntas ſalvandi omnes. Patet conſequentia; quia ex hac voluntate ortum habuit, vt hominem creaverit, vt ad vitam ordinaverit, vt validiſsimis medijs inſtruxerit; ergo eſt voluntas abſoluta; & non conditionata. Quod autem realis executio ſalutis pendeat ab aliqua conditione non impedit voluntatem eſſe ex ſe omninò abſolutam: vt ſi Princeps ſola pietate commotus Mendicum hæredem vltimis tabulis ſcribat, abſolutè, ſeriò, & ſimpliciter ipſum hæredem inſtituit, quamquam re ipſa hæres eſſe non poſsit, niſi ſub conditione, quod hæreditatem adeat, & acceptet; hæc tamen conditio non impedit vt voluntas Principis ſit ex ſe abſoluta, gratuita, & efficax.

18 Sed hoc probat dumtaxàt voluntatem illam ſalvandi omnes eſſe gratuitam, abſolutam, & efficacem quoad effectum creationis, ordinationis in vitam æternam, & collationis auxiliorum ſufficientium, quod non inficiamur; quod autem realis executio pendeat ab aliqua conditione, quod intendimus, ipſa impug-

pugnatio concedit. Verùm de his omnibus in inferioribus operosior sermo redibit.

DVBIVM II.

An detur in Deo voluntas aliqua generalis salvandi omnes homines?

§. I.

1 QUAMQUAM Pro parte affirmativa decretorius sit Apostoli textus sæpé allegatus. Nihilominus postquam Michael Baius discordiæ pomum eiecit, Jansenius Episcopus Yprensis nullum non movit lapidem vt illam voluntatem salvandi omnes, sicut & Redemptionem Christi, ad solos prædestinatos restringeret. Dixit enim tom. 3. de Gratia Salvatoris lib. 3. cap. 20. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem suum fudisse.* Et cap. 21. inquit: *Christus pro Infidelium in infidelitate morientium, aut iustorum non perseverantium salute, mortuus non est, nec sanguinem fudit; nec se ipsum redemptionem dedit; nec Patrem oravit: immò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli, deprecatus est.* Et lib. 9. & 10. Licét concedat in Deo voluntatem erga omnium salutem ante peccatum Adæ, eam omninó negat post lapsum. Ex quibus plura alia, & satis absurda, & ab Ecclesia gravi censura proscripta, in progressu aperiemus. Et quamquam Baius suam doctrinam sincerè retractaverit, ac Jansenius iudicio Ecclesiæ subiecerit, nihilominus plures in Belgio Doctores ab orco revocarunt, & adhùc tali tenacitate propugnant, vt reperito Pontificio fulmine non cadat, sed potius varijs effugijs, & subterfugijs, ac vndequaque quæsito colore in eadem contumacia persistant.

Voluntas generalis salvandi omnes homines ex Sacra Pagina, ac varia eruditione Patrum demonstratur.

§. II.

2 DICENDUM In Deo esse voluntatem generalem, & antecedentem, quo vult omnes homines salvos fieri. Hæc cóncluſio non alia indiget probatione, quàm verbis Apostoli disertè asserentis 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, vt ad agnitionem veritatis venire*; cum ergo non omnes re ipsa salutem consequantur affirmare oportet voluntatem illam non esse consequentem, & efficacem, sed generalem, & antecedentem. Nec vlla probabilitatis specie testimonium ita manifestum detorqueri potest in voluntatem aliquam præcedentem Adæ peccatum. Primó. Quia licét hoc sensu vtcumque verificari posset, quod *voluit*, non quod *vult* omnium salutem, vt inquit Apostolus.

3 Secundò. Quia Paulus apertè loquitur de hominibus in præsenti statu; præcipit enim pro illis fieri obsecrationes; at non præcipit fieri obsecrationes pro illis, qui essent Adamo non peccante, sed pro illis, qui sunt post illius lapsum, addit: *Pro Regibus, & Principibus*; ergo pro Nerone, & alijs suo tempore regnantibus, vt ex divina gratia pacatis *tranquillam vitam agamus*, quæ verba apertissimè indicant orationem ordinari ad Principes regnantes pro tempore orantis. Denique. Ad hunc effectum datus *est vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*; at Christus Iesus Mediator Dei & hominum non est datus ante peccatum; ergo illa Dei voluntas refertur ad omnes homines in statu naturæ lapsæ post peccatum, nullumque est in tota authoritate verbum, quod prædictæ solutioni non repugnet.

4 Sed & idipsum ex pluribus alijs Sacræ Pag. testimonijs dissertissimé constat. Dicitur enim 2. Petri 3. v. 4. *Patienter agit propter vos nolēs aliquos perire, sed omnes ad*

„ pœnitentiam converti ; at profectò vellet aliquos perire, ſi non vellet omnes ſalvari. Item Ezech. 15. v. 11. *Ne dixeris per Deum abeſt.* Et cap. 18. v. 32. *Nolo mortem peccatoris dicit Dominus, revertimini, & vivite*; vult ergo Deus vt iniuſti revertantur, & vivant; ergo immeritò Janſenius repellit iniuſtos ab ea voluntate Dei. Et Marci vlt. *Euntes in mundum vniverſum prædicare Evangelium omni creaturæ.* Item: *Baptizantes omnes gentes.* Et tandem Matth. 18. propoſita parabola Paſtoris, qui relictis nonagintanovem ovibus, vnicam, quæ erraverat, diligentiſsimè quæſivit, ac iuventa gaviſus eſt; ita concludit: *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, vt pereat vnus*; ſi ergo non eſt voluntas in Deo, vt pereat vnus, cur tot milliaria ex voluntate Dei peritura nobis obſtrudit Janſenius? Si Petrus, Paulus, Matthæus, Marcus, totaque Scriptura clamat, Deum velle omnes ſalvos fieri, nec vnum perire, omnes converti, ſi tandem neminem excludit, cur tot milliaria excludit Janſenius? Cur numerum hominum penè infinitum excipiunt Janſeniſtæ, nullo excipiente Scriptura? An potius Janſeniſtis, quàm Petro, quàm Paulo, quàm Deo ipſo credendum eſt? Deus vult omnes iniuſtos ad pœnitentiam converti nemine dempto, & Janſeniſtæ omnes finaliter iniuſtos repellunt. Paulus nec Herodem, nec Decium, nec Neronem, nec alios omnes Principes eo tempore Infideles excipit, & Janſeniſtæ omnes Infideles excipiunt. Subiungit Apoſtolus: *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium, & maximè fidelium*; ſi omnium, & maximè fidelium; ergo & infidelium. Sed Janſenius inquit, non omnium, nè quidem fidelium, ſed electorum dumtaxat, cui ergo credendum?

5 Sed quia Janſenius, & Sequaces, vel ab vno Auguſtino ſibi præſidium quærunt. Probatur concluſio ex eodem S. Doctore lib. de Spiritu, & litt. cap. 3. „ Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, „ & ad agnitionem veritatis venire, non „ ſic tamen vt eis adimat liberum arbi„ trium, quo benè, vel malè vtentes iuſ„ tiſsimè iudicentur; quod cum fit, Infi„ deles quidem contra voluntatem Dei „ faciunt, cum eius Evangelio non cre„ dunt. En qualiter iuxta Auguſtinum vult Deus omnes homines ſalvos fieri, etiam illos, qui libero malè vtentes arbitrio iuſtiſsimè iudicantur, & damnantur; necnon Infideles, qui Evangelio non credunt; ergo nec infideles, nec iniuſtos, nec reprobos, ab illa voluntate generali excludit.

6 Sed vt quid alia authoritate indigemus. Ipſe Auguſt. in libro ad articulos ſibi falsò impoſitos eandem voluntatẽ clariſsimè docet. Opponebant Pelagiani (quod & opponit Janſenius) Auguſtinum docere Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus; nec Deum velle omnes ſalvare. Sed Auguſt. ait hoc eſſe prodigioſum mẽdacium, & ineptiſsimam blaſphœmiam: vnde refutato primo art. refellit ſecundũ, „ & ait: Sinceriſsimè credendum eſt, atq; „ profitendum Deum velle, vt omnes ho„ mines ſalvi fiant, ſiquidem Apoſtolus, „ cuius eſt iſta ſententia ſolicitè præcipit, „ quod in omnibus Eccleſijs pijſsimè cuſ„ toditur, vt Deo pro omnibus hominibus „ ſupplicetur; ex quibus quod multi pe„ reunt, pereuntium eſt meritum; quod „ multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Hæc, & alia ibi relata, ita manifeſta ſunt, vt de ſententia Auguſtini dubitari non poſsit. S. Proſper Epiſcopus Regienſis (quem & ipſe Janſenius fatetur fideliſsimum Auguſtini Interpretem) eandem calumniam Auguſtino impoſitam exprofeſſo refutat totidem verbis, quæ repetere non oportet; idque pluribus in locis. In Reſp. 8. ad obiectionem Gallorum. Et cap. 25. de vocat. Gent. vnde poſt alia ita proſequitur. Qui ergo dicit, quod Deus non „ vult omnes homines ſalvos fieri, ſed „ certum numerum prædeſtinatorum, is „ duriùs loquitur, quàm loquendum eſt „ de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, „ qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agni„ tionem veritatis venire.

7 Accedit Chriſoſt. in Epiſt. 2. ad „ Cor. c. 1. his verbis: Immitare Deum „ tuum: ſi omnes vult illos ſalvos fieri, „ meritò pro omnibus oportet orare. Et hom. 44. de longitudine præmiorum: Pau„ lus ait, qui vult omnes homines ſalvos „ fieri, & ad agnitionem veritatis venire. „ Cur igitur non omnes ſalvi facti ſunt, ſi „ vult omnes ſalvos eſſe? Quoniam non „ omnium voluntas illius voluntatem ſe„ quitur: porrò ipſe neminem cogit. Subſcribit Hilarius, Hieronymus, Paulinus, noſter Beda, alijque Sancti Patres, quos plena manu refert Emin. Aguirre t. 3. in

S. Anſelm. varijs diſputationibus.

8 Sed Anſelmum noſtrum, qui doctrinam ad Auguſtini lydium lapidem ſæpè remittit, prætermittere non poſſum. Nam in præſenti lib. de Uolunt. Dei, inquit: Uoluntas approbans in Deo eſt, quæ vult omnes ſalvos fieri, quia nullum prohibet quantum ad ſe ſalvum fieri. *Clarius ad ea verba Apoſt.* Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. *Ibi.* Nullum excipiens, qui vellet redimi ad ſalvandum. In hoc enim patet quantum Deus homines diligat, & eos velit omnes ſalvos fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit; quia Mediator Deus, quem Deus inter ſe, & homines poſuit, mortem pro omnibus ſubſtinuit, vt omnes à morte redimeret. Et ideò qui non ſalvantur, non eſt quod de Deo, vel de Mediatore poſſint conqueri, ſed de ſe ipſis, qui nec redemptionem, quam Mediator dedit, nec ſalutem, quam Deus obtulit, voluerunt recipere.

9 Item in cap. 6. Matth. ad ea verba: *Fiat voluntas tua*: totam rem elegantèr deſcribit. *Ibi.* Duæ ſunt voluntates in Deo: vna miſericordiæ, quæ non eſt cogens, neque aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult ſalvos fieri, quod tamen in libera eorum poteſtate poſitum eſt. Eſt & alia, quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur: omnia quæcunque voluit, fecit; huic nemo poteſt reſiſtere, de qua dicitur: Voluntati eius quis reſiſtet? Hæc providentiæ concordat ſemper; alia verò non ſemper. Si enim velit per miſericordiam de aliquo pravo, quod ſit iuſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen ſcit non conſenſuram... Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati iuſtitiæ... In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi, ſcilicèt, quæ eſt ex miſericordia, cum enim vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati.

Secunda ratio deſumpta ex Morte Chriſti.

§. III.

10 EX Incarnatione, Morte, & Paſsione Chriſti ſic formatur ſecunda ratio. Deus vult æternam ſalutem omnibus illis, pro quibus venit, paſſus, & mortuus eſt, quia *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*; ſed paſſus, & mortuus eſt generaliter pro omnibus nemine dempto; ergo Deus vult omnibus ſalutem generaliter nemine dempto. Maior eſt certa etiam apud Janſenium, qui propterea vtrumque negat. Minor oſtendi poteſt Sacræ Paginæ teſtimonijs ita manifeſtis, vt clarioribus oſtendi non poſsit. Inquit Apoſt. loco citato: Unus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. *Ad Rom.* 8. Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Et* 2. *ad Cor.* 5. Si vnus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui vivunt, non ſibi vivant, ſed illi, qui pro omnibus mortuus eſt. *Et* 1. *ad Tim.* 4. Qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium. *Et* 1. *Ioan.* 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

11 Eccleſia pariter ſic in hymnis decantat: Ieſu Redemptor omnium. In orationibus ſic orat: Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor. *Item.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica pravitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veræ fidei redeant vnitatem. Eandemque veritatem ſupponens Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 3. ita loquitur: Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen beneficium mortis accipiunt: quæ doctrina redditur evidenter falſa, ſi mortuus eſt dumtaxàt pro illis, qui beneficium mortis accipiunt, nempè prædeſtinatis.

12 Anſelmus noſter orat. 28. ſic „ Deum alloquitur: Æquali dilectione „ pro omnibus Paſsionem ſuſcepiſti, „ æqualiter omnibus vitam æternam præ„ paraſti. *S. Proſper loco citato*: Nulla ergo „ dubitandi ratio eſt Ieſum Chriſtum Do„ minum noſtrum pro impijs, & peccatoribus mortuum eſſe, è quorum nu„ mero ſi aliquis liber inventus eſt, non „ eſt pro omnibus mortuus Chriſtus, ſed „ prorſus pro omnibus mortuus eſt, &c. *S. Leo ſerm. 11. de Paſſione, & Serm. 1. de* „ *Nativit. ait*: Pro omnibus impijs mor„ tuo Domino, etiam Iudas in eo potuiſ„ ſet conſequi remedium, ſi non feſtinaſ„ ſet ad laqueum... Dominus enim noſ„ ter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut „ nullum à reatu liberum reperit, ita li„ berandis omnibus venit. *Ambr. in Pſalm.* „ 118. Miſticus ille Sol iuſtitiæ omnibus „ ortus eſt, omnibus paſſus eſt, omnibus „ venit, &c. Vnde Concil. Arelatenſe ſub Simplicio Papa anno 475. in Formula „ abiurationis errorum §. 6. ait: Item „ anathema illi, qui dixit, quod Chriſtus „ non pro omnibus mortuus ſit, nec om„ nes homines ſalvos eſſe velit.

13 Sed Auguſtinum, in quo fidit Janſenius, non omittamus. Etenim lib. 4. contra Julian. vrget argumentum Apoſtoli: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Ex quibus infert: *Vide, quia conſequens eſſe voluit vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.* Negabant enim Pelagiani peccatum originale: è contra Auguſtinus probat ex Apoſtolo omnes debitum mortis contrahere ex peccato originali; quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui ad omnes redimendos venit. Idem vrget argumentum lib. 20. de Civ. Dei, cap. 6. & lib. 2. Operis imperfecti: Et lib. 6. contra Jul. cap. 6. & 9. Unde lib. 5. cap. 37. „ ait: Conditam bonam, peccatoque vi„ tiatam (*naturam*) medico Chriſto indi„ gere à parvulis vſque ad ſenes, quia pro „ omnibus mortuus eſt. *Et in Pſalm. 95.* „ Iudicabit orbem terræ in æquitate, & „ populos in veritate ſua. Quæ eſt æqui„ tas, & veritas? Congregabit ſecum „ electos ad iudicium, cæteros autem „ ſeparabit ab invicem. Poſiturus eſt „ enim alios ad dexteram, alios ad ſiniſ„ tram; non ergo partem iudicabit, quia „ non partem emit, totum iudicare habet, „ qui pro toto ſanguinem dedit. Sed & integros oporteret libros reſcribere, ſi omnia illius teſtimonia oporteret producere.

14 Hanc veritatem non tantùm docet Apoſtolus, ſed duplici ratione probat: *Chriſtus dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus, quia vnus eſt Deus, vnuſque Mediator.* Quaſi dicat: ſi plures eſſent Dij, poſſet vnuſquiſque de ſuorum ſalute curam habere; ſed vnus eſt Deus; ergo ad eum pertinet cura de ſalute omnium. Unus eſt Mediator, quem ergò Mediatorem quærent illi, pro quibus ſanguinem non fudit? vnus eſt Medicus, quem ergo Medicum quærent cæteri ægroti, ſi ex tanta infirmorum multitudine ad aliquos tantùm ſanandos venit? Et hic vrget argumentum Auguſtini. Unus eſt tantùm conſtitutus Iudex à Deo, qui totum terrarum orbem iudicabit in æquitate; at ſolùm iudicabit, quos ſuo ſanguine emit; ergo omnes omninò emit, ſi omnes omninò iudicabit.

15 Reſpondet Janſenius in his omnibus dumtaxàt ſignificari mortem Chriſti eſſe ſufficientem pro omnibus valore, & pretio; non tamen oblatam eſſe pro omnibus ex ordinatione Dei, & Chriſti. Sed hæc anilia ſunt, nec teſtimonijs allegatis apparenter occurrunt. Paulus ait dediſſe ſemetipſum in redemptionem pro omnibus. S. Anſelmus, æqualiter omnibus paſsionem ſuſcepiſſe, & vitam æternam præparaſſe. S. Leo, ita omnibus obtuliſſe, vt etiam Iudas haberet remedium, &c. Inſuper. Si ſolutio vera eſt. Quid prohibet aſſerere Chriſtum redemiſſe Apoſtatas Angelos, ac pro illis paſſum & mortuum? quoniam Sanguinem Chriſti etiam illis ſufficere valore, & pretio nemo ſanæ mentis dubitare poteſt. Chriſtus dixit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio*; at Chriſtus lucernam vitæ ſuæ, Paſsionis, & Mortis accenderet, & poneret ſub modio, ſi quantum eſt ex ſe nullo pacto vellet tot milliaribus prodeſſe, nec lumine ſuo illuminare. Si Sol materialis omnes illuminat, niſi claudentes oculos, nonné omnes illuminabit Chriſtus, candor lucis æternæ, ſi lumine impedimentum non ponant?

Tertia ratio desumpta ex virtutibus Theologicis.

§. IV.

16 CATHOLICA Fide credimus Christum esse Redemptorem nostrum, & ità vnusquisque credere debet; id enim ex Sacra Pagina, ac Sacræ Scripturæ oraculis clarissimè constat; at reprobus falsò crederet Christum esse suum Redemptorem, si pro eo sanguinem non fudit, nec pro eo passus, nec mortuus est; ergo corruit fides nostra, si doctrina Jansenij, & Sequacium vera est. Quarè Ecclesia proponit vt æqualiter credendum Christum esse Redemptorem, sicut & Creatorem, & ita orat: *Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor*; at fide Catholica credimus Deum esse omnium Conditorem; ergo & Christum esse Redemptorem omnium; cum ergo Fidei Catholicæ non possit subesse falsum, consequens est vt sit omnium Redemptor.

17 Secundò. Quisque debet suam æternam salutem sperare, cuique enim licèt asserere: *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*; at non nisi per Christum, quia non est aliud nomen datum hominibus, quo salutem consequi possint; ergo corruit spes nostra, si Christus non est datus omnibus ad salutem: Undè Bernardus Parens „ serm. 9. in Psalm. Quandò in se sperant„ ti desit illa Maiestas, quæ tàm stu„ diosè monet in se sperare: planè non „ derelinquit sperantes in se. Quarè? Quibus meritis? Quia speraverunt in eo. „ Dulcis causa! Sed tamen efficax, & „ irrefragabilis. Quis enim speravit in „ eo, & confusus est?

18 Denique charitas nostra frigescit ex doctrina Jansenij. Nam iuxta Apostolum 2. ad Cor. 15. *Charitas Christi vrget nos æstimantes hoc, quod vnus pro omnibus mortuus est*; ergo ideò charitas Christi vrget, quia æstimamus pro omnibus mortuum esse; at iuxta Jansenium pro omnibus mortuus non est; ergo charitas Christi non vrget nos. Præterea Ioannes Evang. & cum eo omnes Sancti Patres accendunt charitatem nostram ex charitate Dei, qua Filium suum vnigenitum dedit; at iuxtà Jansenium ita angustantur viscera charitatis Dei, vt pro paucis dumtaxàt electis Filium suum dederit relicto longè ampliori numero; ergo charitas nostra maxima ex parte languescit.

(†)

Evellitur præcipuum Iansenij argumentum desumptum ex Augustino exponente propositionem Apostoli: Deus vult omnes homines salvos fieri.

§. V.

19 CORNELIUS Jansenius Yprensis Antistes in suo Augustino lib. Prooemiali cap. 11. & 18. testatur se duos annos supra viginti in evoluendis Augustini libris operam navasse, ac tricies percurrisse. Quis non crederet Augustini mentem penetrasse? Sed quia Augustini causam, occasionem, & scopum non attendit, in pernicioſissimos incidit errores ab Augustino non modò alienos, se ab ipso acritèr impugnatos. Undè hic brevitèr perstringam interpretationes omnes ex operibus Augustini, nec non aliorum Patrum desumptas, quæ vtcumque Jansenio favere possunt.

20 Primam interpretationem traddit Augustinus lib. 1. de Prædestin. Sanct. cap. 8. Et lib. 4. contra Julian. cap. 8. Et Epist. 107. ad Vital. Et in Enchir. cap. 102. ibi enim accipit particulam *omnes* per distributionem accommodam, non quod omnes absolutè salvos fieri velit, sed quod omnes, qui salvantur, ex voluntate Dei salvantur. Et hoc sensu exponit aliam propositionem: *Deus vult omnes ad agnitionem veritatis venire*. Et illam Ioan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; non quod meritis Christi omnis homo illuminetur lumine Fidei, sed quod nemo illuminatur, nisi per Christum. In cuius confirmationē vtitur exemplo Magistri, de quo (si vnu tantùm esset in populo) optimè diceretur

omnes pueros illius populi erudiri, non quod omnes ab ipſo erudiantur, ſed quia nemo eruditur, niſi per illum. Hanc expoſitionem probat Anſelmus in hoc libro de Uoluntate Dei, cap. 5. ibi: *Deus vult omnes ſalvos fieri, ideſt, nulli ſalvantur, niſi quos vult ſalvos fieri.*

21 Secunda expoſitio ſumitur ex eodem Auguſtino eodem loco, nimirum per diſtributionem pro generibus ſingulorum, vt loquuntur Logici, non pro ſingulis generum: ideſt, pro aliquo individuo cuiuſcumque generis, non pro omnibus individuis cuiuslibet generis; qualiter dici ſolet de illa propoſitione: *Omne animal fuit in arca Noe.* Ita etiam exponit Auguſtinus illud Matth. 23. & Lucæ 11. *Vè vobis Phariſeis, qui decimatis mentum, & rutam, & omne olus*, ideſt, aliquid de omni genere olerum.

22 Hanc etiam interpretationem „ probat Anſelmus loco citato, ibi: Deus „ vult omnes homines ſalvos fieri, ideſt, „ de omni genere aliqui ſalvantur. Et & latius in Comment. ad illam propoſi„ tionem Apoſtoli ſic loquens. Orate [in„ quit] pro pace Principum, & pro ſalute „ omnium, quia hoc agere eſt bonum, „ ideſt, vtile Eccleſiæ, & acceptum, ideſt, „ gratum coram Deo Salvatore noſtro, „ qui ſicut nos ſalvat, ita & omnes ho„ mines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem „ veritatis venire, ſicut iam venimus, „ quamvis certum ſit nobis non omnes „ ſalvos fieri, non tamen ideó debemus „ omnipotentiſsimæ Dei voluntati ali„ quid derogare, ſed ita intelligere, quod „ dictum eſt: qui omnes homines vult „ ſalvos fieri, tanquam ſi diceret; nullum „ hominem fieri ſalvum, niſi quem ſal„ vum fieri velit: ſeù quod nullus fit ſal„ vus, niſi quem vult, & ideò rogandus „ eſt vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi vo„ luerit. Et ita proſequitur exponendo alias propoſitiones ſupradictas in eodem ſenſu.

23 Tertia interpretatio deſumi poteſt ex eodem Auguſtino Epiſt. 59. docente ſæpè in Sacra Pagina ſumi partem pro toto, quo ſenſu ſæpè dicitur de omnibus, quod de aliquibus tantum verificatur: vt patet ex illo Ioan. 1. *Teſtimonium eius nemo accipit.* Et illud Pauli: *Omnes quæ ſunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti*, cum tamen plures teſtimonium Chriſti acciperent, & nõ quærerent quæ ſua ſunt;

24 Quarta ſumitur ex eodem Auguſtino lib. 22. de Civit. Dei, cap. 2. nimi„ rum cauſaliter, ibi: Dicamus eum velle, „ quia facit vt velimus. Et lib. de Cor„ rept. & Grat. cap. 15. Poteſt etiam ſic „ intelligi, quod omnes homines vult „ Deus ſalvos fieri, quoniam nos facit „ velle; ſicut miſit Spiritum Filij ſui cla„ mantem: Abbá Pater, ideſt, nos clamare „ facientem. Eodem ſenſu loquitur Anſelmus in hoc lib. de Volunt. Dei, cap. 2. „ vbi ait: Accipitur etiam Dei voluntas „ ſecundùm quendam affectum miſeri„ cordiæ, vt ibi. Vult Deus omnes homi„ nes ſalvos fieri, quod eſt dicere facit „ Sanctos velle, vt omnes ſalvi fiant, quod „ ipſe tamen vult, hoc eſt, ipſe diſpoſuit. Ita etiam Ang. Doct. Comment. in Epiſt. „ 1. ad Tim. 2. Deus vult omnes homines „ ſalvos fieri, ideſt vult, & facit Deus ip„ ſe, vt homines iuſti velint, & deſiderent „ omnes homines ſalvos fieri.

25 Ex his format argumentum Janſenius. Auguſtinus ſemper reſtringit propoſitionem Apoſtoli ad ſolos prædeſtinatos, & nunquam extendit ad omnes; ergo non datur in Deo voluntas generalis ſalvandi omnes. Sed fallitur, nam locis §. antecedenti allegatis extendit voluntatem Dei, ſicut & Sanguinem Chriſti generaliter ad omnes: immò prædictis locis veram, & legitimam expoſitionem tradidit; in alijs tantummodo ſecundùm quod Pelagianorum exigebat argumentum. Duæ autem priores expoſitiones, in quibus fidit Janſenius, veræ quidem ſunt, ſed de voluntate efficaci procedunt, & ibi de hac voluntate loqui ex contextu, vel leviter meditanti conſtabit.

26 Eidem argumento longè ante dederat ſolutionem D. Thomas [qui ab eodem Janſenio honoris cauſa dicitur *Auguſtinus contractus*] in 1. diſt. 46. q. 1. „ art. 1. ad 1. Secundùm Damaſcenum „ verbum Apoſtoli intelligitur de volun„ tate antecedenti, non de conſequenti; „ ſed ſecundùm Auguſtinum intelligitur „ de conſequente; vndè exponit eam du„ pliciter; vno modo, vt ſit diſtributio „ accomoda pro omnibus, qui ſalvantur: „ alio modo vt ſit diſtributio pro generi„ bus ſingulorum. Et 1. ad Tim. 2. lect. „ 1. Ipſe eſt propitiatio pro pecca„ tis noſtris: pro aliquibus efficaciter,

ſed

„ ſed pro omnibus ſufficienter. *Et in cap.* „ 2. *ad Hæbr. lect.* 3. Pro omnibus: du„ pliciter poteſt intelligi; vel vt ſit diſ„ tributio accommoda pro omnibus prę„ deſtinatis; pro iſtis enim tantùm habet „ efficaciam; vel abſolutè pro omnibus „ quantum ad ſufficientiam.

27 Igitur Auguſtinus prout cum Pelagianis certamen erat, Apoſtoli explicabat ſententiam, in ſenſu quidem vero, & ſufficienti ad eorum enodandas obiectiones: dùm tamen ex profeſſo, & abſolutè Apoſtolum, ſuamque ſententiam expendit, de generali omnium voluntate interpretatur: & ita ex mente Auguſtini ſæpè ſæpius damnavit Eccleſia propoſitionem illam, qua dicitur ſanguinem Chriſti non eſſe fuſum pro omnibus. Quid ergo ſupereſt Janſeniſtis, ſi ſe Auguſtini imitatores profitentur? Niſi reſpondeant, quod in ſimili cauſa reſpondit Auguſt. ſerm. 2. de verbis Apoſt. *Inde* (ideſt à Sede Apoſtolica) *reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, vtinam aliquando ſidiatur error.*

28 Et ad frænandam petulantiam ingenij in re tanti momenti legendus eſt Anſelmus noſter, qui in libro de Sacramento Altaris cap. 13. latè, & eruditè docet, qualiter Auguſtinus, & alij Patres ſint interpretandi. Ibi enim inter „ alia inquit: Multa de eadem re ab eis „ (*hoc eſt Sanctis Patribus*) relicta ſunt, „ quæ benedicta, ſed obſcuriùs (vtpotè „ ab eis, qui vt homines venturas omnes „ errorum calumnias non poterant præ„ videre) maiè intellecta materiam errā„ di, vel contendendi, perditis videntur „ præſtare; quæ B. Auguſtino in multis „ contigiſſe non ignorant, qui librorum „ eius lectionem familiarem habent. *Quam doctrinam latè proſequitur pluribus oſtendendo exemplis quot ex Auguſtino ruinas paſſi ſint Pelagiani, & alij. Et ratio*„ *nem reddit*: Qui errare vult, vel erro„ rem docere, nihil eſt tàm benè dictum, „ quod non poſsit pravo intellectu de„ pravare.

29 Sed quid mirùm id contigiſſe Auguſtino, ſi ab initio naſcentis Eccleſiæ id ipſum contigiſte Doctori Gentium tradit Apoſtolorum Princeps 2. 3. vbi ait: *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam vobis ſcripſit, ſicut & in omnibus Epiſtolis, in quibus quædam ſunt difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant.* Alia plura in hunc ſcopum videri poſſunt apud Emin. Card. Aguirre, t. 3. diſp. 135.

30 Adhuc inſurgunt. Si daretur in Deo voluntas generalis ſalvandi omnes, aut omnes ſalvarentur, aut illi ſoli non conſequerentur ſalutem, qui nollent, ſive qui impedimentum ponerent, vt ex allegatis Patribus dictum eſt; at hoc ex profeſſo impugnat Auguſtinus exemplo puerorum decedentium ſine baptiſmo, qui verè homines ſunt; & tamen dici non poteſt eos nolle, *qui nec velle, nec nolle iſta noverunt*; ergo ex mente Auguſtini non datur illa voluntas generalis ad omnes. Sed quod attinet ad pueros, barbaros, obſtinatos, & alios infra examinabimus dùm de auxilijs ſufficientibus omnibus collatis ſermo procedat.

(o)

Cætera refelluntur argumenta.

§. VI.

31 ARGVITVR Secundò ex illo Matth. 26. *Hic eſt ſanguis novi, & æterni Teſtamenti, qui pro multis effundetur*; ergo non pro omnibus, quia non eſt pro omnibus effuſus, qui pro multis tantùm eſt effuſus. Sed ideò, & veriſimè pro multis, quia pro omnibus. Nunquid pro multis effuſus eſt, qui pro omnibus effuſus eſt? Præterquamquod *multos* ſecundùm Scripturæ phraſim ſæpè ſignificare *omnes* evidentiſsimum eſt, & oſtendit Apoſtolus ad Rom. 5. dùm dixit: *Sicut per inobedientiam vnius peccatores conſtituti ſunt multi*, &c. At per inobedientiam Adæ peccatores conſtituti ſunt omnes; ergo per *multos* intelligere *omnes* oportet. Eo vel maximè, quia *vbi abundavit delictum ſuperabundavit & gratia*, vt inquit idem Apoſtolus; at ita abundavit delictum vt omnes inficeret; ergo ita ſuperabundavit & gratia, vt ad omnes ſpectaret. Quod autem re ipſa ad ſalutem non proſit, nihil obſtat, ſicut ad claritatem Solis non obſtat te non videre,

dere, ſi oculos claudas, etiam Sole totum mundum illuminante. Uel dic ſanguinem Chriſti eſſe effuſum pro omnibus, & non pro omnibus, ſed pro multis tantum: pro omnibus quidem quoad ſufficientiam: pro multis tantùm quoad efficaciam.

32 Arguitur tertiò. Si Deus vellet omnibus gloriam, Chriſtus pro omnibus paſſus eſſet; at hoc impugnat Auguſtinus pluribus in locis. Et in Pſalmum 87. inquit de Chriſto: *Solis prædeſtinatis ad æternam ſalutem, non autem omnibus, eius bona opera profucrunt*; at omnibus prodeſſent, ſi pro omnibus veniſſet, & pro omnibus paſſus eſſet; ergo Chriſtus nec venit, nec paſſu eſt pro omnibus. Minor probatur ex eodem Auguſtino, epiſt. 102. ad Evod. *Non perit vnus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus.* Et ſerm. 8. Natalis S. Vincent. *Chriſtus non perdit, quos emit ſanguine*; ergo vita, & mors Chriſti re ipſa prodeſt, & nemo perit ex his, pro quibus venit, & mortuus eſt. Reſpondeo veriſimè dictum eſſe, quod *Chriſtus non perdit, quos emit ſanguine.* Quia *perditio tua ex te Iſrael.* Nec perit vnus ex illis, pro quibus mortuus eſt; ſed ex illis, de quibus ibi loquitur Auguſtinus, nimirùm, qui *in Cruce Chriſti gloriantes, & ab eadem via non recedentes*, &c. Nam Auguſtinus ad illud Cor. 1. *Qui ignorat, ignorabitur*: inquit Chriſtum non ſolùm eſſe mortuum pro illis, qui ſciunt ſubtilia diſcernere [inter quos conſtat plures eſſe reprobos] ſed etiam pro illis, qui ſubtilia ignorant, qui à recta via non recedentes ſalvantur, ac de his inquit: *Non perit vnus ex illis, pro quibus eſt mortuus.*

33 Arguitur quartò. Deus illos tantùm vult ſalvos facere, ac Chriſtus pro illis tantùm mortuus eſt, pro quibus oravit; at pro ſolis electis oravit, vt conſtat ex illo Ioan. 17. ℣. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro eis, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*; ergo duntaxat oravit pro electis, qui Dei ſunt; non pro mundo, ideſt, pro amatoribus mundi, ſive reprobis; ergo pro ſolis electis mortuus eſt; non enim exiſtimandum eſt voluiſſe mori, pro quibus ne quidem orare voluit. Sed contra. Nam ex ipſo Ioanne loco ſupra citato conſtat, *quod ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed totius mundi*; ergo pro remiſsione peccatorum totius mundi oravit. Secundò. In Cruce ſic oravit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Ergo pro ipſo Pilato, ipſiſque crucifigentibus oravit. Tertiò. Quis credet Chriſtum nobis præcipere orare pro inimicis, & ipſum pro ſolis amicis oraſſe? Inquit enim Auguſtinus ſerm. 4. de S. Stephano. *Iubet Deus, & dicit*: Diligite inimicos veſtros, orate pro perſequentibus, & calumniantibus „ vos. Attendite ipſum Dominum, qui „ hoc iuſsit, quod fecit: nonne pen„ dens in Cruce ait: *Pater ignoſce illis?* „ Quando ergo in Cruce pendens ora„ bat, videbat, & prævidebat omnes „ inimicos, ſed multos ex illis futuros „ amicos, ideò omnibus veniam poſtu„ labat: illi ſæviebant, ille orabat: illi „ dicebant Pilato, crucifige; ille cla„ mabat Patri, ignoſce, pendebat, & „ tamen petebat.

34 Sed permittamus in eâ oratione Ioan. 17. ſolùm pro prædeſtinatis oraſſe; vndè probatur alibi pro alijs non oraſſe? Nunquid ſemper pro omnibus orandum? An non licet Chriſto ſpecialitèr orare pro illis, quos ſpecialiter amat? Sed nec ab eâ oratione reprobos excluſit. Sciendum namque eſt ab eo Verſu 9. oraſſe pro ſolis Apoſtolis, ibique plura refert, quæ ad ſolos Apoſtolos ſpectant: præſertim dum dicit: *Ego dedi eis ſermonem tuum. Mundus eos odio habuit. Non ſunt de mundo*, &c. Poſteà ℣. 21. extendit ſuam orationem omnibus fidelibus, dùm dicit: *Non pro eis rogo tantùm, ſed pro ijs, qui in me creditùri ſunt per verbum eorum*, ideſt Apoſtolorum; inter fideles autem conſtat plures eſſe reprobos; ergo etiam ibi pro reprobis oravit: alibi autem conſtat orario pro omnibus, ſive fidelibus, ſive infidelibus, vt ſupra dictum eſt.

***

DVBIVM III.

Verùm in Deo ſit aliqua voluntas, quæ nunquam impleatur.

§. I.

1 HÆC Etiam controverſia, ſicut & præcedens, ortum habet ex propoſitione Apoſtoli, quam ſuperiori dubio examinavimus: *Deus vult omnes homines ſalvos fierì*, cum tamen non omnes ſalutem cõſequantur: ideoque Alij inquirunt. An voluntas ſalvandi omnes ſit aliquis actus verè, & propriè exiſtens in Deo; vel ſolùm metaphoricè, quæ dici ſolet velleitas, ſive voluntas, non beneplaciti, ſed ſigni?

2 Prima ſententia eſt negativa, eique vt probabiliori adhæret Zumel. Suffragatur Bañez, Silva, Navarrete, Baſilius Legionenſis 1. p. quæſt. 6. Schol. c. 12. plures alios allegans. Inter quos plures opinantur voluntatem ſalvandi omnes non eſſe actum verum, & proprium divinæ voluntatis, ideoque non mirum ſi effectum non habeat: Alij docent eſſe actum verum, & proprium, ſed effectum habere, atque adeó nullum eſſe actum divinæ voluntatis ſine effectu. Sed affirmativa, & oppoſita ſententia eſt frequentior Theologorum conſenſus.

Deum actu vere, & proprio velle ſalutem omnium authoritate, & ratione ſuadetur.

§. II.

3 DICENDVM Primò dari in voluntate divina aliquem actum, quo verè, & propriè vult omnium ſalutem. Probatur. Voluntas beneplaciti (quidquid ſit de voluntate ſigni) eſt verè, & propriè in Deo, vt ipſi Adverſarij fatentur; ſed talis eſt illa voluntas ſalvandi omnes; ergo eſt verè, & propriè in Deo. Minor probatur ex Clemente Romano, lib. 2. Conſtit. Apoſtol. cap. 59. *Ex ore Domini noſtri Jeſu-Chriſti audivimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta, per Jeſum-Chriſtum demonſtrata, vt nullus intereat*, &c.

4 Damaſcenus lib. 1. de Fide, cap. 29. vocat eam voluntatem *beneplacitum ex ipſo Deo manans*; ergo eſt voluntas beneplaciti. Et ita docet D. Thomas quæſt. 23. de ver. a. 3. ibi. *Invenitur in Deo propria ratio voluntatis, & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur*; ergo voluntas antecedens, qualis eſt illa ſalvandi omnes, eſt voluntas beneplaciti, ac verè exiſtens in Deo, ſicut & conſequens. Chriſoſtomus, hom. 1. in epiſt. ad Epheſ. eam voluntatem appellat *ingentem ipſius, atque propenſam erga nos cum flagranti deſiderio coniunctam benignitatem*: Conſtat autem ingens, propenſum, & flagrans deſiderium, verum voluntatis actum, non puram velleitatem importare. Idque apertè oſtendit S. Proſper, lib. de vocat. „ Gent. cap. 25. dùm ait: Sive noviſſima „ contemplemur ſæcula, ſeu prima, ſeu „ media rationabiliter, & piè creditur „ omnes homines ſalvos fieri Deum vel„ le, ſemperque voluiſſe; & hoc non „ aliundè monſtratur, quàm de ijs bene„ ficijs, quæ vniverſis generationibus „ cõmuniter, atque indifferenter impẽdit. Quis autem, niſi ludendo, dicat Deum velle, ac ſemper voluiſſe, flagranti amomore beneficia vniverſis generationibus impendere ſine aliquo vero ſuæ voluntatis actu? Ex quibus formatur ratio. Voluntas, ex qua ingentia ad vniverſas generationes beneficia deſcendunt, eſt vera voluntas in Deo exiſtens; ſed ita eſt illa voluntas ſalvandi omnes; ergo.

5 Confirmatur. Deus verè, & propriè condidit naturam Angelicam, & humanam, eamque in finem ſupernaturalem beatitudinis ordinavit; ergo toti naturæ, atque adeò generaliter omnibus vult Deus beatitudinem. Antecedens conſtat, & conſequentia probatur. Fruſtra ordinaret Deus in finem, ſi finem non vellet; at omnes in finem beatitudinis ordinavit; ergo omnibus vult verè, & propriè beatitudinis finem. Secundó.

Colla-

Collatio mediorum procedit ex intentione finis ; at Deus dum creat, dum in beatitudinem ordinat, dum gratuitis ornat præſidijs, confert omnibus media ad beatitudinem ; ergo intendit omnibus beatitudinis finem.

6 Nec momenti eſt, quod aliqui reſpondent Deum non omnibus conferre media, auxiliaque ſufficientia propter beatitudinem, ſed propter alios fines, v. g. vt eis bene vtantur ſecundùm ordinem generalis providentiæ. Non (inquam) momenti eſt. Quoniam ſi ita eſſet, non omnes ordinati eſſent ad beatitudinem, non enim quis ordinatur in finem, cui nihil confertur ex intentione talis finis.

7 Confirmatur ſecundò concluſio ex Apoſtolo ſæpè allegato aſſerente: *Vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; at qui ſe ipſum dat in redemptionem pro omnibus, verè, & propriè vult omnes redimere; nec enim melius oſtendi poteſt redimendi voluntas, quàm ſe ipſum offerre in redemptionem; ergo vult omnes redimere; ergo & omnes ſalvare, cum redemptio facta ſit propter noſtram ſalutem.

7 Confirmatur tertiò. Verba Sacræ Paginæ non licet in ſenſum improprium detorquere, niſi aliquod detegatur abſurdum, aut oppoſitum ex eadem Sacra Pagina expreſsè conſtet; at verba Sacræ Paginæ diſſertiſsimè oſtendunt, quod *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, aliundè ex hac voluntate generali nullum ſequitur abſurdum, eſt enim voluntas illa, perfectio ſimplex, & pura, nullam imperfectionem includens; nihil præterea eidem voluntati opponitur, ſed cum alijs optimè cohæret, vt ex omnibus locis ſuperiori dubio allegatis clariſsimè conſtat; ergo ſine vllo fundamento ad ſenſum metaphoricum detorquentur. Denique. Uix, aut ne vix quidem ſubſiſtere poteſt propoſitio Apoſtoli, ſi in Deo non eſt vera, & propria voluntas ſalvandi omnes, nam per voluntatem metaphoricam, quæ velleitas dici ſoler, dici fortaſsè poſſet, quod vellet, non quod vult; at Apoſtolus ait, quod vult, non quod vellet; ergo.

9 Oppones illud Iſaiæ 46. ℣. 10. *Omnis voluntas Dei fiet*; & non omnes ſalvantur; ergo non eſt voluntas in Deo ſalvandi omnes. Secundò. Cum aliquis poteſt facere, & non facit, convincitur non habere voluntatem faciendi; at Deus poteſt ſalvare omnes, & nō ſalvat; ergo convincitur non habere voluntatem ſalvandi omnes. Tertiò. Voluntas cognoſcitur ab effectu, quando in effectu nullum eſt incommodum, aut periculum; ſed in omnium ſalute nullum ſequitur Deo incommodum, aut periculum; ergo ſi re ipſa non ſalvat, ſignum eſt non eſſe in ipſo voluntatem ſalvandi omnes. Ad hæc, & alia enodanda ſit.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

10 DICENDUM Secundò dari in Deo voluntatem ſine effectu principaliter intento. Probatur. Deus *vult omnes homines ſalvos fieri: neminem vult perire*; at aliqui pereunt, & non omnes ſalutem conſequuntur; ergo eſt aliqua voluntas, quæ non ſortitur effectum. Duplex eſt huic rationi reſpondendi modus. Primus eſt aſſerentium Deum non velle ſalutem omnium vera, & propria voluntate, ſed voluntate metaphorica, & ſigni, quam §. antecedenti impugnavimus, nec oportet impugnationes repetere. Alius eſt aſſerentium Deum velle actu vero, & proprio omnium ſalutem, non in ſe, ſed in cauſa, ſive in auxilijs ſufficientibus, quo ſenſu ſortitur effectum, ideoque nullus eſt actus divinæ voluntatis ſine effectu præcipuè intento.

11 Sed hæc etiam ſolutio ſupra tract. 1. dub. 5. impugnata manet. Et vlterius reijcitur primo ex littera, in qua Apoſtolus expreſsè ait Deum velle omnibus ſalutem; ergo effectus præcipuè intentus non ſunt auxilia ſufficientia, ſed ſalus. Secundò. Quia auxilia ſufficientia ſunt media ad conſequendam ſalutem; ergo conferuntur ex intentione ſalutis; ergo ad collationem auxiliorum præcedit intentio ſalutis.

12 Reſpondent Aliqui auxilia ſufficientia in reprobis non eſſe media conducentia ad ſalutem formaliter, ſed ma-

materialiter tantùm : ideſt non conferri à Deo ex intentione beatitudinis, ſed quia ſuaptè natura in finem beatitudinis tendunt, ideò dici poteſt conferri ex intentione beatitudinis, non quidem intentione operantis, ſive Dei conferentis, ſed ex fine operis. Sed hæc doctrina ſubſtineri non poteſt. Sequitur enim primò reprobos non eſſe à Deo in finem beatitudinis ordinatos, ſi nulla media eis conferuntur ex intentione beatitudinis. Sequitur ſecundò in nullo vero ſenſu dici poſſe Deum velle omnibus ſalutem, quod Apoſtolo expreſsè contradicit. Sequela autem probatur. Eactenus Deus vellet omnibus ſalutem, quatenus vult auxilia ſufficientia conducentia ad ſalutem ; at Deus iuxta doctrinam datam non vult ea auxilia ſufficientia ex intentione ſalutis ; ergo in nullo vero ſenſu Deus vult omnibus ſalutem ; immò quod homo benè vtatur auxilijs ſufficientibus ad ſalutem, vt quandoque contingit etiam in reprobis, erit præter intentionem Dei, quoniam à Deo collata non ſunt ex intentione ſalutis.

13 Vlterius. Quod auxilia ſuapte natura tendant in beatitudinem vllo vero ſenſu eſſe volitam à Deo, ſi non conferuntur ex intentione beatitudinis ; ergo in nullo vero ſenſu erit vera propoſitio Apoſtoli. Antecedens probatur. Deus verè producit humanam naturam peccabilem, quæ ſuaptè natura tendit in peccarum, vtpotè facta ex nihilo ; ſed quia non tendit in peccatum ex intentione Dei, ideò peccatum in nullo vero ſenſu eſt volitum à Deo ; ergo licèt auxilia ex ſua natura tendant in beatitudinem, ſi non conferuntur à Deo ex intentione beatitudinis, beatitudo nullo pacto eſt volita à Deo : quarè verè, & proprié dici non poterit Deum velle omnibus beatitudinem. Quod ſi ſine iniuria Apoſtoli dici poſsit, ipſi viderint.

14 Sequitur tertiò nec Chriſtum ſuum ſanguinem verè, & propriè fudiſſe pro omnibus, nam Chriſtus ſanguinem ſuum fudit pro illis, quos Deus vult ſalvos fieri, vt apertè conſtat ex authoritate Apoſtoli ſæpius allegata ; ideoque vtrumque Janſeniſtæ negant ; ergo in eodem luto hærent cum Janſenio negante redemptionem Chriſti pro omnibus, quicumque negant in Deo voluntatem veram, & propriam ſalvandi omnes. Ut quid enim Deus Filium ſuum vnigenitum tradidit pro omnibus, ſi nullam veram voluntatem habet, vt omnes conſequantur ſalutem? Ut quid Medicum dedit, ſi ſalutem non intendit? Ut quid Sacramenta? Ut quid Angelicam cuſtodiam? Vt quid tot auxilijs, & præſidijs, internis, & externis naturam munivit humanam? Ut quid tandèm pharmaca ex ſanguine Chriſti ſummo pretio confecit, ſi ſalutem noluit, vel ſaltim non voluit, idque antecedenter nullo inſpecto peccato? Hæc profectò in operibus naturæ, hominumque negotijs fingere ; totque media diſponere non volito fine, abſurdum quiſque putabit ; ergo & potiori titulo in operibus gratiæ.

15 Probatur ſecundò concluſio, & vlterius doctrina data impugnatur. Voluntas antecedens propria poſitiva, & formalis ſalvandi omnes in Deo nullo titulo repugnat, ſed potius divinam ſummè decet bonitatem ; ergo & Deo concedenda. Antecedens probatur. Si aliquo titulo repugnaret, maximè quia non habet effectum ; ſed hoc titulo non repugnat, nam Deo verè diſplicent peccata, & prohibet : verè placet obſervatio Mandatorum, & præcipit ; ergo verè vult vitari peccata, & obſervari mandata ; at hæc voluntas non in omnibus habet effectum ; ergo & quod voluntas ſalvandi omnes non habeat effectum, non ex eo repugnat. Præterea. Quod voluntas de obiecto, cuius exiſtentia pendet ab aliqua conditione, non impleatur conditione non poſita nullo iure repugnat ; ita eſt voluntas generalis omnium ſalutis, aliorumque plurium, quæ ex Sacra Pagina ſatis conſtat, vt converſio Tyriorum, & alia huiuſmodi ; ergo quod voluntas illa generalis non impleatur nullam contradictionem importat. Et ita docet Ang. Doctor in 1. diſt. 46. quæſt. 1. a. 1. *Voluntas antecedens poteſt dici conditionata, non tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circunſtantijs.*

16 Ex his facilè occurri poteſt impugnationibus factis §. antecedenti. Prima enim procedit de voluntate conſequenti, abſoluta, & efficaci, quæ ſem-

per

per impletur: ſed voluntas illa generalis ſalvandi omnes eſt antecedens conditionata, & inefficax. Ad ſecundam, & tertiam pariter dico convinci non habere voluntatem efficacem, & abſolutam, non tamen convincitur non habere voluntatem antecedentem, & conditionatam. Præterquamquod ea doctrina procedit de voluntate creata, & cauſa particulari, de qua dicitur diſt. 83. cap. *Error. Cum poſsis prohibere perverſos, & non facis, nihil aliud eſt, quàm fovere*; non de cauſa vniverſali; ad quam ſpectat ſinere cauſas ſecundas ſuos motus agere; atque adeò Deus potens impedire omnia peccata, & non impediens, non ideó peccata fovet. Denique. Retorquetur impugnatio veluti oppoſitum convincens, nam ſi ex effectu venanda eſt voluntas, quot effectus non habet illa voluntas ſalvandi omnes? Tot ſanè, quot auxilia, & præſidia præſtat, tot [inquam] vt ne Filio ſuo vnigenito pepercerit, ſed pro nobis omnibus illum tradiderit; ac tandem confidenter dicat: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?*

17 Sed contra inſurgit Doctiſsimus Silva loco citato á num. 62. ex illo Iſaiæ: *Voluntati divinæ quis reſiſtet?* ergo ſi datur aliqua voluntas, quæ non habet effectum, ſive cui reprobi reſiſtant, non erit voluntas diviha, ſed creata. Patet conſequentia, quoniam in eo diſtinguitur voluntas divina à creata, quod illa eſt prorſus infallibilis, hæc fallibilis; at voluntas ſine effectu eſt fallibilis; ergo non divina, ſed creata. Secundò. Si daretur in Deo aliqua voluntas inefficax, conditionata, & fruſtrabilis, deſtrueretur in Deo ratio primi principij, & cauſæ, nam conſecutio ſalutis determinata à Deo penderet à voluntate humana; ergo dignitas primæ cauſæ potius refundenda eſſet in voluntatem humanam, quàm divinam; immó voluntas divina minoris eſſet potentiæ, quám humana. Tertiò. Poſita in Deo voluntate generali ſalvandi omnes, ponenda eſſet alia voluntas reprobandi aliquos; ſed hæc voluntas poſterior eſſet prioris retractatio, quoniam per priorem decerneret ſalutem omnium; per poſteriorem verò aliquorum reprobationem, quod eſſe non poteſt ſine mutatione decreti, & retractione prioris voluntatis.

18 Quartò. Ideó poneretur in Deo voluntas generalis ſalvandi omnes, quia reſpicit ſalutem omnium ſecundùm ſe, non verò merita, vel demerita; ſed hoc repugnat: nam voluntas dandi gloriam vel eſt ante prævisa merita, vel non eſt? Si non eſt; ergo Deus voluit omnibus gloriam ignorans merita, quæ prævidere debebat ad decernendam gloriam. Si eſt. Ergo voluntas dandi gloriam, vt ſit vera prædeſtinatio non indiget meritis; ergo voluntas illa generalis dandi omnibus gloriam, quamquam antecedat merita erit vera prædeſtinatio; & tamen non habet effectum; ergo fruſtratur divina prædeſtinatio. Quintò. Aliud eſt, quod Deus vellet, & aliud, quod vult; ſed quamquam Deus ex ſe vellet omnibus gloriam, non tamen vult, nam Deus velle non poteſt, niſi quod convenientius eſt iuxta ſapientiæ dictamen; at iuxta ſapientiæ dictamen convenientius non eſt, quod omnes ſalventur, aliàs omnes ſalvarentur; ergo hoc Deus velle non poteſt, implicat enim Deum velle, quod conveniens non eſt. Sextò. Ad actum voluntatis ſemper præcedit cognitio; ſed Deus cognoſcit non eſſe conveniens omnes ſalvari; ergo ſalutem omnium velle non poteſt vero voluntatis actu.

19 Sed hæc facillimè enodantur. Ad primum iam conſtat qualiter voluntas efficax Dei eſt infallibilis, & infruſtrabilis; & per hoc diſtinguitur à creata, quæ quantumcumque efficax, eſt fruſtrationi obnoxia, non ita divina. Ad ſecundum dico inefficaciam divinæ voluntatis non lædere dignitatem primæ cauſæ; quia ea inefficacia oritur ab ipſo Deo nolente dare ſuis actibus efficaciam, quam poteſt, vt ſinat cauſas ſecundas ſuos agere motus, ob aliaque motiva, quæ impræſentiarum examinare non licet: pluraque diximus in hoc tract. dub. 1. §. 1.

20 Ad tertium, conceſſa maiori, nego minorem. Nam in ſenſu compoſito voluntatis antecedentis ſalvandi omnes cohæret voluntas conſequens reprobandi aliquos, quia voluntas generalis reſpicit Petrum v. g. vt homo eſt, atque adeò vult illi gloriam voluntate generali, & conditionata: voluntas verò conſequens reſpicit Petrum vt peccator eſt, & ideò vult illi pœnam, in quo nul-

la

la retractatio, nulla contradictio. Ad quartum dico voluntatem, de qua agimus, non esse prædestinativam, sed pertinere ad providentiam generalem, qua providet æquè de omnibus iuxta inclinationem suæ bonitatis, ideòque ex motu proprio vult salutẽ omnium, atque adeò nec merita supponit, nec infallibiliter infert; cuius oppositum contingit in prædestinatione, sive electione efficaci prædestinatorum ad gloriam, quæ vel merita supponit, vel infert iuxta diversum opinandi modum. Quinta impugnatio contradicit Apostolo asserenti, non quod Deus vellet, sed quod *vult*, & velle omnium salutem antecedenter, convenientius est iuxta sapientiæ dictamen, quamquam non sit convenientius consequenter, per quod constat ad vltimam, quæ si quid probat apertè convincit, quod Deus nec vult, nec vellet, nullamque voluntatem habet adhuc interpretativam salvandi omnes, quia interpretari non licet Deum velle, quod conveniens non est, & disconveniens agnoscit.

Cætera argumenta diluuntur.

§. IV.

21 ARGUITVR Primò ex D. Thoma 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. vbi ait: *Id quod antecedenter volumus, non simpliciter volumus, sed secundùm quid*; sed voluntas salvandi omnes est antecedens; ergo est secundùm quid, & non simpliciter talis, atque adeó non est voluntas *beneplaciti* formaliter existens in Deo, sed *signi*, quæ dici solet velleitas, vt clarius ibidem ostendit exemplo Iudicis: *Iudex simpliciter vult hominem suspendi, sed secundùm quid vellet eum vivere, scilicet, in quantum homo: vndè magis potest dici velleitas, quàm absolutè voluntas*; ergo Deus vellet, non tamen re ipsa vult aliquo actu vero, & proprio omnium salutem. Respondeo voluntatem antecedentem dici voluntatem secundùm quid relatè ad absolutam, & consequentem, & in hoc sensu dicitur velleitas, quatenùs inefficaciter vult, & efficaciter vellet.

22 Arguitur secundò, Si esset in Deo vera voluntas antecedens salvandi omnes, esset Deo libera, at libera esse non potest; ergo non datur; ergo datur duntaxat voluntas terminata ad gloriam in sua causa efficienti, sive ad auxilia sufficientia; sed in hoc sensu est voluntas consequens, & efficax; ergo nulla datur in Deo voluntas antecedens, & inefficax terminata immediatè ad gloriam; in se ipsa. Minor autem probatur. Ea voluntas terminaretur ad gloriam tantùm vt possibilem; ergo non esset libera, quia amor possibilium, si quis est, est necessarius, vt tract. 1. dub. 6. dictum est; antecedens probatur. Ui illius voluntatis gloria omnium non redditur futura, aliàs omnes consequerentur salutem; ergo est purè possibilis.

23 Si respondeas salutem omnium ex vi illius voluntatis esse futuram condititionatè, nimirùm sub conditione, quod homo non ponat impedimentum. Contra insurgit argumentum. Futurum conditionatum manet re ipsa purè possibile, quia nullo modo immutatur, cum conditio purificanda non sit; ergo implicat actus liber ad talem salutem terminatus. Secundó. Quia actus liber constituitur in esse talis per connotationem creaturæ, vt tract. 2. dubio 3. diximus; ergo si talis actus erga salutem omnium esset actu in Deo, assignari deberet obiectum creatum actu, quod connotaret; at salus omnium non est aliquid actu; ergo implicat salus omnium circa illam.

24 Tertiò. Implicat actus liber Dei sine aliqua mutatione, non quidem ex parte Dei, quæ repugnat; ergo ex parte obiecti creati; at obiectum conditionatum sub conditione non purificanda nullo pacto mutatur, quia non est, sed esset; ergo implicat actus liber divinæ voluntatis circa tale obiectum, & consequenter circa salutem omnium, nisi omnes salvi fiant. Eo vel maximè, quia voluntas illa esset conditionata, nimirùm, sub conditione operationis nostræ, purificata conditione sortiretur effectum; ergo esset vera prædestinatio, nam virtute illius voluntatis purificata conditione homo consequeretur prædestinationis terminum, nempè gloriam; at hoc dici non potest, nam virtute voluntatis antecedentis, & generalis nemo salvatur. Tandem. Prima

diſcretio prædeſtinatorum á reprobis non eſſet à Deo, ſed ab homine purificante conditionem; hoc autem contradicit Apoſtolo aſſerenti *Quis enim te diſcernit*, &c. ergo.

25 Ad primam impugnationem iam conſtat ex loco ibi citato, ex quo conceſſa maiori, nego minorem, ad probationem dico voluntatem illam non terminari ad ſalutem vt poſsibilem, ſed vt futuram conditionatè, & affectivè, ſive ex affectu divinæ bonitatis homine nõ ponente impedimentum, quod ſatis eſt ad actum liberum. Ad primam obiectionem, nego antecedens, quoniam obiectũ purè poſsibile nullo pacto eſt determinatum, nec in ſe, nec in cauſa, attamen obiectum conditionatum ſalutis omnium eſt determinatum in ſua cauſa ſufficienti. Ad ſecundam conſtat etiam ex loco citato, nam obiectum conditionatum actu, habet aliquam mutationem, cum habeat determinationem ad exiſtendum ex vi cauſæ ſufficientis, ex cuius connotatione actus Dei poteſt conſtitui in eſſe liberi. Itaque obiectum conditionatum mutatur in ſe obiectivè, & vlterius phiſicè in ſua cauſa, quia ſic redditur obiectum inclinationis hominis præventi auxilio ſufficienti, quod non habebat in ſtatu poſsibilitatis, nec requiritur alia mutatio in obiecto actus liberi conditionati, quoniam mutatio ponenda eſt in obiecto ſecundùm conditionem actus, cum ergo actus non ſit obiectivè abſolutus, ſed conditionatus, non requiritur abſoluta, & phiſica mutatio in ipſo obiecto, ſed ſatis eſt obiectiva in ſe, & phiſica in cauſa.

26 Ad aliam obiectionem diſtinguo antetedens. Sortiretureffectum purificata conditione purificatione orta ab illa voluntate generali, nego antecedens. Ab alia voluntate efficaci, concedo antecedens, nã licèt illa voluntas generalis ſortiatur effectum purificata conditione; attamen purificatio conditionis dependet ab alia voluntate efficaci, quæ voluntas, aut eſt electiva ad gloriam, & illativa meritorum; vt plures opinantur tract. de Prædeſt. aut primó tendit ad gratiam, & merita, vt alij iudicant. Cætera argumenta dubio ſequenti expendemus.

DVBIVM IV.

An ex voluntate antecedenti ſalvandi omnes deſcendant in omnes auxilia ſufficientia?

§. I.

1 CUM Janſenius Iprenſis Antiſtes ſatis temerariè negaſſet beneficium Paſſionis, & mortis Chriſti omnibus oblatum, atque adeò in Deo voluntatem ſalvandi omnes, vlterius progreditur, & lib. 3. de Gratia Chriſti, c. 2. alijſque in locis, ait Semipelagianorum eſſe errorem à Fide Catholica reſpuendum aſſerere Chriſtum ſanguinem ſuum pro omnibus fu-
„ diſſe. Sed hanc propoſitionem: Se-
„ mipelagianum eſt dicere Chriſtum
„ pro omnibus omninó hominibus mor-
„ tuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: *No-*
„ *tavit Innoc. X. anno 1653.* vt falſam,
„ temerariam, ſcandaloſam, & intellectã
„ eo (addit) ſenſu, vt Chriſtus duntaxat
„ pro ſalute prædeſtinatorum mortuus
„ ſit, impiam, blaſphęmam, contume-
„ lioſam, divinæ pietati derogantem, ac
„ vt hæreticam declaramus, & damna-
mus.

2 Innocentio, alijſque Pontificibus non aſſentientes quidã Lovanienſes Doctores non dubitant etiam his temporibus eandem cum Janſenio præcipitare ſententiam, vt tradit Emin. Aguirre in Defenſione Cathedræ S. Petri, diſp. 21. Et t. 3. in S. Anſ. à diſp. 126. & vberius conſtat ex lib. cuius titulus eſt: *Specimen doctrinæ traditæ ab anno 1691. ad annum 1696.* Quibus aliqui addunt: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tàm vtilis, quàm pernitioſa eſt, ſic vt proinde meritò poſsimus petere à gratia ſufficienti libera nos Domine.*

3 Secunda ſententia diſtinguit inter adultos, & parvulos. Adultis concedit gratiam ſufficientem, omniaque media ad ſalutem neceſſaria; negat parvulis. Ita Vazquez diſp. 96. & 97. Tertia pluribus etiam negat adultis in pœnã peccati, aut actualis, aut originalis, quamquam omnibus fateatur oblata.

Ita

ta Gregorius Ariminenſis, Adrianus, Roſenſis, Villegas, Ricardus Taper, & Henriquus; quibus accedunt Bañez, Gonçalez, Godoy, Gonet, & alij plures. Quarta omnibus generaliter concedit media ad ſalutem neceſſaria. Ita P. Suarez lib. de providentia circa reprobos á cap. 1. Emin. Sfrondati in nodo prædeſtin. & alij plures: ac ita apertè eandem docent ſententiam Auguſtinus, Anſelmus, Thomas, cæterique Patres, & Doctores, vt de eorum mente, nulla mihi appareat dubitandi ratio.

4 Advertendum tamen Janſenium toto cœlo differre ab alijs citatis Theologis pro ſecunda, & tertia ſententia, quoniam Catholici omnes agnoſcunt in Deo voluntatem ſalvandi omnes, aut formalem, aut interpretativam: ſive beneplaciti, ſive ſigni; atque adeò docent auxilia ſufficientia, aut generaliter dari, aut ſaltim offerri; ſed hæc omnia maximè diſplicent Janſenio in ſuo *Auguſtino* loco citato, vbi gratiam ſufficientem generaliter reſpuit, non ſolùm vt ponitur à Thomiſtis, veluti conſtitutiva potentiæ, ſed etiam vt adſtruitur á Societatis Doctoribus, quæ redditur congrua, & efficax annuente voluntate creata. Eaque propter Janſenius non aliam agnoſcit gratiam in ſtatu naturæ lapſæ, niſi efficacem, cui nunquam reſiſtitur, vt latè docet loco cit. cap. 1.

(o)

Gratia ſufficiens omnibus collata authoritate, & ratione ſuadetur.

§. III.

5 DICENDUM Ex voluntate generali, & antecedenti ſalvandi omnes homines deſcendere ad omnes auxilia ſufficientia, mediaque neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Ita expreſſe deduci videtur ex Apoſtolo docente: quod *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*; at non vult ſalvos fieri negando media ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem conſequendam, nam voluntati finis correſpondet voluntas mediorum, ac ſatis inutilis eſt voluntas finis ſine collatione medij ſimpliciter neceſſarij ad finem; cum ergo voluntas illa generalis omnes generaliter comprehendat, vt in ſuperioribus ſatis, ſuperque demonſtratum eſt, conſequens eſt vt collatio mediorum omnes generaliter comprehendat.

6 Secundò. Ex voluntate illa generali deſcendit beneficium omnium maximum redemptionis Chriſti. Sic enim Apoſtolus proſequitur: *Dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Quod repetens ad Rom. 8. V. 32. inquit: *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quaſi impoſsibile iudicans Æternum Patrem dediſſe Filium vnigenitum, & alia longè inferiora negare, non enim poteſt minora negare, qui maius, ac omnium excellentiſsimum omnibus dedit.

7 Aliter eadem formatur ratio. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.*; at non vult ſalvos fieri nolentes; ergo volentes; ergo tribuit eis Deus vnde velle poſsint, quia viribus naturæ velle non poſſunt; ſed hæc ſunt auxilia ſufficientia; ergo omnibus auxilia ſufficientia largitur: vnde Anſelmus exponens dicta verba Apoſtoli ait: *Dedit ſemetipſum pro omnibus, ideſt, nullum excipiens, qui vellet redimi.* Ambroſius in epiſt. 1. ad Tim. c. 2. *Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri, ſi accedunt ad eum, non enim ſic vult, vt nolentes ſalventur, ſed vult illos ſalvari, ſi & ipſi velint.* Et hic eſt communis modus loquendi Patrum.

8 Sed quia ex hac authoritate extortè deducebant Pelagiani poſſe omnes homines ſalvos fieri, ſi & ipſi velint ex viribus arbitrij, ſic eos impugnat Auguſtinus, lib. 1. Retract. cap. 10. *Quod omnes homines poſſunt, ſi velint, non exiſtiment Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum enim eſt omnes homines poſſe, ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino*; ergo ſecundùm Auguſtinum verum eſt omnes homines poſſe conſequi ſalutem, ſi velint; ergo verũ eſt omnes poſſe velle, non quidẽ *ſecundùm eos*, ideſt volũtatẽ, aut potentia Pela-

giana, nempè viribus naturæ, ſed gratia Dei, qua *præparatur voluntas à Domino.*

9 Dices his omnibus non ſignificari actualem collationem auxilij ſufficientis, ſed oblationem, quia licet pro omnibus mortuus ſit Chriſtus, non tamen omnibus applicat ſuæ mortis, & paſsionis meritum; omnibus enim inſtituit Sacramenta, aliaſque medicinas paravit, quamvis ea remedia non omnibus adhibeat.

10 Fateor ita plures loqui Doctores, quorum doctrina mihi maximè arrideret, ſi procederet de gratia victrici, & applicatione efficaci paſsionis Chriſti; hanc enim non omnibus re ipſa confert, quamquam offerat; ſed quatenùs procedit de auxilio ſufficienti mihi maximè diſplicet, quoniam in eam (venia eorum dicam) apertè reclamant Auguſtinus, Anſelmus, Thomas, cæterique Patres, & Doctores; immò & Scriptura ipſa: plura teſtimonia in ſuperioribus allegavimus, ſed & alia ſelectiora perſtringere curabimus. Dicit enim Ioann. quod *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Jacobi 1. cap. 4. dicitur: *Qui dat omnibus affluenter.* Et Paulus 1. ad Tim. 6. *Sperate in Deo vivo, qui præſtat omnia abundè ad fruendum.* Et ad Tit. cap. 3. *Secundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum-Chriſtum*; ſed qui *illuminat*, non tantùm illuminationem offert: *Qui dat omnibus*, non ſolùm promittit: qui *effundit abundè*, non modò parat, ſed pleniſsimè confert; ergo non ſola præparatio, & oblatio, ſed realis collatio, ex Sacra Pagina clariſsimè conſtat.

11 Sed quia verior Sacræ Paginæ interpretatio Sacro definientæ Concilio Tridentino, ſeſſ. 4. ex vnanimi Sanctorum Patrum conſenſu venanda eſt, ipſos audiamus. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini, c. 15. ait: „ Nulla anima eſt, quamvis perver„ſa, quæ tamen vllo modo ratiocina„ri poteſt, in cuius corde non loqua„tur Deus. *Item in Pſalm.* 6. Qui da„tus eſt in reprobum ſenſum ab inte„riori luce ſecluditur, ſed non peni„tus, dùm in hac vita eſt. *Iterum de parvulis inquit lib.* 4. *contra Julianum.* „ Nunquid parvuli homines non ſunt, „ vt non pertineat ad illud, quod „ dictum eſt, qui vult omnes homi„nes ſalvos fieri? *Rurſus de infidelibus ait lib. de Spir. & litt. cap.* 33. „ Vult Deus omnes homines ſalvos „ fieri, & in agnitionem veritatis ve„nire, non ſic tamen vt eis adimat „ arbitrium, quo benè, vel malè „ vtentes iuſtè iudicentur, quod cum „ fit, infideles quidem contra volun„tatem Dei faciunt, cum eius Evan„gelio non credunt. *Ac tandem de om„nibus in Pſalm.* 91. Non ceſſat Sa„thanas ſuadere malum, ſed nec Deus „ ceſſat admonere bonum: Sathanas au„tem non cogit invitum: in tua po„teſtate eſt conſentire, aut non con„ſentire.

12 Adſtipulatur Auguſtino fideliſsimus Diſcipulus S. Proſper, lib. „ 2. de vocat. Gent. cap. 29. In ex„tremis mundi partibus ſunt aliquæ „ nationes, quibus nondum gratia Sal„vatoris illuxit, quibus tamen illa men„ſura generalis auxilij, quæ deſuper „ omnibus ſemper hominibus eſt præ„bita, non negatur. *Et cap.* 14. Ne„que ob hoc excuſabiles ſunt aliæ na„tiones, quæ alienatæ à converſatione „ Iſrael, ſpem non habentes, & ſine „ Deo in hoc mundo ſub ignotantiæ te„nebris perierunt, quia hæc abundan„tia gratiæ, quæ nunc vniverſum mun„dum rigat, pari antea largitate non „ fluxit, adhibita enim ſemper eſt vni„verſis quædam ſupernæ menſura doc„trinæ, quæ etſi partioris, occultio„riſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, &c. „ *Et cap.* 31. Elaboratum eſt, quantùm „ Dominus adiuvit, vt non ſolùm in no„viſsimis diebus, verum etiam in cunc„tis retrò ſæculis probaretur, gratiâ Dei „ omnibus hominibus adfuiſſe, quoniam „ ſive manifeſtè, ſive occultè, ipſe eſt, vt „ vt Apoſt. ait, Salvator omnium hominũ, „ maximè fidelium. *Denique De infantibus,* „ *cap.* 23. Non irreligioſè, arbitror, credi„tur, quod iſti paucorum dierum homi„nes ad illam pertineant gratiæ partem, „ quæ ſemper vniverſis eſt impenſa na„tionibus, qua vtique ſi benè vterentur

co-

„ eorum Parentes, etiam ipſi per eoſ-
„ dem iuvarentur. Profectò nihil cla-
rius nec à me ipſo adduci poteſt, ſive in-
fantes comprehendas, ſive infideles in-
cludas, ſive de reprobis, ſive de obſti-
natis loquaris.

13 Paulus Oroſius Auguſtino chariſsimus eandem Auguſtini firmat ſententiam lib. Apologetico contra Cœleſtium, pag. 453. ita loquens: „ Mea ſemper hæc eſt fidelis, & indu-
„ bitata ſententia: Deum adiutorium
„ ſuum, non ſolùm in corpore ſuo,
„ quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob cre-
„ dentium fidem dona largitur, verùm
„ etiam vniverſis in hoc mundo genti-
„ bus propter longanimem ſui, æter-
„ namque clementiam ſubminiſtrare, non
„ vt tu aſſeris cum Diſcipulo tuo Cœleſ-
„ tio, in ſolo naturali bono, & in libe-
„ ro arbitrio generaliter vniverſis vnam
„ gratiam contributam, ſed ſpeciatim
„ quotidie per tempora, per dies, per
„ momenta, per atomos, & cunctis,
„ & ſingulis miniſtrare; ex quo evi-
„ dentiſsimè declaratum eſt nemini ho-
„ hominum deeſſe adiutorium Dei, præ-
„ ſertim cum & ſeductor aſsiſtat, & inſit
„ infirmitas.

14 Sanctus Anſelmus millies eandem ſententiam repetit. Tùm locis ſæpè allegatis: tùm in cap. 1. ad Ro-
„ manos. Ibi. Dominus illis manifeſta-
„ vit, ideſt non ſolùm naturalis ratio
„ profuit, ſed Deus quotidie adiuvit,
„ ne ſola natura ſufficere videretur. *Doctor Ang. in* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 1. *a.* 1. *ſic propoſitionem Apoſtoli exponit*: Huius
„ voluntatis effectus eſt ipſe ordo in fi-
„ nem ſalutis, & promoventia in finem
„ omnibus communiter propoſita, tàm
„ naturalia, quàm gratuita. *In Epiſt.*
„ *ad Hæbr. c.* 12. *lect.* 3. Deus vult om-
„ nes homines ſalvos fieri, & ideò gra-
„ tia nulli deeſt, ſed omnibus quan-
„ tum in ſe eſt, ſe communicat. *Et in*
„ *cap.* 6. *Ioan.* Cor humanum ex ſe ad
„ inferiora tendens, non poteſt ſurſum
„ elevari, niſi tractum, ſi verò non
„ elevatur, non eſt defectus ex parte
„ trahentis, qui quantum eſt in ſe, nul-
„ li deficit, ſed eſt propter impedi-
„ mentum eius, qui non trahitur; Deus
„ enim omnibus ad trahendum ma-
„ num porrigit quantum in ſe eſt, &
„ quod plus eſt, non ſolùm attrahit
„ manum recipientis, ſed etiam adver-
„ ſos ad ſe convertit. Ex quo ergo
„ Deus paratus eſt dare omnibus gra-
„ tiam, & ad ſe trahere, non imputa-
„ tur ei, ſi aliquis non accipit, ſed ei,
„ qui non accipit: Ergo Deus omni-
bus manum porrigit ſufficienti auxi-
lio paratus dare gratiam pleniorem,
& efficacem, qua re ipſa trahatur, ſi
homo impedimentum non ponat, ſed re-
cipere velit.

15 Denique quæſt. 14. de
„ ver. a. 11. ad 1. ait: Si aliquis nutri-
„ tus in ſilvis, vel inter bruta animalia,
„ ductum rationis ſequeretur in appe-
„ titu boni, & fuga mali, certiſsimè
„ eſt tenendum, quod ei Deus, vel per
„ internam inſpirationem revelaret ea,
„ quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel
„ aliquem fidei prædicatorem ad eum
„ dirigeret, ſicut miſsit Petrum ad Cor-
„ nelium. *Et ad* 2. Quamvis non ſit in
„ poteſtate noſtra cognoſcere ea, quæ
„ ſunt fidei, ex nobis ipſis, tamen ſi nos
„ fecerimus, quod in nobis eſt, vt ſcili-
„ cet ductum naturalis rationis ſequa-
„ mur, Deus non deficiet nobis ab eo,
„ quod nobis eſt neceſſarium.

16 Alia plura, ne infinitus ſim, vel invitus omitto, nec ſatis percipio, qualiter ab his ſe expedire poſsint aliter opinantes, quibus etſi teſtimonia non deſint, quibus oſtenditur Deum gratiam offerre, facilé reſpondemus Deum omnibus gratiam ſufficientem conferre, & ſimul victricem, plenioremque offerre: immò modus offerendi gratiam efficacem eſt conferre ſufficientem, qua pleniorem conſequi poſsint, ſi enim gratiam conſequi non poſſunt, inutilis eſt oblatio, atque adeò talis gratia nulla eſſet, quia vt optimè notavit Juriſ Conſultus. *L. Quoties*, ff. de ſatiſd. *Nihil, & inutile paria eſſe dicuntur.*

***

(†)

Secunda ratio ex præceptis ſupernaturalibus deſumpta.

§. III.

17 EX Doctrina allegata formatur alia ratio. Omnes tenentur ad conſecutionem ſalutis, quoniam omnes ad ſalutem ordinati ſunt, ideòque meritò puniuntur, ſi non conſequantur, & conſequenter omnibus adeſt obligatio adimplendi mandata; at nemo tenetur ad impoſsibile; ergo omnes ſalutem conſequi poſſunt; at non poſſunt ſine gratia; ergo omnibus confertur gratia, qua poſſint: vndè meritó Pontificia cenſura improbata eſt illa propoſitio Janſenij, „ qua contendit: eſſe præcepta homini„ bus iuſtis, volentibus, & conantibus „ ſecundùm præſentes, quas habeat vi„ res, impoſsibilia, deeſſe quoque eis „ gratiam, qua poſsibilia fiant. *Qua ratione dixit Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 11.* „ Deus impoſsibilia non iubet, ſed iu„ bendo monet, & facere quod poſ„ ſis, & petere quod non poſsis, & ad„ iuvat, vt poſsis. *Quod totidem verbis dixerat Auguſtinus, lib. de Natura, & „ gratia, cap. 44.* Non igitur Deus im„ poſsibilia iubet, ſed iubendo admo„ net, & facere, quod poſsis, & pete„ re quod non poſsis.

18 Rationem tradit, lib. de „ duabus animabus, c. 12. Summæ ini„ quitatis; & inſaniæ eſt, vt peccati „ reus quiſquam teneatur, qui non fe„ cit, quod facere non potuit; hoc „ enim habemus in poteſtate, quod „ cum volumus, poſſumus: præcep„ tum verò idem nobiſcum agit, vt „ quod iam eſt in poteſtate, facia„ mus: ſi nondum eſt in poteſtate, „ oremus nobis poteſtatem dari, vt „ vt quod præceptum eſt faciamus. Portò efficacia huius rationis ſita eſt in iuſtitia, & proprietate Dei, vt inquit ſerm. 61. de tempore: ibi. *Nec impoſsibile potuit imperare, qui iuſtus eſt; nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius eſt.*

19 Hoc argumentum malè torquet Janſenium, nullumque non movet lapidem, vt occurrat. Et primó ait præcepta poſſe adimpleri ſine auxilio ſufficienti: iuſtus quidem per gratiam, & charitatem: iniuſtus fidelis per fidem, & ſpem: infidelis verò per liberum arbitrium, quo poteſt ſuſcipere gratiam. Sed ſi hoc ita eſt corruit tota machina Janſenij ſæpé docentis in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam ſufficientem, ſed omnem eſſe efficacem, ideòque nullam eſſe gratiam, cui humana voluntas poſsit reſiſtere, & prædeſtinatos, quibus datur, infallibiliter operari; at hæc omnia ex oppoſito contingunt in gratia habituali, & virtutibus, quia ſola gratia habituali nemo infallibiliter operatur, eique non ſolùm reſiſtitur, ſed etiam expellitur per peccatum; ergo præter gratiam habitualem alia auxilians neceſſaria eſt.

20 Secundó. Sine Spiritus Sancti gratia excitante, exhortante, & movente neminem poſſe ſalutariter operari definit Concilium Araux. 2. Sed hoc non habent gratia, & virtutes per modum habitus; ergo. Tertió. Poſſe adimpleri præcepta per liberum arbitrium, quatenus hoc poteſt recipere gratiam, nihil aliud eſt, quàm cæcum poſſe videre, quia poteſt recipere lumen. Me poſſe omnia venialia vitare, quia poſſum recipere gratiam Virginis Deiparæ. Dæmones ipſos poſſe conſequi ſalutem, quia poſſunt recipere media ad ſalutem neceſſaria.

21 Reſpondet ſecundó impotentiam illam non excuſare á peccato, eo quod eſt impotentia non antecedens, ſed concomitans, quia nemo peccat ſciens ſe non habere potentiam adimplendi, ſed quia vult, quarè ita violat præceptum impotens adimplere, vt etiam ſi haberet potentiam, violaret: vt patet in occidente hominem, quem ignorat eſſe hominem, ita tamen, vt etiam ſi non ignoraret, occideret: hæc ignorantia non eſt antecedens, ſed concomitans, & ab homicidio non excuſat: ſic in præſenti.

22 Sed hæc ſolutio ſua ſubtilitate decidit. Nam ea eſt impotētia antecedens adim-

adimplendi præceptum, quæ conſtituit ſubiectum incapax præcepti, filiuſque adimpletionis; ſed ita ſe habet carentia auxilij ſufficientis, ſivè medij ſimpliciter neceſſarij ad poteſtatem adimplendi; ergo eſt impotentia antecedens: vndè cæcus per carentiam potentiæ viſivæ eſt incapax præcepti ad videndum. Exemplum homicidij nihil probat: primò, quia homo tenetur alium non occidere, & poteſt non occidere; attamen homo ſine gratia ſufficienti, nec poteſt adimplere præceptum, nec tenetur: Secundò, quia ſic ignoranti, & occidenti, ſolùm imputatur coram Deo prava voluntas occidendi hominem, quem ignorat cum voluntate, occidendi quamquam non ignoraret, quam voluntatem poteſt retractare, & mutare; at in præſenti nullo modo poteſt honeſtè operari; ergo non eſt ſimile.

23 Tertiò reſpondet impotentiam illam ex carentia auxiliorum non excuſare, quia eſt conſequens, & voluntariè orta ex culpa originali. Sed hanc ſolutionem impugnat Anſelmus lib. de Peccato Origin. cap. 29. vbi inquirit: *Cur impotentia habendi iuſtitiam non excuſat Infantes ante baptiſmum, & excuſat poſt baptiſmum?* Reſpondet: *Quia per baptiſmum penitus delentur peccata, qua propter originalis impotentia iuſtitiam habendi iam baptizatis non imputatur ad peccatum, ſicut prius, quemadmodum igitur impotentia habendi iuſtitiam excuſare non poterat ante baptiſmum, ſic poſt baptiſmum illam omninò excuſat.* Secundò. Licet in baptizato non ſit debitum habendi gratiam, alioquin gratia iam non eſſet gratia, vt inquit Auguſtinus: attamen nec eſt poſitivè debitum carendi gratia propter originale, quod ſupponitur deletum: & tandem quidquid ſit de tali debito, de facto Deus tali gratia non privat, vt ex ſuperioribus manifeſtè conſtat: vnde Auguſtinus lib. de Gratia, & Libero Arbit. cap. 4. ait: *Homo iuvatur, nè ſine cauſa voluntati iubeatur.*

24 Tertiò. Licèt originale delictum ſit ſufficiens motivum negandi auxilia ſufficientia, aliaque beneficia tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, aut etiam hominem anihilandi; nihilominus in præſenti providentia tàm longè abeſt, vt propter culpam originalem neget auxilia ſufficientia, quia potius præviſo tali peccato miſsit Filium ſuum in redemptionem pro omnibus; ergo titulo peccati originalis nemini negat Deus auxilia ſufficientia.

Solvitur primum argumentum deſumptum ex infidelitate negativa.

§. IV.

25 ARGUITUR Primò. Fides myſteriorum ſupernaturalium eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem; at pluribus negantur auxilia ſufficientia ad credendum; ergo, & auxilia ſufficientia ad ſalutem. Minor conſtat ex D. Thoma 2.2. q. 10. art. 1. vbi docet dari in aliquibus infidelitatem negativam, nimirum, in illis, qui nihil de fide audierunt, in quibus ignorantia myſteriorum Fidei eſt invincibilis; ergo quia negantur auxilia ſufficientia, quoniam ſi darentur, peccarent non credendo; ignorantiaque eſſet vincibilis, ac infidelitas non eſſet negativa, ſed poſitiva.

26 Confirmatur primò. Implicat conſecutio ſalutis ſine fide; ſed fides eſt impoſsibilis ſine prædicante iuxtà illud ad Rom. 10 *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante?* Sed multi prædicantem non audierunt; ergo Deus negat illis auxilia ſufficientia ad ſalutem. Si autem dicatur Deum interius revelare myſteria Fidei. Contra inſurgit Gonet diſp. 5. de Reprob. art. 5. §. 4. Deum revelare interius per ſe ipſum, aut per Angelos eſt miraculum; miracula autem ſunt rara; atque adeò ad ea non licèt recurſus.

27 Confirmatur ſecundò. Prima diſpoſitio ad iuſtificationem eſt fides, quia iuxtà Trid. Seſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis*; ergo fides eſt primum auxilium ſupernaturale ad iuſtificationem, & ſalutem; ſed fides pluribus negatur, vt dictum eſt. Confirmatur tertiò. Prima diſpoſitio conducens ad iuſtificationem, & ſalutem, debet eſſe ſupernaturalis, quia opus naturæ eſt prorſus inſufficiens ad ſalutem; ſed actus ex motivo ſupernaturali eſt impoſsibilis in infidelibus, qui

qui de ſupernaturalibus nihil audierunt; ergo, & prima diſpoſitio ad ſalutem. Minor probatur. Actus ſupernaturalis debet eſſe ex motivo ſupernaturali; ſed motivum ſupernaturale eſt impoſsibile obiecto ſupernaturali non cognito; ergo & actus ex motivo ſupernaturali.

26 Miror Godoy, & Gonet vti hoc argumento, eo namque aperte incidun in ſententiam Janſenij, quam impugnant: Secundò, quia ita procedit contra D. Thomam, vt nihil magis, nam recurſus ille ad internam illuſtrationem, quam reijciunt, millies invenitur in Div. Thoma, vt conſtat ex locis allegatis, quæ repetere non oportet; & confirmat in 3. diſt. 25. q. 2. art. 1. quæſtiuncul. 1. ad 1. „ vbi ait: In his, quæ ſunt neceſſaria ad „ ſalutem nunquam Deus homini quæ„ renti ſuam ſalutem deeſt, vel defuit, niſi „ ex culpa ſua remaneat. Undè explicatio „ eorum, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, „ vel divinitùs homini providentur per „ Prædicatorem fidei, ſicut patet de „ Cornelio Act. 10. vel per revelationem, „ qua ſuppoſita in poteſtate liberi arbi„ trij eſt, vt in actum fidei exeat. Et ita plurimus alijs in locis.

29 Reſpondeo admittendo infidelitatem negativam circa Incarnationem, Euchariſtiam, neceſsitatem baptiſmi, & alia huiuſmodi, non tamen circa duo illa ſimpliciter, & generaliter omnibus neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, de quibus loquebatur Apoſtolus ad Hæbr. 11. *Oportet credere, quod eſt, & quod remunerator eſt*, in his enim nullus eſt infidelis, qui toto vitæ decurſu pati poſsit ignorantiam invincibilem, vt docet idem Paulus loquens Gentilibus ad „ Rom. 1. dum dixit: Inviſibilia Dei à „ creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, „ conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius „ virtus, & divinitas, ita vt ſint inexcuſa„ biles: *Quæ verba ita exponit Ang. Doct.* „ Conſiderandum eſt, quod Deus homini „ dupliciter aliquid manifeſtat: vno mo„ do infundendo lumen interius, per „ quod homo cognoſcit: altero modo „ proponendo ſapientiæ ſuæ ſigna exter„ na, videlicèt ſenſibiles creaturas, ſic „ ergo Deus homini manifeſtatur. Et ita Auguſtinus, alijque Patres communiter.

30 Circa autem alios noſtræ Fidei articulos ſatis eſt aliquibus fides generalis, & in confuſo, ad ſalutem, nimirum credendo quod alij Sapientiores magis illuminati credunt, vt docet Magiſter in 3. diſt. 25. Et tradit apertè Ang. Doc„ tor 2. 2. q. 2. art. 6. & 7. vbi ait: Si qui „ tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio „ non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſ„ que fide Mediatoris, quia etſi non ha„ buerunt fidem explicitam, habuerunt „ tamen fidem implicitam in divina pro„ videntia credentes Deum eſſe liberato„ rem hominum ſecundùm modos ſibi „ placitos, & ſecundùm quod aliquibus „ veritatem cognoſcentibus ſpiritus re„ velaſſet; ergo etſi quandoque aliqui laborent infidelitate negativa, tandem Deus omnes illuminat, vt credant ſaltim in confuſo, & implicitè, vt ſalvi fiant.

31 Per quod patet in forma ad argumentum. Nego enim negari dictis infidelibus auxilia neceſſaria ad credendum tempore debito, quamquam aliquo tempore antecedenti deſtituti prædicatione, aut interiori revelatione, laboraverint ignorantia invincibili, & infidelitate negativa. Ad primam confirmationem dico, fidem eſſe impoſsibilem ſine prædicante interiùs, aut exteriùs. Nec interna illuminatio computanda eſt inter opera miraculoſa, cùm potiùs ſit communis divinæ providentiæ modus, præſertim circa homines in tali neceſsitate conſtitutos. Ad ſecundam confirmationem nego fidem eſſe impoſsibilem interna illuminatione ſuppoſita. Ad tertiam dico, primam cognitionem eſſe naturalem, quę potiùs dicitur præambulum ad fidem, quam fides, vt notat D. Thomas 1. p. q. 2. art. 2. ad 1. & hæc eſt fides illa inchoata, *ſine qua impoſsibile eſt placere Deo*, qua ſi homo benè vtatur, Deo illuminante perveniet ad Fidem Chriſtianam, vt ſalutem conſequatur. Sed de hoc argumento ſermo redibit dubio ſequenti.

Cætera

Cætera exarmantur argumenta.

§. V.

32 PLURA Applomerat Janſenius lib. 3. de Gratia Salvatoris teſtimonia Auguſtini, quibus perſuadere conatur ſæpè hominibus deeſſe gratiam, qua legem, & mandata obſervent; nec propterea excuſari á peccato, quia impotentia eſt voluntaria á peccato perſonali, & præcedenti contracto; ergo pluribus deeſt gratia ſufficiens, qua poſsint adimplere præcepta: quare lib. 8. Confeſſ. cap. 5. de ſe ipſo „ ait: Suſpirabam ligatus, non ferro alie„ no, ſed mea voluntate; velle meum te„ nebat inimicus, & inde mihi catenam „ fecerat, & conſtrinxerat me: quippè ex „ voluntate perverſa facta eſt libido; & „ dum ſervitur libidini facta eſt conſue„ tudo; & dum conſuetudini non reſiſti„ tur facta eſt neceſsitas.

33 Et lib. de Perfectione Iuſtitiæ, cap. 3. ſic Cœleſtio reſpondet: *Per arbitrij libertatem factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſsitatem, vnde ad Deum fides clamat*: De neceſsitatibus meis educ me Domine: *ſub quibus vel non poſſumus intelligere, vel cùm quod intelligimus, volumus, non valemus adimplere.* Et hæc deduci videntur ex Ioan. 12. *Propterea non poterant credere.* Et Geneſ. 38. *Oderant eum, nec poterant pacificè loqui.* Ioan. 7. *Quo ego vado vos non poteſtis venire.* vbi Auguſt. tract. 38. *Iſti nunquam poterãt venire, quibus præſcius dixit, in peccato veſtro moriemini.*

34 Confirmatur primò. Sunt multi peccatores, qui tuunt in peccata nullo cohibente conſcientiæ freno, de quibus Job 15. *Bibunt ſicut aquam iniquitatem.* Et Proverb. 2. *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſsimis*; Hi omnes ſæpè peccant ſubito iræ motu, cui vix locus eſſe poteſt ad gratiam; ergo ſimilibus peccatoribus deficit omnis gratia, qua in officio contineri poſsint. Confirmatur ſecundò ex Auguſtino Epiſt. 107. ad Vitalem: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari: ſcimus eis, quibus datur, miſericorditer dari: ſcimus eos, quibus non datur, iuſto Dei iudicio non dari*; non ergo datur omnibus gratia neceſsaria ad ſalutem.

35 Urgetur ex D. Thoma 2. 2. q. 79. artic. 3. ad 3. Ac 3. contra Gent. cap. 160. num. 3. vbi docet libertatem in cauſa ſatis eſſe ad peccatum, vt patet in Ebrio, cui imputatur homicidium tempore ebrietatis patratum. In dormiente, qui horas Canonicas non recitavit, cui imputatur omiſsio. Ac tandem in 2. diſt. 28. artic. 2. q. 2. ait: *Dicendum, quod de aliqua tentatione per ſe non poteſt evadere homo: ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immunis, quia ex propria ſua culpa devenit in illam neceſsitatem. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus, quod quia homo noluit vitare peccatum, dum potuit, inflictum eſt ei, quod non poſsit, cùm velit.*

36 Hæc omnia nihil ad rem attinent, procedunt enim de impotentia conſequenti, quæ libertatem non officit: ſi enim longa, & obſtinata peccandi libine peccator in quandam moralem peccandi neceſsitatem incidat, tunc homo Deo, & gratiæ, deeſt; non Deus, & gratia homini. Sed nec neceſsitas iſtà in ſenſu Janſenij vera eſt. Evidentiſsimis namque Scripturæ, Sanctorumque Patrum teſtimonijs, & præſertim Auguſtini ſuprà relatis, aliiſque innumeris, clariſsimè conſtat: *Summæ iniquitatis, & inſaniæ eſſe, vt peccati reus teneatur, qui non fecit, quod facere non potuit*, quæ ſi pacato animo perpendiſſet Janſenius promptam, & facilem ſolutionem dictis teſtimonijs inveniſſet. Profectò cum obſtinatiſsimis Iudæis, idolatriæ ſceleri non parcentibus, loquebatur Dominus, dum dixit: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt convertatur, & vivat*: vnde quoties Auguſtinus multis peccatoribus deeſſe gratiam pronunciat, aut loquitur de gratia efficaci, & victrici, quæ coniungitur cum effectu, aut de gratia ſufficienti proxima, quæ concurrit immediatè ad opus, non de remota, nimirum de illa, quæ adiuvat ad petendam, & poſtulandam proximam, quia *Deus iubendo monet, & facere, quod poſsis, & petere quod non poſsis*, vt ex Conc. Trident. dictum eſt. Eáque propter nulla eſt conſuetudo, nulla tentatio, quæ in talem inducat neceſsitatem, vt homines neceſsariò peccent, ac reſcipiſcere non poſsint: eſt enim ſemper vera Apoſtoli ſententia 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non permittet tentari ſu-*

ſuper id, quod poteſtis, vbi notandum hæc dicta eſſe Corinthijs, quorum plures erant peccatores, reprobi, obſtinati; eaque verba eleganter expendens S. Ephr. Tract. de „ Patientia, ait: Si homines ſuis iumentis „ non plus oneris imponunt, quàm ferre queant; multò minus plus tentationum imponet Deus hominibus, quàm „ ferre poſſint. Rurſum. Si figulus vaſa „ ſua igne excoquit eouſque dùm ritè coquantur, nec rurſum vlterius ea ſinit in „ igne, nè adurantur, fiantque inutilia; „ multò magis idem facit Deus, vt igne „ tentationum eouſque nos coquat, dum „ perficiat, vlterius verò tentatione adùri, & conſumi non ſinet.

37 Rationem omnium reddit Anſelmus noſter lib. de Concord. q. 3. cap. „ 10. ibi: Quod quidam experimento „ exiſtimant probare, nihil valere liberum „ arbitrium, quia multi immenſo conatu „ nituntur, vt benè vivant, & quadam (vt „ dicunt) impoſsibilitate obſtante, nihil „ proficiunt, aut poſt profectum irrecuperabiliter deficiunt, non deſtruunt, „ quod rationabiliter monſtratum eſt, liberum ſcilicèt arbitrium cum gratia „ valere; vt autem nitentes non proficiant, aut poſt profectum deficiant, non „ impoſsibilitate, ſed aliquando gravi, „ aliquando facilè ſuperabili difficultate „ fieri exiſtimo: ſæpiſsimè namque aſſerere ſolemus impoſsibile nobis eſſe, „ quod ſine difficultate perficere non valemus. Et ita interpretatur Auguſtinum „ Doctor Ang. 3. p. q. 36. art. 1. ad 2. Dicendum, quod illud verbum Auguſtini „ intelligendum eſt... quòd non poſsit, ſcilicèt, de facili, ſecundùm quod dicitur illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari. Undè in Sacra Pagina impoſsibile ſæpè pro difficili ſumitur. Quo ſenſu Matth. 18. dicitur: „ Impoſsibile eſt divitem intrare in regnum Cœlorum. Et Marci 6. Non poterat ibi virtutem vllam facere propter „ incredulitatem eorum.

38 Ex his manifeſta eſt ſolutio ad argumentum. Semper enim concedit Auguſtinus gratiam ſufficientem remotam: ſæpè negat efficacem, ſæpè ſufficientem proximam, & ita inoffenſo pede decurrunt omnia S. Doctoris teſtimonia, ſivè quæ concedunt, ſivè quæ gratiam negant. Neceſsitas autem ex conſuetudine inducta non eſt talis, vt vinci non poſsit, etſi difficilè. Per quod conſtat ad aliam authoritatem eodem ſenſu exponendam. Nec aliud probant aliæ Scripturæ teſtimonia ibi allegata. Ad primum confirmationem iam conſtat nullum eſſe peccatorem ita effrænem, qui reſcipiſcere non poſsit, vt dubio ſequenti adhúc operoſius expendemus.

39 Ad ſecundam dico ibi loqui Auguſtinum de Gratia Iuſtificante, & auxiliante efficaci, quia loquitur de gratia diſcernente prædeſtinatos à reprobis; hæc autem non omnibus datur. Ad id, quod additur ex D. Thoma reſponderi poteſt in ebrietate, & ſomno non eſſe peccatum, ſed effectum peccati, vt docet idem Ang. Doctor ibid. q. 150. art. 5. Uel admiſſo peccato, dico in eo nullam eſſe novam malitiam, niſi malitiam cauſæ, quam vitare potuit, vt diximus t. 1. in S. Anſelm. tract. 8. dub. 6. §. 2. Ad vltimum ſimiliter dico ibi ſermonem eſſe de impotentia proxima, nunquam tamen deficit remota, qua petere, & conſequi poteſt proximam: quæ omnia corroborari poſſunt ex Conc. Provinciali Senonenſi celebrato anno 1528. ita loquente. Decreto 15. „ Neque tamen tanta gratiæ neceſsitas „ libero præiudicat arbitrio, cum illa „ ſemper ſit in promptu, nec momentum „ quidem prætereat, in quo Deus non „ ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis „ aperuerit ianuam, intrabit ad illum.

40 Dices. Si hæc vera ſunt, nullum erit momentum, in quo homo præditus non ſit gratia ſufficienti, & neceſſaria ad opus, vt diximus ex Conc. Senonenſi; vel vt dictum eſt ex Paulo Oroſio: Deus eam confert per tempora, per dies, per momenta, per atomos; at hoc conſtat eſſe falſum; & nos etiam diximus concedentes infidelitatem negativam pro aliquo, aut etiam diuturno tempore; ergo. Reſpondeo gratiam ſufficientem præſtari à Deo per tempora, per momenta, vrgente neceſsitate, aut opportunitate; nam *ſemper* fieri dicitur, quod fit frequenter, & quotieſcumque opus eſt. Et ita Paulus dixit Act. 14. *Semper gratias ago. Ego ſemper docui in Synagoga.* Ioan. 18.

41 Oppones. Si in promptu eſt gratia ſufficiens, quoties vrget neceſsitas; ergo inutilitèr oramus, & impetramus, *quid enim ſtultius* [inquit Aug. lib. de Natura,

cura, & Gratia, cap. 18.] *quàm orare vt facias, quod in potestate habes.* Et Epist. 105. *Si in potestate haberetur, vtique non oraretur*; vnde sic frequenter orabat Dominum: *Domine da quod iubes; & iube quod vis.* Respondeo nos non habere in potestate liberi arbitrij gratiam, alioquin gratia non esset gratia, sed ex dono Dei, qui iustè posset eam negare, ideòque semper orandus vt largiatur. Rursus. Nec ex dono Dei semper habemus gratiam proximam, præsertim copia peccatorum, aut prava consuetudine obsistente; atque adeò semper humiliter, & ardenter petenda est.

DVBIVM V.

An in voluntate generali salvandi omnes includantur etiam Infantes decedentes sine baptismo, eisque Deus auxilia sufficientia conferat?

§. I.

1 PARS Affirmativa ex Superioribus satis constat, sed quia in oppositum exemplum parvulorum nobis obtrudunt Adversarij, in eisque occurrit specialis dubitandi ratio, ideó oportet tundere incutem eandem, vt plenè ab hac difficultate nos expedire possimus. Etenim omisso Jansenio, & Ariminensi disp. 44. P. Vazquez 1.p. disp. 99. cap. 2. ab ea voluntate generali excludit Infantes, ac de solis adultis docet procedere. Et licet disp. 85. asserat eam voluntatem generalem, & antecedentem tendere pariter in puerorum salutem, ibi tamen non loquitur de affectu libero prosecutionis, & desiderij, de quo in præsenti, sed affectu necessario, & simplicis complacentiæ ergà salutem possibilem, de quo in superioribus actum est.

2 Eminentissimus Sfrondati in suo *Nodo prædestinationis* docet non conferri prædictis pueris auxilia ad beatitudinem, conferri tamen ad donum beatitudine præstantius, sivè à creatura rationali eligibilius, vt infra dicemus. Magistri autem Godoy, Conet, Bañez, Gonçalez, Alarcon, & alij docent auxilia sufficientia etiam pueris præparari, & offerti, non tamen re ipsa dari, aut conferri. Sed verior, & mihi aliorum certa sententia tenet eam voluntatem antecedentem comprehendere etiam Infantes, eisque auxilia sufficientia conferri.

Sententia affirmativa ex Sacra Pagina, Sanctorumque Scripturæ oraculis suadetur.

§. II.

3 DICENDUM Voluntatem generalem salvandi omnes etiam Infantes comprehendere, ab eâque auxilia sufficientia modo proportionato descendere. Probatur reintegrando rationem in superioribus præiactam. Deus vult omnes homines salvos fieri; sed etiam parvuli sunt homines; ergo & illos Deus salvos fieri vult: prima propositio est Apostoli: secunda est ratione naturali evidens, & consequentia optimè deducitur. Et hac ratione vsus est Augustinus lib. 4. contra Julianum, ibi: *Nunquid parvuli homines non sunt, vt non pertineant ad illud, quod dictum est, qui vult omnes homines salvos fieri?* Ibique prosequitur exponendo aliam propositionem Apostoli: *Et in agnitionem veritatis venire*, nimirum, *in regnum Dei, vbi est certa veritatis cognitio.*

4 Ulterius: *Vnus enim Deus, vnus & Mediator hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; sed Christus est etiam Mediator parvulorum, ac etiam pro parvulis dedit semetipsum redemptionem; vnde August. lib. 2. de Peccat. meritis, & remiss. c. 29. ait: *Quis est, qui audeat dicere Dominum Iesum Christum maioribus tantum* (id est adultis) *non esse parvulis etiam Iesum*, hoc est, Salvatorem, Medicum, Redemptorem.

5 Subscribit S. Anselmus lib. de Concord. q. 3. cap. 2. his verbis: „In illis „[id est, Infantibus] gratia sola operatur „salutem sine illorum libero arbitrio; „nam hoc quoque gratia est, quia datur „alijs voluntas, vt illis sua fide subveniant. Adstipulatur S. Prosper lib. de Vocat. Gent. cap. 23. in cuius Epigraphe ait: Parvulis pereuntibus generalis gra-

„ gratia tribuitur, dum ea Parentibus dá-
„ tur. Et infrà: Hos paucorum dierum
„ homines ad illam pertinere gratiæ par-
„ tem, quæ ſemper vniverſis eſt impenſa
„ nationibus, qua vtique ſi benè vteren-
„ tur eorum Parentes, etiam ipſi per eoſ-
„ dem iuvarentur.

6 Ratione ſuadetur. Ex illa vo-luntate generali plura etiam deſcendunt beneficia in parvulos, nam quod eos crea-verit; quod in finem ſupernaturalem or-dinaverit; quod Angelum cuſtodem deſ-tinaverit; quod Filium ſuum vnigenitum dederit, aliaque plura ordinaverit, ſunt beneficia ſumma amoris, ac media conducentia ad ſalutem; ergo collata ex intentione ſalutis. Rurſus. Hæc ſunt beneficia, & auxilia ſufficientia ad ſalutem; ergo ex illa voluntate generali deſcendunt etiam ad pueros auxilia ſufficientia ad ſalutem.

7 Sed contra hanc doctrinam grave inſurgit argumentum. Baptiſmus eſt in Lege Evangelica medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; ſed baptiſmus pluribus parvulis non datur; ergo non omnibus parvulis dantur auxilia neceſſaria, ac præſidia ſufficientia ad ſalutem. Si reſpondeas omnibus conferri baptiſmum vt applicabilem voluntate Parentum. Cõtra inſurgunt. Parvulis Infidelium, qui nihil de baptiſmo audierunt, non eſt applicabilis voluntate Parentum. Item. Sæpè nec à Parentibus volentibus, deſiderantibus, & conantibus applicati poteſt, vt patet in illis, qui vtero Matris moriuntur, & qui nati illicó, & inopinatè decedunt, quibus omnibus humana potentia ſubveniri non poteſt. Eò vel maximè, quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, *ſi & ipſi velint*, vt interpretantur Patres ſæpiùs allegati; at Infantes velle non poſſunt, qui *adhùc velle non noverunt*, vt loquitur Auguſtinus ſupra allegatus; ergo his omnibus Deus noluit ſalutem, atque adeó in ea voluntate generali non comprehenduntur.

8 Si iterum reſpondeas id eſſe per accidens, non ex primaria intentione Dei, ſed eos eventus provenire ex curſu, & occurſu cauſarum ſecundarum, quas Deus impedire non tenetur, cum ſit Proviſor Generalis, titulóque providentię generalis ſinere debet cauſas ſecundas ſuos agere motus. Contra opponunt. Dici non poteſt ordinem illum cauſarum, qui partum impedit, aut vi cuius puer natus ſine baptiſmo interemptus decedit, non eſſe minutim ordinatum á Deo, alioquin aliquid contingeret in rerum natura præter intentionem Dei, quod affirmare non licét.

9 Et ita expreſsè docet Auguſtinus de bono perſeverantiæ, cap. 12. „ Nunquid res humanas in parvulis non „ divina providentia, ſed fortuitis agi ca-„ ſibus opinabimur, cúm rationales, vel „ damnandæ, vel liberandæ ſint ani-„ mę, quandoquidem nec paſſer cadit in „ terram ſine voluntate Patris noſtri, qui „ in Cœlis eſt? Aut Parentum negligentię „ ſic tribuendum eſt, quod parvuli ſine „ baptiſmo moriuntur, vt nihil ibi agant „ ſuperna iudicia, tanquàm ipſi, qui hoc „ modo malè moriuntur, Parentes ſibi „ negligentes, voluntate propria de qui-„ bus naſcerentur elegerint? Quid dicam, „ quod parvulus aliquando antequam illi „ per miniſterium baptizantis ſuccurri „ poſsit, expirat, plerumque etiam feſti-„ nantibus Parentibus, & paratis miniſ-„ tris, vt baptiſmus parvulo detur, Deo „ tamen nolente non datur, qui eum pau-„ lulum in hac vita non tenuit, vt dare-„ tur. Eodem modo loquitur Epiſt. 105. & lib. de Nat. & Grat. cap. 8.

10 Propter hæc reſpondet Emin. Sfrondati in *Nodo prædeſt.* parvulos decedentes ſine baptiſmo beatos quidem non eſſe, ſed non ideò perire, quia licét careant culpa propria, qua ſola poſſunt perire, non carent aliena, vi cuius negari poſſunt gratuita; vndè tametſi beatitudinem non aſſequantur, non tamen æternis ſupplicijs torquentur; qua ratione Ioan. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum*, non verò dicitur, æternis pœnis damnabitur. Et ita tradit Auguſtinus lib. „ 3. de lib. arb. cap. 23. Dicunt aliqui: „ qualis in futuro locus parvulo deputa-„ bitur, cui nec inter iuſtos locus eſt, „ quoniam nihil recti fecit; nec inter ma-„ los, quoniam non peccavit? Reſpondeo. „ Superfluè quæri de meritis eius, qui ni-„ hil meruit: non enim timendum eſt, „ né non potuerit eſſe ſententia media „ inter præmium, & ſupplicium.

11 Suffragatur Parens Anſelmus „ in Monol. cap. 73. vbi ait: Qualiter, „ quovè merito illæ animæ, quæ nec

„ aman-

„ amantes, nec contemnentes dici poſſe „ videntur ad beatitudinem æternam, „ miſeriamvè diſtribuantur, aliquem „ mortalium diſputando poſſe compre- „ hendere, procul dubiò, vel difficilli- „ mum, vel impoſsibile exiſtimo. Et lib. de Peccato Orig. cap. 23. docet quantum differant peccatum Adæ à peccato parvulorum, cum illud factum ſit voluntate propria, hoc naturali neceſsitate contractum, ac dubitandum non eſſe, quod par pœna non ſequatur imparia peccata, ideòque vtrumque peccatum convenire ſolùm in eo, quod nemo admittitur ad Regnum Cœlorum. Angelicus Doctor, quem cæteri ſequuntur Theologi eandem doctrinam latè tradit pluribus in locis, præſertim in 2. diſt. 33. quæſt. 1. Et quęſt. 5. de Malo. art. 2. vbi expreſsè docet non cruciari pœna ſenſus, nec torqueri ex carentia viſionis beatæ, ſed potius *gaudere naturali cognitione, & dilectione.*

12 Quod ſi opponas Auguſtinum alibi docentem pueros non baptizatos torqueri in inferno etiam pœna ſenſus. Reſpondet S. Bonavent. in Brevil. p. 3. „ cap. 5. Non debetur parvulis pœna „ ſenſus; hoc credendum eſt ſenſiſſe „ Auguſtinum, licèt verba ipſius exte- „ riùs propter deteſtationem erroris Pe- „ lagianorum aliter ſentire videantur; vt „ eos reduceret ad medium abundan- „ tius declinavit ad extremum, plus „ dicens, & minus volens intelligi. Ita etiam D. Thomas quæſt. 5. de Malo. art. „ 2. ad 1. Sancti tali modo loquendi vſi „ ſunt, vt deteſtabilem redderent erro- „ rem Pelagianorum, qui aſſerebant in „ parvulis nullum peccatum eſſe. Ex quibus omnibus deducit ſupra laudatus Cardinalis Deum non admiſiſſe parvulos ad gloriam, affeciſſe tamen præſtantiori beneficio, nimirum, innocentia, & immunitate á peccato perſonali, ac ideò ſummo amore parvulus *raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius.* Sapient. 4.

13 Hæc mihi videntur non minori veritate, quàm pietate dicta: ſed efficaciam argumenti non elidunt, quoniam iuxta dicta prædicti pueri ab ea voluntate generali ſalutis excluduntur, eiſque auxilia neceſſaria ad conſequendam ſalutem non conferuntur, in quo opus, & labor. Quod autem attinet ad eorum pœnam, & ſtatum, noſtrum non eſt in præſentiarum examinare. Si tandem ex illius doctrina occurras, & aſſeras Infantes includi in ea voluntate ſalutis, ſed ſalutis proportionatæ eorum ſtatui, qualis eſt ſupra explicata. Contra eſt. Nam etiam parvuli elevati, & ordinati ſunt in finem ſupernaturalem, & viſionem claram Dei; at non alia voluntate, niſi ab ea voluntate generali, vt patet; ergo includuntur in ea voluntate, quatenus eſt voluntas ſalutis, & beatitudinis ſupernaturalis.

14 Reſpondet igitur Godoy, & ex ipſo Gonet Deum etiam pueris auxilia ſufficientia offerre, non tamen re ipſa conferre, quatenus Sacramenta, alia que neceſſaria omnibus æqualiter præparat. Sed hæc ſolutio ſupra impugnata, ac dubio ſequenti operoſius impugnanda, aperté reddit voluntatem Dei illuſoriam; quis enim dicat offerri ſeriò beneficium ſubiecto incapaci? Ad quid oblatio Sacramenti, ſi humana induſtria, nullaque infra Deum potentia applicari poteſt? Præſertim diſponente Deo ex primaria voluntate né conferatur, ſive Deo nolente ex primaria intentione eorum ſalutem, vt ipſi docent? Ulteriùs. Si Deus ſeriò offert auxilia, quid impedit realem eorum collationem? Non quidem peccatum perſonale, quod non eſt. Non originale, nam ex ſuppoſitione originalis adhùc ſeriò offert. Non aliud impedimentum liberi arbitrij, cùm eo non vtantur. Quid ergo impedit collationem? Ergò oportet nobiſcum recurrere ad generalem providentiam, ad quam ſpectat ſinere cauſas ſecundas ſuos agere motus, nec miraculosé impedire.

15 His igitur omnibus perpenſis prima ſolutio ex num. 2. mihi verior apparet, quam probant communi calculo Patres, vt patet ex Auguſtino, Anſelmo & Proſpero allegatis, *'eſt enim gratia* [vt inquit Anſelmus] *quod detur alijs voluntas, vt eis ſua fide ſubveniant.* Et „ Proſper loco citato ait: Omnium „ namque exordia parvulorum, tota- „ que illa principia, nec dum ratio- „ nalis infantiæ, ſed arbitrio iacent vo- „ luntatis alienæ; nec vllo modo eis, niſi „ per alios conſuli poteſt, & conſequens „ eſt illos ad eorum pertinere cõſortium, „ quo vel recto, vel pravo aguntur affec- „ tu;

„ tu; ſicut enim ex aliena confeſsione cre-
„ dunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſ-
„ ſimulatione non credunt: itaque Deus
plura auxilia parvulis re ipſa communicat
in ſe ipſis, vt ſunt ſupra relata; alijs autem
providet: tùm in voluntate primi Paren-
tis: túm in voluntate Parentum proximo-
rum: tùm in fide Eccleſiæ: tùm in Chriſto
Domino, tanquam capite generis huma-
ni: tùm in voluntate eorum, á quibus
parvuli iuſtè, vel iniuſtè reguntur, vt à
Dominis, Epiſcopis, Parrochis, aut etiam
Tyrannis iniuſtè rapientibus.

16 Ad vltimam impugnationem ſupra factam contra hanc ſolutionem reſpondeo prædictum cauſarum occurſum impedientem baptiſmum non dici per accidens, ac præter intentionem Dei, quaſi contingat non diſponente, nec ordinante, nec providente Deo, aut ipſo tantum permittente, hoc enim optimè, & efficacitèr impugnatur ex Auguſtino allegato; ſed diſtinguenda eſt in Deo providentia generalis, & ſpecialis: providentiá enim generali, & ſpeciali ordinavit Deus prædictum cauſarum occurſum, ex quo ſequitur mors intempeſtiva pueri; ſed quia Deus eum cauſarum concurſum non diſpoſuit eo fine, vt puer baptiſmum, & ſalutem non conſequeretur, ideó dicitur id non eſſe ex primaria intentione attenta providentiá ſpeciali circa Infantes.

17 Et retorquetur argumentum in P. Vazquez, in cuius ſententia extenditur illa voluntas generalis ſalutis ad omnes adultos; ſed Auguſtinus locis allegatis eodem modo loquitur de adultis, quatenus docet Deum eos velle ſalvari, qui ſalvi fiunt inter quos conſtat eſſe adultos, & parvulos; ergo & ipſe Auguſtinum exponere tenetur. Præterea. Idem caſus contingit etiam in adultis, nam multi infecti peccato læthali incidunt inopinatè in amentiam, quibus media ſufficientia ad ſalutem applicari non poſſunt; & tamen in eius ſententia Deus vult eos ſalvos fieri, eiſque auxilia neceſſaria confert; ergo pariter parvulis.

18 His tamen addendum tanquam certum, & indubitatum tenendum eſſe, quod ſi Parentes ex vi gratiæ abundè impenſa facerent, quod in ſe eſt, Deus non permitteret mori ſine baptiſmo, aut alio modo ſibi noto ſuccurreret, vt in ſuperioribus dictum eſt ex D. Thomæ de puero nutrito in ſilvis. Et confirmat idem Angel. Doctor 3. p. q. 68. artic. „ 11. ad 1. Dicendum, quod pueri in „ maternis vteris exiſtentes nondum pro- „ dierunt in lucem, vt cum alijs ho- „ minibus vitam ducant, vnde non poſ- „ ſunt ſubijci actioni humanæ, vt per „ eorum miniſterium Sacramenta reci- „ piant ad ſalutem. Poſſunt tamen ſubij- „ ci operationi Dei, apud quem vivunt, „ vt quodam privilegio gratiæ ſanctifi- „ cationem conſequantur, ſicut patet de „ ſanctificatis in vtero.

DVBIVM VI.

An omnibus adultis, Reprobis, Infidelibus, Obcæcatis, & alijs velit Deus auxilia ſufficientia?

§. I.

1 QUAMQUAM Reſolutio affirmativa ex ſuperioribus ſatis manifeſta ſit, iterùm reciprocamus Serram potius ad impugnationes diſſolvendas, quám ad veritatem definiendam. Janſenius, & Sectarij ita parti negativæ adhærent, vt acribus cenſuris, ac nota Pelagianiſmi affirmativam inurent. Calvinus autem, & Beza ita negant auxilia ſufficientia reprobis, vt aſſerant Deum non alio fine eos creaſſe, niſi vt in eis ſuam iuſtitiam punitivam oſtendat, vt videre eſt apud Bellarminum lib. 2. de Amiſsione Gratiæ cap. 12. Bañez verò, Ledeſma, Godoy, Gonet, Alarcòn, & alij, docent, ſicut & in præcedentibus, Deum omnibus auxilia neceſſaria præparare, & offerre, non dare. Sed oppoſita, & affirmativa eſt communis Theologorum ſententia.

Re-

(†)

Reprobis, Infidelibus, ac cæteris omnibus adultis generaliter Deum conferre auxilia neceſſaria ad ſalutem ſaltim remota, authoritate, & ratione ſuadetur.

§. II.

2 DICENDUM Deum omnibus adultis, Reprobis, Infidelibus, Barbaris, & obduratis, conferre re ipſa auxilia neceſſaria ad ſalutem. Omiſsis teſtimonijs, ac motivis in ſuperioribus expenſis, quæ in hujus aſſertionis ſubſidium reintegrari poſſent. Probatur ex alijs Scripturæ locis. Primò ex illo Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Ex Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laborati, & onerati eſtis.* Et Ioan. 7. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens; ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &c.* Et nè fortaſsè quis dicat hæc tantùm referri ad prædeſtinatos, ait Dominus Matthæi 22. *Quoſcumque invenieritis vocate ad nuptias, & egreſsi ſervi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos, & bonos*; inter quos malos erat homo præſcitus non veſtitus veſte nuptiali, qui propterea damnatus eſt ad tenebras exteriores.

3 Roboratur concluſio ex Auguſtino lib. 2. de Sermon. Domini, cap. 15. *Nulla anima, quamvis præverſa, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cuius corde non loquatur Deus.* De obcæcatis loquitur in Pſalm. 6. vbi ait privari Dei luce interiori, *ſed non penitus, dum in hac vita ſunt*; & in hunc ſcopum collimantia videri poſſunt plura teſtimonia in ſuperioribus allegata. Profectò nulla ſunt bruta animantia, quibus neceſſaria ad vitam corpoream non ſuppetant, & quærere natura ipſa non doceat; nullaque inſenſibilis creatura, quæ in proprium centrum non tendat; nulla natio tàm barbara, quàm Sol non illuminet, & foveat, ac Cœlum ſuo influxu neceſſaria non miniſtret; non ergo credendum ſolis rationalibus neceſſaria ad vitam animæ defutura.

4 Confirmatur ex ſumma patientia Dei, qua ſemper expectat peccatores, vt miſereatur. Iſaiæ 30. At non expectat converſionem noſtram, vt incipiendam à nobis, nec voluntatem noſtram quaſi antecedentem gratiam; nullis ergo peccatoribus negat gratiam neceſſariam ad converſionem; & ita docet Concil. Arauxic. 2. cap. 4. *ibi.* „ Si quis vt â peccato purgemur, vo„luntatem noſtram Deum expectare „contendit, non autem vt eam pur„gari velimus per Spiritus Sancti in„fuſionem, & operationem in nos fie„ri confitemur, reſiſtit Spiritui Sanc„to per Salomon dicenti, præparatur „voluntas à Domino. Denique conſtat ex Divite Avaro ſepulto in inferno, Luc. 16. cui roganti mitti ad fratres ſuos aliquem ex mortuis, vt illius prædicatione crederent, reſponſum eſt habere Propheras, audiant illos; quaſi dicat, nihil eis deficit ex neceſſarijs ad credendum, immò habent ſuperabundanter, cum habeant Moiſem, & Prophetas, audiant, & credant.

5 Nec prodeſt effugium Janſeniij aſſerentis hæc tantùm eſſe præſidia externa, quæ omnibus dantur, non tamen interna. Non [inquam] prodeſt. Nam Sacra Pagina per miracula, exempla, conſilia, præcepta, Angelorum cuſtodiam, & ſimilia, non modò externa præſidia, ſed etiam, & potiori titulo interna auxilia ſignificat, & ita interpretantur communi calculo Patres. Ratio eſt. Nam Scriptura intelligit præſidia vtilia, viva, animata; non invtilia, non mortua; at mortua eſſent, ſi coniuncta non eſſent cum interiori auxilio, nulliuſque eſſent momenti, quia *nihil, & inutilè paria eſſe dicuntur*, vt inquit Iuriſ-Conſultus; ergo ex Scripturæ phraſi ea externa præſidia accipienda ſunt vt coniuncta cum internis. Quid enim prodeſt cæco Solem mundum illuminare ſi ad videndum interna virtute careat. Ad quid ſigna dumtaxât externa, niſi ad pompam, humanamque vanitatem deſerviunt; indignè ergo ſentit Janſenius de Deo, dũ ſignis tãtùm externis docet mundum illudere corde interius nõ illuminato, paremq; facit cũ Romano illo

Cæſare, qui pictis tantùm convivijs invitatos ludebat.

6 Denique. Undè cognovit Janſenius Deum interna negare præſidia, ſi externa omnibus collata fatetur? Quoniam interna, & occulta per externa rimamur, & *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; ergo divinando, non ſolidè affirmando procedit: vndè S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 26. inquit: *Gratia Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, quæ opitulatio per innumeros modos ſivè occultos, ſivè manifeſtos omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quòd autem à multis recipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.*

7 Ex his conficitur ratio. Negatio auxiliorum ſufficientium eſt maxima pœna ex ſola libera Dei voluntate pendens, Deumque tanta pœna peccatorem punire affirmandum non eſt, niſi conſtet ex doctrina revelata, cùm aliundè conſtare non poſsit; at ex doctrina revelata non conſtat Deum negare ſubſidia ſimpliciter neceſſaria ad noſtram iuſtificationem, & ſalutem, qualicumque numero peccatorum, & obduratione ſuppoſita, ſed potius oppoſitum, cum ad omnia delenda carnem aſſumpſerit, ſanguinem fuderit; idque aperte convincitur ex fide non ficta, charitate ſincera, ac tanto verborum pondere, quo Deus vocat omnes ſitientes ad aquas; omnes intrare compellit ad menſam bonos, & malos; ex illo tandem affectu, quo ſemper ſtans ad oſtium noſtrorum cordium pulſat: quarè Abulenſis in expoſitione Sacræ Paginæ facilè Princeps [& quem Godoy pro ſua allegat ſententia] in Joſuè cap. 11. quæſt. 80. ait: Gratia pulſatrix, vel prævéniens ſemper aſsiſtit omnibus hominibus pulſando eos, vt moveantur ad bonum, & ſi aſſentiant huic motui bonum operantur atque recipiunt gratiam gratum facientem; ſi verò recuſant ſubdere ſe huic pulſativæ gratiæ, non recipiunt ſecundam gratiam, nec iuſtificantur; & iſta gratia pulſativa omni tempore aſsiſtit cuilibet homini pungens ad bonum, vt patet Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, &c.* Cum ergo gratia iſta ſit ſemper pulſans, in poteſtate noſtra eſt quocumque tempore acquieſcere illi, & acquieſcentes iuſtificamur, atque accipimus gratiam gratum facientem, ideò in poteſtate noſtra eſt ſemper gratiam habere, vel ſi eam perdiderimus in poteſtate noſtra eſt iterùm recuperare.

Altera aſſertionis ratio.

§. III.

8 QUANDIU Homo (ſivè reprobus, ſivè obduratus, ſivè quocumque peccatorum pondere gravatus) eſt in hac vita, poteſt ſalvari, cum ſit in via, & in ſtatu ſalutis, non in termino; & ita definitur in Concil. 1. Niceno cap. 8. & in Concil. Lateran. ſub Innocent. 3. ac traditur in cap. *firmiter* de ſumma Trinitate; at ſalvari non poteſt viribus naturæ, ſed per gratiam; ergo à Deo confertur omnibus gratia neceſſaria, & ſufficiens. Et hac ratione Div. Thomas 3. part. quæſt 86. art. 1. ait: *Dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſsit, erroneum eſt*; ſed pœnitere non poteſt ſine gratia; ergo datur omnibus gratia.

9 Reſpondet Godoy negando conſequentiam, quæ non ſequitur ex præmiſsis; ſicut nec iſta: Quandiù homo eſt in hac vita poteſt credere; at credere non poteſt viribus naturæ, ſed per gratiam; ergo confertur gratia ſufficiens ad credendum. Sed inſtantiam, qua etiam vtitur Gonet, non facilè quiſque percipiet, contendimus enim vtriuſque ſylogiſmi optimam eſſe illationem, dare ſcilicèt, & infidelibus auxilia ſufficientia ſaltim remota ad credendum; reprobis, obduratis, ac generaliter omnibus peccatoribus media neceſſaria ad converſionem, & iuſtificationem.

10 Reſpondet ſalvari potentiam ad iuſtificationem, & ſalutem ſine auxilijs

xilijs ſufficientibus ex eo, quod homo poſsit ea recipere, & Deus poſsit ea conferre. Sed Authores hac ſolutione vtentes in eodem luto cum Janſenio hærent; hæc eſt enim Janſenij doctrina dubio antecedenti á nobis impugnata, & improbata. Secundó. Poſſe recipere auxilia probat potentiam paſsivam, non activam, cum tamen homo quandiú eſt in hac vita non tantùm habeat potentiam paſsivam, ſed activam. Tertiò. Auxilia ſufficientia conſtituunt potentiam ad actus ſalutares, ad obſervanda mandata, & alia; ergo poſſe recipere auxilia eſt poſſe habere potentiam, non habere; ſed homo viator nedum poteſt habere potentiam, ſed habet; alioquin in violato præcepto non peccaret, quia nemo peccat non faciendo, quod facere non poteſt, quamquam poſsit recipere potentiam; vndé ſi cęco, vel alij nocturnis horis præcipias videre colorem, otioſé præcipies, ac non videndo nullo pacto peccabit, quamquam cæcus poſsit recipere lumen ad videndum, & color poſsit illuminari.

11 Reſpondet iterùm hominem deſtitutum auxilijs ſufficientibus non poſſe ſalvari potentia intrinſeca; poſſe tamen per potentiam extrinſecam Dei, & Chriſti, quia ſæpé dicitur nos poſſe, quod per amicos poſſumus. Sed ſi hoc ita eſt, quid prohibet aſſerere me poſſe patrare miracula, alium mundum fabricare, & alia mirabilia facere, quia id poſſum potentia extrinſeca Dei, & Chriſti; ſed propter hanc potentiam mihi non imputatur alium mundum non fabricare, nec mirabilia non facere; ergo propter ſimilem potentiam nemini imputandum eſt, ſi mandata non adimpleat, ſi ſalutem non conſequatur. Denique. Si homo tantúm poteſt conſequi ſalutem per potentiam extrinſecam, aut per potentiam, quam Deus dare poteſt, & non dat, non video quo iure dici poſsit Eccleſ. 15. *Nè dixeris per Deum abeſt?* Quapropter ſolùm in actis per Procuratorem, aut operantem nomine alterius locum habere poteſt Regul. Iuris in 6. 72. *Quæ facit per alium, perinde eſt ac ſi faceret per ſe ipſum.*

Oppoſita enervantur argumenta.

§. IV.

12 CÆTERUM Contra prędictam doctrinam plura inſurgunt argumenta, & primum procedit de Reprobis. Arguitur enim primò ex cap. Exodi 9. vbi Deus dixit Pharaoni: *Idcircò poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam.* Secundò. Ex illo Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Tertiò. Ex Apoſt. ad Rom. 9. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum:* quæ omnia confirmari poſſunt ex pluribus Auguſtini locis, quibus probatur Deum aliquos elegiſſe ad gloriam, vt in eis oſtenderet divitias miſericordiæ ſuæ; alios verò reliquiſſe in maſſa perditionis, vt in eis iuſtitiam ſuam oſtenderet; ergo eis negavit auxilia ſufficientia, vt gloriam conſequi poſsint.

13 Quantúm diſtet à bonitate, & providentia Dei, necnon à mente Auguſtini Deum ex motu proprio nolle aliquorum ſalutem, eoſque propria voluntate deſtinaſſe ad pœnam, tàm manifeſtè, tàmque evidenter conſtat ex dictis, vt moleſtum iudicem vlteriùs oſtendere. Præfata autem teſtimonia potiùs oppoſitum convincunt. Ad primum dico Deum non oſtendere fortitudinem, & potentiam ſuam in folia, quæ vento rapiuntur, ſed ibi nomine *fortitudinis* intelligunt communiter Interpretes ſuam patientiam, & longanimitatem, qua Deus Pharaonem expectavit ad pœnitentiam, cæteroſque peccatores expectat.

14 Audiamus Auguſtinum ſermone 88. de tempore: Quæ ideò charitati veſtræ inſinuare volui, vt intelligatis, quia & obduratio non Dei potentia compellente dicitur, ſed Dei remiſsione, vel indulgentia generatur, ac ſic Pharaonem, non divina potentia, ſed divina patientia credendum eſt obdurauſſe, nam quoties eum Dei plaga percuſsit, afflictus pœnituit; at vbi ei remiſsio divina indulgentiam dedit, iterùm ſe in ſuperbiam elatus

„ erexit. Hoc ergò definitiſsimé credite „ fratres,& hoc intelligite, quia quoties „ Dominus dixit: Ego indurabo cor Pha„ raonis, non aliud intelligi voluit niſi: „ Ego ſuſpendo plagas meas, vnde ego „ per indulgentiam meam contra me ob„ durari permitto, &c. Undè lib. de „ Præd. & Grat. cap. 15. inquit: *An fortè, ſi piè de Deo, ſicut expedit ſentiamus, etiam Pharaoni datam miſericordiam reperimus?*

15 Ex his conſtat ad locum Prov. Non enim ordinavit Deus impium in diem malum ex primaria intentione, qua potius voluit gloriam, quàm pœnam, ſed voluntate ſecundaria, & conſequenti præviſa impenitentia finali. Ex tertio loco potius colligendum erat Deum ſubſtinuiſſe in multa patientia vaſa iræ, non vt perderet, ſed vt ad pœnitentiam expectaret, nam ad perdendum nulla patientia opus erat, ſed ſatius illis eſſet, ſi ex primo peccato perderet, non verò expectaret multitudinem peccatorum, vt graviori pœna puniret; expectavit ergo vt replicatis vocationibus, & auxilijs reſcipiſcerent. Ad id, quod additur ex Auguſtino ex ſuperioribus ſatis, ſuperquè conſtat.

16 Arguitur ſecundò de obduratis, & obcæcatis. Et primò ex illo ad Rom. 9. „ Quem vult indurat. Iſaiæ 6. Excæca „ cor populi huius, & aures eius aggra„ va, & oculos eius claude, nè fortè vi„ deat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, „ & corde ſuo intelligat, & convertatur, „ & ſanem eum. Eccleſ. 7. Nemò poteſt „ corrigere, quem Deus deſpexerit. Hæ„ br. 11. dicitur de Eſau: Qui non inve„ nit pœnitentiæ locum, quamquam cum „ lachrymis inquiſiſſet eam. Ioan. 5. Eſt „ peccatum ducens ad mortem, non pro „ illo dico, vt roget quis. Ex his inquit „ Iſidorus de ſummo bono cap. 15. Non„ nulli ita á Deo deſpiciuntur, vt deplo„ rare ſua mala non poſsint. Et Magn. „ Greg. 4. Mor. cap. 3. & 4. loquens de „ Iudæis: Non immeritò per Gelboe „ montes ſuperba Iudæorum corda ſig„ nantur, ipſi enim ab omni gratiæ rore „ ſiccantur. Rationem reddit Auguſt. lib. „ de Nat. & Grat. cap. 67. Illa eſt peccati „ pœna iuſtiſsima, vt qui rectum facere, „ cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm „ velit.

17 His tamen omnibus conſtat ex dubio 4. Nec oportet ad noſtram tuendam ſententiam, quod Deus ſemper & vbique auxilia conferat, ſed opportuno tempore. Ad illud de obdurationè iam conſtat ex Auguſtino ſupra allegato. Præterquamquod illud Iſaiæ dictum non eſt per verbum imperativum, ſed per modum propheticæ prædictionis. Id tandem, quod additur de impotentia conſequendi remiſsionem, vt ſummùm probare poſſet impotentiam proximam, non remotam, nam ſacro definiente Conc. Trident. Deus neminem deſerit, niſi prius ab ipſo deſeratur. Et cap. 29. ait: *Si qui dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, nõ poſſe per Dei gratiam reſurgere, anathema ſit.* Sed de his ſermo redibit tract. ſequenti dub. 1. §. 5.

18 Oppones. Conſtat pluribus negaſſe Deum Angelorum cuſtodiam; at negata Angelorum cuſtodia conſequens eſt negari auxilia ſufficientia, quia vt docet D. Thom. 1. p. q. 113. art. 1. ad 2. homini exhibentur auxilia miniſterio Angelorum; ergo negantur pluribus auxilia ſufficien„ tia. Maior ſuadetur ex Hierem. 51. Cu„ ravimus Babilonem, & non eſt ſanata, „ derelinquamus eam. Ubi Gloſſa: Sicut „ Medici ſub magno Medico Angeli Dei „ ſunt, volentes animas noſtras á vitijs „ curare, quos ipſi repellimus, dùm con„ ſilijs eorum non acquieſcimus; qui vi„ dentes ſe perdere operam adinvicem „ dicunt: relinquamus eam: adiutorium „ & medicamenta adhibuimus, contumax „ eſt, non vult obſervare, quod dici„ mus, ſtudium noſtrum non ſequitur „ effectus, abeamus, vnuſquiſque in ter„ ram ſuam. Item. In Sanctuario Roma„ nis obſidentibus Jeroſolymam audiat eſt vox Tutelarium Angelorum dicentium: *Migremus hinc.* Ut refert Ioſephus lib. 7. Belli Iudaici cap. 12. Idem legitur de Iuliano Apoſtata, & alijs.

19 His tamen reſpondet D. Tho„ mas 1. p. q. 113. art. 6. Similiter etiam „ dicendum eſt, quod Angelus cuſtos nun„ quam totaliter dimittit hominem, ſed „ ad aliquid interdum eum dimittit, proút „ ſcilicét nõ impedit, quin ſubdatur alicui „ tribulationi, vel etiã quin cadat in pec„ catũ ſecundũ ordinẽ divinorũ iudiciorũ. „ Et ſecundum hoc Babilon, & domus Iſ„ rael ab Angelis derelictæ dicuntur, quia „ Angeli earũ cuſtodes non impediverunt,

„ quin

„ quin tribulationibus ſubderentur. Et „ 2.4.ad 3.ait: Sicut præſciti, & Infideles, „ & etiam Anti-Chriſtus non privantur „ interiori auxilio naturalis rationis, ita „ etiam non privantur exteriori auxilio „ toti naturæ humanę divinitùs conceſſo, „ ſcilicet, cuſtodia Angelorum; ſi ergo Deus non deſeruit Pharaonem; non Babilonem; non Julianum Apoſtatam; non & ipſum Anti-Chriſtum, quis timebit?

20 Nec prodeſt ſi ex Goneto reſpondeas loco cit. §. 2. Infideles non deſtitui cuſtodia Angelorum, eam tamen nihil prodeſſe ad opera ſalutaria, vt oſtendere videtur D. Thomas a. 4. citato, vbi ita proſequitur: *Per quam cuſtodiam etſi nõ invenitur quantùm ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, iuvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur.* Non (inquam) prodeſt. Nam aliud eſt re ipſa non mereri vitam æternam, quod ait D. Thomas; & aliud eſt quod Angeli non excitent illuſtrationes, quibus ad meliorem frugem reduci poſsint, quod D. Thomas non negat.

21 Arguitur tertiò ex amentibus. Peccatum non minus demeretur auxilia ſufficientia, quàm vſum naturalis rationis; ſed in pœnam peccati ſæpé Deus privat vſu rationis; ergo & privare poteſt auxilijs ſufficientibus. Reſpondeo nos non diſputare quid Deus ex debito peccati facere poteſt, ſed quid ex abundantia miſericordiæ faciat; poteſt namque peccatori negare non modò dona ſupernaturalia, ſed naturalia, & anihilare, id tamen non facit propter dicta. Deum autem privare vſu rationis non magis vrget, quàm privare vita, & inducere mortem, vt quotidie contingit; hæc enim proveniunt ex cauſis naturalibus, quas Deus impedire non tenetur. Propter hæc ſortaſsè dixit Auguſtinus loco allegato: „ Nullam eſſe animam tam perverſam, „ modò ratiocinari poſsit, in cuius conſ- „ cientia non loquatur Deus, nullumque „ eſſe tàm reprobum, tam cæcum, qui „ à Dei gratia, dùm in hac vita eſt, pe- „ nitùs excludatur. Eſt & alia differentia, quod amentes non ligantur præceptis, quibus ligantur ratione vtentes, atque adeò his debentur auxilia, quibus præcepta poſsint adimpleri.

22 Denique preſentem tractatum concludam opportuna ſatis doctrina Ang. Præceptoris 3. p. q. 86. a. 1. vbi ait: „ Dicendum quod hoc, quod aliquod „ peccatum tolli non poſsit, poteſt con- „ tingere dupliciter. Uno modo, quia „ aliquis de peccato pœnitere non poſ- „ ſet. Alio modo, quia pœnitentia non „ poſſet delere peccatum. Primo qui- „ dem modo non poſſunt per pœniten- „ tiam deleri peccata dęmonum, vel „ etiam hominum damnatorum, quia „ affectus eorum ſunt confirmati in malo, „ ita quod non poteſt eis diſplicere pec- „ catum in quantum eſt culpa, ſed ſo- „ lùm diſplicet eis pœna, quam patiun- „ tur, ratione cuius aliquam pœniten- „ tiam, ſed infructuoſam habent ſecun- „ dùm illud Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*: Un- „ dè talis pœnitentia non eſt cum ſpe ve- „ niæ, ſed cum deſperatione. Tale au- „ tem non poteſt eſſe peccatum hominis „ viatoris, cuius liberum arbitrium flexi- „ bile eſt ad bonum, & malum; vnde „ dicere quod aliquod peccatum ſit in „ hac vita, de quo quis pœnitere non „ poſsit, erroneum eſt. Primò quidem, „ quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. „ Secundò, quia per hoc derogaretur vir- „ tuti gratiæ, per quam moveri poteſt „ cor cuiuſcumque peccatoris ad pœni- „ tendum ſecundùm illud Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit vertet illud.

23 „ Quod autem ſecundo mo- „ do non poſsit per veram pœnitentiam „ aliquod peccatum remitti, eſt etiam „ erroneum. Primò quidem, quia re- „ pugnat divinæ miſericordiæ, de qua „ dicitur Joel 2. *Quod benignus, & miſe- „ricors eſt, & multæ miſericordiæ, & „ præſtabilis ſuper malitia*: Vinceretur „ enim quodammodò Deus ab homine, „ ſi homo peccatum vellet deleri, quod „ Deus delere non vellet. Secundò, quia „ hoc derogaret virtuti paſsionis Chriſti, „ per quam pœnitentia operatur, ſicut „ & cætera Sacramenta cum ſcriptum ſit „ 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro pec- „ catis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed „ etiam totius mundi. Undè ſimpliciter „ dicendum eſt, quod omne peccatum „ in hac vita per pœnitentiam „ veram deleri poteſt.

(***)

TRAC-

TRACTATVS IV.

DE VOLVNTATE DIVINA efficiente, approbante, & permittente.

CVM Sanctus Anſelmus in hoc opuſculo de Voluntate Dei. cap. 3. & 4. gravem, & ſalebroſam difficultatem de concurſu Dei ad operationes pravas dirimendam aſſumpſerit; vlterius cap. 5. ad vberiorem expoſitionem diſtinguit eandem Dei voluntatem in efficientem, approbantem, concedentem, & permittentem, vt ex prima parte huius operis conſtat: quapropter explicata in ſuperioribus exiſtentia, & natura voluntatis antecedentis, alijſque divinæ voluntatis affectionibus, congruum eſt, vt ad voluntatem efficientem, & permittentem explorandam deſcendamus.

DVBIVM I.

An Deus ſit cauſa, & Author peccati?

§. I.

IN Peccato actuali commiſſionis duo ſpectanda ſunt, nimirúm, entitas, & deformitas; ſed quia *peccatum* abſolutè prolatum pro formali, ſive pro deformitate ſupponit, ideò in præſenti dubio agendum eſt de concurſu in peccatum pro formali, acturi in ſequentibus de concurſu Dei ad entitatem. Mirúm eſt quantum veneni evomant novatores Hæretici, Lutherus, & Calvinus ſequuti alios antiquiores, quos refert Auguſtinus, lib. de hæreſibus, cap. 59. & 66. docent enim mala culpæ, & pœnæ á Deo procedere, omnia peccata, & flagitia in mundo patrari Deo volente, movente, prædeſtinante, imperante, & impellente; vt tradit Stapletonius lib. 11. de *Iuſtific.* c. 1. & 3. Becanus, *de peccatis*, c. 6. & alij plures.

In

2 In hac hæreticorum blasfemia demonstranda tempus insumendum non puto, quamquam Jacobus Laurentius Calvinista in sua *castigatione conscientiæ Jesuiticæ cauteriatæ* asserat hanc blasfemiam totidem verbis negare, & execrare Calvinum: ea namque expresse constat ex lib. 1. Institut. cap. 13. §. 2. vbi ait: *Deus est præcipuus author peccati.* Et ibid. c. 18. §. 2. inquit: *Dicitur Sathan excæcare infidelium mentes, sed vnde hoc, nisi quia à Deo manat efficacia erroris.* Et §. 4. *Deus ad peccandum impellit.* Et §. 8. *Iam satis ostendi Deum vocari eorum omnium Authorem, quæ isti Censores* (Catholici) *volunt otioso eius tantùm permissu contingere*: vndè nihil familiarius apud Lutherum, Calvinum, & Sectatores, quàm asserere Dæmonem, homineſque pravos esse instrumenta Dei, eiusque Ministros, Deo principaliter impellente, homines illaqueante, & ad homicidia, rapinas, aliaque flagitia cogente; atque adeò apud eos invaluit ea præcipitata sententia: Non minus est *opus Dei proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli*: quam propositionem contra ipsos vt hæreticam, & blasfemam execratur, & improbat Concilium Tridentinum infra allegandum. De quibus videndus Sandæus, Roffensis, Soto, Castro, Uega, & alij plures.

3 Nec prodest, quod prædictus Laurentius refert ex Calvino in cap. 23. Mathæi V. 1. vbi ait: *Deum mali Authorem non deberi appellari, nec perditorum ruinam eius præscientiæ attribui.* Item in cap. 1. ad Rom. *Peccati causam à Deo non provenire.* Non (inquam) prodest, quia facilè respondemus, quod Sathan in veritate stare non potest. Uel vt inquit citatus Sandæus art. 12. *Hæreticos pugnantia scribere, inconstantes esse; vno, eodemque ore sorbere, & flare*: & quidem meritò, nam Hæreticis servire tempori tantùm cura est, omneque leges divinas, & humanas, vt catholicos specie tenus impugnent pessumdare non dubitant, parum, aut nihil de consequentiæ filo soliciti.

(o)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

4 DICENDVM Primò Deum ab æterno præscire mala, eaque velle permittere, sicut in tempore permittit, neminem tamen movere, & impellere. Tres continet partes conclusio. Et primam, ac tertiam docet Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 4. ibi. Non continuò tu pecare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi, omnia fecisti; ita Deus omnia, quorum ipse Author est, præscit; nec tamen omnium, quæ præscit, ipse Author est: quorum autem non est Author, iustus est vltor.

5 Confirmat Sanctus Fulgentius lib. 2. ad Monimum cap. 23. Proindè fidelibus congruit credere, & fateri, Deum præsciuisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum, non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum quemlibet hominem prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Ex his Leo Papa sent. 25. Conc. Arausicani ait: Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione illis anathema dicimus; prævidet ergo Deus omnia peccata futura, neminem tamen fatali quadam prædestinatione impellit ad peccandum.

6 Ratio huius est. Nam scientia Dei est infinita attingens omnia à fine vsque ad finem, omniaque aperta sunt oculis eius; at eius scientia infinita non esset, omnia non attingeret, nec omnia aperta, sed potius occulta, essent oculis eius,

eius, ſi futura peccata non præſciret; ergo omnia peccata videt, & ab æterno prævidit. Eſt inſuper, omnium Iudex, vivorum, & mortuorum; iuſtè autem iudicare non poſſet, ſi mala ſimul, & bona non cognoſceret; ergo. Quæ omnia breviter exponit Anſelmus in hoc lib. de vol. Dei, c. 3. vbi ait: *Deus vult adulterium, hoc eſt, præſcit, prævidet.*

7 Secunda concluſionis pars facilè oſtenditur. Quæcumque in tempore fiunt, aut fiunt Deo poſitivè volente, aut permittente; ſed peccata non fiunt Deo poſitivè volente, vt infra oſtendemus; ergo Deo permittente. Patet conſequentia. Nam fieri aliqua Deo permittente non eſt aliud, quàm Deum non impedire, cum poſsit; at Deus poteſt impedire, & non impedit peccata; ergo fiunt ipſo permittente: tùm ſic. Sed Deus non permittit in tempore peccata, ipſo ab æterno nolente; ergo volente; ergo vult ab æterno permittere peccata in tempore. Quam rationem confirmat Anſelmus loco citato cap. 5. ex Auguſtino in Enchiridione cap. 100. vbi ait: *Propterea magna voluntas eiuſdem Domini exquiſita in omnes voluntates eius, & vt miro, & ineffabili modo non fiat præter voluntatem eius, quod non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens.*

8 Secundò. Deus ab æterno non potuit ſuſpendere decretum circa creaturas, ſed neceſſariò debuit de omnibus re ipſa diſponere, & providere ſecundùm infinitæ ſapientiæ dictamen, vt ex ſuperioribus conſtat; nec ea ſuſpenſio, ſi poſsibilis eſſet, vllius eſſet momenti; quoniam ea ab æterno poſita non poſſet poſteà in tempore decernere, vt Patroni eiuſdem ſententiæ fatentur; ergo Deus ab æterno poſitivo decreto voluit permittere peccata in tempore, vel poſitivè noluit; cum ergo noluerit omnia poſitivè impedire, aliqua voluit poſitivè permittere.

9 Tertiò. Si Deus ab æterno non decreviſſet peccata permittere contingerent in tempore fortuitò, & caſualiter; ſed hoc dici non poteſt reſpectu Dei; ergo ab æterno poſitivè decrevit ea in tempore permittere. Maior probatur. Si Deus ab æterno non decreviſſet permittere peccata in tempore, ea in tempore fortuitò permitteret; ergo in tempore fortuitò contingerent. Antecedens probatur. Id permittitur fortuitò, quod non permittitur ex conſilio, & prævia deliberatione; at ita permitterentur peccata in tempore, ſi Deus ab æterno nihil decrevit; ergo. Denique. Quo pacto Deus ſe habet in tempore circa creaturas, ita voluit ſe habere ab æterno, cum Deus ſit immutabilis; ſed in tempore peccata permittit; voluit ergo ab æterno permittere.

10 Tertia tandem pars conſtat ex teſtimonijs num. 4. & 5. allegatis. Et ex illo Jacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*; at ſi Deus moveret, & impelleret ad malum, ad malum quidem tentaret; ergo Deus neminem impellit, movet, aut cogit ad malum: Ratio eſt, quia Deus nequit habere motum ſuæ naturæ repugnantem; ſed motus, & impulſus ad peccatum ſuæ eſſentiæ repugnat; ergo nequit movere, & impellere ad peccatum. Minor probatur. Deus eſt eſſentialiter, ſummè, & infinitè bonus; ſed infinitæ bonitati repugnat motus ad malum; quoniam motus in malum eſt in ſe ipſo malus; ſed malum repugnat ſummæ bonitati; ergo motus in malum ſummæ bonitati repugnat. Eo vel maximè, quia voluntas movens ad malum mala eſt; ſed voluntas Dei per eſſentiam bona, mala eſſe non poteſt; ergo.

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

11 DICENDUM Secundò Deũ nullo pacto eſſe cauſam, & authorem peccati. Eſt Fide Catholica certa, ac plurimis Sacræ Paginæ teſtimonijs demonſtrari poteſt. Primò ex illo Sap. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*; ſed Deus odio habet peccatum, quia *odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Sap. 14. ergo Deus non fecit peccatum; non eſt ergo Deus cauſa, & Author peccati. Secundò ex illo Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*; ergo quo pacto à Deo eſt auxilium, quo pulſat corda hominum ad bonum,

bonum, ab homine eſt irruptio in malum. Denique. *Fidelis eſt Deus, & abſque vlla iniquitate.* Deuter. 32. Sed abſque vlla iniquitate non eſſet, ſi eſſet cauſa, & author peccati in eſſe talis; ergo non eſt.

12 Confirmat eandem doctrinam contra Lutherum, Calvinum, alioſque eiuſdem factionis Hæreticos Conc. Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. ita definiens: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus perditio Iudæ, quàm vocatio Pauli. Anathema ſit.* Id ipſum prius docuerat Cõcilium Arauſicanum cap. 25. citato. *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere volunt cum omni deteſtatione in illos anathema dicimus.*

13 Infinitus eſſem, ſi teſtimonia Patrum eandem veritatem firmantium producere liceret. Nam Hieronymus ad illud Amos 3. *Si erit malum in Civitate, quod Deus non fecerit?* inquit. *Omnes hi Sancti Patres vnanimi conſenſu decernunt Deum non eſſe authorem peccati, neque cauſam illius.* Anſelmus noſter, *de caſu diaboli*, cap. 22. ait: *Si malum eſſet aliqua eſſentia, eſſet à Deo, à quo neceſſe eſt eſſe omne, quod aliquid eſt, & impoſſibile eſt eſſe peccatum, ſive iniuſtitiam.* Item cap. 20. *Quod malum eſt, non Dei eſt, ſed volentis, ſive moventis voluntatem.* Et c. 3. de concord. *Deus bona facit opera ſua ſola bonitate. Mala verò facit ſola culpa hominum, quia ea non faceret, ſi homo facere non vellet.* Ac tandem in præſenti libro de Voluntate Dei, refundit peccatum in voluntatem permittentem, ibi. *Voluntas permittens eſt, quæ permittit aliquid fieri, etſi diſpliceat.* Quæ omnia liquidò apparent ex ipſa voluntate Dei prohibente; at non prohiberet, ſi vellet; non ergo vult; ergo non cauſat.

14 Reſpondet Calvinus ita quidem eſſe iuxta voluntatem Dei nobis in Sacra Pagina revelatam, vi cuius prohibet peccata: aliam tamen eſſe voluntatem arcanam, qua peccata probat, & vult. Sed hæc non ſolutio, ſed inſania eſt, aperté enim Deum fecit mendacem, dùm exterius prohibet, quod interius probat, & vult; dicit ergo Deus vnum exterius, volens interius oppoſitum; ergo mentitur, cum tamen ſit prima veritas, & per eſſentiam verax.

15 Ulteriùs. Conſequentiam deſiderabis in Calvino, qui cum ſuis ſequacibus contendit nihil credendum eſſe, niſi quod ex verbo ſcripto non conſtat: immó credit oppoſitum illius, quod ex verbo ſcripto conſtat; ſibi ergo non conſtat. Denique Calvinus ſe nobis novum vatem obtrudit, dùm Deo affirmante verbo ſcripto ſe non probare peccata, adſtruit in Deo voluntatem omnia facinora approbantem: vndé ergo hanc voluntatem divinat, ſi oppoſita ipſo affirmante conſtat?

Ratione ſuadetur concluſio.

§. IV.

16 RATIONE Efficaci prędicta concluſio ſuaderi poteſt. Si Deus eſſet cauſa, & author peccati, vt peccatum eſt, Deus vellet peccatum vt peccatum eſt; ſed hoc repugnat; ergo & quod ſit author peccati. Minor probatur. Implicat Deum velle aliquid, niſi propter ſe ipſum; ſed Deus velle non poteſt peccatum propter ſe ipſum; ergo nec poteſt velle peccatum. Minor conſtat, quia peccatum eſt inordinabile ad Deum, cum potius ſit contra Deum, & receſſus à Deo. Maior autem probatur. Sicut Deus eſt primum principium cuiuſcumque rei factæ, & factibilis, ita eſt omnium vltimus finis: vndé dicitur Proverb. 16. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; ergo implicat Deum velle aliquid, niſi propter ſemetipſum.

17 Deſumpta eſt hæc ratio ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 75. a. 1. vbi ait: *Omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum, ſicut in finem; Deus autem omnia inclinat, & convertit in ſe ipſum, ſicut in vltimum finem, ſicut Dionyſius dicit 1. capite de divinis nominibus; vndè impoſſibile eſt, quod ſit ſibi, vel alijs cauſa diſcedendi ab ordine, qui eſt in ipſum; vndè non poteſt directè eſſe cauſa peccati.*

Reſpon-

18 Reſpondent Hæretici Deum velle peccata, ſed non ideò peccare, quia non eſt legi ſubditus. Sed contra. Deus recedere non poteſt à lege ſuæ naturæ, rectoque rationis dictamine, nec à ſua bonitate, & ſanctitate; ſed velle peccatum vt tale eſt contra legem naturalem, eſtque receſſus à ſumma bonitate, & ſanctitate; ergo ſi Deus vellet peccatum, eſſetque illius author, á peccato excuſari non poteſt, ſed potius legem à ſua ipſa rectitudine ſibi impoſitam violaret, ac contra rectum rationis dictamen operaretur, quod nihil magis contrarium Deo. Rurſus. Tametſi Deus non ſit ſubditus legi poſitivæ, atque adeò in ea diſpenſare poſsit, quo in eventu, iam opus non eſſet contra legem, nec inhoneſtum; attamen aliud eſt diſpenſare in lege; & aliud operari contra legem, præſertim contra legem ſuæ ſanctitatis, & contra rectum dictamen rationis: primum ad rem noſtram non attinet: ſecundum eſt prorſus impoſsibile, alioquin poſſet ſe odio habere, ac velle deſtructionem ſui, quia omne peccatum eſt deſtructivum Dei; non ergo poteſt Deus velle peccatum, nec eſſe cauſa, & author peccati.

19 Reſpondent ex his probari Deum non poſſe velle peccatum propter finem pravum, poſſe tamen velle peccatum creaturæ in ordine ad finem honeſtum, & à ſe ipſo intentum. Sed contra eſt. Ex bonitate finis non honeſtatur malitia obiecti, ſed potius è contra, ex malitia obiecti vitiatur bonitas finis; ergo actus ex obiecto malus non redditur bonus ex bonitate finis; ergo Deus velle non poteſt peccatum creaturæ, quamquam ſit ex bono fine. Antecedens probatur. Sicut eſt contra prudentiam, rectumque rationis dictamen aſſumere bonum medium ad conſequendum malum finem; ita & potiori iure eſt contra prudentiam, rectumque rationis dictamen aſſumere malum medium ad conſequendum bonum finem; ergo ſicut malitia finis vitiat bonitatem obiecti, ita malitia obiecti vitiat bonitatem finis: *Nec enim ſunt facienda mala, vt eveniant bona*: inquit Apoſt. ad Rom. 3.

20 Explicatur hæc ratio. Actus malus ex obiecto propter bonum finem eſt vndequaque malus, vitioſus, & inhoneſtus; ergo nullo titulo poteſt Deus velle peccatum propter bonum finem. Antecedens probatur. Licet finis ſit ex ſua natura bonus, attamen vt eſt cauſa finalis, & motiva ad actum ex ſua ſpecie vitioſum, & inhoneſtum redditur malus, vitioſus, & inhoneſtus; ergo talis actus non ſolùm eſt malus ex obiecto, ſed etiam ex fine; ergo eſt vndequaque malus, atque Deus nec velle, nec cauſare poteſt.

21 Dices. Intentio mala vitiat electionem, maluſque finis vitiat obiectum bonum; ergo è contra intentio bona rectificare poterit electionem, ac bonitas finis rectificabit obiectum bonum. Reſpondet Ang. Doctor 1. 2. q. 19. art. 8. ad 3. *Sola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis, ſed non ſit eadem ratio de bonitate.* Diſparitas reddi poteſt ex communi axiomate deſumpto ex Dioniſio: *Malum ex quocumque defectu, bonum ex integra cauſa.*

Oppoſita argumenta enervantur.

§. V.

21 CÆTERUM Contra prædictam doctrinam plura congerunt Hæretici teſtimonia ex Sacris Litteris. Primò opponunt peccatum fratrum Joſeph, quod factum fuiſſe conſilio Dei dicitur Gen. 45. ibi. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Quod idem dicitur de peccato Iudæorum. Act. 2. ibi. *Definito conſilio, & præſcientia Dei traditum.* Secundò. Pſalmo 104. dicitur: *Convertit cor eorum* [Egiptiorum] *vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſervos eius.* Tertiò. Opponunt illud 2. Reg. 12. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo, & dormiet cum vxoribus tuis; tu enim feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis huius.* Ex quo deducit Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 18. *Abſalon inceſtu coitu patris thorum polluens deteſtabile ſcelus perpetrat; Deus tamen hoc ſuum eſſe pronunciat.*

Quar-

22 Quartò opponunt, quod multa mala facta ſunt imperio Dei; ergo quia Deus ea probat, & vult. Antecedens probatur ex 2. Reg. 6. *Dominus præcepit Semey, vt malediceret Dauid.* Item ex 3. Reg. 33. *Dixit Dominus decipies, & prævalebis, egredere, & facito.* Quintò opponunt illud Iſaiæ 63. *Quarè errare nos feciſti de vijs tuis Domine?* Et Ezech. 24. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. ad Theſal. 2. *Mittet in illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio*; eſt ergo Deus cauſa doli, erroris, & mendacij.

23 Sextò. Ipſe Chriſtus dixit Iudæ: *Quod facis fac citiùs.* Ac de eodem Chriſto dictum erat Luc. 2. 34. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in *reſurrectionem multorum Iſrael.* Et tandem Paulus ad Rom. 9. 33. Ecce pono in Sion lapidem *offenſionis, & petram ſcandali.* Ex quibus omnibus deducit Calvinus Deum eſſe cauſam, & authorem peccati.

24 Sed otioſo, aut pernitioſo ſtudio malitiam ſuam in ſanctitatem Dei refundere conatur Calvinus. Si enim dignè de Deo ſentiret; ac authoritates á nobis allegatas inſpexiſſet, Sanctorum Patrum doctrinam, & expoſitionem legiſſet, facilem ſolutionem inveniſſet. Etenim quæ facta ſunt ex ſola prævisione, & permiſsione Dei, ipſi Deo ſæpè attribui in Sacris Litteris frequentiſsimum eſt, vt ex Anſelmo demonſtratum eſt. Deo (inquam) non tanquam Authori, & cauſæ poſitivæ, ſed negativæ, ideſt, non impediente cùm poſsit impedire præſtantiora conferendo auxilia, ad quæ non tenetur, ſed potius iuſto negat iudicio, ac tandem omnia in optimos fines ordinat: & hac ratione dicimus in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem*, ideſt, nè permittas nos tentationi ſuccumbere, ſed potius aut tentationem repelle, aut præſta vires ad victoriam.

25 Ex his ad primum dico miſſum fuiſſe Joſeph Dei volũtate, nõ motu proprio volẽte, ſed prævidente, & permittẽte proditionem fratrum. Quod idem dicendum de peccato Iudæorum. Quid autem dicendum de huiuſmodi peccatorum entitate materiali, & phiſica dubio ſequenti oſtendemus. Simili modo exponendus eſt Pſalmus 104. quatenùs convertit Deus cor Egiptiorum permittendo, aut non comprimendo dæmonem ne moveret Egiptios ad tyrannicam exercendam poteſtatem in populum electum, vt illius probaret patientiam, peccata purgaret, & beneficium libertatis æſtimarent, potentiamque Dei agnoſcerent. Per quod conſtat ad tertiam impugnationem ex 2. Reg.

26 Ad quartum dico inuſitatum non eſſe in eadem Sacra Pagina nomine imperij ſignificari permiſsionem, alioquin ſimul imperaret Deus fieri, & non fieri mala, cuius rei plura exempla adduci poſſent; ſatis ſit illud Marci 10. *Moiſes* (dixerunt Phariſei Chriſto) *permiſsit libellum repudij.* Et Chriſtus reſpondit vtendo nomine præcepti: *Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* E contra Matth. 19. Phariſæi vtuntur nomine mandati dicentes: *Quid ergo Moiſes mandavit dare libellum repudij?* Et Chriſtus reſpondet vtendo nomine permiſsionis: *Ad duritiam cordis veſtri permiſsit vobis dimittere.* Ex quibus liquidò conſtat nomine mandati, & præcepti ſignificari permiſsionem. Et ita intelligenda, ac exponenda ſunt alia ibi allegata.

27 Opponunt ſecundò illud Exod. 4. 21. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Et Iſaiæ 63. *Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.* Quod confirmat Apoſtolus ad Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*; at hæc induratio, & obſtinatio contra timorem Dei, eiuſque præcepta, grave peccatum eſt; ergo Deus eſt vera cauſa, & author peccati. Sed contra eſt illud Pſalmi 4. *Nolite obdurare corda veſtra*; non ergo vult obdurationem, dùm eam prohibet, niſi Deo repugnantia affingas. Immò repugnat peccatum eſſe peccatum, & eſſe volitum à Deo, nam voluntas divina eſt prima, & ſuprema regula totius honeſtatis; ſi ergo peccatum eſt volitum à Deo, ad illudque impellit, vt inquit Calvinus, iam non erit contra primam, & ſupremam regulam honeſtatis; ergo non erit contra regulas moris; ergo nec peccatum, nec defectus. Patet cõſequentia, quia defectus dicitur ille in quocumque opere, qui eſt contra regulas artis; at peccatum volitum à Deo non eſt contra regulas moris, cum non ſit contra primam regulam to-

tius moralitatis, & honeſtatis; ergo ſimul erit, & non erit peccatum. Erit, quia ſupponitur: non erit, quia conforme voluntati divinæ, & regulis morum.

28 Hac ratione dixit Magnus Baſilius Hom. 2. in examer. *Nullum contrarium à diſsimili, & contrario naſci*; quarè nec ab igne aqua, nec à nive calor; nec à ficu ſpinæ procedunt; ergo nec à ſumma, & infinita bonitate malum: quæ omnia ita manifeſta apparent, vt nec Gentiles de hac veritate dubitaverint; dixit enim Lucianus in Jove: *Si Parca omnium rerum eſt cauſa; ergo ſi quis Patrem occiderit, Parca in culpa eſt. Si Minos rectè velit vti iudicio, multò æquius fatum pro Siſypho, & Tantalo puniet: quid enim illi iniuſtè egerunt, quandò Dijs obtemperarunt?*

29 Adhuc opponunt illud Iſaiæ 6. *Ex cæca cor populi eius, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, ne fortè convertantur, & ſanem eos*; ergo vult Deus excæcationem, non converſionem, & ſalutem. Sed contra eſt illud Sap. 2. *Excæcavit eos malitia eorum.* Et Job 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, qui dicunt Deo recede à nobis.* Quarè dicta verba exponenda de excæcatione permiſſa, non approbata. Uel vt dictum eſt dubio antecedenti n. 17. ea verba inducta ſunt per modum prædictionis propheticæ. Sed vt quid alijs indigemus teſtibus, & atteſtationibus. Ipſe Chriſtus Dominus Math. 13. dictum Iſaiæ locum ita exponit: *Vt adimpleatur in eis prophetia Iſaiæ Prophetæ: Audietis, & non intelligetis, incraſſatum eſt enim cor populi huius, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Et Act. vlt. *Benè Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam: aure audietis, & non intelligetis; & oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè videant, & convertantur*; ergo ex ſententia Chriſti Domini tota cauſa excæcationis penès Iudæos erat, non ex parte voluntatis divinæ.

DVBIVM II.

An Deus ſit cauſa per ſe entitatis phiſicæ peccati, vel tantùm permiſsiva?

§. I.

1 CUM Deus, non manu, ſed voluntate operetur, excluſa ſuperiori dubio voluntate approbativa ad peccatum in eſſe talis, ſive ad illius deformitatem, graviter inſurgit dubitandi ratio. An ſit in eo aliqua voluntas non tantum permiſſiva, ſed approbativa, circa entitatem phiſicam peccati actualis commiſsionis, ac ideò vt cauſa per ſe ad talem operationem concurrat? Et quamquàm Ang. Doctor quandoque vratur indifferenter nomine cauſæ, & Authoris; eodemque modo loquantur plures ſcholaſtici aſſerentes Deum eſſe cauſam, & Authorem entitatis materialis peccati. Nihilominus his temporibus à pluribus Theologis aliter vſurpatur nomen *cauſæ*, & nomen *Authoris*, quoniam cauſa ſolùm denotat influxum phiſicum, Author veró influxum moralem movendo, & perſuadendo, atque adeò extendendo concurſum ad deformitatem: quarè in hac ſecunda acceptione omninó excludere oportet à Deo rationem Authoris in entitatem peccati. In prima tamen acceptione eodem modo diſcurrendum eſt, ac de cauſa.

2 Durandus in 2. diſt. 37. quæſt. 1. facilè ſe putat ab hac difficultate expedire, generalitèr docens Deum non habere concurſum immediatum in operationes creatas, ſed mediatum duntaxat, quatenus cauſis creatis dedit eſſe, & virtutem ad operandum; quapropter etſi homines libero inſtruxit arbitrio, quo benè, vel malè vti poſſint, non ideò peccato Deo Authori imputandum eſt. Et ita opinaſſe videtur Origenes lib. 3. de principijs, cap. 1. vt refert Divus Thomas 3. contra Gent. cap. 89. Adhuc ta-

tamen conſtituit Durandus differentiam in concurſu Dei ad operationes naturales, & liberas; honeſtas, & pravas; eo quod ad operationes naturales dedit Deus principia determinata: ad liberas principia indifferentia; ad honeſtas concurrit movendo, & inclinando: ad pravas autem nec movendo, nec inclinando, ſed principia duntaxat indifferentia conferendo. Ita etiam noviter Adola, p. 4. cap. 5. & 6. vbi alios allegat.

3 Accedit ex parte huic ſententiæ noviter doctus, & eruditus Thomaſinus t. 1. *de dogmatibus Theologicis*, lib. 7. docens Deum nullum habere concurſum in operationes pravas, nec quoad deformitatem, nec quoad entitatem, & ait ſpectare quidem ad dignitatem Dei, & virtutem omnipotentiæ producere omnes naturas, & ſubſtantias, non tamen operationes pravas naturæ: vndè commune illud principium: *Omne quod eſt, in quantum eſt bonum eſt, & à Deo eſt*, de naturis, & ſubſtantijs intelligit, non de operationibus.

4 Communis tamen Theologorum ſententia docet Deum immediatè, ſimultaneè, & effectivè concurrere ad entitatem peccati; ſed in expoſitione huius concurſus maximè diſſident, quoniam Thomiſtæ communiter diſtinguunt entitatem à malitia, entitatemque aſſerunt eſſe à Deo tanquam à cauſa per ſe influente, malitiam verò tanquam à cauſa permittente; quam etiam diſtinctionem, concurſumque effectivum ad entitatem materialem non ſolùm tuetur Eximius Suarez in 1. 2. diſp. 6. de *cauſa extrinſeca peccati*, ſed docet hanc eſſe ſententiam certam, quæ multis videtur de fide. Sed Recentiores non indocti putant illam diſtinctionem eſſe prorſus repugnantem reſpectu divinæ cauſalitatis, ideoque docent totam entitatem cum ſua deformitate dici materialem reſpectu divini concurſus, ideoque Deum ad totum eſſe peccati concurrere, quamquàm ſub ratione entis, & concurſu indifferenti determinato à voluntate creata; qua ratione Alij addunt Deum dici cauſam, *ſine qua* non eſſet peccatum, voluntatem verò creatam dici cauſam *cur* ſit. Alij aliter ſuam mentem exponunt; vt ex progreſſu conſtabit.

(†)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

5 DICENDUM Primò Deum eſſe cauſam immediatam, & proximam entitatis peccati, ad eamque effectivè, & immediatè concurrere. Hæc ſententia ita manifeſta Theologis apparet, vt Zumel cum Patre Suarez, & alijs aſſerat, quod licèt oppoſita manifeſtè hæretica non ſit, eſt tamen vt minimùm valdè periculoſa in fide, & fortè erronea, quam cenſuram alij communiter probant; & quamquam ego á cenſuris libenter abſtineam, nihilominus eam notandam duxi, vt appareat quo iure Thomaſinus pungenti calamo eam communi Sanctorum Patrum calculo probandam, firmandamque duxerit.

6 Concluſio noſtra pluribus Sacræ Paginæ teſtimonijs oſtendi poteſt. Dicitur enim Ioan. 7. *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo nihil ſine Deo factum eſt; ergo nulla eſt operatio non concurrente Deo: vndè Concilium Nicænum ſæpè in hoc opere allegatum in Symbolo Fidei ait Deum eſſe *Creatorem viſibilium, & inviſibilium*; cum ergo operatio, non modò honeſta, ſed etiam prava inter *omnia* numeretur, à Deo eſſe neceſſariò fatendum eſt.

7 Nec prodeſt ſolutio Durandi aſſerentis eſſe à Deo, ſed non proximè, quia eſt à Deo dante virtutem, non à Deo immediatè concurrente. Non, inquam, prodeſt, ſed potius ab eadem Sacra Pagina improbatur. Nam Apoſt. ad Philip. 2. ait: Deus operatur in nobis, & velle, & perficere. Et Act. 17. dicitur: *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Et Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Ex quibus, alijſque pluribus apertiſsimè conſtat Deum non

modò dare virtutem operativam, ſed in operationem ipſam influere, alioquin falsò diceretur Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, cum plura fierent non concurrente Deo. Quæ omnia confirmat Anſelmus locis infra referendis.

8 Ratione ſuadetur deducta ex Anſelmo in Monol. cap. 7. vbi inter alia inquit: *Quoniam quidquid eſt, per ſummam eſſentiam eſt. Conſequitur de neceſsitate, vt per eam nihil ſit, niſi ea afficiente.* Clarius lib. de Concord. *Omnis quippè qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet eſſentiam à Deo eſt, à qua eſt omne, quod eſt.* Hanc etiam rationem probat Ang. Magiſter in 2. diſtinct. 37. quæſt. 2. a. 2. ibi. „ Tanguntur à Magiſtro duæ opinio„ nes, vna quarum dicebat omnes ac„ tus, in quantum actus ſunt, à Deo eſ„ ſe, ſed in quantum deformitatem ha„ bent á Deo non ſunt, ſed ab homine, „ vel à diabolo. Alia opinio dicebat ac„ tus peccatorum nullo modo, nec „ etiam in quantum actus ſunt, à Deo „ eſſe; & hanc opinionem ad præſens „ nulli, vel pauci tenent, quia propin„ quiſsima eſt errori duplici. Primò, quia „ ex ea videtur ſequi, quod ſint plura „ prima principia; hoc enim eſt de ra„ tione primi principij; vt agere poſsit „ ſine auxilio prioris agentis, & influen„ tia eius, vndè ſi voluntas humana ac„ tionem aliquam poſſet producere, cu„ ius Author Deus non eſſet, voluntas „ humana rationem primi principij habe„ ret. *Et infra* Sequeretur ſi actiones pec„ cati à Deo non ſunt, quòd aliquod ens „ eſſentiam habens à Deo non eſſet, & „ ita Deus non eſſet vniverſalis cauſa „ omnium entium, quod eſt contra per„ fectionem primi entis.

9 Ex his formatur ratio. Quælibet humana operatio eſt per participationem, non minus quàm potentia, & virtus productiva; ſed potentia, & virtus productiva, vtpote ens participatum neceſſariò eſt á primo ente, & à Deo tanquàm à prima cauſa omnium entium; ergo pari titulo eiuſdem potentiæ, & virtutis operatio. Secundò. Si entitas operationis defectuoſæ non eſſet à Deo tanquàm à prima cauſa daretur duplex primum principium, vnum bonorum, & alind malorum, quod eſt Manichæorum error; ergo entitas operationis defectuoſæ eſt à Deo tanquam á prima cauſa omnium entium. Sequela probatur. Illud eſt primum principium alicuius entis, quod non indiget influentia prioris agentis; ſed ſi Deus non concurreret cum voluntate creata ad entitatem peccati, volũtas creata non indigeret influentia prioris agẽtis; ergo eſſet primũ principium illius entis.

10 Si autem cum Durando reſpondeas negando ſequelam, quia operatio illa eſſet à voluntate creata non habẽte eſſe à ſe, ſed ab alio. Contra inſurgit D. Thomas loco citato. Primò, quia quod non habet eſſe à ſe, á ſe agere nõ poteſt; ſi ergo voluntas creata non habet eſſe à ſe, á ſe agere non poteſt. Secundó. Quiá eſtò hoc probaret voluntatem creatam non eſſe primum principium ſimpliciter, vt minimùm probaret voluntatem creatam eſſe primum agens, quoniam actio reduceretur in voluntatem creatam tanquam in primum principium influens in illam, & non in Deum; at non minus eſt contra naturam voluntatis creatæ, & contra perfectionem Dei, eſſe primum principium agens, quàm eſſe primum principium ſimpliciter; ergo Deus eſt prima cauſa talis actionis.

11 Occurrit Thomaſinus loco citato ex varia eruditione Patrũ probans eſſatum illud: *Quidquid eſt, in quantum eſt, bonum eſt, & à Deo eſt.* Ad naturas, ſive ſubſtantias pertinere, non ad actiones; quod cap. 6. oſtendere conatur ex Græcis Patribus. Et c. 7. idem probat ex Auguſtino lib. 7. Confeſſ. c. 16. vbi ait: *Ergo quæcumque ſunt, bona ſunt, malumque illud, quod quærebam vnde eſſet, non eſt ſubſtantia, quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet, itaq; vidi, quia omnia bona tu feciſti, & prorſus nullæ ſubſtantiæ ſunt, quas tu nõ feciſti.* Et infra *Quæſivi quid eſſet iniquitas, & non inveni eſſe ſubſtantiam, ſed à ſumma ſubſtantia te Deo, detortam in infima voluntatis perverſitatem.* Item. *Dixiſti miki voce fortì in aurem interiorem, quod omnes naturas, atque ſubſtantias, quæ non ſunt, quod tu es, tu feciſti; & hoc ſolùm à te non eſt, quod non eſt.*

12 Et lib. 2. de lib. arb cap. vlt. *Omnem autem bonum ex Deo, nulla ergo natura, quæ non ſit ex Deo. Motus autem ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectivus eſt (omnis autẽ defectus*

ex

ex nihilo eſt) vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. Et epiſt. 106. *Quamvis peccata non fecerit, naturas tamen ipſas, quæ per ſe ipſas ſine dubio bonæ ſunt.*. *Quis niſi Deus creavit?* ac lib. 12. de Civit. Dei, cap. 5. *Naturæ igitur omnes, quoniam ſunt bonæ ſunt, &c. Deus, qui ſummè eſt, atque ob hoc ab illo facta eſt omnis eſſentia, quæ non eſt ſummè, nec vllorum vitiorum offenſione vituperandus.* Tandem *de natura boni*, cap. 28 *Cum autem audimus, omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo: omnes vtique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter ſunt: neque enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturam non ſervant, ſed vitiant.* Denique relictis alijs, quæ præfatus Author prolixè ſatis adducit, ſic loquitur in Pſalm. 68. *Naturæ ipſæ ſubſtantiæ dicuntur: Deus eſt quædam ſubſtantia, nam quod nulla ſubſtantia eſt, nihil omninò eſt, &c. Per iniquitatem homo lapſus eſt à ſubſtantia, in qua factus eſt, &c. Naturæ omnes per ipſum factæ ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt, quia iniquitas facta non eſt. Subſtantiæ illæ per eum factæ ſunt, quæ laudant eum.*. *Vitia ex nobis, & ex noſtra voluntate habemus, & vitia non ſunt ſubſtantia.* Ex quibus omnibus colligit omnes, & ſolas ſubſtantias, ac naturas eſſe á Deo, non operationes vitioſas, quæ ſubſtantiæ non ſunt.

13 Sed cum hæc prædictus Author prolixo ſermone dixerit toto cap. 7. progreditur ad cap. 8. & ait: Ex Anſelmo, & Auguſtino demonſtratur, vt ad actiones quoque pertineat illud, *quæcumque ſunt, qua ſunt, bona ſunt, & à Deo ſunt.* Ubi conſequentiam in hoc Authore deſiderabis, niſi ex Auguſtino, alijſque Patribus vtramque contradictionis partem demonſtrare contendat, quod ſine eorum iniuria dici non poteſt. Ad teſtimonia autem allegata vno verbo reſpondeo ex eis clariſsimè noſtram firmari ſententiam, quoniam nomine ſubſtantiæ entitatem materialem Auguſtinus intelligit, per quod diſtinguitur à deformitate, quam ſæpé repetit eſſe nihil, non eſſe factam, eſſe privationem, &c. At ſubſtantias omnes conſtantiſsimè docet eſſe ex Deo; ergo ex Auguſtini manifeſta doctrina entitas phiſica peccati eſt ex Deo, eſtó privatio debitæ rectitudinis, in qua deformitatem conſtituit, & infra ex Anſelmo confirmabimus, ex Deo non ſit.

14 Ideó alij præſertim in publicis diſputationibus dixerunt non ſequi ex dictis voluntatem humanam eſſe primam cauſam, ſed vnicam entitatis peccati, quia vt eſſet prima cauſa per ſe, deberet alias cauſas inferiores ſibi ſubordinare, qua ratione Deus eſt prima cauſa per ſe operationis honeſtæ, quatenús cauſas ſecundas ſibi in operando ſubordinat; attamen voluntas creata alias cauſas inferiores non habet, quas ſibi ſubordinare poſsit, ideóque non eſt cauſa per ſe prima, ſed vnica.

15 Sed hæc ſolutio aperté incidit in ſententiam Durandi, quam acri cenſura communiter Authores repellunt. Si enim Durando concedas voluntatem creatam ſe ſola influere in operationem non concurrente Deo, parùm curabit, an voluntas creata dicenda ſit cauſa prima, vel vnica; immò denominationem cauſæ primæ in voluntate creata non admittit, ſed potius docet eſſe ſecundam, eo quod habeat ſuum eſſe à cauſa prima; at iuxta ſolutionem datam voluntas creata nullo pacto eſt cauſa ſecunda ad entitatem peccati; ergo non ſolùm devorat inconveniens allegatum contra Durandum, ſed longe gravius.

16 Secundó. Abſurda allegata ex Anſelmo, & Thoma, eſt, quod ſit aliquod ens creatum, & non á primo ente: quod voluntas creata operari poſsit ſine influentia prioris agentis, & alia huiuſmodi; ſed hæc omnia vera ſunt ſi voluntas creata eſt cauſa vnica; ergo. Tertiò. Longè dignius eſt eſſe cauſam vnicam, quàm primam, quarè potentia Dei magis reſplendet cæteris paribus in formatione primi Parentis, in creatione Angelorum, animæ rationalis, alijſque effectibus, quos ſe ſolo producit; quàm in generatione aliorum hominum, cæterorumque effectuum, quos medijs alijs cauſis producit; ergo ſi voluntas creata eſt cauſa vnica entitatis peccati, potiori titulo erit cauſa prima.

17 Quartò. Si voluntas creata eo ſolo titulo non dicitur cauſa prima, quia

non refertur ad alias cauſas ſecundas ; ergo nec Deus dici poterit cauſa prima in ordine ad effectus, quos ſe ſolo producit ; quare non erit cauſa prima Angelorum, & ſimilium. Denique. Manichei adſtruentes duo prima principia non aliud re ipſa deſiderabant, quàm vnum ad bonum ; aliud autem ad mala, quod quidem mala produceret independenter ab alio principio effectus boni ; hoc autem re ipſa concedividetur ex ſolutione data ; non ergo ſubſtinenda eſt.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

18 DICENDUM Secundó diſtinguendam eſſe in peccato actuali entitatem phiſicam á deformitate, ideòque Deum vt cauſam per ſe producere entitatem, non deformitatem. Ita expreſsè tradit hanc concluſionem noſter Anſelmus, vt de illius ſententia nulla ſupereſſe poſsit dubitandi ratio. Nam lib. de Concordia, cap. 1. ait : *Omnis quippè qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet eſſentiam, à Deo eſt, à quo eſt omnis iuſtitia, & nulla iniuſtitia. Facit igitur Deus omnia, quæ iuſta, vel iniuſta voluntate fiunt, ideſt, bona opera, & mala ; in bonis quidem facit, quod ſunt, & quod bona ſunt ; in malis verò facit, quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.*

19 Et cap. 20. de caſu diaboli. *In quantum enim voluntas, & converſio, ſive motus voluntatis eſt aliquid, bonum eſt, & Dei eſt ; in quantum verò iuſtitia caret, ſine qua eſſe non debet, non ſimpliciter malum, ſed aliquid malum eſt ; & quod malum eſt, non Dei, ſed volentis, ſive moventis voluntatem.*

20 Eandem doctrinam diſſertis verbis confirmat D. Thomas in 2. diſt. 37. quæſt. 2. a. 2. in corpore, vbi ait : *Et ideò cum prima opinione dicendum eſt, quod actus, in quantum actus à Deo eſt, & vt ſic non habet aliquid, quod deformitatem habeat.* Et ad 5. ait : *Dicendum, quod ſicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum eſt actio bonitate naturæ, non propter hoc, quod aliquando inveniatur ſeparata à deformitate, ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat ; ita etiam Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis, in quantum eſt actio, & non in quantum eſt deformis*, &c.

21 Prima ratio Anſelmi, & Ang. Mag. deſumpta eſt ex ratione entis participati, quæ propterea eſſe debet á ſumma eſſentia, & primo ente, vt dictum eſt §. antecedenti, nec oportet repetere. Secundam rationem tradit dicto cap. 20. de caſu diaboli, vbi opponenti Diſcipulo actiones pravæ voluntatis non eſſe à Deo : ſic reſpondet Anſelmus. *Quid mirum ſi dicimus Deum facere ſingulas actiones, quæ fiunt mala voluntate, cum fatemur eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt iniuſta voluntate, & inhoneſta actione.*

22 Ex his formatur ratio. Deus eſt vera, & propria cauſa per ſe effectus producti media actione phiſica, quæ defectuoſa eſt ; ergo eſt vera, & propria cauſa per ſe talis actionis phiſicæ. Antecedens conſtat ex Anſelmo allegato, & manifeſtè convincitur, quoniam negari non poteſt hominem productum ex inhoneſto concubitu exiſtere in rerum natura ex voluntate Dei, totumque ſuum eſſe refundendum eſſe in Deum tanquam in primam cauſam, cui propterea grates rependere debet, non minus ac alij. Conſequentia autem probatur. Nemo poteſt eſſe vera, & propria cauſa per ſe alicuius effectus, niſi cauſa per ſe actionis, per quam producitur ; at effectus ille producitur ab actione phiſica in eſſe talis ; hoc enim modo, & non ſecundùm deformitatem eſt cauſalitas cauſæ ad producendum effectum ; ergo Deus eſt vera cauſa per ſe illius actionis phiſicæ.

23 Vtitur etiam hac ratione D. Thomas loco citato. ibi. *Quidquid non eſt cauſa operationis, per quam aliqua ſubſtantia in eſſe producitur, non eſt cauſa illius ſubſtantiæ ; ſed per aliquam actionem peccati ſubſtantiæ quædam in eſſe producuntur, ſicut per adulteria, & fornicationes homines generantur ; ſi ergo harum actionum Deus cauſa non eſt in quantum actiones ſunt, nec hominum, qui per ipſas generantur, cauſa eſt, quod eſt abſurdum.*

Dices

24 Dices Deum eſſe cauſam per ſe operationis externæ, & conſequenter effectus, ſed ſuppoſita voluntate interna, quæ intrinſecè mala. Sed contra. Nam operatio externa veré mala, & prohibita eſt; ergo iam Deus poteſt eſſe cauſa per ſe entitatis operationis malæ, & prohibitæ; ergo concurſus Dei præſcindere poteſt entitatem à deformitate; quo poſito non video cur idem contingere non poſſit in operatione interna voluntatis.

(o)

Altera ratio erecta ex Anſelmo.

§. IV.

25 TERTIA Ratio ſumitur ex S. Anſelmo de caſu Diaboli cap. 19. vbi „ ait: Si velle ſimilem Deo eſſe malum „ eſſet, Filius Dei non vellet ſimilis eſſe „ Patri: aut ſi velle quaslibet infimas vo„ luptates eſſet malum, mala diceretur „ voluntas brutorum animalium Sed nec „ voluntas Filij Dei eſt mala, quia eſt iuſ„ ta: nec voluntas irrationalis mala dici„ tur, quia non eſt iniuſta. Undè ſequi„ tur nullam voluntatem eſſe malam, ſed „ eſſe bonam, in quantum eſt, quia opus „ Dei eſt; nec niſi in quantum eſt iniuſta, „ malam eſſe. Et quoniam nulla res ma„ la dicitur, niſi mala voluntas, aut prop„ ter malam voluntatem, vt malus ho„ mo, & mala actio; nihil eſt apertius, „ quàm nullam rem eſſe malam, nec „ aliud eſſe malum, quàm abſentiam iuſ„ titiæ derelictæ in voluntate, aut in ali„ qua re propter malam voluntatem.

26 Hæc ratio proponi poteſt ſub hac diſſerendi formula. Nulla eſt operatio, quantumvis prava, quæ ex conditione naturæ, ſivé actualitatis phiſicæ mala ſit; ergo nulla eſt operatio quantumvis prava, quæ eſſe non poſsit à Deo tanquam á cauſa per ſe, & non per accidens. Antecedens probatur. Si aliqua operatio ex ſua actualitate phiſica mala eſſet, maximè illa, qua Lucifer voluit eſſe ſimilis Deo; ſed hæc non; ergo nulla. Minor conſtat ex Anſelmo allegato. Et vlterius probatur. Operatio illa eactenus eſt mala, quatenus importat abſentiam iuſtitiæ, ſivé rectitudinis debitæ; at non importat carentiam rectitudinis debitæ ex ſua actualitate phiſica; alioquin Filius Dei velle non poſſet ſimilitudinem cum Patre; ergo talis actus ex ſuo genere, ſivé entitate phiſica malus non eſt.

27 Secundó. Actus ille in tantum eſt malus, in quantum importat carentiam rectitudinis debitæ; ſed ſolùm proùt eſt à voluntate creata, & non ſecundùm ſuam entitatem naturalem importat carentiam rectitudinis debitæ; ergo ſecundùm ſuam entitatem naturalem eſſe poteſt à Deo vt à cauſa per ſe. Tertiò. Nulla eſt operatio quantumvis prava, quæ excuſari non poſsit á culpa, vt patet in exemplo allegato de appetitu boni purè delectabilis, qui in Brutis animalibus nullam continet moralem malitiam, & ſæpè in homine ex defectu libertatis, aut advertentiæ, aut ex ignorantia invincibili, aut alio titulo. Item. Plures ſunt actiones dumtaxàt pravæ ex circunſtantia contingenter adiuncta, vt patet in eleemoſyna ex inani gloria; ergo entitas earum actionum intrinſecè invariata poteſt excuſari á malitia; immò & induere bonitatem; ſed ad entitatem earum actionum Deus concurrit vt cauſa verè, & per ſe effectiva, & non tantúm permiſsiva; ergo ſimili concurſu concurrere poterit ad eandem entitatem etiam concurrente deformitate ex voluntate creata. Patet conſequentia, quia entitas illius actionis ſemper eſt eadem; ergo ſemper debet eundem terminare concurſum.

28 Urgetur. Talis entitas depurata à malitia pendet eſſentialiter à Deo tanquam à primo ente, & prima cauſa efficiente; ſed talis dependentia manet in conſortio malitiæ; ergo talis entitas adhùc in ſenſu compoſito eſt eſſentialiter, vt á prima cauſa efficiente. Probo minorem. Implicat manere eandem entitatem, & non manere eandem dependentiam eſſentialem, alioquin variaretur eſſentialis dependentia non variata eſſentia rei dependentis, quod repugnat; ergo.

29 Utitur etiam hac ratione D. Thomas loco citato in argum. *Sed contra.* Per hæc verba: *Omne bonum à Deo eſt; ſed quædam peccata ſunt, quæ habent malitiam ex aliqua circunſtantia ſuperveniente, & tamen actus ſunt boni ex genere, vt dare eleemoſynam propter inanem gloriam; ergo horum, in quantum ſunt actus quidam, Deus cauſa eſt.*

30 Reſ-

30 Reſpondebis non eſſe ſimile eo, quod actiones ſunt malæ dumtaxât extrinſecè, idcircò eſſe poſſunt à Deo per ſe influente, & non ſolùm permiſivè concurrente; quod tamen eſſe non poteſt in ordine ad actiones intrinſecè pravas propter oppoſitam rationem. Sed contra. Primó. Quia non minus inſeparabilis eſt deformitas hic & nunc in individuo ab hac actione prava ex circunſtantia extrinſeca, quám ab actione mala; & tamen concurſus divinus poteſt eſſe præciſivus concurrendo ad entitatem, & non ad deformitatem; ergo pariter in actione intrinſecè mala. Secundò. Si Deus poteſt eſſe cauſa per ſe entitatis operationes extrinſecè, & non eſſentialitèr pravæ, poterit ſimilitèr concurrere ad omnes actiones malas; quia prohibitas, cum nulla actio mala, quia prohibita, ſit eſſentialitèr mala. Tertiò. Quia nulla eſt actio ita intrinſecè mala, quæ aliquo titulo excuſari non poſsit à culpa, vt ſupra n. 27. dictum eſt; ergo nulla erit entitas operationis ita malæ, quâm Deus vt cauſa per ſe effectiva cauſare non poſsit.

31 Reſpondent igitur frequentiùs, Deum effectivè concurrere ad operationes pravas, ſed concurſu indifferenti, & generali, ac determinabili á voluntate creata, quarè voluntas creata eſt tantùm cauſa per ſe illius actus, non Deus. Sed contra. Nam quidquid ſit de hac doctrina examinanda in Commentarijs ad librum de Concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cum libero arbitrio, vbi Anſelmus hunc modum ſolvere conatur, in præſenti difficultatem non ſolvit. Primó. Quia ille concurſus indifferens præſtatur à Deo ſciente, & volente ad mendacium, v.gr. ac non tantum ad mendacij entitatem phiſicam, vt nos cum Anſelmo hucuſque diximus, ſed ad illius etiam deformitatem; ergo Deus erit vera, & propria cauſa mendacij, non modò quoad entitatem, verùm etiam quoad deformitatem.

32 Secundó. Quod concurſus Dei ſit generalis, & indifferens non impedit, ſed potius probat Deum eſſe veram, & propriam cauſam operationis pravæ; nam iuxtà Adverſarios Deus concurſu generali, & ex munere cauſæ primæ eodem modo concurrit ad operationem honeſtam, & pravam; ſed hoc non obſtante eſt vera, & propria cauſa per ſe operationis honeſtæ; ergo & operationis pravæ. Tertiò. Aut eſt contra ſanctitatem Dei concurſus effectivus in operationes turpes aut non eſt? Si non eſt. Non eſt cur negandus ſit ad entitatem. Si eſt. Multó minus admitti poteſt ad deformitatem, & turpitudinem, quamquam ſit indifferens, quia concurſu indifferenti Deus efficere non poteſt, quod ſuæ ſanctitati præiudicat.

33 Quartò. Aut deformitas peccati eſt intra ſphæram cauſalitatis divinæ, vel extra? Si intra. Erit vera, & propria cauſa per ſe illius deformitatis, ſicut quælibet potentia ſui effectus. Si extra. Ergo nec concurſu indifferenti poteſt deformitatem cauſare. Quintò. Licèt concurſus ex natura ſua ſit indifferens, tamen ab ipſo Deo efficienter modificatur, vt cum creatura concurrat ad peccatum; ergo eſt vera cauſa per ſe illius peccati. Antecedens patet, quia in genere cauſæ effectivæ modificari non poteſt á creatura. Conſequentia probatur. Quia Deus modificat ſuum concurſum vt cum cauſa neceſſaria concurrat neceſſariò, & cum libera libere; qua ratione eſt cauſa neceſſitatis, & libertatis; ergo pari titulo modificabit ſuum concurſum concurrens cum creatura turpiter operanti, eritque pari titulo vera cauſa turpitudinis.

34 Reſpondent Deum verè, & effectivè concurrere cum creatura ad operationem pravam, nihilominus dicendum non eſſe propriam cauſam per ſe talis operationis, ſed tantùm permiſsivam, quia non concurrit ex propria inclinatione, & voluntate, ſed invitus, & determinatus á creatura. Sed nec iſta ſolutio ſatis occurrit difficultati. Primò. Quia Deus ex ſe, & ex propria voluntate lege generali ſtatuit concurrere cum creatura ſecundum earum modum, & naturam; ergo quod concurrat cum cauſa neceſſaria neceſſariò cum libera liberè, cum honeſtè, aut turpiter operanti ad operationem honeſtam, vel turpem, non eſt contra, aut præter voluntatem, ſed ex ipſa voluntate divina id lege generali ſtatuente, & decernente.

35 Secundó. Quia vel concurſus ad entitatem peccati præiudicat divinę ſanctitati, vel non præiudicat? Si non præiudicat, poterit ex voluntate propria con-

cõcurrere. Si præiudicat; ergo multò magis præiudicabit concurrere invitum, quia vltra concurſum, quem dicti Authores non negant, addunt coactionem, & violentiam, quæ eſt novum imperfectionis genus. Tertiò. Concurſus ille eo ſolo titulo dici poteſt coactus, quia non eſt iuxta inclinationem Dei; ſed hoc non impedit né ſit ſimpliciter voluntarius, & ſponteneus. Nam licèt Deus ex inclinatione propria nollet eſſe peccata, ſimpliciter vult illa permittere. Eſtò Mercator vellet ex inclinatione propria conſervare merces, ſimpliciter vult illas immittere in mare imminente tempeſtate. Eſtò Deus voluntate antecedenti velit omnes ſalvos fieri, ſimpliciter vult voluntate conſequenti aliquos reprobare; ergo & ſimpliciter vult concurrere cum creatura ad operationem pravam; ergo erit vera cauſa effectiva, & non tantúm permiſsiva; ſi ergo non tantùm concurrit ad entitatem phiſicam, vt nos dicimus, ſed etiam ad deformitatem, vt aſſerunt præfati Authores, erit vera cauſa per ſe non ſolùm entitatis, ſed etiam deformitatis.

36 Quartó. Si eo ſolo titulo talis concurſus dicitur coactus, quia concurrit ex munere cauſæ primæ ad ſalvandam libertatem creaturæ, ideòque Deus non dicitur cauſa per ſe peccati, etiam in noſtra ſententia concurſus ad entitatem erit coactus, ac Deus non erit cauſa per ſe deformitatis, quia etiam nos dicimus concurrere ex munere cauſæ primæ, & ad ſalvandam libertatem creaturæ. Quintò. Redeunt impugnationes factæ num. 22. Quia ſi Deus concurrit invitus, & coactus ad operationem turpem; ergo effectus in rerum natura exiſtentes ex vi talis operationis, exiſtent Deo verè invito, & coacto, ac ideó homines geniti ex actione inhoneſta exiſtent in rerum natura Deo nolente. Hoc autem dici non poteſt, & ſatis improbari videtur ex illo Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodò autem poſſet permanere, niſi tu voluiſſes?* At in ſententia oppoſita Deus verè facit peccatum ſecundùm totam entitatem, & deformitatem, & odit: effectus illius permanent in rerum natura Deo nolente, quippé qui non vult cauſam, nec quoad entitatem; ergo non ſatis cohæret cum teſtimonio allegato.

Argumentorum ſolutio.

§. V.

37 CÆTERUM Contra prædictam doctrinam opponunt primó Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 6. vbi ait: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſsive ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe adeò vt ſit proprium opus eius non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli anathema ſit*; at in noſtra ſententia ſicut Deus eſt cauſa per ſe vocationis Pauli, ita eſt cauſa per ſe proditionis Iudæ, & non tantúm permiſsiva; ergo hęc ſententia ſubſtinenda non eſt.

38 Confirmant ex pluribus Patrum teſtimonijs á nobis dubio antecedenti allegatis, quibus probatum eſt Deum non eſſe cauſam peccati, quæ propterea omittenda duxi, eo quod Lutheri, Calvini, aliorumque errorem improbant, noſtram tamen opinionem non impugnant. Ratio ibi allegata eſt, quia *peccatum* ſupponit pro formali, ac malitiam deſignat, cuius Deus eſt permiſſor, non Author, ac ideó nunquam dicendum abſolute Deum eſſe cauſam peccati, nec eſt. Et ita docet D. Thomas in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2 vbi clariſsimè docet Deum eſſe cauſam entitatis peccati, ſed addit: *Et ideò quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſivè in generali, ſivè in ſpeciali, non poteſt dici, quod à Deo ſit ſimpliciter, vnde non poteſt dici, quod peccatum ſit à Deo, vt homicidium, & aliquid huiuſmodi, niſi cum hac additione, in quantum eſt actus, & in quantum eſt ens.*

39 Ad Concilium allegatum eodem modo reſpondendum eſt. Et diſparitas conſtat ex Anſelmo cap 1. de Concord. *Facit igitur Deus bona opera, & mala; in bonis quidem facit, quod ſunt, & quod bona ſunt; in malis verò facit, quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Et retorquetur argumentum in Adverſarios, in quorum ſententia magis vrget, quoniam iuxta ipſos eodem concurſu generali indifferenti ex debito cauſæ primæ concurrit ad operationes bonas, & malas; ergo ſaltim vt cauſa prima, & generalis eodem modo

do eſt cauſa proditionis Iudæ, & vocationis Pauli.

40 Dices. Iuxta Concilium Deus non aliter eſt cauſa proditionis Iudæ, niſi permiſsivè; at in noſtra ſententia eſt cauſa per ſe influxiva, & effectiva; ergo longè maiorem actiuitatem, & influxum concedimus, quàm exigitur á Concilio. Sed in hoc immorandum non eſt, certum namque eſt loqui Concilium de operè malo, & proditione Iudæ vt tali, damnat enim Hæreticos qui blaſphemè adſtruentes Deum Authorem peccati in eſſe talis, noſque dicebant impellere ad peccandum; ad peccatum autem in eſſe talis dumtaxát concurſum permiſsivum agnoſcimus.

41 Arguitur ſecundó. Si Deus eſſet cauſa per ſe entitatis peccati, eſſet vera cauſa, & Author peccati; ergo vel hoc ſecundum eſt concedendum; vel primum negandum. Antecedens probatur. Deformitas, per quam conſtituitur formaliter peccatum, eſt intrinſecè connexa cum entitate peccati; ergo ſi Deus eſſet cauſa per ſe entitatis, eſſet pariter cauſa per ſe deformitatis. Patet conſequentia. Quia quicumque eſt cauſa alicuius entitatis eſt etiam cauſa, aut directa, aut ſaltim indirecta, illius cum quo neceſſario connectitur, & ſine quo eſſe non poteſt.

42 Secundò. Quia deformitas in odio Dei, v. gr. neceſſariò ſequitur ad entitatem; ergo ſi Deus eſt cauſa per ſe entitatis, neceſſariò cauſat deformitatem. Antecedens conſtat, quia entitas odij Dei nec de potentia Dei abſoluta eſſe poteſt ſine deformitate. Conſequentia probatur. Quicumque cauſat aliquam formam, neceſſariò cauſat, quod neceſſariò ſequitur ad formam; vnde qui cauſat animam rationalem, neceſſariò cauſat intellectum, & voluntatem, omneſque potentias, quæ ad illam neceſſariò ſequuntur. Quicumque cauſat materiam vltimo diſpoſitam, cauſat neceſſariò formam, quæ ad illam conſequitur.

43 Tertiò. Ex duobus neceſſariò connexis quicumque ſciens, & prudens eligit vnum, aliud etiam eligere neceſſariò debet; alioquin velle poſſet antecedens nolendo conſequens cum antecedenti neceſſariò connexum; ſed Deus ſciens, & prudens per nos vult entitatem odij Dei, ex qua neceſſariò infertur deformitas, eamque cauſat vt vera, & propria cauſa per ſe; ergo neceſſariò vult deformitatem, eritque vera cauſa, & Author illius.

44 Quartò. Non aliter voluntas creata eſt cauſa peccati, niſi quia vult entitatem, & cauſat, ad quam malitia cõſequitur, non enim voluntas creata intendit directè malitiam, quia nemo intendens in malum operatur; ergo ſi Deus eſt vera cauſa per ſe entitatis, quamquam deformitatem non intendat, erit cauſa per ſe deformitatis, quoniam eodem pacto, & modo concurret ad malitiam, quo concurrit voluntas creata.

45 Quintò. Ipſa formalis malitia eſt aliquid poſitivum; ſed per nos Deus eſt cauſa per ſe omnis entitatis poſitivæ; ergo Deus eſt cauſa per ſe formalis malitiæ. Si autem dicamus deformitatem peccati ſitam eſſe, non in poſitivo, ſed in carentia rectitudinis debitæ, difficultatem non effugimus. Quia quicumque eſt cauſa formæ eſt cauſa privationis, quæ ad formam conſequitur. Et ita redeunt impugnationes factæ.

46 Sextò. Quia fundamentum formale malitiæ eſt aliquid poſitivum; ergo ſi Deus eſt cauſa per ſe entitatis poſitivæ, erit cauſa per ſe fundamenti formalis malitiæ; ſed fundamentum formale malitiæ includit malitiam ſaltim fundamentalem; ergo Deus erit cauſa per ſe malitiæ fundamentalis. Immó & formalis, quę ad fundamentalem neceſſariò conſequitur. Sicut qui cauſat fundamentum formale relationis eſt vera cauſa relationis; nec relatio aliter cauſatur, niſi ponendo fundamentum formale, & proximum: vnde ignis introducens calorem in aqua eſt vera cauſa privationis frigiditatis. Ex quibus omnibus, & alijs ſimilibus deducere conantur Adverſarij Deum non eſſe cauſam per ſe entitatis peccati, nec præſcindi poſſe reſpectu cauſalitatis divinæ entitatem à malitia, ideóque docent concurrere tantùm permiſsivè, non quia effective non influat in totum actum, ſed quia influit concurſu generali permittendo creaturæ, vt eo vtatur ad malum propter libertatem arbitrij.

47 Hoc argumentum eſt ſanè difficilè, ſed quod pari, & vrgentiori titulo probat in oppoſita ſententia, vt ex dictis conſtat, ac dum pro immunitate di-

divinæ ſanctitatis laborant, eam evertunt, quandoquidem nos ad entitatem phiſicam concurſum Dei permittimus; Adverſarij tamen ad deformitatem extendunt. Pro ſolutione nota connexionem aliam cauſalem; aliam concomitantiæ. Primo modo entitas peccati non connectitur cum malitia, quia entitas eſt bona, & bonum ex natura ſua non eſt cauſa mali, nec eſſe poteſt. Secunda eſt inſeparabilitatis ſine influxu vnius in aliud. Cuius rei plura ſunt exempla. Primum adducitur à D. Thoma in claudicatione, vbi claudicatio connectitur cum motu progreſsivo, quin motus progreſsivus influat in claudicationem, quod ſatis conſtat ex eo, quod claudicatio eſt minor, cùm velocior eſt motus; & claudicatio eſt maior, cùm motus eſt tardior.

48 Secundum exemplum eſt in anima rationali, quæ in primo ſuæ creationis connectitur cum peccato originali, cum tamen anima ſit á Deo, non verò carentia, & privatio originalis iuſtitiæ. Similiter in primo exemplo anima eſt cauſa motus, non claudicationis, ſed potius per imperium voluntatis vult movere tibiam, quin propterea claudicationem intendat. Ulteriùs notandum inſeparabilitatem deformitatis ab entitate non eſt ex natura actus, nec proùt à Deo, ſed proút eſt á cauſa defectibili, vt ſuprá ex Anſelmo manifeſtè conſtat. Nec implicat duo eſſe hic, & nunc connexa, vnum tamen eſſe ab vna cauſa, & aliud ab alia, vt patet in allegatis exemplis. Et iuxtà Adverſarios ipſa viſio eſt actus vitalis, & imago obiecti; attamen eſſe actum vitalem habet à potentia, eſſe imaginem habet ab obiecto.

49 Notandum ſecundò peccatum pro formali, ſivé deformitatem in privatione rectitudinis debitæ ſitam eſſe, quod ſæpé ſæpiùs docuit S. Anſelmus: vndé non eſt à cauſa efficiente, ſed deficiente, vt etiam pluribus in locis docuit Auguſtinus. Etenim lib. 12. de Civit. Dei, cap. 7. ait: *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio: deficere namque ab eo, quod ſummè eſt ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, vt dixi, ſed deficientes, velle invenire tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium, quod tamen vtrumque nobis notum eſt, non ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione.*

50 Similiter fundamentum alicuius privationis, vel formæ, poteſt ſumi dupliciter, vel materialiter, proút ſubiectum capax, & receptivum privationis, vel formæ: & hoc modo entitas phiſica peccati eſt fundamentum deformitatis. Uel radicaliter, quatenus eſt radix inferens deformitatem, & hoc modo entitas peccati, cum bona ſit, radix eſſe non poteſt deformitatis. Sed prima radix, & remota eſt ipſum nihil, ex quo facta eſt natura: proxima eſt ipſa voluntas defectibilis.

51 Ex his ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens. Eſt intrinſecè connexa connexione cauſalitatis, & à priori, nego antecedens. Connexione materiali, & concomitantiæ, concedo antecedens. Uel aliter eſt connexa ex natura entitatis, & proùt eſt á Deo, nego antecedens; ex vitio creaturæ, ſivè proút eſt à voluntate creata, concedo antecedens. Nam entitas peccati actualis non connectitur cum deformitate vt entitas, & actus eſt, vt clariſsimè cóſtat exemplis allegatis ex Magno Anſelmo num. 25. Et priús docuerat Auguſtinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 8. his verbis: *Deficitur enim non ad mala, ſed malè, ideſt, non ad malas naturas, ſed ideò malè, quia contra ordinem naturarum ab eo, quod ſummè eſt ad id, quod minus eſt. Neque enim auri vitium eſt avaritia, ſed homines perversè amantes aurum iuſtitia derelicta;* eſt ergo malitia avaritiæ non in amore auri, qui poſſet ex natura ſua eſſe bonus, ſed in derelicta iuſtitia, ſivè in privatione iuſtitiæ. Undè ad vltimam probationem dico cauſam alicuius eſſe pariter alterius connexi, ſi connexio ſit formalis, & cauſalitatis, non tamen ſi ſit materialis, & puræ concomitantiæ. Ut conſtat exemplis ſuprá allegatis.

52 Ad ſecundum diſtinguo ſimiliter antecedens. Deformitas odij Dei ſequitur ad entitatem proùt eſt à Deo, ex natura entitatis, & ſequela cauſalitatis, nego antecedens. Proùt eſt á creatura defectibili, concedo antecedens. Nec oppoſitum evincitur exemplo animæ, ad quam ſequuntur potentiæ, quia potentiæ ſequuntur ex anima tanquam ex radice, & ra-

ratione à priori inferente ex ſua natura potentias.

53 Ad tertium diſtinguo eodem modo maiorem. Ex duobus connexis eligens vnum debet aliud eligere, ſi ſint connexa ex eligente primum, ſivè ex natura rei electæ. Concedo maiorem. Si ita connexa non ſint. Nego maiorem. Nam deformitas non ſequitur neceſſariò ex entitate, quæ bona eſt; nec ex Deo eligente entitatem, qui ſummè bonus eſt, ſed ex voluntate creata deficiente. Nam quod entitas illa ſit defectuoſa non eſt ex Deo, ſed potius á creatura recedens à recta norma Legis divinæ; vt eleganter exponit D. Thomas 1.2.q.79.art. 1 ad 3. ibi: *Effectus cauſæ mediæ procedens ab ea ſecundum, quod ſubditur ordini cauſæ primæ, reducitur etiam in cauſam primam. Sed ſi procedat à cauſa media ſecundùm quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam. Sicut ſi Miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, ſicut in cauſam. Et ſimiliter peccatum, quod liberum arbitrium commiſit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum ſicut in cauſam.*

54 Ad quartum diſtinguo antecedens. Quia vult entitatem, ad quam ſequitur malitia ex modo operandi ipſius voluntatis, concedo antecedens. Aliter, nego antecedens. Etenim voluntas creata, vtpotè defectibilis, elicit actum defectibiliter, & contra regulas moris. Vt etiam optimè exponit D. Thomas loco citato, art. 2. per hæc verba: *Peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu, ſicut ſtatua nominat lignum cum quadam figura, & claudicatio nominat motum cum quadam obliquitate: defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſcilicèt, libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis. Undè defectus iſte non reducitur in Deum, ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium, ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, non autem in virtutem motivam, à qua tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione, & ſecundùm hoc Deus eſt cauſa actus peccati, non tamen eſt cauſa peccati, quia non eſt cauſa huius, quod actus ſit cum defectu.*

55 Ad quintum nego deformitatem ſitam eſſe in aliquo poſitivo. Id enim contradicit Auguſtino, Anſelmo, & Thomæ, vt ex locis allegatis conſtat. Et alibi millies repetunt. Inquit enim Auguſt. lib. 1. contra Julian. cap. 8. de peccato: *Et hoc non eſt aliquid, quoniam nihil eſt, &c.* Et lib. de Perfect. Iuſtitiæ, cap. 2. quærenti an peccatum ſit aliqua res? Sic reſpondet: *Reſpondemus peccatum quidem actum dici, & eſſe, non rem, &c.* Anſelmus pariter ſæpiſsimè repetit peccatum eſſe privationem, eſſe privationem iuſtitiæ, eſſe nihil. Quibus ſuffragatur Doctor Angelic. quorum teſtimonia, vtpotè omnibus obvia, omittenda duxi. Quapropter ab hac ſententia recedere non poſſumus. Nec in oppoſita facilè occurri poteſt argumento.

56 Ad id, quod additur de eo, qui eſt cauſa formæ, atque adeó debet cauſare privationem ſubſecutam ad formam ex dictis ſatis conſtat. Quoniam Deus non eſt cauſa entitatis vt illativæ privationis; nec entitas ex genere ſuo illam infert, ſed ex vitio voluntatis creatæ. Ex quibus occurri poteſt ad ſextam. Nam Deus non eſt cauſa actus peccati vt eſt fundamentum formale malitiæ, quia actus vt fundamentum formale malitiæ importat ipſam malitiam, eſt enim conſtitutum in eſſe moris, & in genere mali, vt inquit argumentum; ergo per ipſam malitiam, vel formaliter, vel de connotato: vnde non oportet hoc modo terminare cauſalitatem divinam, quia ad extenſionem, & amplitudinem divinæ cauſalitatis ſatis eſt, ſi omnem entitatem producat, nec opus eſt vt producat ſub omni reduplicatione noſtra.

57 Ad exempla ibi allegata iam conſtat, quoniam arguitur à fundamento per modum ſubiecti ad fundamentum per modum radicis, & cauſæ; malitia autem, ſivè privatio rectitudinis debitæ non ſequitur ex fundamento tanquam ex cauſa, ſed ponitur poſito fundamento à voluntate deficiente, cuius rei eſt ſatis idonea ſimilitudo in horologio gnomico, in ordinatiſsimè percurrente cauſatur vmbra & privatio lucis, non quidem à ſole, qui cùm luminoſus ſit, privationem lucis cauſare non poteſt, ſed à ferro, vel alio corpore opaco interpoſito, quod tamen corpus opacum non inducit privationem lucis ſine ſole: ſic ſine Deo generalem præbente concurſum non eſſet privatio rectitudinis debitæ, non tamen à Deo, ſed à libero, ferreoque arbitrio; & ſicut ineptiſsimè privatio lucis attribueretur ſoli

torum mundum illuminanti, & cursum suum rectissimè peragenti, ita privatio rectitudinis debitę ineptè attribuitur Deo omnia rectissimè gubernanti.

58 Sed contra hanc doctrinam oppones. Voluntas creata nequit ponere entitatem peccati, quin sit causa deformitatis; ergo nec Deus, si est causa per se talis entitatis. Antecedens constat, & consequentia probatur. Deus non aliter concurrit ad entitatem, nisi quatenùs eggreditur à voluntate creata, quia non ponitur à solo Deo, sed à Deo concurrente cum voluntate creata; sed á voluntate creata poni non potest, quin sit causa deformitatis; ergo nec à Deo. Secundó. Deus non concurrit ad entitatem odij Dei vt est actus in genere, sed vt est actus determinatus per malitiam; ergo implicat per se concurrere ad entitatem, & non ad malitiam.

59 Vlterius. Si Deus concurreret ad peccatum suadendo, & consulendo, profectò esset vera causa peccati; ergo & potiori titulo, si concurrit per se vt causa phisica ad entitatem. Patet consequentia, quoniam minus præcisiva est causa phisica, quàm moralis. Prætereà. Si entitas illa actus odij Dei bona est, & causabilis à Deo, à creatura peti, & desiderari posset; sed hoc dici non potest, alioquin creatura posset illam honestè ponere in rerum natura; ergo nullam bonitatem habet causabilem à Deo tanquàm à causa per se, sed solúm tanquàm à permittente.

60 Ad primum, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem, distinguo maiorem, nisi quatenus eggreditur à voluntate creata vt efficiente, concedo maiorem. Vt deficiente, nego maiorem. Et concessa minori, nego consequentiam. Nam voluntas creata ad actum in esse actus effectivè concurrit; ad deformitatem verò defectivè, & hoc in causam primam non reducitur, vt dictum est ex D. Thoma n. 53. Ad secundum similiter dico Deum concurrere ad entitatem odij quatenùs est determinata determinatione entitatis, & actus, non determinatione malitiæ, quia hæc determinatio non sequitur ex natura actus, nec ad entitatem prout est à Deo.

61 Ad aliam impugnationẽ, concesso antecedenti, nego consequentiam. Nã concursus causæ phisicæ est concursus causę generalis ad generalem rationẽ entis, quæ est terminus suæ causalitatis, ideòque potest negativè se habere in ordinem ad privationem rectitudinis superadditam à causa secunda deficienti. Attamen concursus causæ suadentis, consiliantis, aut imperantis, est concursus causæ specialis ad aliqnam determinatam speciem actus, per quam creatura dirigitur à Deo in finem honestum secundùm regulas motis, vndè si consuleret, aut imperaret aliquam operationem turpem, esset vera causa specialis illius turpitudinis. Et certè in oppositа sententia Deus saltim concursu indifferenti effectivè concurrit, non modò ad entitatem, sed etiam ad deformitatem; & tamen nequit illam consulere, & imperare; ergo in omnium sententia assignanda est disparitas.

62 Ad vltimam impugnationem, nego sequelam. Quam optimè expendit Magnus Anselmus in hoc lib. de Voluntate Dei, cap. 4. quia *tunc tantùm est bona voluntas humana, quando vult illud quod Deus vult illam velle*: vndè Deus vult mortem Patris mei, quam ego iustissimè nolo, eo quod Deus tametsi illam velit, non tamen vult me illam velle. Deus autem vult entitatem peccati, non tamen vult me eam velle, quia à me poni non potest sine concursu in deformitatem. Alia plura opponi possunt, quæ tract. de Concordia propriam sedem habent, quia non tám concursum Dei efficientem, quàm prædeterminantem impugnant, qui qualiter exponendus sit, ibi operosius expendemus.

TRACTATVS V.

DE

DIVINÆ VOLVNTATIS affectibus.

EXPLORATIS *Omnibus, quæ ad naturam, obiectum, libertatem, cæteraſque divinæ voluntatis perfectionibus attinent, ſupereſt vt illius explicemus affectus, numerantur enim commnniter inter voluntatis actus amor, gaudium, deſiderium, ſpes, odium, timor, zelus, triſtitia, ſpes, ira, & alij. Gaudium eſt circa bonum poſſeſſum; deſiderium circa bonum abſens; amor ex modo tendendi ab vtroque negativè præſcindit; ſpes eſt circa bonum arduum futurum; odium, ſive inimicitiæ, ſive abominationis ſemper terminatur ad malum. Timor eſt de malo proprio vt futuro; triſtitia de eodem malo vt præſenti. Zelus importat amorem intenſum ſuæ gloriæ, vi cuius repellit contrarium. Ira eſt appetitus mali alterius ad vindictam. Inſuper delectationem, & gaudium eſſe in Deo erga ſe ipſum certiſsimum eſt: aliquas autem ex prædictis affectionibus locum in Deo non habere nemo dubitat. De alijs eſt dubitandi ratio, quam in præſenti tractatu expendere curabimus.*

DV-

DVBIVM I.

An in Deo ſit amor ſpecialis erga ſe ipſum?

§. I.

1 BONUM quod eſt voluntatis obiectum, poteſt conſiderari in triplici ſtatu. Primò, ſecundùm ſe, ſive ſecundùm ſua prædicata eſſentialia. Secundò, vt poſſeſſum. Tertiò vt abſens. Primo modo terminat amorem ſtrictè dictum: ſecundo gaudium: tertiò deſiderium. Cum ergo divina bonitas ſit Deo neceſſariò præſens, dubium inſurgit, an amare ſe ipſum poſsit amore ſpeciali, & ſtricto.

2 Prima ſententia eſt affirmativa, & communis inter Theologos, non ſolùm hanc ſententiam tuentes, ſed contrariam acri cenſura criminantes, Nihilominus oppoſitam, & negativam tuetur P. Herize, diſp. 13. cap. 6. P. Arrubal 1. p. quæſt. 20. Albiz, tract. 2. de voluutate Dei, diſp. 4. ſect. 3. Gabriel in 3. diſt. 26. vbi alios allegat.

Communis ſententia eligitur.

§. II.

2 DICENDUM Deum ſuam bonitatem amare amore ſpeciali, & ſtrictè dicto. Conſtat ex Magno Anſelmo in Monol. cap. 49. vbi ait: *Quam enim abſurdè negatur ſummus Spiritus ſe amare, ſicut ſui memor eſt, & ſe intelligit.* & infra. *Amat ergo ſe ipſum ſummus Spiritus, ſicut ſui meminit, & ſe intelligit.* Et cap. ſequenti probat non ideó ſe intelligere, quia ſe amat, *ſed ideo ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit.* Quod ibi, & in ſequentibus ſæpè repetit.

3 Utitur eadem ratione Ang. Doctor. Nam 1. p. quæſt. 19. a. 1. probat, & nos cum ipſo dub. 1. huius tract. in Deo eſſe voluntatem, quia in Deo eſt intellectus; & quæſt. 20. a. 1. probat ex voluntate amorem his verbis: *Dicendum, quod neceſſe eſt ponere amorem in Deo: primus enim motus voluntatis eſt amor; vndè in quocumque eſt voluntas oportet eſſe amorem; remoto enim primo, removentur alia. Oſtenſum eſt autem in Deo eſſe voluntatem, vndè neceſſe eſt in eo ponere amorem.*

4 Reſpondet Pater Herize ex his probari in Deo amorem ſtrictè dictum, non tamen erga ſe ipſum. Nam ratio Divi Thomæ eò tendit, vt potentia appetitiva prius appetat bonum commune, quàm particulare, ſicut cognoſcitiva prius attingit verum in communi, quàm in particulari; ſed ſicut ex hoc non probatur cognitio aliqua erga ſe ipſum, quæ viſionis non ſit, ita non probatur amor, qui non ſit vera delectatio, & gaudium.

5 Sed contra. Primò, quia Anſelmus expreſsè loquitur de amore ſui, & docet abſurdè negari ſe amare, ſicut ſe intelligit. Secundò, quia Divus Thomas probat gaudium ex amore, quatenus amor eſt primus motus voluntatis, quia ſicut *nullus deſiderat aliquid, niſi bonum amatum, neque aliquis gaudet, niſi de bono amato*; at gaudium eſt in Deo erga ſe ipſum; ergo & amor erga ſe ipſum.

6 Reſpondet in Deo eſſe quidem amorem erga ſe ipſum, ſed indiſtinctum á gaudio, non tamen amorem ſpecialiter dictum á gaudio diſtinctum, de quo in præſenti. Sed contra. Nam Divus Thomas probat gaudium ex amore tanquam ex ratione à priori; ergo ponit amo-

rem à gaudio diſtinctum. Clarius 1. contra Gent. ibi enim cap. 90. in Deo eſſe gaudium ſui, & aliorum. Poſteà cap. 91. inquirit. *Vtrùm ſimiliter ſit amor?* Et reſpondet affirmativè; ergo loquitur de amore diſtincto à gaudio, alioquin probato gaudio, inutiliter inſtitueret aliam controverſiam de amore.

7 Probatur alia ratione Anſelmi ſæpè in ſuperioribus allegata. In Deo ponenda eſt omnis perfectio ſimpliciter ſimplex; ita eſt amor ſpecialis, & ſtrictus; ergo ponendus eſt in Deo. Minor probatur. Perfectio ſimplex, & pura iuxta Anſelmum eſt *melior ipſa, quàm non ipſa, ſive quàm omne incompoſſibile cum ipſa*; ſed ita eſt amor ſpecialis, & ſtrictus; ergo eſt perfectio ſimplex, & pura. Minor probatur. Quoniam amor ſtrictè dictus non eſt incompoſsibilis cum gaudio, ſed potius vnum probatur ex alio, quia nemo gaudet, niſi de bono amato; ergo amor ſtrictè dictus eſt perfectio, & non incompoſsibilis cum alia perfectione.

8 Confirmatur. Amor ſtrictè dictus eſt actus voluntatis tendens in bonum ſecundùm rationem boni; at in Deo datur actus voluntatis tendens in ſuam bonitatem ſecundùm propriam rationem bonitatis; ergo & amor ſtrictè dictus. Minor probatur. Bonitas divina eſt ab ipſo Deo amabilis, non ſolùm vt poſſeſſa, ſed etiam ſecundùm rationem bonitatis, ſicut etiam eſſentia divina eſt cognoſcibilis ſecundùm ſe, & ſimul cum attributis, vndè Divus Thomas 1. p. quæſt. 14. probat in Deo eſſe intelligentiam, quæ tendit ad eſſentiam ſecundùm ſe, ſive vt eſt ratio à priori attributorum, quo ſenſu non attingit formaliter, & expreſsè attributa: & rurſus ponit ſcientiam ſpeculativam: ibi: *Deus habet de ſe ſcientiam ſpeculativam*, quæ ex eſſentia attingit attributa; ergo ponendus eſt in Deo amor ſtrictus tendens in bonitatem ſecundùm ſe, & vlterius gaudium tendens ex amore bonitatis ad eandem bonitatem vt poſſeſſam.

9 Reſpondet Pater Herize amorem ſtrictum præſcindere à poſſeſsione, quod arguit maximam imperfectionem in Deo, ideóque non admittendus. Sed contra. Amor præſcindens à poſſeſsione ex ſolo modo tendendi in obiectum nullo iure repugnat Deo; ſed hoc ſatis eſt ad amorem ſtrictum diſtinctum à gaudio; ergo Deo nullo iure repugnat. Maior conſtat. Nam amor præſcindens à poſſeſsione ex ſolo modo tendendi, & non ex parte rei amatæ, fœderatur cum abſoluta poſſeſsione; ſed amor fœderatus cum poſſeſsione non repugnat; ergo. Minor autem principalis probatur. Sola diverſitas in modo tendendi ſatis eſt ad diverſitatem vtriuſque actus amoris, & gaudij, vt patet in amore ſimplicis benevolentiæ, & efficaci, qui idem reſpiciunt obiectum cum ſola diverſitate in modo tendendi, quatenus primus tendit in bonum cum affectu re ipſa ponendi, non ſecundus. Quod idem patet in actu ſpei, & deſiderij, & ſimilibus; ergo.

10 Explicatur hæc ratio. Licèt obiectum ſit intimè poſſeſſum adhuc habet ſufficientem diverſitatem ad ſpecificandum amorem diſtinctum à gaudio; ſed hoc ipſo ponendus eſt in Deo; ergo. Probo minorem. Non implicat bonitatem divinam intimè poſſeſſam attingi, & vt bonam, & vt poſſeſſam; vt patet in exemplo allegato intelligentiæ, ſive luminis principiorum, & luminis ſcientiæ, nam eſſentia divina intimè coniuncta cum attributis attingitur á lumine ſcientiæ vt coniuncta, & à lumine principiorum ipſa eſſentia coniuncta, non vt coniuncta, quod ſatis eſt ad diverſitatem vtriuſque luminis; ergo & amore ſtricto attingi poterit bonitas divina poſſeſſa, & à gaudio vt poſſeſſa, quod pari titulo ſatis erit ad diverſitatem.

11 Confirmatur. Verum eſt intimè coniunctum cum bono, & tamen verum attingitur ab intellectu, bonum à voluntate; ergo etſi bonitas divina neceſſariò ſit coniuncta cum poſſeſsione, poterit attingi ab amo-

re ſtricto, & à gaudio. Secundó. Quamquam terminus intellectionis, & amoris in Deo, neceſſariò includat ſimilitudinem naturæ, diverſitas tamen in modo tendendi ſatis eſt vt prima operatio ſit generatio, non ſecunda; ergo quamquam amor, & gaudium tendant in bonitatem poſſeſſam ſatis erit ad diverſitatem inter amorem, & gaudium.

12 Dices. Licèt amor ſtrictus tendere poſsit in bonum poſſeſſum, nihilominùs permittit carentiam poſſeſsionis; at amor permittens carentiam poſſeſsionis in bono amato repugnat Deo, cum bonitas divina ſit eſſentialiter exiſtens; ergo amor ſtrictus diſtinctus à gaudio Deo repugnat. Reſpondeo, quod permittere carentiam poſſeſsionis, & exiſtentiæ in bono amato provenire poteſt ex duplici titulo: vel ex conditione actus ex genere ſuo; vel ex conditione obiecti, vt patet in amore noſtro obiecti creati, qui permittit carentiam poſſeſsionis ex genere ſuo, cum ſæpè inferat deſiderium; & ex conditione obiecti creati, quod non exiſtit neceſſariò. Similiter. Exigentia poſſeſsionis, & exiſtentiæ in bono amato provenire poteſt ex natura actus, vt patet in gaudio; & ex conditione obiecti, quæ eſt eſſentialiter exiſtens.

13 Rurſus. Amor ſtrictus conſiderari poteſt vt amor, & vt divinus: primò modo præſentiam, & exiſtentiam non exigit in bono amato: ſecundo modo eam neceſſariò includit: attamen, quia hæc exigentia poſſeſsionis in bono amato, ex eo, quod divinus eſt, eſt differentia materialis reſpectu amoris: è contra autem in gaudio, ideò primus actus ſufficienter diſtinguitur à ſecundo. Quod totum clariſsimè conſtat ex communi ſententia diſtinguente hoc titulo generationem Verbi à proceſsione Spiritus Sancti. Nam attenta conditione termini, ſive intellectus, ſive voluntatis, neceſſariò requiritur ſimilitudo in natura. Rurſus. Etiam voluntas, qua divina importat, & requirit in termino ſimilitudinem in natura, ſed quia hæc exigentia eſt differentia materialis reſpectu voluntatis, ideò ex ſuo modo operandi non tendit in terminum ſimilem in natura, atque adeò non eſt generatio, ſed à generatione diſtinguitur.

14 Ex his ad impugnationem diſtinguo maiorem. Permittit carentiam poſſeſsionis ex modo tendendi, concedo maiorem. Ex conditione obiecti, nego maiorem. Uel aliter. Permittit carentiam, qua amor, concedo maiorem. Qua divinus, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Nam licèt talis amor ex eo, quod eſt in Deo, & in ordine ad bonitatem divinam neceſſariò exiſtentem non permittat carentiam exiſtentiæ, id tamen non exigit amor ſtrictus ex genere ſuo, ſed potius eſt differentia materialis, quæ non impedit diſtinctionem à gaudio.

15 Præfata doctrina pluribus exemplis oſtendi poteſt. Primò in Beatis, qui vero amore amicitiæ diligunt Deum neceſſariò exiſtentem, & poſſeſſum, cùm reguletur ſcientia beata, quæ illum repræſentat vt poſſeſſum. Secundò in amore amicitiæ, quo vnus Beatus diligit alium, qui tendit in obiectum exiſtens, & poſſeſſum; nam cum ſit amor amicitiæ completur redamatione ſibi nota, per quam amatum poſsidet amantem, & poſsidetur ab amante. Tertiò. In amore ſpeciali, quo quis amat ſe ipſum quantum ad bona, quæ actu poſsidet; ergo non repugnat amor ſtrictus tendens in rem poſſeſſam, dummodò ex genere ſuo non tendat in rem, vt poſſeſſam.

16 Inſurgit Pater Herize. Modus tendendi in terminum eſt ipſa tendentia, & actus; at ſtante eodem principio, & termino, tendentia non poteſt eſſe diverſa; ergo nec modus tendendi: ſed in præſenti principium amoris ſtricti, & gaudij eſt idem, nempè voluntas, terminus pariter eſt idem, nempè bonitas divina poſſeſſa; ergo nec tendentia, nec modus tendendi poteſt eſſe diverſus. Uerùm ex dictis hæc obiectio præoccupata manet, nam diverſitas actuum non ſumitur tantùm ex diverſitate principij, & termini, ſed præcipuè ex modo eggrediendi à principio,

& ex diverſo modo terminandi, ſive ex diverſa ratione formali *ſub qua*: amor autem ſtrictus, & gaudium diverſo modo eggrediuntur á principio, & bonitas divina poſſeſſa, & vt poſſeſſa reduplicativè diverſo modo terminat.

(†)

Contraria argumenta diluuntur.

§. III.

17 CÆTERUM In oppoſitum arguitur primò. In Deo repugnat erga ſe ipſum amor præſcindens ab exiſtentia; ergo & amor ſtrictus. Antecedens probatur. In Deo repugnat cognitio ſui præſcindens ab exiſtentia; ergo & amor ab exiſtentia præſcindens, & conſequenter amor ſtrictus. Antecedens conſtat, quia reſpectu ſui repugnat ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt docet D. Thom. 1. p. q. 14. a. 9. & cum eo frequentius Theologi. Conſequentia autem probatur. Ideò reſpectu ſui non eſt poſsibilis ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed ſolius viſionis, quia obiectum ſcientiæ eſt eſſentialiter exiſtens; ſed etiam obiectum ſui amoris eſt eſſentialiter exiſtens, non enim minus exiſtit ſua bonitas, quàm ſua veritas; ergo.

18 Confirmatur. Ubi repugnat regulativum amoris repugnat amor; ſed repugnante cognitione abſtrahente ab exiſtentia repugnat regulativum amoris abſtrahentis ab exiſtentia; ergo & amor ſtrictus abſtrahens ab exiſtentia. Secundò. Quia ſcientia viſionis regulare non poteſt amorem præſcindentem ab exiſtentia, nam ſcientia neceſſariò proponit obiectum exiſtens, & præſens; ergo amor tali ſciẽtia regulatus nequit ab exiſtentia præſcindere. Tertiò. Quia amor regulatus ſciẽtia viſionis eſt amor beatificus, at amor beatificus ab exiſtentia, & præſcientia ſummi boni non præſcindit; ergo.

19 Confirmatur quarto. Repugnat in Deo, & reſpectu Dei obiectum amoris diſtinctum ab amore gaudij; ergo & amor ſtrictus diſtinctus à gaudio. Antecedens probatur. Omne obiectum amoris divini eſt bonum divinum, ſed bonum divinum eſt eſſentialiter exiſtens, ipſique neceſſariò præſens, & ab ipſo Deo neceſſariò poſſeſſum; ſed ſimile bonum eſt obiectum gaudij; ergo repugnat obiectum diſtinctum à gaudio.

20 Confirmatur quintò. Summum bonum poſsidetur media viſione beata; ergo amor regulatus tali viſione, & ad illam ſubſecutus, eſt amor erga Deum ſummè poſſeſſum; ſed amor erga Deum, & ſummum bonum ſummè poſſeſſum eſt amor gaudij; ergo implicat alius amor diſtinctus à gaudio in Deo reſpectu ſuæ bonitatis.

21 Ad argumentum reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſcientia præſcindit ab exiſtentia obiecti non tantùm negativè, ſed poſitivè; non ſolùm abſtrahit; ſed excludit, quod bonitati, veritati, aut alteri prædicato divino prorſus repugnat. Attamen amor non excludit exiſtentiam, ſed includit, eſtò non terminetur ad bonum, vt exiſtens, & vt præſens: vndé præciſio reſpectu ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ debet eſſe non tantùm ex modo cognoſcendi, ſed etiam ex parte rei cognitæ; non ſolùm in ratione *ſub qua*, ſed in ratione *quæ*. Quod é contra contingit in amore, vt ex ſuperioribus conſtat.

22 Ad primam confirmationem conceſſa maiori, nego minorem, quia eadem ſcientia beata, & intuitiva Dei regulari poteſt gaudium, & amor ſtrictus, vt patet in Beatis, qui Deum amant vero amore amicitiæ, & ſpecialiter tali, qui regulatur cognitione intuitiva; & eadem ſcientia beata Dei regulantur, iuſtitia, miſericordia, cæteræque virtutes. Quoniam bonitas divina propoſita vt exiſtens, & præſens, amari poteſt amore tendente in ipſam vt præſentem reduplicativè, vel tantùm exiſtentem ſpecificativè. Per quod conſtat ad ſecundam confirmationem. Ad tertiam dico etiam amorem ſtrictum eſſe beatificum, hoc eſt ortum à viſione beata, & regulatum ab illa, ad quod ſatis ſi non præſcindat ab exiſtentia, & præſentia boni ex parte rei amatæ, quamquàm præſcindat ex modo tendendi in rem amatam.

23 Ad quartam confirmationem, nego antecedens. Ad probationem, conceſsis præmiſsis, nego minorem ſubſumptam in ſenſu dicto. Nam ad obiectum gaudij non ſatis eſt præſentia, & exiſ-

exiſtentia obiecti ex parte rei amatæ, ſed vlteriùs requiritur, quod actus ex ſua ratione tendat in illud vt præſens, & poſſeſſum. Quod etiam dicendum ad quintum. Non enim negamus obiectum amoris ſtricti eſſe poſſeſſum, & præſens, ſed id ortum non habet ex conditione amoris ſtricti, ſed ex conditione obiecti, quod eſt eſſentialiter exiſtens, & ex natura amoris, qua divinus.

24 Dices. Si ex parte voluntatis poſsibilis eſt actus tendens in bonitatem divinam poſſeſſam, & alius tendens in eandem bonitatem vt poſſeſſam, non eſt ratio, cur ex parte intellectus non ſit poſsibilis actus tendens in eſſentiam divinam exiſtentem, & alius tendens in ipſam vt exiſtentem; ſed prima diverſitas ſatis eſt per nos ad diſtinguendum amorem ſtrictum á gaudio; ergo ſecundum ſatis erit ad diſtinguendam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ à ſcientia viſionis, atque adeò ponenda erit in Deo erga ſe ipſum ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

25 Reſpondeo, conceſsis præmiſsis, negando conſequentiam; poſsibilis eſt enim in Deo reſpectui ſui notitia tendens in eſſentiam divinam ſecundùm ſe, vt patet in intelligentia orta à lumine primorum principiorum, vt patet ex dictis n. 8. Hoc tamen ſatis non eſt ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ excludit exiſtentiam, & præſentiam obiecti. Si autem oppoſita ſententia contendant notitiam tendentem in eſſentiam divinam præſcindentem ab exiſtentia ſolùm negativé, & ex modo tendendi, eſſe, aut dicendam eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentię, quæſtio erit de nomine.

26 Arguitur ſecundò. In Deo circa bona propria repugnat deſiderium; ergo & amor ſtrictus. Antecedens communiter ſupponitur, & conſequentia probatur. Ideò repugnat circa bona propria deſiderium, quia requirit abſentiam in obiecto, quæ Deo repugnat; ſed amor ſtrictus requirit abſtractionem à præſentia, quæ non minus Deo repugnat; ergo pari titulo Deo repugnat. Minor quoad ſecundam partem, in qua ſola eſt difficultas probatur. Bona propria amari non poſſunt à Deo, niſi vt cognita; ſed implicat cognoſci, & proponi voluntati, niſi vt præſentia; ergo amari non poſſunt, niſi vt præſentia, & conſequenter præſcindere non poſſunt á præſentia.

27 Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad probationem ſatis conſtat qualiter non repugnet amor circa bonitatem divinam vt bonam, & non vt poſſeſſam reduplicativé, ſed negativè præſcindentem. Ad probationem in oppoſitum, conceſsis præmiſsis, nego conſequentiam. Sicut enim non valet hæc illatio: bonum amari non poteſt, niſi vt cognitum; ſed cognoſci non poteſt, niſi ſub ratione veri; ergo amari non poteſt, niſi ſub ratione veri; ita non valet illatio argumenti. Vel datis præmiſsis, diſtinguo conſequens. Ergo amari non poſſunt niſi vt præſentia per omnem actum, nego conſequentiam. Per aliquem actum, nempè per actum gaudij, concedo. Nam licet ſummum bonum propoſitum vt præſens amandum ſit vt præſens delectatione, & gaudio, attamen amar vtroque modo poteſt, & vt præſens & vt bonum.

28 Dices. Amor ſtrictus in Deo erga ſe ipſũ, nec poteſt eſſe amicitiæ, nec cõcupiſcentię; ergo repugnat. Antecedens probatur. Non amicitiæ, quia amicitia eſt aliud. Non cõcupiſcentię, quia concupiſcentia tendit ad acquirendum bonum, quod non habet; ergo. Reſpondeo talem amorem eſſe perfectiſsimum amorem amicitiæ, & charitatis, qui non oportet eſſe ad aliud, quando amans eſt ſummum bonum, & finis; immò eſſet inordinatus ſi eſſet ad aliud tanquam ad obiectum primarium per ſe amatum. Vel dici poteſt nec eſſe amorem amicitiæ, nec concupiſcentiæ propter dicta, ſed eſſe vnionem purè affectivam, quæ omnia procedunt de amore eſſentiali; denotionali autem latè egimus tract. de Trinit.

***

DV=

DVBIVM II.

An in Deo ſit affectus deſiderij?

§. I.

1 PRIMA Sententia diſtinguit inter deſiderium perfectum, & imperfectum, & docet primum fœderari cum poſſeſsione boni, locumque habere in Deo etiam quoad bona intrinſeca, & propria. Secundum autem importare abſentiam boni, ideoque non eſſe in Deo. Ita Illuſtriſ. Silva in 1. p. t. 2. q. 19. a. 3. dub. 1. n. 53. Secunda ſententia admittit deſiderium circa bona extrinſeca. Ita Doctor Suarez lib. 3. de attributis poſitivis, c. 7. Vaſquez in 1. p. diſp. 84. Alarcon tract. 3. diſp. 17. c. 2. Tertia admittit in Deo deſiderium duntaxat circa bona illa extrinſeca, quæ pendent à noſtro libero conſenſu; non ad illa, quæ á ſolo Deo pendent. Ità Herize tract. 2. diſp. 13. c. 1. Quarta tandem omne deſiderium propriè tale à Deo excludit, ſive ad bona intrinſeca, ſive extrinſeca, & eſt communis inter Theologos.

Nullum eſſe in Deo deſiderium propriè tale oſtenditur.

§. II.

2 DICENDVM Primò nullum eſſe deſiderium in Deo in ordine ad bona propria. Conſtat ex Sancto Anſelmo in Monolog. c. 23. vbi ait, quod *Deus eſt omne bonum, immò quod eſt vnum totum, & ſolum bonum.* Et lib. 2. *Cur Deus homo*, ait, *Beatitudo eſt ſufficientia, in qua nulla eſt indigentia.* Ac tandem Hom. 2. in Evang. Matth. inquit. *Omnes Beati dicuntur, qui habent, quidquid deſiderant, beatitudo enim eſt ſtatus congregatione omnium bonorum perfectiſsimus;* ergo in Deo, qui ſummè beatus eſt, immò qui ſumma beatitudo eſt, nulla eſt indigẽtia, ſed ſibi omninó ſufficit; ergo nulla eſt caretia boni; ergo nullum deſiderium. Etenim ſi Beati poſsident quidquid deſiderare poſſent, ergo multò magis Deus, qui non ſolúm eſt per eſſentiam beatus, ſed ómnium beatitudo; at ſtante poſſeſsione omnium bonorum nullus eſt locus ad deſiderium proprié tale; ergo in Deo nullum eſt deſideriũ, præſertim ad bona propria. Ex his formatur ratio. Deſiderium eſt boni non habiti; ſed implicat bona propria eſſe Deo non habita, cum ſint neceſſariò exiſtentia, & poſſeſſa; ergo implicat deſiderium in ordine ad illa.

3 Opponit Illuſt. Silva. Abſentia boni non pertinet ad naturam, ſed imperfectionem deſiderij, quare ex poſſeſſione boni deſiderium non deſtruitur, ſed creſcit, vndè dicitur in Scriptura 1. Petri. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; ergo non repugnat cum ſatietate appetitus; ergo nec perfectiſsimum deſiderium. Sed contra. Nam bonum abſens eſſe obiectum deſiderij omnes ſupponunt, idem Doctor tradit loco citato, n. 27. docens, quod *deſiderium eſt idemmet actus amoris, in quantum appetit poſsidere, quod amat, & nondum poſsidet, ſed illi eſt abſens.* Et ratio eſt manifeſta, quia nemo deſiderat habere, quod poſsidet; ſed abſentia in bonis proprijs Deo repugnat; ergo & deſiderium. Deſiderium autem illud Angelorum non eſt proprium, ſed metaphoricum, qui loquendi modus eſt in Sacra Pagina frequentiſsimus: dicitur enim 2. Mach. 6. *Deus patientèr expectat*, cùm tamen in Deo nulla ſit ſpes.

4 Dices. Amor, ex quo procedit Spiritus Sanctus eſt amor deſiderij; ergo iam datur in Deo deſiderium erga bona propria. Antecedens probatur. Talis amor nequit eſſe gaudij; quia amor, ex quo procedit Spiritus Sanctus, in aliquo ſigno ipſum antecedit; ergo pro illo priori Spiritus Sanctus non eſt exiſtens, nec poſſeſſus; ergo amor ille, ex quo procedit, non eſt amor gaudij. Secundó. Vera poſſeſsio boni non habetur per amorem, ſed per viſionem præcedentem amorem, quia ſolus actus intellectus eſt poſſeſsivus obiecti, ideòque communiter docent Thomiſtæ beatitudinem eſſentialiter in actu intellectus conſiſtere; ergo vt amor, ex quo Spiritus Sanctus procedit, eſſet gaudij, deberet ſupponere Spiritum Sanctum iam exiſtentem, & poſſeſſum pro prio-

prioti ad amorem ; ſed hoc repugnat, quia Spiritus Sanctus ex tali amore procedit; ergo non ſupponitur exiſtens. Sed his ſatis conſtat ex tract. 6. de Trinitate dub. 1. quoniam prioritas illa non eſt durationis, nec naturæ, ſed originis, quæ omnimodam ſimultatem, & coexiſtentiam non impedit, quia in *Deo nihil prius & poſterius*, vt ibidem explicatum eſt: vndé viſio, & cognitio præcedens amorem productivum Spiritus Sancti eſt verè intuitiva, ac terminatur ad Spiritum Sanctum exiſtentem.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

5 DICENDUM Secundó in Deo nullum eſſe deſiderium proprie tale, nec in ordine ad bona extrinſeca. Eſt communis, & ex ſuptadictis ſatis conſtat; eàdemque ratione convincitur. Quia deſiderium eſt boni non habiti; at nullum eſt bonum reſpectu Dei etiam extrinſecum non habitum; ergo nec deſiderium. Minor probatur. Nam bona extrinſeca duplici titulo ſunt à Deo habita, & poſſeſſa: primò eminenter, quatenús in ipſo perfectiori modo cõtinentur, ac in ſua natura: ſecundò, in virtute, & poteſtate, quatenús in ſua libera poteſtate habet omnia poſsidere nullo intercedente impedimento; at nemó deſiderat bonum etiam non habitum, ſi ex ſua libera voluntate oritur non habere; ergo Deus nulla bona extrinſeca poteſt deſiderare.

6 Reſpondebis Deum non poſſe deſiderare bona extrinſeca ſibi, non tamen probatur ex dictis non poſſe deſiderare plura bona nobis, quod ſatis ad ponendum in Deo deſiderium. Sed contra. Ideò ſibi deſiderare non poteſt, quia omnia præcontinet in ſua virtute, ac libera poteſtate; at pariter in ſua virtute, ac libera poteſtate habet nos ea poſsidere; ergo nec nobis propriè deſiderare poteſt.

7 Dices hæc omnia procedere de bonis, quæ à noſtra voluntate non pendent, non tamen de bonis, quæ pendent à noſtro libero conſenſu, ſed hoc etiam præoccupatur ratione data. Quoniam etiam quæ pendent à noſtro libero conſenſu in virtute Dei continentur, & cor hominis movere poteſt ad quodcumque voluerit; ergo nec ad ea, quæ à noſtro libero conſenſu pendent poteſt dari deſiderium in Deo.

8 Reſpondebis id eſſe verum inſpecta poteſtate abſoluta, non tamen ſecundùm potentiam ordinariam, in qua reliquit hominem in manu conſilij ſui. Sed contra. Nam præſens providentia ex libera Dei determinatione pendet; ergo non impedit ſupremum dominium, liberamque poteſtatem in actiones noſtras; ergo numquam monet locus ad deſiderium. Rurſus. Si hæc omnia probarent in Deo deſiderium paritèr ſpem probare poſſent, quod nec adverſarijs placet. Sequela probatur. Eſtò obiectum noſtræ ſpei ſupra abſentiam addat arduitatem, ea tamen arduitas ſita eſt in conſecutione boni dependenter á voluntate Dei, eiuſque auxilio, vt exponit P. Herize; ſed prædicta bona conſequenda ſunt á Deo dependenter á noſtro libero conſenſu; ergo pari titulo à Deo ſperari poterunt.

9 Contra ſecundò. Nullum eſt deſiderium de bono alterius (ſicut nec ſpes) niſi quatenus bonum alterius eſt bonum deſiderantis, quia vt communiter tradunt Theologi 2. 2. quæſt. 17. in eo diſtinguitur deſiderium ab amore, quod amor terminari poteſt ad bonum alterius; at deſiderium proprie tale in bonum propriũ; ſed Deus nihil ſibi deſiderare poteſt; ergo nec alteri.

Quædam impugnationes diluuntur.

§. IV.

10 ARGUITUR Primò. Datur in Deo amor ergà omnium ſalutem; ſed hic amor eſt deſiderij, cùm ſit de obiecto abſenti quippe quod non eſt, nec erit; ergo in Deo datur deſiderium. Unde dixit Chriſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. ad Epheſ. Deus *mirum in modum cupit, & vehementer deſiderat noſtram ſalutem.* Reſpondeo deſiderium illud non eſſe proprie tale, nimirum quantum ad affectum, in quo ratio

tio propria deſiderij ſita eſt, ſed quantum ad effectum, quatenus re ipſa confert media neceſſaria ad ſalutem conſequendam, & ita ſe gerit, ac ſi re ipſa ſperaret, & deſideraret, eſto in talem ſalutem, verò deſiderio, & actu ſpei non tendat; eo quod ſalutem omnium habet in ſua virtute, & poteſtate, vt ſupradictum eſt. Et ita ẽxponendus eſt Chriſoſtomus, & alij Patres ſimili modo loquentes. Eſt ergo in Deo vera volitio, veruſque amor ſalutis omnium, non tamen deſiderium ſimpliciter tale.

11 Arguitur ſecundò. Actus, quo Deus decrevit productionem creaturarum, eſt earum amor; non gaudij; ergo deſiderij. Minor probatur. Talis actus non ſupponit creaturas exiſtentes; ergo nequit eſſe gaudij. Conſequentia patet, quia obiectum gaudij debet eſſe exiſtens, Antecedens probatur. Creaturæ habent ſuum eſſe per illum actum; ergo talis actus non ſupponit eas exiſtentes. Secundò. In Deo eſt verum gaudium; ergo & verum deſiderium, quia gaudium eſt terminus deſiderij.

12 Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem dico tale actum, & amorem eſſe gaudij, ac terminari ad creaturas exiſtentes ex vi eiuſdem actus, nam gaudium non petit obiectũ præexiſtens, ſed exiſtens: immò nec requiritur exiſtentia in eodem ſigno amoris, ſed in eodem reali inſtanti, quia hæc exiſtentia ſatis vt obiectum ſit præſens, & non abſens, & ſufficit vt amor terminetur ad eaſdem creaturas exiſtentes, non quidem pro eo ſigno, ſed pro poſteriori. Ad ſecundum dico Deum non procedere medio motu ad terminum, idéoque in Deo gaudium non eſt terminus motus.

DVBIVM III.

An odium, & ira Deo propriè conveniant?

§. I.

1 PLVRA Eſſe Sacræ Paginæ teſtimonia, quæ de odio, & ira Dei loquuntur, dubitari non poteſt, an autem in ſenſu proprio, aut tantum de odio metaphiſico, & ſimilitudinario exponi debeant lis eſt inter Doctores. Quoniam Eximius Suarez, Uaſquez, Molina, & alij in ſenſu rigoroſo interpretanda eſſe iudicant. Idemque tuetur Suarez de ira. Sed oppoſita, & negativa ſententia eſt frequentior Theologorum conſenſus.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

2 DICENDVM Primò in Deo nullum eſſe odium ſimpliciter tale. conſtat ex illo Sapient. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, at nulla eſt creatura (præſertim rationalis, quæ ſola capax eſt odij) quæ non ſit facta à Deo; ergo nullam odit Deus odio propriè, & ſimpliciter. Rationem redit Divus Thomas 1. contra Gent. c. 96. per hæc verba: Ex hoc autem ap„ paret, quod odium alicuius rei Deo „ convenire non poſsit: ſicut enim amor „ ſe habet ad bonum, ita odium ſe habet „ ad malum; nam his, quos amamus, „ bonum volumus; his verò, quos odi„ mus, malum. Si igitur voluntas Dei ad „ malum inclinari non poteſt, vt oſten„ ſum eſt, impoſsibile eſt, quod ipſe „ rem aliquam odio habeat.

3 Ex his formatur ratio. Odium ſimplicitèr tale tendit in malum, vt malum perſonæ, quæ odio habetur; at in voluntate divina nullus actus eſſe poteſt, quo Deus velit creaturis malum, vt malum earum eſt; ergo nec actus odij ſimpliciter talis. Probo minorem. Nulla potentia tendere poteſt, niſi in obiectum ſub propria ratione formali ſpecificativa, vt per omnes potentias diſcurrendo evidentiſsimum eſt; at ratio formalis ſpecificativa voluntatis divinæ eſt ipſa divina bonitas; ergo nullus eſt actus in divina voluntate, qui tendere poſsit in obiectum, niſi ratione bonitas divinæ, atque non in malum ſub ratione mali: qua ratione etſi voluntas creata poſsit velle alteri malum, quatenus tale malum alterius iudicatur bonum ſui, non tamen Deus, qui malum alterius bonum ſui iudicare non poteſt; vndè velle non poteſt, niſi ſuam bonita-

tem

tem, vel ſecundum ſe, vel creaturis communicatam, vel in ipſis relucentem.

4 Sed contra opponunt Adverſarij. Primò plura teſtimonia Sacræ Paginæ, in quibus ſignificatur apertè odium Dei. Nam Pſalm. 5. dicitur: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.* Malach. 1. *Eſau odio habui.* Et ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et ita alijs pluribus in locis. Contra rationem factam paritèr opponunt. Nam Deus poteſt velle alteri malum tamquam malum ſui, & vt bonum ipſius Dei, vt patet in pœna damnatorum, quæ reſpectu damnatorum eſt mala, & ita volita à Deo, ſed propter bonum ſuæ iuſtitiæ.

5 Reſpondeo prædicta Scripturæ teſtimonia diverſimodè exponi poſſe: nam aliqua eorum, non odium, ſed minorem amorem ſignificant, nam Hæbrei carent comparativis, ideòque minorẽ amorem nomine *odij* ſignificant: quod facilé oſtendi poteſt. Primò ex illo Luc. 14. *Si quis non odit Patrem ſuum, & Matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ubi Chriſtus non præcipit odio habendum eſſe Patrem, ſed minus amandum, quam Chriſtum. Secundò ex illo Ioan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*, id eſt, qui minus diligit vitam temporalem, quam ſpiritualẽ, Tertió. Ex illo Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Vbi ſignificatur minus amandum inimicum, quàm amicum. Vndé cúm ad Rom. 9. dicitur: *Iacob dilixi, Eſau autem odio habui*, ſignificatur Deum, non odio habuiſſe, ſed magis dilexiſſe Iacob, quám Eſau.

6 Prædicta confirmat, & ad alia reſpondet Angelicus Doctor 1. contra Gent. cap. 96. his verbis: Dicitur „ autem Deus aliqua odire ſimilitudinariè, & hoc duplicitèr. Uno quidém modo ex hoc, quod Deus amando res, „ volens earum bonum eſſe, vult contrarium bono, ſcilicét, malum, non eſſe; „ vndé malorum odium habere dicitur, „ nam quæ non eſſe volumus, dicimus „ odio habereſecundùm illud. Zachar. 8. Unuſquiſque malum cõtra amicum ſuum né cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax nè diligatis, omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus: „ Hæc autem non ſunt effectus, vt res „ ſubſiſtentes, quorum proprium eſt „ odium, vel amor.

7 „ Alius autem modus eſt ex „ hoc, quod Deus vult aliquod maius „ bonum, quod eſſe non poteſt ſine privatione minoris boni, & ſic dicitur „ odire, cùm magis hoc ſit amare. Sic „ enim inquantum vult bonum iuſtitiæ, „ vel ordinis vniverſi (quod eſſe non poteſt ſine punitione, vel corruptione aliquorum) dicetur illa odire, quorum „ punitionem vult, vel corruptionem, ſecundùm illud Malach. 1. Eſau odio habui. Et illud Pſalmi 5. Odiſti omnes, „ qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Uirum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Ergo ex prædictis, vel tantúm odium ſimilitudinarium evincitur; vel minor amor probatur, non verò odium ſimplicitêr, & propriè tale.

8 Alia ſolutio rationi noſtræ applicata nihil evincit. Primó. Quia ad odium Dei non ſufficit velle damnatis pœnam, vt eſt illis mala, ſed ex motivo mali, at Deus ſub hoc motivo eam velle non poteſt, ſed quatenús eſt bonum iuſtitiæ, vt ipſa ſolutio concedit; ergo ex illa, nec improbatur noſtra ratio, nec evincitur odium in Deo: & hac ratione optimè docet Anſelmus in Proſol. c. 10. quod *Deus eſt iuſtus puniendo malos, quia iuſtum eſt malos mala ſuſcipere.*

9 Secundó. Quod eſt malum creaturæ ſecundùm inclinationem particularem, eſt bonum ſecundúm inclinationem generalem ad bonum vniverſi, vel ad bonum Authoris omnium. Si corruptio vnius propter generationem alterius eſt bona ad pulchritudinẽ, & viciſſitudinem vniverſi. Sic aſcenſus in gravi eſt bonum ad impetiendum vacuum. Sic miles ſe exponit periculum ad præſervandum exercitum, & mors eſt ipſi mala ſecundùm inclinationem particularem, bona tamen ad conſervationem exercitus. Sic dicendum de pœna damnatorum, quæ eſt ipſis mala ſecundùm inclinationem particularem, bona tamen ſecundúm inclinationem generalem ad bonum iuſtitiæ Dei, & ita eſt volita à Deo, quarè non eſt volita ex odio damnatorum, ſed ex amore ſuæ iuſtitiæ. In quibus notandum optimé docuiſſe Angelicum Magiſtrum loco ci-

citato, damnatos odio habere Deum, quia eorum voluntas depravata eſt, ſi tamen depravata non eſſet, ſe divinæ iuſtitiæ conformarent; ergo talis pœna, non ex odio damnatorum, ſed ex amore iuſtitiæ deſcendit.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

10 DICENDUM Secundò motum iræ propriè dictum non eſſe in Deo. Docet hanc conluſionem Sanctus Anſelmus pluribus in locis, & præcipuè Hom. 5. in Evang. Matth. ad illa verba: *Iratus Dominus eius*, vbi ait: *Non enim in natura ſua Deus iraſci poteſt, qui ſemper tranquillus, & incommutabilis permanet; ſed iratus videtur eis, quibus vindictam reddit; ideoque vindicta ipſa vocatur eius ira.* Ergo in Deo non eſt affectus iræ, ſed tantùm quoad effectum, quatenùs punit iniuſtos.

11 Rationem reddit Divus Thomas 1. par. quæſt. 20. art. 1. ad 1. vbi docet quod ira, quantum ad materiale, eſt accenſio ſanguinis circa cor: quantũ ad formale ſupponit triſtitiam; ſed triſtitia nullum locum habere poteſt in Deo; ergo nec ira. Vndè Petrus Chriſologus exponens illud Pſalmi 6. *Domine nè in furore arguas me; neque in ira tua corripias me*: ſic loquitur: *Et Deus tumeſcit ira, caleſcit furore? Abſit fratres. Deus nec ſubiacet paſſioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur; ſed ira Dei eſt delinquentium pœna; furor Dei eſt ſupplicium peccatorum.*

12 Alia ratione probat eandem concluſionem Divus Thomas 1. contra Gent. cap. 89. vbi ait: *Ira eſt appetitus mali alterius ad vindictam. Ira igitur longè eſt à Deo ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, non ſolùm quia effectus triſtitiæ eſt, ſed etiam appetitus vindictæ propter triſtitiam ex iniuria illata conceptam.*; at in Deo loco non habet, nec triſtitia ex illata iniuria, nec appetitus mali ad vindictam; ergo nec ira.

13 Dices. Supradicta ſpectant ad imperfectionem iræ, qualitèr eſſe ſolet in creaturis, non ad illius conceptum formalem, quia ira ex ſuo conceptu formali ſolùm importat appetitum nocendi alteri ex motivo iuſtitiæ vindicativæ, vt docet Divus Thomas 1. 2. quæſt. 47. ar. 1. per hæc verba: *Ira non dicitur in Deo ſecundùm paſsionem animi, ſed ſecundùm iudicium iuſtitiæ, prout vult vindictam facere de peccato.*

14 Reſpondeo ſolum appetitum pœnæ ex motivo iuſtitiæ vindicativæ ſatis non eſſe ad iram proprié talem, aliàs omnis actus iuſtitiæ vindicativæ ex ira procederet, cum omnes tendant in pœnam ex motivo vindictæ, quod dici non poteſt. Et improbat Ambroſ. ad illud Pſalmi 37. *Domine nè in furore tuo, &c.* Per hæc verba: *Quis enim dicat Iudicem, qui illatam iniuriam in ſe, vel in ſuos abſque vlla, non dico corporis perturbatione, & concitatione ſanguinis, ſed etiam abſque omni triſtitia debitam infligit pœnam peccati, contra delinquentem iraſci?* Quod additur ex Divo Thoma vereſimum eſt, nimirum iram dici de Deo ſecundùm iudicium iuſtitiæ, ſed hæc non ſimplicitèr ira, & quoad affectum, ſed tantùm quoad effectum, vt ex Anſelmo dictum eſt. Vel quatenùs ira Dei eſt delinquentium pœna, vt ait Chriſologus.

Aliquarum impugnationum ſolutio.

§. IV.

15 CONTRA Secundam concluſionem nihil momenti diſſolvendum occurit. Contra primam opponi poſſunt plura teſtimonia ex Sacris Litteris, quorum legitima interpretatio ex ſuperioribus conſtat. Secundò opponunt. Odio habere eſt velle malum vt malum; ſed Deus vult peccatori malum vt malum; ergo illum propriè, & ſimpliciter odio habet. Probatur minor. Vult Deus peccatori pœnam vt illi mala eſt, quia vult illi pœnam vt pœna eſt; ſed pœna vt pœna eſt, eſt illi mala; ergo vult illi pœnam vt illi mala eſt. Maior probatur. Deus vult iuſto præmium vt præmium eſt, & vt illi bonum eſt; ergo Deus vult peccatori pœnam vt pœna eſt, & vt illi mala eſt. Antecedens conſtat, & conſequentia probatur. Ira vult Deus iuſtis præ-

præmium propter merita, ſicut iniuſtis pœnam propter demerita; ſed ſicut iuſtus per merita meretur præmium, vt præmium eſt, ita iniuſtus per demerita pœnam, vt pœna eſt; ergo.

16 Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, nego antecedens, ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Deus vult peccatori pœnam, vt pœnam ex parte rei volitæ, concedo maiorem. Ex motivo volendi, nego maiorem. Nam Deus re ipſa vult damnatis pœnam, quatenús illorum tormentum, & pœna eſt, non tamen eo ductus motivo, quia illis mala eſt, ſed quia iuſtitiæ oſtenſiva eſt. Nec eſt eadem ratio de præmia, quoniam præmium vt tale eſt de genere boni, ideóque poteſt eſſe Deo ſmotivum volendi; attamen pœnam in eſe talis eſt peccatori mala, ideòque eſtò poſsit eſſe volita, nequit eſſe Deo motivum volendi.

17 Opponunt ſecundò. Ad rationem odij ſimpliciter talis non requiritur voluntas, mali, vt mali; ergo ex hoc titulo non eſt negandum odium Deo. Antecedens proba. In voluntate humana datur odium ſimpliciter tale; & tamen voluntas humana non vult malum, vt tale; ergo ad rationem odij non requiritur volũtas mali vt talis. Minor probatur: tum quia nemo intendens in malum operatur: tum quia voluntas humana etiam ſpecificatur à bono, ſicut divina; ergo ſi hæc ratio ſpecificativi probaret in Deo non eſſe odium, paritèr probaret removendum eſſe à voluntate humana.

18 Reſpondeo ex dictis maximum eſſe diſcrimen inter Deum, & hominem, nam homo malum, quod alteri deſiderat, apprehendit tanquam ſibi bonum, vnde tendit in malum, vt malum alteri, ſed tanquam bonum ſibi; hoc autem Deo repugnat, quia in Deo locum non habet falſa apprehenſio, nec malum alterius conducere poteſt ad bonitatem ſui. In forma, diſtinguo antecedens. Mali, vt mali alteri, nego antecedens. Sibi concedo antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem in eodem ſenſu.

19 Opponunt tertiò. Non implicat Deum non odio habere hominem, vt homo eſt, & illum odio habere, vt peccator eſt; ſed Deum odio habere peccatorem, vt peccator eſt, nulla eſt, imperfectio, ſed Deum maximè decet, & ita tradit Scriptura, quæ in hoc dicendi modo in rigido, & litterali ſenſu interpretatur; ergo ita dicendum eſt: nec enim licèt Scripturam ſine evidenti ratione ad ſenſum improprium detorquere. Maior autem probatur exemplo Iudicis, qui homicidam punit, non ex odio hominis, ſed ex odio homicidij. Reſpondeo Deo ſummè diſplicere peccata, in eo tamen nullum eſſe odium ſimpliciter tale, quo odio habeat peccatorem, nam odium ſimpliciter tale ſemper ſe extendit ad perſonam, atque adeó homo nollet inimicum ſuum, quem odit, in rerum eſſe natura. Scripturam autem in hac parte non eſſe rigido ſenſu interpretandam, manifeſtè convincunt alia teſtimonia oppoſita, quæ nemò de vero odio interpretari poteſt: immò & aperta ratio ſupra allegata. Et hæc de toto tractatu de divinæ voluntati; dicta ſufficiant.



DE VISIONE DEI.

QUAMQUAM Anſelmus Parens in ſuis operibus Scholaſtica methodo pertractatis (quorum hucuſque expoſitionem texere curavimus) de Uiſione Dei vt eſt in ſe ſpecialem diſputationem non habeat, plura tamen ſcripſit, & docuit, quibus hunc Tractatum illuſtrare facilè poſſumus, ideòque præſentem laborem ſuperioribus adiungere opere precium duxi. Agit ſpecialiter in Proſologio circa finem potius à ſcetice, quàm Scholaſticè, ideóque in Prima Parte huius operis Scholijs illuſtrare non oportuit. Fateor cum Magno Auguſtino tract. 34. in Ioan. viſionem hanc eſſe illam, *quæ deſiderari poteſt, concupiſci poteſt, ſuſpirari poteſt, verbis explicari non poteſt*: ſed ſimul non ignoro cum Magno Anſelmo Homil. 4. in Evang. Matth. Quod *ſi Deus eſt lux inacceſsibilis viribus noſtris, acceditur ad eum muneribus divinis*, ideó divino opitulante numine, & lumine ad præcipuas de more controverſias explorandas, & explicandas deſcendimus. Sed prius audiendus Anſelmus æternæ fœlicitatis gaudia eleganti Carmine deſcribens:

CUM tu perveneris lętus, fœlixque Viator,
Et data vivificì copia fontis erit.
Æternus fies, ſapiens, verèque beatus,
Cunctu tibi fuerint proſpera, triſte nihil.
Inque ſuo Regem Rex ipſe decore videbis,
Deque beatifico lumine lumen eris.
Nullæ mentis erunt tenebræ, ſed nocte fugata,
Intus erit perpes, & ſine nube dies.
Tunc rerum cauſæ, Scripturæ clauſa patebunt,
Omnia clara tibi, plenaque lucis erunt.
Tunc in vivorum lęta regione videbis,
Quæ bona ſint Domini, quantaque dona Dei.
Mors aberit, morbus, labor, hoſtis, cura, ſenectus,
Non habet hæc fœlix illa ſuperna domus.
Non timor afficiet ſanctos, ſenſuſque doloris,
Æſtus in his nullus, frigora nulla locis.
Nemo hic eſſuriens, nudus quoque nemo, ſed vnus
Omnibus omne bonum fiet, eritque, Deus.
Vrbs hæc non lunæ, non lumine ſolis egebit,
Semper erit magno ſole ſerena Deo.
Denique iuſtorum tanquam Sol quiſque nitebit
Iſta re donatæ gloria carnis erit.
Spiritibus ſummis æquabit gratia Regis,
Pro quibus eſt vltrò paſſus amara crucis.
Ad montem vitæ de mortis valle reductus
Civis erit fœlix nunc miſer exul homo.
Vrbis enim illius Deus eſt Reſpublica, & inde
Grandis ibi eſt cunctis copia, nullus eget.
Non igitur deerunt Regis tibi munera, nec te,
Qui meritos magnis ditat, egere ſinet.
Nam cùm guſtabis de vitæ fonte perenni,
Et dabitur ſummo participare bono.
Magna ſcientia, multa potentia, mirá voluptas,
Redentur vitæ, militiæque tuæ.
Quis poterit fari, quis ſcribere, quis meditari,
Quæ dabis in Cœlis præmia Chriſte tuis?
Hæc, Monachi fratres, hæc tota mente ſequamur,
Nulla ſalutiferum cauſa moretur iter.

TRAC-

TRACTATUS PRIMUS.

DE POSSIBILITATE VISIONIS Beatæ.

ANTIQUIORES Philoſophi fidei lumine deſtituti,& ambulantes in tenebris, varia ſibi ſomnia in hac parte finxerunt, alij in divitijs, alij in honoribus, alij in voluptatibus, alij in alijs noſtram conſtituentes beatitudinem, vt eruditè exponit Angelic. Doctor 1.2. quæſt. 2. & 3. Refert etiam Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ Iudæos interfeciſſe Iſaiam, eo quod dixerit *ſe vidiſſe Deum facie ad faciem*, putantes homines elevari non poſſe ad claram Dei viſionem iuxtà illud Moiſis dicentis in perſona Dei: *Non videbit me homo, & vivet.*

3 Armenij teſte Caſtro, de Hæreſibus, verb. *Beatitudo.* Aſſerebant hominem pervenire non poſſe ad viſionem claram naturæ divinæ, ſed beatificari ex claritate, & fulgore Dei, fortaſsè cum priſcis Philoſophis ſentientes intellectum noſtrum cognoſcere non poſſe ſubſtantias ſeparatas, & præcipuè primam, vtpotè ab humanis mentibus infinitè diſtantem. Quem errorem, alioſque ſimiles, damnavit Innoc. III. in Conc. Lateran. diſputante, & improbante Sanctiſsimo Prædicatorum Patriarcha Dominico.

4 Alij é contra dixerunt hominem conſequi poſſe in hac vita eandem beatitudinem, & ſecundùm eandē perfectionem, quę habetur in patria. Hic eſt error Begardorum, & Beguinarum relatus, & improbatus in Clementina *Ad noſtram.* De Hæreticis. Alij hac viſione perfecta in ſtatu viæ nō contenti dixerunt nos poſſe in hac vita comprehendere Deum, vt refert Chriſoſtomus tom. 3. Homiliar. cùm tamen in Sacra Pagina paſsim prædicetur incomprehenſibilis.

5 His igitur omiſsis erroribus, poſsibilitas viſionis Dei, vt eſt in ſe, qua beatificantur homines, & Angeli, conſtat ex illo Ioan. 1. cap. 1. *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et Pſalm. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicuti & cognitus ſum.* Undé in Concil. Florentino in Litteris Sacræ vnionis definitur *Animas plenè purgatas intueri Deum clarè trinum,*

& vnum ſicuti eſt
in ſe.

Dubium vnicum.

An in creatura rationali ſit aliquis appetitus naturalis, innatus, vel elicitus ad claram Dei viſionem.

§. I.

1 APPETITUS Alius eſt innatus; alius elicitus. Prior eſt propenſio naturalis indita ab Authore naturæ in bonum ſibi conveniens, quo ſenſu gravia tendunt deorſum, & levia ſurſum. Poſterior eſt actus appetitivæ potentiæ tendens in bonum cognitum: vndè ſecundus cognitionem ſupponit, non primus. Rurſus. Appetitus elicitus dividitur in efficacem, & inefficacem. Primus infert media neceſſaria ad conſecutionem boni concupiti: non ita ſecundus. Ulteriùs dividitur in abſolutum, & conditionatum, quamquam plures abſolutum cum efficaci, & conditionatum cum inefficaci confundant.

2 Prima ſententia agnoſcit in creatura rationali appetitum innatum ad viſionem claram Dei, vt eſt in ſe. Ita Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 10. Durandus ibidem, quæſt. 8. Valentia 1. 2. quæſt. 5. artic. 8. diſp. 1. part. 1. Bartholomæus Durand, & frequentius Scotiſtæ. Suffragatur Illuſtriſs. Antonius Perez in Laurea Salmantina Certam. 5. Scholaſt. dub. 1. & 2. Illuſtriſs. Silva tom. 1. in 1. part. quæſt. 12. dub. 3. Secunda negat appetitum innatum, & concedit elicitum inefficacem. Ita Doctor Suarez lib. 2. de Attributis negativis, cap. 7. Vazquez 1. 2. diſp. 22. & alij plures. Tertia negat vtrumque appetitum in creatura rationali ſecluſa elevatione; ea tamen poſita concedit appetitum naturalem elicitum. Ita Caietanus 1. part. quæſt. 12. art. 1. Conradus 1. part. quæſt. 5. art. 8. Quarta omnem prorſus appetitum naturalem excludit. Ita Salmanticenſes. Ioan. á S. Thoma, Bañez, Zumel, Alvarez, Medina, & alij plures. Supradicti tamen Doctores diverſimodè ſuam ſententiam exponunt. Et vlteriùs dividuntur circa neceſsitatem, vel carentiam neceſsitatis quoad ſpecificationem in appetitu, quem concedunt. Quæ omnia breviter expendemus.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDUM Primò in creatura rationali nullum eſſe appetitum innatum ad claram Dei viſionem. Probatur ex Div. Thoma in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. ſic loquente: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem ſecundùm communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturæ, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel in illo ſummum bonum conſtare.* Et quæſt. 22. de ver. art. 7. ait: *Non movetur homo ex hoc, quod appetit ſuam beatitudinem, ſed ex hoc, quod appetit hoc ſpirituale, quod non naturaliter appetit, vt viſionem Dei.*

4 Ratione ſuadetur. Appetitus innatus eſt propenſio orta à natura; ſed in creatura rationali nulla eſt propenſio orta à natura ad viſionem claram Dei; ergo nec appetitus innatus. Minor probatur. A natura nulla oritur propenſio ad formam ſupernaturalem, cum forma ſupernaturalis naturam prorſus excedat; ſed viſio beata eſt forma ſupernaturalis naturam omninò excedens; ergo à natura nulla oritur propenſio in viſionem beatam, & claram Dei vt eſt in ſe. Secundò. Si à natura oriretur aliqua propenſio naturalis in formam ſupernaturalem, forma ſupernaturalis eſſet perfectiva naturæ ſecundùm potentiam naturalem; ſed hoc eſt omninò falſum, cum natura ſit tantùm capax formarum ſupernaturalium per potentiam obedientialem; ergo à natura nulla oritur propenſio in formam ſupernaturalem. Sequela autè probatur. Quia terminus alicuius inclinationis eſt perfectivus

eiuſ-

eiuſdem inclinationis in eo ordine, quo terminat, ſive naturæ propenſæ in eodem ordine, quoad talem terminum propendet; ergo ſi natura ex impulſu naturæ tenderet in formam ſupernaturalem, hæc proculdubiò perficeret naturam ſecundùm potentiam naturalem.

5 Reſpondet Bartholomæus Dutand tract. 2. de Deo vno, quæſt. 4. negando minorem, quia in creatura rationali eſt potentia naturalis ad formas ſupernaturales, quod probat ex Auguſt. lib. 1. de prædeſt. Sanct. c. 4. dicente: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum*; ſed quod naturæ eſt hominum eſt naturale; ergo talis potentia, & inclinatio eſt naturalis. Et confirmat ex eo, quod ſi Deus anihilaret animam Petri, adhuc corpus haberet naturalem inclinationem ad illam, quamquâm revnio excederet vires naturæ; ergo quamquam aſſecutio viſionis beatæ excedat vires naturæ, dari poteſt appetitus naturalis ad illam.

6 Sed contra. Primò, quia hæc ſolutio, & impugnatio, progreditur à potentia paſsiva ad appetitum, cum tamen toto Cœlo diſtent, aliàs eſſet in natura rationali appetitus naturalis ad omne id, quod Deus poteſt in ea operari, & conſequenter ad vnionem hypoſtaticam, & alia plura, cum omnia poſsit recipere, quod nemo ſanæ mentis poterit affirmare. Secundó. Quia potentia ad fidem, charitatem, cæteraſque formas ſupernaturales, licèt ſit entitativè naturalis, quatenùs ſupernaturalis non eſt, attamen non eſt naturalis á natura, hoc eſt, ſecundùm capacitatem purè naturalem, ſed obedientialem; at appetitus innatus eſt â natura, & ſecundùm impulſum naturæ; vndé non eſt ſimile.

7 Tertiò. Quia capacitas paſsiva eſt ad omnem perfectionem, ſive conſequendam viribus naturæ, ſive viribus gratiæ; ſed appetitus innatus ſicut eſt ab ipſa natura, ita eſt ad conſequendam perfectionem viribus naturæ, quod repugnat reſpectu viſionis beatæ. Quartò. Quia potentia illa ad formas naturales eſt paſsiva; appetitus autem innatus eſt activus. Quintò. Quod dicit Auguſtinus in omnium ſententia veriſsimum eſt, quia poſſe habere fidem, & charitatem, naturæ eſt hominum, non leonis, non lapidis; hoc autem ad appetitum innatum nihil conducit, ſed ad capacitatem paſsivam, vel fortasê ad appetitum elicitum, vt infra exponemus.

8 Sextò. Quia appetitus innatus eſt inditus ab Authore naturæ; ſed ab Authore naturæ eſſe non poteſt appetitus in viſionem beatam; ergo nullus eſt appetitus innatus ad viſionem beatam. Minor probatur. Ab Authore naturæ eſſe non poteſt appetitus, ad quem non poteſt perducere; ſed Deus vt Author naturæ perducere; non poteſt creaturam rationalem in viſionem beatam; ergo talis appetitus eſſe non poteſt à Deo Authore naturæ. Maior conſtat, quia fruſtranea eſt inclinatio in terminum inaſſequibilem ab eodem Authore inclinante. Minor etiam liquet, quia viſio clara Dei, vtpotê ſupernaturalis ſolùm eſſe poteſt à Deo Authore ſupernaturali. Conſequentia autem optimè deducitur.

9 Ad id, quod additur de appetitu corporis ad animam anihilatam, reſpondeo corpus non appetere animam vt reproducibilem, nec revnibilem, quia hoc eſt extra ſphæram naturæ, ſed appetit animam rationalem ſub illa generali ratione formæ, qua materia prima appetit omnes formas. Nec corpus percipit an anima ſit anihilata, vel non. An ſit revnibilis, vel non. Nec ab ea cognitione pendet appetitus innatus.

10 Hæc omnia confirmat Ang Doctor 1. p. q. 23. a. 1. his verbis: *Ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare: finis autem, ad quem res creatæ ordinantur à Deo, eſt duplex. Vnus, qui excedit proportionem naturæ, & facultatem, & hic finis eſt vita æterna, quæ in diuina viſione conſiſtit, quæ eſt ſupra naturam cuiuslibet creaturæ. Alius autem finis eſt naturæ creatæ proportionatus, quem ſcilicet res creata poteſt attingere ſecundùm virtutem ſuæ naturæ. Ad illud autem, ad quod non poteſt aliquid virtute ſuæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio tranſmittatur, &c.*

11 Ex his confirmatur cõcluſio. Natura non appetit finem, niſi habeat media, & vires ad conſequendũ finẽ; ſed in natura nulla ſunt media, nec vires ad cõſequẽ-

dum finem beatitudinis; ergo beatitudinem ſupernaturalem, ſive viſionem claram Dei non appetit. Maior conſtat, quia natura nihil appetit fruſtrà; fruſtrà autem appeteret finem inconſequibilem, vndè Philoſophus dixit textu 1. de Cœlo, c. 8. *Si aſtra haberent à natura inclinationem ad motum, neceſſariò etiam haberent organa, & inſtrumenta, quibus moverentur.* Vrgetur hæc ratio. Si natura appeteret viſionem claram Dei, appeteret media, quibus conſequenda eſt, vndè appeteret naturaliter vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei impreſſæ, lumen gloriæ, & alia huiuſmodi; quod eſt prorſus alienum à natura ex impulſu naturæ, vt infra clarius oſtendemus.

SECUNDA CONCLVSIO.

§. III.

12 DICENDUM Secundò poſſibilem eſſe in natura intellectuali appetitum naturalem elicitum inefficacem, ſive abſolutum, ſive conditionatum ad viſionem beatam; non tamen efficacem. Diximus num. 1. appetitum elicitum ſupponere cognitionem, quæ reſpectu viſionis beatæ debet eſſe ex viribus gratiæ, qua ſuppoſita dicimus poſſe naturam tendere in viſionem claram Dei appetitu naturali, non quidem ex motivo ſupernaturali, ſed in viſionem claram, quæ in ſe eſt ſupernaturalis ex motivo naturali.

13 Plures continet partes concluſio. Et quoad primam probatur. Quanquam viſio clara Dei ſit viribus naturæ impoſsibilis apprehendi poteſt vt poſsibilis; ſed hoc ipſo appeti poteſt appetitu naturali elicito inefficaci, ſive conditionato, ſive abſoluto; ergo poſsibilis eſt in natura intellectuali talis appetitus. Maior conſtat, nam experientia teſte pluta impoſsibilia vt poſsibilia (licèt falsò) apprehendimus, & ita apprehendebant Hæretici relati in Proœmio num. 4. Minor probatur. Appetitus elicitus tendit in finem vt apprehenſum; ergo quanquàm re ipſa ſit impoſsibilis viribus naturæ, ſi tamen vt poſsibilis viribus naturæ apprehendatur, naturali, & inefficaci appetitu appeti poterit.

14 Dices. Implicat appetitum eſſe abſolutum, & inefficacem; ergo vel negandus eſt abſolutus, vel admittendus efficax. Antecedens probatur. Ille eſt appetitus abſolutus, qui tendit in bonum vt abſolutè poſsibile, ſed in obiectum abſolutè poſsibile, poſsibilis eſt tendentia, & appetitus efficax, quoniam poſita abſoluta poſsibilitate obiecti independenter ab aliqua conditione, nihil eſt, quod poſsit impedire tendentiam efficacem; ergo.

15 Reſpondeo, quod ſi obiectum re ipſa impoſsibile viribus naturæ apprehendatur vt poſsibile abſolutè, non eſt cur appetitus non ſit abſolutus, vtpotè tendens in obiectum abſolutè; & independentèr à conditione: hoc tamen non ſufficit vt ſit efficax, quia appetitus efficax eſt applicativus re ipſa mediorum ad conſecutionem, quod repugnat naturæ ex viribus proprijs. In forma, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Vt abſolutè poſsibile in re, concedo maiorem. In apprehenſione tantùm, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam propter dicta.

16 Dices. Viſio clara Dei eſt obiectum ſupernaturale; ſed actus tendens in obiectum ſupernaturale eſt ſupernaturalis; ergo nullus eſt appetitus naturalis in viſionem claram: alioquin poſsibilis erit etiam appetitus innatus, quem §. antecedenti impugnavimus. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem. Sed actus tendens in obiectum ſupernaturale ex motivo ſupernaturali eſt ſupernaturalis, concedo minorem. Ex motivo naturali, nego minorem. Nam ad ſupernaturalitatem actus non ſufficit obiectum eſſe ſupernaturale, vt patet in cognitione naturali Dei, ſed vlterius requiritur, quod in illud ex motivo ſupernaturali tendat; ideſt, quod illud reſpiciat tanquam ſupernaturale, quod è contra contingit in appetitu naturali elicito.

17 Secunda pars concluſionis, nimirùm repugnare appetitum naturalem efficacem, ex dictis conſtat. Nam appetitus efficax infert re ipſa media, eaque ap-

pli-

plicat ad conſecutionem; ſed natura non habet media ad conſecutionem viſionis beatæ; ergo non eſt poſsibilis appetitus efficax naturalis ad viſionem beatam. Confirmatur. Si poſsibilis eſſet appetitus efficax naturalis ad viſionem beatam, poſſet homo ex viribus naturæ aliquid ad vitam æternam conducens; ſed hoc dici non poteſt, & improbatur à Conc. Arauſicano 2. & Tridentino; ergo non eſt poſsibilis. Sequela probatur. Talis appetitus naturalis conduceret ad vitam æternam, quia moveret efficaciter voluntatem ad actus ſupernaturales concurrentes meritoriè ad vitam æternam; cum ergo talis apetitus eſſet ex viribus naturæ, poſſet natura aliquid conducens ad vitam æternam.

TERTIA CONCLVSIO.

§. IV.

18 DICENDUM Tertiò, appetitum naturalem elicitum, & inefficacem in ordine ad claram Dei viſionem non eſſe neceſſarium quoad ſpecificationem. Eſt contra P. Uazquez. Et probatur. Ut talis appetitus eſſet neceſſarius quoad ſpecificationem deberet tendere in viſionem Dei cognitam ita bonam, vt nulla appareret ratio mali; ſed dùm in tenebris ambulamus, non ita evidenter cognoſcitur, quia dùm homo in tenebris ambulat non videt res vt ſunt in ſe, ſed quod re ipſa bonum eſt, apprehendi poteſt ſub aliqua ratione mali; ſaltim negativè, quatenùs non cognoſcitur in ea eſſe omne bonum; ergo talis appetitus neceſſarius eſſe non poteſt.

19 Confirmatur. Actus fidei ſupernaturalis eſt nobis liber, etiam quoad ſpecificationem, quia poſſumus aſſentiri, vel non aſſentiri Deo dicenti; ſed hoc ideò eſt, quia etſi in Deo nulla eſſe poſsit falſitas, aut deceptio, poteſt á nobis falsò apprehendi; ergo pari titulo appetitus viſionis beatæ quoad ſpecificationem erit liber, & non neceſſarius. Confirmatur. Ideó appetitus beatitudinis in communi eſt neceſſarius quoad ſpecificationem, quia ita proponitur conveniens, vt nullo modo diſconveniens proponi poſsit; ſed beatitudo noſtra vt eſt in ſe, eſtó in ſe mala eſſe non poſsit, nec diſconveniens, proponi tamen poteſt ſub aliqua ratione diſconvenientiæ, quatenùs importat carentiam alicuius boni ſenſibilis, & delectabilis, quo homines carnales maximé implicantur; ergo appetitus elicitus naturalis erga illam nequit eſſe quoad ſpecificationem neceſſarius.

20 Vlterius eadem concluſio ſuadetur. Bonum neceſſarium quoad ſpecificationem ab omnibus neceſſariò appetitur; ſed non omnes appetunt claram Dei viſionem in ſe ipſa; ergo appetitus illius neceſſarius non eſt neceſsitate quoad ſpecificationem. Maior conſtat in beatitudine in communi, & in bono vt ſic quod omnes neceſſariò appetunt quoad ſpecificationem, nec odio haberi poteſt; fundatur enim in illo principio practico, & lumine naturæ cognito: *Bonum eſt amandum.* Minor probatur. Quoniam re ipſa plures negant poſsibilitatem viſionis beatæ vt eſt in ſe, vt patet ex Proœmio huius tractat. num. 1. ergo illi viſionem beatam non appetunt; non ergo omnes appetunt viſionem beatam vt eſt in ſe; ergo neceſſarius non eſt talis appetitus quoad ſpecificationem.

Oppoſita argumenta enervantur.

§. V.

21 ARGUITVR Primò ex Illuſtriſ. Silva. Creatura rationalis pondere naturæ tendit in ſuum vltimũ finem; ſed vltimus finis creaturæ rationalis eſt Deus clarè cognitus; ergo naturali pondere tendit in cognitionem claram Dei. Maior conſtat. Quoniam omnis natura creata tendit in ſuum centrum, & finem deſtinatum ab Authore naturæ; ergo pariter creatura rationalis, aliás eſſet deterioris conditionis. Minor etiam manifeſta apparet, quandoquidem ſolus Deus poteſt eſſe finis vltimus

mus creaturæ rationalis, nec à Deo alius finis deſignari poteſt; aliàs talis deſignatio eſſet inordinata, qua ratione dixit Auguſtinus: *Creaſti nos Domine propter te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perveniat ad te.*

22 Secundò. In creatura rationali datur potentia naturalis ad finem ſupernatualem, viſionemque beatam; ergo & appetitus innatus. Antecedens probatur. In creatura rationali datur ordinatio in finem ab Authore naturæ; ſed ab Authore naturæ ordinari non potuit ad alium finem, niſi ad viſionem beatam, hoc enim ſpectat ad providentiam Dei, qua resomnes, quas producit, ordinare debet n ſuum finem; ergo paritèr creaturamirationalem.

23 Tertiò. In creatura rationali datur potentia ad viſionem beatam; ſed illa potentia non eſt obedientialis, ſed naturalis; ergo datur potentia naturalis ad finem ſupernaturalem; ergo & appetitus innatus. Minor probatur. Potentia obedientialis dicit meram capacitatem paſsivam, non exigentiam, & debitum; ſed increatura rationali, eo quod rationalis eſt non eſt ſola capacitas paſsiva ad viſionem beatam, ſed exigentia, & debitum, vnde carentia viſionis beatæ in creatura intellectuali, eſt carentia in ſubiecto debito, veraque privatio; ergo.

24 Quartò. Quod appetitus innatus non ſupponat cognitionem viſionis beatæ nihil interſt vt eam appetat, quòniam appetitus innatus non movetur à cognitione, ſed ab Authore naturæ; vnde gravia, & levia ſuum centrum appetunt ſine cognitione; ergo & creatura rationalis viſionem beatam appetitu innato. Quintó. Quod natura vires non habeat ad conſecutionem viſionis beatæ non impedit appetitum innatum, nam diſpoſitio mediorum eſt à Deo prædeſtinante; ſed appetitus innatus eſt à Deo Authore ordinante in finem, non prædeſtinante; ergo ex defectu virium in natura negandus non eſt appetitus innatus.

25 Ad argumentum, diſtinguo maiorem. Tendit in ſuum vltimum finem eiuſdem ordinis, concedo maiorem. Diverſi ordinis, nego maiorem. Nam vltimus finis creaturæ rationalis in ordine naturæ non eſt Deus claré viſus, nec intuitivè, ſed abſtractivè cognitus. Nec amplius evincitur ex probatione. Ad ſecundúm, diſtinguo antecedens. Potentia naturalis entitativè, concedo antecedens; terminativè, nego antecedens. Hæc enim eſt potentia obedientialis capax recipiendi formas ſupernaturales, per quas tendere poſsit in viſionem ſupernaturalem. Ad probationem dico hominem condi poſſe à Deo in pura naturâ, in qua nullo modo eſſet ordinata ad Deum claré videndum. Nec ideò daretur á Deo alius finis vltimus creaturæ rationali præter ipſum Deum, ſed eſſet finis vltimus ipſe cognitus abſtractivè.

26 Ad tertium, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Potentia obediẽtialis dicit capacitatem, non exigentiam in natura pura, concedo maiorem. In natura elevata, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Vndè carentia viſionis in natura elevata eſt vera privatio. Ad quartum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Non enim negamus appetitum innatum ex defectu cognitionis, ſed ex ſupernaturalitate termini, ideòque ordo in talem terminum eſſe non poteſt ab Authore naturæ, ſed á Deo Authore ſupernaturali.

27 Ad quintum, nego antecedens. Nam licèt media efficacia ad conſequendam viſionem claram Dei ſint à Deo prędeſtinante; attamen ad media ſufficientia non requiritur prædeſtinatio, cũ etiam dentur non prædeſtinatis: quarè ſi ab Authore naturæ daretur creaturæ rationali appetitus innatus ad claram Dei viſionem, ab eodem Deo vt Authore naturæ danda eſſent media ſaltim ſufficientia ad illius conſecutionem, quod repugnat.

28 Arguitur ſecundó, contra ſecundam concluſionem. Datur per nos appetitus elicitus naturalis inefficax ad claram Dei viſionem; ergo & efficax. Conſequentia probatur. Ideó non datur appetitus efficax naturalis, quia non poteſt natura applicare efficacitèr media ad conſecutionem viſionis, ſed ſemél poſito appetitu inefficaci hæc ratio nulla eſt; ergo ſi datur inefficax, ponendus eſt etiam efficax. Minor probatur. Sicut appetitus efficax movet efficacitèr voluntatem ad applicanda media, ita inefficax movet

ineſ-

inefficacitèr ; ſed poteſt movere inefficacitèr, etſi nullo modo media contineat; ergo pari titulo, etſi in natura nulla ſint media ad conſecutionem finis movere poterit efficacitèr. Explicatur hæc ratio. Movere inefficacitèr eſt movere ſub conditione, quod dentur merita ex viribus gratiæ, ſed ſub hac conditione movere poteſt efficacitèr, vt patet; ergo quo pacto ponitur appetitus inefficax naturalis, eo ponendus eſt efficax.

29 Ad argumentum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, nego ſimilitèr maiorem. Quia appetitus dicitur inefficax, non quia movet inefficacitèr, aut efficacitèr voluntatem, cum nullo modo moveat, ſed quia caret medijs ad conſecutionem finis. Etenim appetitus inefficax diverſimodè explicatur. Aliqui dicunt eſſe ſimplicem complacentiam obiecti; & hoc modo non movet voluntatem ad applicanda media, cum ſimplex complacentia executionem non reſpiciat. Alij dicunt eſſe conditionatum; & appetitus conditionatus movere non poteſt ad executionem, cum ſit ſub conditione, quod media adeſſent, cum re ipſa deſint. Alij dicunt eſſe abſolutum de obiecto impoſſibili naturæ, apprehenſo tamen vt poſsibili, ſed hic tantùm movere poteſt ad applicanda media apparentia, non vera. Alij dicunt eſſe de obiecto vt conſequibili, non per vires naturæ, ſed gratiæ; ſed hic movere non poteſt ad applicanda media, cùm illa expectet ex gratia; ergo appetitus elicitus naturalis inefficax, quocumque modo explicetur, movere non poteſt ad executionem.

30 Arguitur tertiò ex D. Thoma 1.p.q.12.a.1.vbi ait: *Ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum*; ergo iuxta D. Thomam datur appetitus innatus ad claram Dei viſionem. Rurſùs. Tale deſiderium eſt efficax, nam ex tali deſiderio probat D. Thomas poſsibilitatem viſionis; ſed poſsibilitas viſionis probari non poteſt ex deſiderio inefficaci, cùm hoc verſari poſsit circa obiectum impoſsibile: ergo loquitur de deſiderio efficaci; ergo datur appetitus naturalis efficax viſionis beatæ. Confirmatur. Probat D. Thomas poſsibilitatem viſionis beatæ, quia aliàs *remaneret deſiderium naturæ immane*; ergo loquitur de deſiderio infruſtrabili; ſed hoc eſt deſiderium efficax, non inefficax; ergo.

31 Reſpondeo primò illud deſiderium dici à D. Thoma *naturale*, hoc eſt connaturale, ac naturæ conſentaneum, non verò *naturale* intra ordinem naturæ; non ex effectibus naturalibus, ſed ſupernaturalibus. Reſpondeo ſecundò certum eſſe ibi non loqui de appetitu, aut deſiderio innato, cum loquatur de deſiderio procedente ex cognitione effectuum. Reſpondeo tertiò loqui de appetitu elicito etiam efficaci, ſed proportione ſervata, nimirùm ex effectibus naturalibus inſurgit deſiderium videndi cauſam, videlicet abſtractivè, quo ſenſu tantùm videri poteſt in ordine naturæ Ex effectibus autem ſupernaturalibus, & viribus gratiæ inſurgit deſiderium videndi cauſam clarè, & intuitivè.

32 Arguitur quartò, contra tertiam concluſionem. In viſione clara Dei nulla ratio mali poteſt apparere; ergo appetitus naturalis elicitus erga illam erit neceſſarius quoad ſpecificationem, conſeqnentia conſtat, quia omnis actus circa obiectum, in quo nulla ratio mali apparet, eſt neceſſarius quoad ſpecificationem. Antecedens probatur. Viſio clara Dei eſt noſtra fœlicitas; ſed cùm ſuprema fœlicitate non cohæret aliqua ratio mali; ergo in viſione beata nulla ratio mali poteſt apparere.

33 Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Nulla ratio mali poteſt apparere in cognoſcente clarè, concedo antecedens. In cognoſcente obſcurè, nego antecedens; vel ſub diſtinguo. Nulla ratio mali poſitivè concedo; negativè nego. Nam licèt in viſione beata nulla ratio poſitiva mali apparere poſsit; attamen à non cognoſcente clarè, non detegitur ſumma ratio boni, vndè relinquit libertatem ad appetitum; atque adeò

Viatoribus ita cognoſcentibus nequit eſſe neceſſariùs quoad ſpecificationem.

***

TRAC-

TRACTATVS II.

DE SPECIE AD VISIONEM claram Dei neceſſaria.

SI Ex effectibus inſurgit naturale deſiderium videndi cauſam, vt inquit Divus Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 1. ex appetitu ſuperiori tractatu expoſito viſionis beatæ inſurgit naturale deſiderium cognoſcendi principia ad eandem viſionem concurrentia, inter quæ primum locum obtinet ſpecies, ſivè impreſſa, ſivè expreſſa, nam de vtraque non levis apparet dubitandi ratio, quam præſenti tractatu explicare, & enodare curabimus.

DVBIVM I.

Vtrùm de facto detur aliqua ſpecies impreſſa creata concurrens cùm intellectu Beati ad viſionem Dei vt eſt in ſe?

§. I.

1 CUM Cognitio fiat media aliqua ſimilitudine obiecti, notandum ſimilitudinem, aliam eſſe impreſſam, aliam expreſſam, & aliam obiectivam. Impreſſa eſt quædam forma ab obiecto immiſſa, vel á Deo infuſa, quæ vnita potentiæ concurrit cúm illa ad cognitionem, vel efficienter, vt pluribus placet; vel ingenere cauſæ formalis determinantis potentiam ad cognitionem talis obiecti, vt Alij autumant. Expreſſa eſt verbum productum per actum intelligendi, per quod potentia in actu ſecundò cõiungitur cum obiecto. Obiectiva eſt aliud obiectũ priùs cognitum manuducens potentiam in cognitionem alterius, vt cum Deum cognoſcimus per ea, quæ facta ſunt. Porrò propoſita controverſia de prima tantúm ſimilitudine procedit.

2 Prima ſententia docet darĩ de facto in Angelis ſpeciem impreſſam creatam repræſentantem Deum diſtinctè, & quidditativè, quam eſſe communem Scotiſtarum tradit Maſtrius tit. 1. diſp. 6. quæſt. 1. num. 1. Sed inter ſe dividuntur; nam Aliqui docent eam ſpeciem deſervi-

re ad cognitionem intuitivam Dei. Alij frequentius aſſerunt deſervire poſſe duntaxat ad cognitionem abſtractivam, quanquam diſtinctam, & quidditativam. Accedit Vazquez diſp. 39. cap. 1. & 2. & diſp. 43. à cap. 3. ponens de facto talem ſpeciem indiſtinctam à lumine gloriæ. Suffragatur Aureolus ponens illam indiſtinctam ab actu viſionis. Sed Ægidius Luſitanus lib. 8. de Beatitudine parte 2. q. 3. art. 2. Statuit illam diſtinctam à viſione, & lumine. Ita etiam Alarcon cùm Alijs Recentioribus. Secunda tamen eſt negativa, eāque tuentur frequentiùs Theologi, nedum illi, qui eam iudicant impoſsibilem; ſed etiam illi, qui talem ſpeciem poſsibilem adſtruunt.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDUM Primò, Lumen gloriæ gerere non poſſe munus ſpeciei impreſſæ in mentibus Beatorum ad eliciendam viſionem beatam. Traditur clariſsimè à Divo Thoma 1. par. quæſt. 12. art. 5. in corpore. Et ſolutione ad ſecundum ait: *Lumen iſtud non requiritur ad videndum Dei eſſentiam, quaſi ſimilitudo, in qua Deus videatur, ſed quaſi perfectio quædam intellectus confortans ipſum ad videndum Deum*; ſed ſpecies eſt ſimilitudo, in qua Deus videtur, non perfectio confortans intellectum ad videndum: qua ratione ibidem docet S. Doctor lumen concurrere per modum diſpoſitionis, & formæ elevantis, ac proportionantis potentiam; ergo lumen gloriæ habere non poteſt munus ſpeciei.

4 Ratione probatur. Species intellegibilis ſupponit lumen gloriæ in potentia; ergo ſpecies intelligibilis diſtinguitur à lumine. Antecedens probatur. Species intelligibilis ſupponit virtutem intelligendi ex parte potentiæ; ſed hæc virtus intelligendi eſt lumen gloriæ; ergo ſupponit lumen gloriæ. Minor conſtat. Quia potentia naturalis intellectus talem virtutem non habet ex viribus proprijs; ergo habet à lumine; ſed ſpecies nequit determinare potentiam ad videndum, niſi ſupponat in potentia virtutem ad videndum; ergo ſpecies concurrens ad viſionem Dei ſupponit neceſſariò lumen.

5 Confirmatur ex Philoſopho 3. de anima. Et Auguſtino lib. 12. de Trinitate: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*, nam obiectum concurrit ad cognitionē ſui, non ſolùm terminativè, ſed etiam motivè movendo, & determinando potentiam; ſed potentia non poteſt concurrere cum obiecto ad viſionem claram Dei virtute naturali; ergo præter concurſum obiecti, ſivè ſpeciei, requiritur in potentia virtus ſupernaturalis; ſed hæc eſt lumen gloriæ; ergo datur lumen gloriæ diſtinctum à ſpecie. Confirmatur ſecundò, exemplo omnium potentiarum, quæ ſupponuntur in actu primò proximo, & expedito ad ſuos actus antequam informentur ſpecie determinante ad hoc obiectum præ alio, vt per omnes potentias diſcurrenti conſtabit, vndè ſpecies poſita in potentia non proportionata, nec conſtituta in actu primo proximo, & expedito, non concurrit ad talem actum; ergo, vt concurrat cum intellectu ad viſionem beatam debet illum ſupponere proportionatum per lumen gloriæ.

6 Opponit Bernal 3. par. diſp. 34. ſect. 5. num. 88. Angelus ſe ipſum cognoſcit media ſpecie à ſua virtute intellectiva indiſtincta; ergo datur in creatis ſpecies indiſtincta à virtute intellectiva; ergo falſum aſſumimus dum dicimus omnes potentias indigere ſpecie diſtincta á virtute potentiæ. Sed contra. Primò quia etiam in Angelis virtus intellectiva diſtinguitur realiter à ſua ſubſtantia gerente munus ſpeciei ad cognitionem ſui. Secundò. Dicta tario ſolùm probat neceſſariam non eſſe ſpeciem diſtinctam circa obiectum indiſtinctum, cum tamen noſtra ratio procedat de neceſsitate ſpeciei ergà obiectū diſtinctum: imò ex hoc reintegratur ratio facta. Nam dato ſpeciem Angeli non diſtingui à ſua virtute intellectivà in cognitione ſui; attamen ad cognitionem alterius obiecti indiget ſpecie diſtincta à potentia, & virtute proportionante potentiam; ergo & Beati ad viſionem Dei.

***

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

7 DICENDUM Secundò non dari defacto ſpeciem impreſſam creatam concurrentem cum intellectu Beati ad viſionem claram Dei vt eſt in ſe ; ſolamque eſſentiam divinam per ſe ipſam hunc concurſum præſtare, conſtat ex Parente Anſelmo in Epiſt. ad Cor. 13. dicente : *Videmus; ergo facie ad faciem, ideſt manifeſtatione Dei poſita ad noſtræ mentis intentionem, vt nihil inter nos, & ipſam interſit; ſic videbimus eum manifeſtè in ſe ipſo ; modò enim non videmus eum in facie , ſed in extranea, & multùm ab ea diverſa creaturarum ſimilitudine.* Et ne cum doctiſsimo Gerberone dicas hæc Commentaria non eſſe Anſelmi; idem repetit in Monolog. c. 65. per hæc verba : *Sæpè videmus ali[illegible], non propriè, quemadmodum res ipſa eſt ſed per aliquam ſimilitudinem , aut imaginem , & cum vultum alicuius conſideramus in ſpeculo.*

8 Eandem tradit doctrinam Ang. Mag. 3. p. q. 9. a. 3. ad 3. ibi: *Dicendum , quod cognitio beata non fit per ſpeciem , quæ ſit ſimilitudo divinæ eſſentiæ, vel eorum , quæ in divina eſſentia cognoſcuntur, vt patet ex his , quæ in 1. p. dicta ſunt; ſed talis cognitio eſt ipſius eſſentiæ divinæ immediatè per hoc , quod ipſa eſſentia divina vniatur menti Beati, ſicut intelligibile intelligenti* : quod idem repetit alijs pluribus in locis.

9 Ratio deducitur ex Anſelmo in Monol. c. 6. vbi ait : *Summam eſſentiam eſſe per ſe ipſam quidquid eſt* ; ſed ſumma eſſentia eſt ſummè intellegibilis ; ergo per ſe ipſam eſt intelligibilis ; ſed aliundè per ſe ipſam eſt intimè præſens potentiæ perfusè lumine gloriæ , per quod proportionatur ad viſionem beatam ; ergo non requiritur alia ſpecies diſtincta ad viſionem beatam ; ergo ponenda non eſt. Patet conſequentia , quia cum ſpecies ſit vicaria obiecti, ſolùm ponenda eſt , quando obiectum, vel non eſt per ſe intelligibile , vel non eſt ſufficienter præſens potentiæ.

10 Confirmatur. Species communiter dicitur vicaria obiecti , quia ſubſtituit pro obiecto; at invtile eſt ſubſtitutum præſente principali ; ergo invtilis eſt ſpecies præſente eſſentia divina, ſed eſſentia divina eſt intellectui creato intimè præſes, non minus, quam ſubſtantia Angeli reſpectu ſui intellectus ; ergo ſicut in Angelo invtilis eſſe ſpecies diſtincta ad cognitionem ſui , ita in Beatis ad cognitionem claram eſſentiæ divinæ.

11 Reſpondebis Deum eſſe quidèm intimè præſentem intellectui Beati, non tamen vnitum per modum obiecti intelligibilis , ſed præſentia phiſica per immenſitatem , aut locali indiſtantia, non intentionali , & obiectiva. Sed contra, Præſentia intentionalis non eſt aliud, quàm præſentia obiecti intelligibilis in potentia proportionata ad intellectionem ; ſed ita præſens eſt Deus per ſe ipſum intellectui Beatorum , nam propter ſummam ſui immaterialitatem eſt per ſe intelligibilis ; aliundè talitèr eſt vnitus mentibus Beatorum , vt in illis cauſet lumen gloriæ , per quod proportionantur; ergo eſt vnitus vt obiectum intelligibile potentiæ proportionatæ quapropter etſi intimè præſens ſit mentibus Viatorum non eſt illi vnitus per modum obiecti intelligibilis ex defectu dictæ proportionis, & diſpoſitionis.

12 Adhuc reſpondebis ex Pat. Uazquez ex his probari eſſentiam divinam eſſe vnitam mentibus Beatorum per modum obiecti terminativi viſionis , vel per modum comprincipij eiuſdem viſionis , non tamen per modum formæ intelligibilis, cum mentes Beatorum informare non poſsit. Sed contra. Nam eſſentia divina non ſolùm eſt terminus viſionis, ſed etiam ratio videndi , cum fæcundet intellectum ad videndum ; ergo non ſolùm vnitur per modum obiecti terminativi , ſed motivi. Rursùs. Vnio eſſentiæ divinæ per modum obiecti intelligibilis non indiget informatione , vt oſtendit D. Thomas 3. contra Gent. c. 5. his verbis; *Hoc eſt proprium divinæ ſubſtantiæ ex hoc, quod eſt veritas ipſa per eſſentiam , & purus actus in genere intelligibilium , quod poteſt eſſe principium formale , quo intellectus intelligit abſque eo, quod informet intellectum, quia per identitatem coniunguntur illi , nam in Deo eſt idem intellectus , & ſpecies , &*

res intellecta, ſeù obiectum, quod cognoſcitur; ergo quia in Deo idem eſt ſpecies, & obiectum intellectum vnitur, ſine informatione.

Alia concluſionis ratio.

§. IV.

13 PROBATUR Secundò eadem concluſio. Poteſt eſſentia divina vniri intellectui creato permodũ ſpeciei, ſed hoc ipſo connaturaliùs eſt, vt viſio procedat ab eſſentia divina per modum ſpeciei, quam abalia ſpecie creata; ergo defacto non datur alia ſpecies creata. Patet conſequentia, quia de facto dicendum eſt omnia à Deo fieri ſecundùm exigentiam rerum, niſi oppoſitum conſtet ex doctrina revelata. Maior in præſenti potius ſupponenda eſt, quàm probanda, & ex dictis conſtat, quoniam titulo informationis Deo repugnantis ab Adverſarijs excluditur; at informatio non requiritur, vt dictum eſt à D. Thoma, & patet in exemplo ſubſtantiæ Angeli vnita ſuo intellectui ſine informatione. Et in ſubſiſtentia Verbi vnita humanitati. Minor ergo in qua ſola eſt difficultas probatur. Viſio ſolùm poteſt procedere à ſpecie tamquam à ſubſtituto obiecti, ideòque ex proprio conceptu eſt illius vicaria; ſed connaturalis fit per principale ipſo præſente, quàm per ſubſtitutum; ergo viſio beata connaturaliùs fit media eſſentia divina, quàm media ſpecie diſtincta.

14 Sed contra hanc rationem inſurges. Semèl poſita poſsibilitate ſpeciei impreſſæ diſtinctæ ab eſſentia connaturalis fit viſio beata media ſpecie creata, quàm media eſſentia divina vnita per modum ſpeciei; ſed in præſenti ſicut ſupponitur poſsibilitas vnionis eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei, ita ſupponenda eſt poſsibilitas ſpeciei creatæ; ergo de facto ponẽdaeſt. Maior probatur. Connaturaliùs eſt intellectui creato cognoſcere obiectũ per formam creatam, illi inhærentem, & ſubordinatam, quàm media eſſentia divina illi non inhærente, nec ſubordinata: Iten connaturaliùs eſt Deo concurrere ad operationes creaturarum per formas creatas, quàm per ſe ipſum. Undè Authores aſſerentes Deum vniri poſſe per modum luminis, adhuc ponunt lumen creatum ad viſionem beatam defacto, quia id eſt connaturaliùs. Hac ratione ponũtur in voluntate habitus miſericordiæ, & iuſtitiæ ad eorũ actus connaturaliùs eliciẽdos, eſtò fieri poſsint ſinè illis. Quamquam Chriſtus ſit Sanctus, poſsítque abſolutè operari ſinè habitibus ſupernaturalibus, ad huc ponitur gratia, & ponuntur habitus ad connaturalem operandi modum. Quamquam ſubſiſtentia divina poſsit per ſe ipſam vniri humanitati; natura creata connaturaliùs ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, quàm divina; ergo pari titulo intellectus creatus connaturaliùs operabitur media ſpecie creata, quàm per eſſentiam divinam vnitam.

15 Verùm hæc non vrgent. Reſpondeo enim negando maiorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Connaturaliùs eſt intellectui creato cognoſcere, &c. obiectum per ſe intelligibile, & vnibile, nego antecedens. Non per ſe intelligibile, & vnibile, concedo antecedens. Nam obiectum per ſe intelligibile, & vnibile eſt per ſe ipſum præſens, quarè inutilè, & ſupervacaneum eſt ſubſiſtutum. Hoc autem non impugnat exempla allegata. Nam lumen gloriæ, & habitus operatativi ſunt per ſe virtutes deſtinatæ ad operationem, vndè non ordinantur ad ſupplendum defectum omnipotentiæ, quamquam hæc abſolutè poſſet vniri per modum luminis, aut habitus, ſed potius omnipotentia ſic vnita ſupleret defectum luminis, vel habitus

16 Similitèr iuſtitia, & miſericordia non ordinatur ad ſupplendum auxilium fluidum, ſed potiùs è contra. Et ſic de alijs quapropter operatio connaturaliùs procedit ab habitibus, á lumine gloriæ, alijſque virtutibus ex ſua natura operativis, quàm ab omnipotentia ſupernaturalitèr vnita: attamen ſpecies eſt repræſentativa obiecti, & ordinatur ex natura ſua ad ſupplendum pro obiecto; cum ergo pro obiecto per ſe intelligibili, & conſequentèr præſenti nullus ſit ſupplendus defectus, connaturaliùs fit viſio medio ipſo obiecto per ſe vnito, quàm per ſpeciem creatam.

17 Dices. Hæc doctrina evertit ſuppoſitum quæſtionis, quia ſi eſſentia divina eſt per ſe vnibilis, & intelligi-

bilis, ſpecies creata repugnat; hac enim ratione communiter illius repugnantia probatur; at in præſenti admittimus poſsibilitatem ſpeciei; ergo prædicta doctrina in præſenti admittenda non eſt. Secundò. Deus eſt cauſa principalis productiva gratiæ; attamen eam non cauſat ſe ſolo, ſed vtitur inſtrumentis, nempè Sacramentis, vt connaturalius operetur; ergo quamquam eſſentia divina ſit per ſe intelligilis vti poterit ſpecie creata, vt connaturalius ad viſionem concurrat.

18 Ad primum dico dictam rationem re ipſa probare repugnantiam ſpeciei creatæ, ſed in præſenti admittimus eam repugnantiam non probare, ſed potiùs poſsibilitatem ſupponimus; poſita tamen hac poſsibilitate adhuc dicimus connaturalius fieri viſionem per eſſentiam divinam vnitam, quàm per ſpeciem creatam. Ad ſecundùm dico apertum eſſe diſcrimen inter cauſam inſtrumentalem, & ſpeciem. Nam cauſa inſtrumentalis, nec repræſentat cauſam principalem, nec ordinatur ad ſupplendum defectum cauſæ principalis, nam cauſa principalis cum inſtrumentali re ipſa concurrit; vndè concurſus cauſæ principalis non impedit concurſum inſtrumenti: attamen eſſentia divina ſe ipſa vnita intellectui proportionato nullum relinquit locum ad concurſum ſpeciei, quia hæc ſolùm poſſet concurrere ad viſionem beatam ſupplendo defectum obiecti, ſinè eſſentiæ divinæ.

Argumenta oppoſitæ ſententiæ enervantur.

§. V.

19 ARGUITUR Primò contra primam concluſionem. Quidquid deſiderari poteſt in ſpecie, reperitur in lumine gloriæ; ergo non requiritur, nec datur alia ſpecies diſtincta à lumine gloriæ. Antecedens probatur. Lumen gloriæ activè concurrit cum intellectu ad viſionem; potentiam elevat, & confortat, non ad quamcumque viſionem, ſed adhanc viſionem, huiuſque determinati obiecti; ſed nihil aliud ſupereſt præſtandum ad ſpecie; ergo lumen gloriæ præſtat quidquid præſtari poteſt à ſpecie diſtincta.

20 Confirmatur. Poſita potentia intellectiva lumine gloriæ informata, accedente concurſu generali Dei, & quocumque alio ſecluſo, datur completum, & adæquatum principum ad viſionem beatam producendam; ergo non requiritur alia ſpecies diſtincta. Antecedens probatur. Illud eſt principium completum, & adæquatum, cui correſpondet omnis formalitas reperta in effectu; ſed intellectui lumine gloriæ inſtructo correſpondet omnis formalitas in viſione reperta, nimirum, vitalitas, ſupernaturalitas, ac tendentia ad hoc obiectum præ alia, nam intellectus lumine gloriæ inſtructus eſt vitalis, ſupernaturalis, ac determinatus ad hanc numero viſionem, cum lumen ſit virtus ad viſionem Dei, & non ad alium effectum; ergo eſt principium completum, & adæquatum.

21 Reſpondeo intellectum lumine gloriæ inſtructum eſſe principium adæquatum adæquatione potentiæ, ſed vlterius requiritur concurſus obiecti ad viſionem, quia *ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Vt fert commune axioma ex Auguſtino, & Philoſopho deſumptum: vndè etſi lumen primorum principiorum eſt determinatum ad prima principia cognoſcenda; lumen Philoſophicum eſt determinatum ad ens mobile; & nihilominus requiritur, & communiter ponitur ſpecies intelligibilis diſtincta; ergo quia vltra virtutem, & determinationem ex parte potentiæ requiritur determinatio ex parte obiecti, quæ ponitur media ſpecie.

22 Hæc autem determinatio obiectiva præſtita à ſpecie nihil aliud eſt, quam reddere obiectum intelligibiliter præſens potentiæ, ſine qua determinatione tota illa ſufficientia activa, quæ eſt in intellectu perfuſo lumine gloriæ non ſufficeret ad viſionem, vt patet in exemplis allegatis; eſt enim viſio obiecti quidam partus intentionalis, qui ad ſimilitudinem partus naturalis, exigit à duplici principio procedere. Ex quibus facilè in forma occurri poteſt argumentaſ & confirmationi.

23 Dices. Diverſa eſt ratio aliorum vitutum à lumine gloriæ, nam

aliæ virtutes ſunt indifferentes ad hoc obiectum præ alio, vndè non mirum ſi requiratur ſpecies diſtincta indifferentiam determinans; attamen lumen gloriæ nullam habet indifferentiam, ſed eſt determinatum ad viſionem claram Dei; ergo non indiget ſpecie diſtincta. Reſpondeo lumen gloriæ nullam habere indifferentiam actiuam, habere tamen indifferentiam obiectiuam, quia ex ſe non eſt determinatum determinatione obiecti præſtanda à ſpecie, quarè lumen non tollit indefferentiam potentiæ adæquatè ſed inadæquatè propter dicta.

24 Arguitur ſecundò contra vtramque concluſionem. Si eſſentia divina gereret munus ſpeciei activè concurreret ad viſionem; ſed activè concurrere non poteſt; ergo munus ſpeciei non habet. Maior conſtat, quia ſpecies activè concurrit cum potentia ad actum. Minor probatur. Talis concurſus eſſet naturalis, neceſſarius, & non liber; ſed hoc modo concurrere non poteſt; alióquin produceret viſionem infinitam, quia medio concurſu naturali operatur quantum poteſt; ergo activè concurrere non poteſt. Maior probatur. Concurreret vt forma integibilis; ſed eſſentia divina eſt forma per ſe intelligibilis naturaliter, & non liberè; ergo:

25 Reſpondeo hoc argumentum, nihil evincere negato effectivo concurſu in ſpecie. Sed nèc eo admiſſo, nam licet eſſentia divina vnita mentibus Beatorum operetur naturalitèr, attamen vnitur liberè, nec producit viſionem infinitam, cum ſolùm operetur iuxta diſpotionem luminis. Patet in ſpecie ſenſibili, quæ liberè vnitur oculis, quatenús homo liberè poteſt eos dirigere, vel non dirigere ad obiectum, ſed ſemèl vnita naturalitèr operatur.

26 Arguitur tertiò. Species ſubordinatur intellectui; ſed hoc dici non poteſt de eſſentia divina reſpectu intellectus creati; ergo non gerit munus ſpeciei. Maior probatur. Habitus ſubordinantur potentiæ; ergo & ſpecies. Patet conſequentia: tùm quia ſpecies intelligibiles pertinent ad ſpeciem habitus; vt communitèr dicitur: tum quia ſpecies deſerviunt potentiæ, ſicut habitus. Reſpondeo ſpeciem ſubordinari intellectui ex conceptu accidentis, non ex conceptu eſſentiali ſpeciei: vndè ſubſtantia Angeli non ſubordinatur ſuæ potentiæ intellectivæ, ſed potius eam ſibi ſubordinat; ergo potiori titulo eſſentia divina. Similitèr ſubſiſtentia creata eſt modus naturæ ab ea dependens, quod è contra contingit in ſubſiſtentia divina vnita humanitati.

DVBIVM II.

An poſsibilis ſit aliqua ſpecies impreſſa creata ad videndum Deum vt eſt in ſe?

§. I.

1 SPECIES Eſt ſimilitudo obiecti; hanc autem ad videndum Deum non eſſe defacto in mentibus Beatorum diximus dubio antecedèti; inquirimus inpræſenti, an inſpecta poteſtate abſoluta poſsibilis ſit ſpecies ita perfecta vt poſsit deſervire Beatis ad videndum Deum vt eſt in ſe?

2 Prima ſententia eſt affirmativa. Eamque tuetur P. Suarez, Vazquez, Valencia, Molina, Becanus, & Alij plures. In eamdem ſententiam inclinat Scotus in 2. diſt. 3. q. 9. §. *ad quæſtionem*, vbi docet, non ſolùm eſſe poſsibilem, ſed defacto dari in Angelis. Verùm Scotiſtæ Subtilem Doctorem interpretantur de ſpecie impreſſa repræſentante Deum abſtractivè, eſtó diſtinctè, & quidditativè; non tamen intuitivè. Ita ſentire paſsim Scotiſtas tradit Maſtrius tit. 1. diſp. 6. q. 1. quamquam Alij ex eadem Schola ſuum Magiſtrum interpretètur de ſpecie etiam intuitiva. Secunda ſententia eſt negativa, quam docent communitèr Thomiſtæ. Necnon plures ex Societate Doctores. Amicus tit. 1. diſp. 9. Sect. 4. Granados tract. 4. diſp. 5. Sect. 3. Arrubal diſp. 16. cap. 4. & 5. Quirós diſp. 45. & Alij apud ipſum. Ad ſtipulatur etiam Divo Bonaventura num. 2. diſt. 23. art. 2. quæſt. 3. Baſſolis in 3. quæſt. 14. art. 1. Ex antiquioribus autem conſentit Durandus, Marſilius, Argentinas, Paludanus, Henricus, cum alij.

Sententia negativa elegitur, & ſuadetur.

§. II.

3 DICENDUM Speciem impreſſam creatam repræſentativam Dei vt eſt in ſe eſſe prorsùs impoſsibilem ; vndè eſſentia divina gerit vices ſpeciei impreſſæ ad eliciendam viſionem beatam. Conſtare videtur ex Apoſtol. 1. ad Cor. 13. aſſerente, quod *nunc videmus per ſpeculum in enigmate, tum autem videbimus facie ad faciem*; ſed viſio, quæ enigmatica non eſt, ſed facialis; quæ inſuper excludit omne ſpeculum, profectò excludit omne medium, ſivè ſit priùs cognitum, ſivè ſit ratio cognoſcendi. & ita interpretatur Sanctus Anſelmus, ita loquens : *Videmus ergo facie ad faciem, ideſt manifeſtatione Dei poſita ad noſtræ mentis intentionem, vt nihil inter nos, & ipſum interſerit, ſic videbimus eum manifeſtè in ſe ipſo.*

4 Probatur ratione eructa ex eodem Anſelmo in Monolog. cap. 6. vbi docet *eſſentiam divinam eſſe per ſe ipſam quidquid eſt.* Ergo eſſentia divina nequit eſſe per aliud id, quod eſt ; ſed eſt proximè intelligibilis ; ergo id habet per ſe, & non per aliud, ſcilicèt, per ſpeciem creatam ; ſed nec id habere poteſt, quia quod eſt ſuum eſſe in linea intelligibili nequit reddi proximè intelligibile per aliud ; at Deus eſt ſuum eſſe in linea intilligibili, immó eſt ipſa intelligibilitas, cum ſit ſummè immaterialis ; ergo non poteſt reddi proximè intelligibilis per ſpeciem creatam ; ergo non eſt poſſibilis ſpecies creata Dei vt eſt in ſe. Vtitur eandem ratione D. Thomas loco cit. dub. antecedenti, n. 12.

5 Explicatur hæc ratio. Effectus ſpeciei impreſſæ eſt reddere obiectum proximè intelligibile, cum antea eſſet intelligibile tantùm remotè, atque adeò per ſpeciem tranſit ab intelligibilitate remota ad proximam ; ſed hic traſitas repugnat eſſentiæ divinæ per formam diſtinctam ; ergo repugnat eſſentiam divinam reddi proximè intelligibilem per formam diſtinctam ; ergo repugnat ſpecies, quæ talem habeat effectum. Minor probatur. Deus non minus eſt infinitus, & actus purus in eſſe intelligibili, quam eſt infinitus, & actus purus in eſſe intellectivo ; ſed quia eſt infinitus, & actus purus in eſſe intellectivo repugnat reddi intelligentem per alquid à ſe diſtinctum ; ergo eodem titulo nequit conſtitui proximè intelligibilis per aliquid à ſe diſtinctum. Præterea. Quia Deus eſt infinitus, & actus purus in linea ſapientię repugnat conſtituit actu ſapiens per virtutem à ſe diſtinctam ; ergo quia eſt infinitus, & actus purus in linea intelligibili, vtpotè infinitè immaterialis, repugnat conſtituit actu intelligibilis per virtutem, nimirum per ſpeciem à ſe diſtinctam.

6 Reſpondebis hæc omnia convincere in Deo reſpectu propriæ potentiæ intellectivæ, cui eſt proportionatus, non verò relatè ad potentiam extraneã, cui non eſt proportionatus, & ideò proportionandus media ſpecie diſtincta, & creata. Sed contra hanc ſolutionem redeunt argumenta facta. Deus non ſolùm eſt proximè intelligibilis reſpectu ſui, ſed etiam reſpectu intellectus creati ; quia non ſolum eſt infinitus, & actus purus in linea intelligibili reſpectu ſui, ſed etiam reſpectu intellectus creati ; ergo non modò eſt proximè intelligibilis per ſe ipſum reſpectu ſui, ſed etiam reſpectu alteriùs.

7 Secundò. Quia eſt infinitus, & actus purus in linea operativa, non ſolúm repugnat conſtitui operativum per aliquid diſtinctum ad intra, ſed etiam ad extra : quia eſt infinitus, & actus purus in linea ſapientiæ, non ſolúm repugnat conſtituit ſapiens in ordine à ſe, ſed etiam reſpectu creaturarum per virtutẽ diſtinctam ; quod idem generalitèr dicendum de iuſtitia, miſericotdia, cæteriſque attributis, & perfectionibus ; ergo pari titulo, quia eſt infinitus, & actus purus in linea intelligibili, repugnat conſtitui proximè intelligibilis per virtutem, aut formam diſtinctam non tantum in ordine ad ſe, ſed in ordine ad intellectum creatum.

8 Tertio. Quod additur de improportione facilè retorquetur in Adverſarios. Nam improportio non eſt ex parte Dei, ſed ex parte intellectus creati, atque adeó elevatur per lumen gloriæ ; ergo ex parte Dei nulla ſuperaddenda eſt

virtus: ergo nec ſpecies diſtincta, quæ eſt virtus ſe tenens ex parte obiecti. Antecedens probatur. Nam Deus eſt ſummè immaterialis, ſivè comparetur ad intra, ſivè ad extra, licèt ex debilitate noſtri intellectus videri non poſsit vt eſt in ſe; ergo eſt omninò intelligibilis ex parte ſui, ſivé comparetur ad intra, ſivé ad extra, licèt ex debilitate noſtræ potentiæ videri non poſsit, vt eſt in ſe, vndè proportio ponenda eſt ex parte noſtra, non eſt parte Dei: ſicut Sol ex ſe eſt maximè viſibilis, quamquam ex debilitate noſtræ potentiæ viſivæ, videri non poſsit vt eſt in ſe, eaque propter ad Solem clarè videndum non ponitur proportio aliqua ex parte Solis, ſed ex parte potentiæ viſivæ.

9 Dices. Quamquam Deus ſit actus purus in eſſe operativo, ſæpè operatur per virtutem diſtinctam, quoniam gratiam cauſet medij Sacramentis elevatis per virtutem creatam; ergo quamquam ſit actus purus in eſſe intelligibili, poteſt conſtitui proximè intelligibilis per virtutem diſtinctam. Sed contra. Nam licèt Deus plures producat effectus per cauſas ſecundas media virtute elevante, & proportionante, ipſam cauſam ſecundam, non tamen media virtute diſtincta, qua proportionetur ipſe Deus; vndé virtus illa, qua elevantur Sacramenta, ſicut lumen gloriæ, quo elevantur intellectus creatus, non eſt virtus, qua operetur Deus, ſed qua operantur Sacramenta, & qua videt intellectus creatus.

10 Vlterius confirmatur concluſio, & ratio propoſita. Vt Deus conſtitueretur proximè intelligibilis per ſpeciem diſtinctam ſupponenda eſſet aliqua potentialitas in Deo in eſſe intelligibili; ſed hæc eſt imperfectio á Deo omninó releganda; ergo. Maior probatur. Quia ſupponendus eſſet Deus intelligibilis tantùm remotè, & in potentia ad intelligibilitatem proximam; ergo. Secundó. Effectus proprius ſpeciei impreſſæ eſt trahere obiectum ad potentiam; ſed implicat ſpeciem creatam trahere Deum ad intellectum Beati; ergo implicat talis ſpecies. Maior conſtat. Et minor probatur. Vt ſpecies traheret Deum ad potentiam, ſupponendus eſſet abſens; ſed hæc abſentia Deo repugnat; ergo.

11 Reſpondebis repugnare Deo abſentiam in eſſe rei, cum ſit immenſus, non tamen in eſſe obiecti intelligibillis. Sed contra. Implicat Deum eſſe præſentem intellectui proportionato, ac lumine gloriæ perfuſo, & non eſſe præſentem in eſſe obiecti intelligibilis; nam Deus eſt ſummè intelligibilis, aliundè potentia eſt proportionata ad intelligendum, & clarè cognoſcendum; ergo implicat Deum non eſſe intimè præſentem intellectui Beati per modum obiecti intelligibilis. Probatur aſſumptum. Quia ſubſtantia Angeli eſt intimè præſens ſuo intellecti proportionato ad eam cognoſcendam, implicat non eſſe præſentem per modum obiecti cognoſcibilis; ergo pariter in præſenti.

12 Dices. Etſi ſubſtantia Angeli ſit ſuo intellectui intimè præſens, & proportionata, adhuc poteſt ab ipſo cognoſci per ſpeciem diſtinctam; nam Michael cognoſcitur á Raphaele per ſpeciem diſtinctam; ſed hæc ſpecies poteſt à Deo ſeparari à Michaele, & poni in Raphaele; ergo eo eventu Michael ſe cognoſcet per ſpeciem diſtinctam; ergo quamquam eſſentia divina ſit intimè præſens intellectui Beati, poterit à Beato cognoſci per ſpeciem diſtinctam.

13 Reſpondeo, negando antecedens: nam licèt non repugnet ſpecies diſtincta, immò de facto vnus Angelus cogoſcatur ab alio per ſpeciem diſtinctam, cum nullus Angelus ſit actus purus, ſicut eſſentia divina, attamen à ſe ipſo cognoſci non poteſt per ſpeciem diſtinctam; quarè dato ſpeciem, qua Raphael cognoſcit Michaelem, ſeparari poſſe divinitus ab illo, & poni in intellectu Michaelis, eſſet in illo materialiter, & tamquam in ſubiecto incapaci ad præſtandum ſuum effectum formalem ſpecificum, qui eſt conſtituere obiectum præſens, cum anteà ſupponatur præſens ſubſtantia Michaelis ſuo intellectui.

14 Dices. Poſſet Deus non concurrere cum intellectu Michaelis ad ſe cognoſcendum media ſua ſubſtantia, ſed media ſpecie diſtincta; ergo iam Angelus ſe poteſt cognoſcere per ſpeciem diſ-

diſtinctam. Reſpondeo negando antecedens quoad ſecundam partem, quia ſi Deus nollet concurrere cum intellectu Michaelis ad ſui cognitionem media propria ſubſtantia, nec poſſet concurrere ad ſui cognitionem media ſpecie diſtincta: tum quia ſpecies non concurrit effectivè, atque adeò Deus cum ſpecie concurrere non poteſt effectivè: tùm quia dato concurſu effectivo in ſpecie, adhùc non poſſet Deus cum illa effectivè concurrere, quia ſpecies prius præſtat potentiæ ſuum effectum formalem, quàm concurrat cum potentia effectivè ad viſionem; ſed effectum formalem proprium, & ſpecificum præſtare non poſſet, vt dictum eſt, quia non poteſt conſtituere ſubſtantiam Michaelis ſuo intellectui præſente; ergo nunquam poſſet Deus cum tali ſpecie effectivè concurrere, vt Michael media illa ſpecie ſe cognoſceret.

15 Vel ſecundò reſpondeo ad obiectionem ex num. 12. aſsignando diſparitatem. Nam ſubſtantia Angeli, vtpotè creata, poteſt reddi proximè intelligibilis, etiam in ordine ad ſuum intellectum, per virtutem diſtinctam; quod è contra contingit in eſſentia divina propter oppoſitam rationem. Et licèt ſubſtantia Angeli ſit ſibi intimè præſens, ideôque ſpecies diſtincta neceſſaria non ſit, non ideò tamen repugnat, quia poteſt eſſe præſens, & proximè intelligibilis duplici titulo: attamen eſſentia divina in nullo ſenſu poteſt reddi proximè intelligibilis per virtutem diſtinctam, vt dictum eſt.

Secunda ratio eructa ex Anſelmo, & Angelico Præceptore proponitur, & multipliciter roboratur.

§. III.

16 SECUNDA Ratio conſtat ex eodem S. Anſelmo loco allegato in Epiſt. ad Corinth. vbi ait: *Modò enim non videmus eum in facie, ſed in extranea, & multum ab eo diverſa creaturarum ſimilitudine.* Ergo ideò viatores non vident Deum in facie, & ſicuti eſt, quia vident per ſpeciem extraneam, ſive creatam, & inferioris ordinis. Et hæc eſt prima ratio, qua Div. Thomas probat noſtram concluſionem 1. part. quæſt. 12. artic. 2. ibi: *Primò quidem, quia ſicut dicit Dioniſius primo cap. de Divinis Nominibus, per ſimilitudines inferioris ordinis rerum nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci, ſicut per ſpeciem corporis nullo modo poteſt cognoſci eſſentia rei incorporeæ; multò igitur minus per ſpeciem creatam quamcumque poteſt eſſentia Dei videri.*

17 Hæc ratio vtriuſque S. Doctoris ſub hac forma proponitur. Implicat ſpeciem ordinis inferioris repreſentare quidditativè, & clarè rem ordinis ſuperioris; ſed quælibet ſpecies creata eſt ordinis longè inferioris ordinis reſpectu Dei; ergo nulla ſpecies creata poteſt repræſentare quidditativè, & clarè Deum vt eſt in ſe; ergo talis ſpecies repugnat. Maior, in qua ſola eſt difficultas conſtat primo ex Anſelmo, D. Thoma, & Dioniſio ab ipſo allegato; quaré vel concedenda eſt, vel eorum authoritas neganda eſt. Conſtat ſecundò exemplo adducto ſpeciei corporis, quæ repræſentare non poteſt eſſentiam rei incorporeæ.

18 Sed vlteriùs ratione ſuadetur. Species repreſentativa obiecti proùt eſt in ſe, debet eſſe eiuſdem quidditatis cum obiecto ſaltim in eſſe repræſentativo; ſed implicat ſpeciem creatam eſſe eiuſdem quidditatis cum Deo adhùc in eſſe repræſentativo; ergo implicat ſpecies creata repræſentativa Dei vt eſt in ſe. Maior conſtat. Quia ſpecies debet in ſe continere obiectum, quod repræſentat; ergo ſi illud repræſentat proùt eſt in ſe, debet illud proùt eſt in ſe continere, quod eſt eſſe eiuſdem quidditatis in eſſe repræſentativo. Minor autem probatur. Eſſe repræſentativum in ſpecie non eſt aliquid fictum, ſed aliquod verum eſſe, & reale; at implicat ſpeciem creatam eſſe eiuſdem quidditatis cum Deo in aliquo vero prædicato, & reali; ergo implicat eſſe eiuſdem quidditatis cum Deo in eſſe repræſentativo.

19 Secundo. Ut eſſet eiuſdem quidditatis in eſſe repræſentativo deberet eſſe eiuſdem quidditatis in eſſe intelligi-

ligibili ; ſed hoc repugnat ; ergo. Probo minorem. Sicut Deus eſt infinitus, & actus purus in eſſe entitativo, ita in eſſe intelligibili; ſed quia Deus eſt infinitus, & actus purus in eſſe entitativo nulla ſpecies creata poteſt eſſe eiuſdem quidditatis cum Deo in eſſe entitativo;ergo nec in eſſe intelligibili.Tertiò Species includens eſſentialiter potentialitatem non poteſt eſſe eiuſdem quidditatis cum obiecto excludente eſſentialiter omnem potentialitatem ; ſed ſpecies creata, vtpotè creata, includit eſſentialiter potentialitatem adhúc in eſſe intelligibili, & Deus in eſſe intelligibili eam excludit;ergo.

20 Quartò. Quia ſpecies materialis etiam in eſſe repræſentativo eſt materialis nequit repræſentare quidditativè, & claré rem ſpiritualem; ſed ſpecies creata etiam in eſſe repræſentativo eſt creata; ergo nequit repræſentare quidditativè obiectum increatum. Patet conſequentia, quia non minus diſtat ſpecies creata ab obiecto increato, quàm materialis ab obiecto ſpirituali. Quintò. Repræſentatio quidditativa,& immediata obiecti eſt per ſimilitudinem, & convenientiam ſpecificam cum obiecto ; ſed prorſus repugnat ſimilitudo,& convenientia ſpecifica inter Deum,& creaturam; ergo.

21 Contra hanc rationem inſurgit Maſtrius. Quoniam poſsibilis eſt, immò de facto datur ſpecies creata expreſſa Dei in Beatis, in qua eſt eadem, immò & potior dubitandi ratio ; ergo pariter impreſſa. Secundò vrget impugnationem in ipſa viſione beata, quæ eſt repræſentativa Dei vt eſt in ſe,& ipſum attingit prout eſt in ſe ſine vlla repugnantia ; ergo vel dicendum erit repugnare viſionem beatam, vel non repugnare ſpeciem impreſſam, cum ſit eadem ratio. Tertiò. Species ſubſtantiæ etiam in eſſe repræſentativo eſt accidentalis, & inferioris ordinis ; & tamen eſt immediatè, claré, & quidditativè repræſentativa ſubſtantiæ; ergo & ſpecies creata reſpectu Dei. Quartò. Species Angeli, vtpotè immaterialis non eſt eiuſdem quidditatis cum re corporea; & tamen rem corpoream claré, & quidditativè repræſentat ; ergo.

22 Ad primum dico pari titulo, parique conſequentiæ filo, negandam eſſe ſpeciem expreſſam creatam, vt dubio 4. oſtendemus. Ad ſecundum dico viſionem beatam non eſſe repræſentativam obiecti, ſed tendentiam in obiectum, nec eſſe virtutem obiecti, ſed cauſalitatem potentiæ, vnde non exigit proportionem ſpecificam cum obiecto, ſed cum potentia, vt dicto loco operoſius demonſtrabimus. Ad tertium dico ſpeciem accidentalem eſſe inferioris ordinis in eſſe entitativo, reſpectu ſubſtantiæ, non in eſſe repræſentativo,quia ita eſt inferioris ordinis in eſſe entitativo, vt ſit eiuſdem immaterialitatis cum ſubſtantia, nam immaterialitas ſubſtantiæ creatæ participabilis eſt ab accidentibus : attamen immaterialitas Dei eſt vnica, & omninò imparticipabilis à creaturis, vndè non eſt eadem ratio. Ad quartum dico ſpeciem immaterialem eſſe eiuſdem quidditatis eminenter, & æquivalenter cum re corporea, cum inferius contineri poſsit in ſuperiori, non tamen è contra.

23 Ex his confirmatur noſtra ratio. Species immediata obiecti debet eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum obiecto, ſed implicat ſpecies creata in eodem gradu immaterialitatis cum Deo; ergo,& ſpecies creata immediatè repræſentativa Dei. Maior probatur. Virtus proxima ad intelligendum debet eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum natura, cuius eſt virtus ; ſed ſpecies immediata obiecti eſt virtus proxima ipſius obiecti; ergo.

24 Dices ſpeciem non eſſe virtutem proximam obiecti,nam virtus proxima alicuius naturæ eſt ipſi intrinſeca,cum tamen ſpecies ſit obiecto extrinſeca. Reſpondeo virtutem proximam eſſe naturæ intrinſecam,quando influit per ſe ipſam in effectum,non verò quando influit per ſuam virtutem : obiectum autem creatum non influit in cognitionem per ſe ipſum, ſed per ſuam virtutem, nempè ſpeciem, quæ eſt obiecti vicaria : ſicut etiam principium activum influit in generationem per virtutem ſeminalem, quæ non eſt principio activo intrinſeca, ſed extrinſeca.

(§)

TER-

Tertia concluſionis ratio præcedenti affinis.

§. IV.

25 QUAMQUAM Ex ſimilitudine, & convenientia ſpecifica cum Deo vt eſt in ſe optimo conſequentiæ filo inferatur convenientia in eſſe entitativo, nihilominus dicta ratio ab hac illatione præſcindebat, nunc autem ex hac illatione, & abſurdo tertia formatur ratio, quam etiam tradit D. Thomas dicta quæſt. 12. his verbis: *Secundò. Quia eſſentia Dei eſt ipſum eſſe eius, quod nulli formæ creatæ competere poteſt; non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam.*

26 Explicatur hæc ratio. Species repræſentans immediatè Deum proùt eſt in ſe continet formaliter Deum proùt eſt in ſe; ſed implicat continere Deum formaliter proùt eſt in ſe, & non convenire cum Deo in eſſe entitativo; ergo ſpecies illa conveniret cum Deo in eſſe entitativo. Minor probatur. Implicat continere formaliter Deum proùt eſt in ſe, & non convenire in eodem gradu immaterialitatis cum Deo, vt dictum eſt; ſed repugnat convenientia in eodem gradu immaterialitatis ſine convenientia in eſſe entitativo; ergo. Minor probatur. Implicat convenire in eodem gradu immaterialitatis cum Deo, & non eſſe actum purum omnem excludentem potentialitatem, quia Deus ex proprio immaterialitatis gradu eſt actus purus omnem excludens potentialitatem; ſed actus purus omnem excludens potentialitatum eſt Deus in eſſe entitativo; ergo.

27 Confirmatur. Immaterialitas Dei eſt ens à ſe; at ſpecies illa contineret immaterialitatem Dei; ergo eſſet ens à ſe; ergo conveniret cum Deo in eſſe entis. Secundò. Talis ſpecies eſſet infinita in eſſe intelligibili; ſed implicat eſſe infinitam in eſſe intelligibili, & non convenire cum Deo in eſſe rei; ergo. Maior probatur. Si non eſſet infinita in eſſe intelligibili diſtaret infinitè à Deo, atque adeò Deum vt eſt in ſe repræſentare non poſſet; ergo.

28 Reſpondent talem ſpeciem eſſe actum purum, & infinitam, non ſubiectivè, & intrinſecè, ſed terminative, & extrinſece, quatenus actum purum, & obiectum infinitum repræſentat, quod non probat convenientiam cum Deo in eſſe entitativo, ſicut non probat in lumine gloriæ, & in ipſa viſione beata, quamquam terminentur ad actum purum, & infinitum, & ab ipſo ſpecificentur.

29 Sed contra. Nam ſpecies non ſolùm terminatur extrinſecè ad obiectum, ſicut lumen gloriæ, & viſio beata, ſed debet in ſe præcontinere obiectum; at continentia obiecti in ſpecie eſt per aſſimilationem, & convenientiam cum illo; ergo ſpecies immediata actus puri debet eſſe actus purus, non ſolùm terminativè, & extrinſecè, ſed ſubiectivè, & intrinſecè. Ulterius. Quia ſicut lumen gloriæ eſt virtus potentiæ, ita etiam ſpecies eſt virtus obiecti; ergo quo pacto lumen exigit proportionem cum potentia, ita ſpecies cum obiecto; ergo quamquam lumen non exigat infinitatem, niſi tantùm extrinſecam, & terminativam, ſpecies illam exigit ſubiectivè, & intrinſecè.

30 Dices. Optimè cohæret ſpeciem eſſe id finitam in genere entis, & infinitam in genere repræſentativo; ergo ex infinitate repræſentativa non probatur infinitas in eſſe entitativo. Antecedens probatur. Optimè cohæret operationem creatam eſſe finitam in genere phiſico, & infinitam in genere moris, vt patet in operationibus Chriſti Domini, & in peccato; ergo.

31 Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia repræſentatio in ſpecie commenſuratur cum entitate, quia ſpecies ex proprio conceptu intrinſeco, & ſpecifico eſt repræſentativa obiecti: attamen moralitas non commenſuratur cum entitate phiſica, ſed potius à diverſis ſumitur principijs, vt patet in exemplo allegato meritorum Chriſti Domini, & paritate peccati. Et retorquetur impugnatio. Si infinitas illa repræſentationis eſſet ſpeciei intrinſeca, procul dubio eſſet infinita in eſſe entis ipſis Adverſarijs conſentientibus; ſed moralitas in meritis Chriſti Domini, & in peccato, eſt intrinſeca, atque adeò aſſerentes peccatum eſſe ſimpliciter infinitum, ſicut etiam merita Chriſti Domini, conſequenter affirmant eam in-

finis

finitatem eſſe intrinſecam, quin propterea probetur entitatem phiſicam eſſe infinitam; ergo non eſt eadem ratio.

Contrariæ ſententiæ argumenta proponuntur, & ſolvuntur.

§. V.

32 ARGUITUR Primò. In quocumque ordine poſsibilis eſt operatio, poſsibilia ſunt operationis principia; ſed in ordine ſupernaturali creato poſsibilis eſt operatio, nempè viſio beata; ergo, & principia; ſed vnum ex principijs eſt ſpecies; ergo poſsibilis eſt ſpecies creata. Retorqueo argumentum. In quocumque ordine datur operatio dantur operationis principia; ſed de facto datur operatio ſupernaturalis creata; ergo de facto dantur principia; ſed vnum ex principijs eſt ſpecies; ergo de facto datur ſpecies. Quod ſi hoc argumentum non probat, nec ab Adverſarijs factum probare neceſſe eſt. Ulterius. In quocumque ordine dantur accidentia datur etiam ſubiectum; ſed dantur accidentia ſupernaturalia creata; ergo & ſubiectum; ſed ſubiectum eſt ſubſtantia; ergo datur ſubſtantia ſupernaturalis creata.

33 Reſpondeo igitur maiorem eſſe falſam, ſi vniverſaliter ſumatur, quia in aliquo comprincipio poteſt eſſe ſpecialis repugnantia, præſertim ſi comprincipium non ſe teneat ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti, vt in præſenti contingit, quia cum ſpecies ſit virtus obiecti, ſi daretur ſpecies creata ad viſionem Dei vt eſt in ſe, conſtitueretur Deus proximè intelligibilis per formam diſtinctam, & creatam, quod repugnat.

34 Arguitur ſecundò. Ideó repugnaret ſpecies creata Dei vt eſt in ſe, quia eſſet infinita; ſed hoc non ſequitur; ergo non repugnat. Minor probatur. Ad effectum finitum non requiritur in cauſa virtus infinita; ſed viſio beata eſt effectus finitus; ergo non requirit in ſpecie virtutem infinitam. Secundó. Ad obiectum infinitum finito modo attingendum non requiritur virtus infinita; ſed eſtó Deus ſit obiectum infinitum, finito modo attingitur à viſione beata; ergo non requiritur virtus infinita, & conſequenter nec ſpecies infinita. Tertiò. Species creata repræſentans obiectum infinitum non infinitè, non requirit virtutem repræſentativam infinitam; ergo non oportet ſpeciem eſſe in virtute repræſentativa, & intelligibili, infinitam. Quartó. Eſſentia divina vnita mentibus Beatorum non præſtat effectum formalem infinitum; ergo ſpecies creata repræſentativa Dei vt eſt in ſe non deberet eſſe infinita. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Species creata eum tantum præſtaret effectum, quem modó præſtat eſſentia divina vnita per modum ſpeciei; ſed hæc non præſtat effectum formalem infinitum; ergo.

35 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem. Non requiritur virtus infinita in virtute potentiæ, concedo maiorem. In virtute obiecti nego maiorem; nam cum obiectum ſit infinitum, virtus illius proxima debet eſſe infinita, & indiſtincta. Vel aliter, diſtinguo maiorem. Non requiritur virtus infinita ex conditione effectus, concedo maiorem. Ex conditione obiecti, nego maiorem; ex quo vlterius ſequitur, quod licèt viſio beata ex conditione effectus finiti non exigat ſpeciem infinitam; attamen ex conditione effectus finiti ad obiectum infinitum vt eſt in ſe requiritur ſpecies infinita propter dicta. Sicut etiam anima rationalis ex conditione effectus finiti non exigit cauſam infinitam; veruntamen vt facta eſt nihilo exigit infinitam virtutem in cauſa. Præterea. Eſtò anima rationalis ex conditione effectus non exigat Trinitatem in principio, exigitur tamen ex conditione principij.

36 Ad ſecundum diſtinguo eodem modo maiorem. Non requiritur virtus infinita in virtute potentiæ, concedo maiorem. In virtute obiecti, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Quia cum obiectum infinitum nequeat conſtitui proximè intelligibile per formam creatam, nec finito, nec infinito modó, requirit virtutem proximam infinitam, ſivè finito, ſivè infinito modo attingatur; ſicut etiam in eſſe operantis requirit actionem infinitam, quamquam finitum effectum producat: ſicut etiam ſubſiſtentia Verbi divini terminat finitè humanitatem, quem tamen effectum præſtare non poſſet, ſi non eſſet infinita.

Ad

37 Ad tertium iam conſtat ſpeciem repræſentativam Dei vt eſt in ſe exigere infinitatem, quamquam repræſentet obiectum infinitum, non infinitè, quia cum reddat Deum proximè intelligibilem, quocumque modo id fiat, debet eſſe infinita. Ad quartum concedo eſſentiam divinam de facto, nec ſpeciem creatam, ſi poſsibilis eſſet, præſtare mentibus Beatorum effectum formalem infinitum, nihilominus exigit infinitatem propter ſæpiùs dicta, quæ repetenda non ſunt.

38 Arguitur tertiò. Ideò ſpecies impreſſa creata non poſſet repræſentare quidditativè Deum, quia ſpecies ordinis inferioris repræſentare non poteſt obiectum ordinis ſuperioris; ſed hoc eſt falſum. Nam ſpecies eſt ordinis inferioris tám in eſſe rei, quàm in eſſe intelligibili, & repræſentativo, reſpectu ſubſtantiæ; & tamen repræſentat quidditativè ſubſtantiam; ergo. Minor probatur. Species ſubſtantiæ tàm in eſſe rei, quàm in eſſe repræſentativo eſt in ordine accidentali, cum eſſe repræſentativum ſit indiſtinctum á natura intrinſeca, & accidentali ſpeciei. Quod idem dicendum de ſpecie Angeli inferioris reſpectu ſuperioris; ergo.

39 Confirmatur. Quod ſpecies materialis repreſentare non poſsit rem ſpiritualem non probat ſpeciem creatam non poſſe repræſentare quidditativè Deũ; ergo ex ea ratione perperam probata eſt illius impoſsibilitas. Antecedens probatur. Quod viſus corporeus elevari non poſsit ad videndum Deum malè probatur intellectum creatum elevari non poſſe ad videndum Deum; ergo quod ſpecies materialis repræſentare non poſsit rem ſpiritualem non probat ſpeciem creatam repræſentare non poſſe quidditativè Deum. Et ratio eſt eadem. Ideò namque viſus corporeus elevari non poteſt ad videndum Deum, quia non habet coaptationem eſſentialem cum illo, ſed potius Deus eſt extra ſphęram adæquatam viſus corporei; intellectus autem elevari poteſt propter oppoſitam rationem; ſed hoc idem contingit in ſpecie materiali, quæ non habet coaptationem eſſentialem cum re ſpirituali, quam habet ſpecies creata cum Deo; ergo.

40 Uerúm ratio allegata à Div. Thoma ex S. Dioniſio, & probata ab Anſelmo, optima eſt, nec refragatur argumento facto, quoniam ſpecies creata repræſentativa Dei, ſi poſsibilis eſſet, repræſentaret Deum vt eſt in ſe ſecundúm propriam, connaturalemque virtutem, non ſecundúm potentiam obedientialem, alioquin ſpecies indigeret virtute elevante; Deus autem eſt prorſus extra ſphæram connaturalem ſpeciei creatæ, non minus ac res ſpiritualis eſt extra ſphæram, & coaptationem eſſentialem rei ſpiritualis; quare ſicut incapax eſt ſpecies materialis ad repræſentandam immediatè rem ſpiritualem, ita incapax eſt ſpecies creata ad repræſentandum Deum; quod autem intellectus creatus elevari poſsit ad videndum Deum provenit ex potentia obedientiali, non naturali; hæc autem elevatio locum non habet in ſpecie, nam virtus elevativa, cum eſſet in eodem genere, eſſetque virtus obiecti, eiſdem difficultatibus laboraret.

41 Ad id, quod dicitur de ſpecie ſubſtantiæ, & Angeli inferioris ex ſuperioribus conſtat. Nam accidens poteſt eſſe, & eſt, in eodem gradu immaterialitatis cum ſubſtantia: ſpecies pariter Angeli inferioris eſt in eodem gradu ſaltim generico immaterialitatis cum Angelo ſuperiori, quod ſatis eſt ad repræſentationem quidditativam, quamquam non ſufficiat ad comprehenſivam; vndé non eſt ſimile. Per quod conſtat in forma ad argumentum, & confirmationem.

42 Arguitur quarto ex Bartholomęo Durand. Eſſentia divina vnitur mentibus Beatorum in ratione ſpeciei impreſſæ; ergo ſpecies impreſſa eſt poſsibilis. Probat conſequentiam. Quia eſſentia divina nequit vniri in ratione illius, quod eſt impoſsibile: quod oſtendit multipliciter. Primò. Quia quod eſt impoſsibile nequit ab alio ſuppleri. Secundó. Quia poſsita impoſsibilitate rei ponenda eſt impoſsibilitas ſupplementi, cum ab exiſtentibus ad impoſsibilia nullus ſit realis ordo.

43 Tertiò. Quia nullius rei nullus eſt effectus; ergo ſi ſpecies impreſſa Dei eſt impoſsibilis nullus eſt effectus; ergo ſi eſt impoſsibilis, eſſentia divina nequit ſupplere illius defectum, nec vniri in ratione ſpeciei. Quartó. Quod ab agente benè ordinato ſuppletur, videtur ad actionem neceſſarium, aliàs agens in vanum huiuſmodi vices gereret; ſed eſſen-

tia

tia divina gerit vices ſpeciei impreſſæ; ergo ſpecies impreſſa eſt neceſſaria; ſed ex omninò impoſsibili nulla probatur neceſſitas; ergo ſpecies impreſſa eſt poſsibilis. Quintò. Quod aliud agendo imittatur non eſt impoſsibile; ſed eſſentia divina vnita mentibus Beatorum imittatur ſpeciem impreſſam; ergo non eſt impoſsibilis. Probat minorem. Si in Beatis eſſet de facto ſpecies impreſſa, eſſentia divina non vniretur ſub ratione ſpeciei impreſſæ; ergo eſſentia divina imittatur ſpeciem impreſſam.

44 Sed hæc nihil evincunt. Nos enim dicimus eſſentiam divinam gerere vices ſpeciei impreſſæ, hoc eſt, habere munus ſpeciei impreſſæ; in hoc quæ repugnantia; vel apparens fingi poteſt. Nec aſſerentes eſſentiam divinam ſupplere munus ſpeciei creatæ aliud ſignificare contendunt, niſi quod eſſentia divina gerat; quod gereret ſpecies creata ſi poſsibilis eſſet: vndè non dicimus repugnare ſpeciem impreſſam, ſed ſpeciem impreſſam creatam, nam ſpecies impreſſa eſt poſsibilis, & neceſſaria, & datur de facto, non tamen creata, ſed increata.

45 Ad primam impugnationem facilè negari poteſt, immó quia impoſsibilis eſt ſpecies creata, ideò ſuppletur à Deo: ſicut quia homini eſt impoſsibile converti in Deum ſuis viribus ſuppletur à Deo ſua gratia. Sed ſecundò dico, nec ſpeciem impreſſam eſſe impoſsibilem, nec à Deo ſuppleri, ſed eſſentiam divinam eſſe ſpeciem impreſſam per ſe ipſam. Per quod conſtat ad ſecundam. Ad tertiam conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens. Si ſpecies impreſſa tâm creata, quám increata eſt impoſsibilis, concedo conſequentiam. Si creata precisè, nego conſequentiam. Ad quartam, iam conſtat qualiter ſpecies impreſſa ſit neceſſaria ad viſionem beatam, & defacto datur, ſed increata, non creata, vt dictum eſt. Ad quintam dico, eſſentiam non imittari ſpeciem creatam, cùm potiùs eſſentia divina ſit exemplar omnium creaturarum, & ideæ imitabilis à creaturis.

46 Arguitur quintó. Poſsibilis eſt ſpecies creata repræſentativa viſionis Dei vt eſt in ſe; ſed illa ſpecies eſſet repræſentativa Dei vt eſt in ſe; ergo poſsibilis eſt ſpecies Dei vt eſt in ſe. Maior conſtat. Et minor probatur. Implicat cognitio quidditativa viſionis Dei vt eſt in ſe ſine cognitione Dei vt eſt in ſe; ergo implicat ſpecies repræſentativa Dei vt eſt in ſe non repræſentans Deum vt eſt in ſe. De hoc argumento latè egimus tom. 1. de Scientia Animæ Chriſti, dub. 6. ex quibus cognoſcentem viſionis cognoſcere pariter terminum viſionis abſtractivè, & in effectu, vel actu, non tamen intuitivé, & in ſpecie propria.

47 Arguitur vltimo. Datur ſpecies expreſſa creata Dei vt eſt in ſe; ergo poſsibilis eſt impreſſa, cum ſit eadem ratio. Confirmatur. Ipſa viſio beata eſt clara, & expreſſa ſimilitudo Dei, vt docere videtur Anſelmus in Monol. cap. 31. ergo poſsibilis eſt ſimilitudo creata Dei vt eſt in ſe. Hoc argumentum, quod multipliciter roborari poteſt propriam expoſcit controverſiam infra examinandam.

DVBIVM III.

An Eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ concurrat effectivè ad viſionem beatam?

§. I.

1 DEUM Concurrere effectivé per modum cauſæ primæ ad viſionem beatam nulli dubium eſſe poteſt, ſed quia vlterius concurrit cum intellectu creato lumine gloriæ perfuſo ad eandem viſionem per modum obiecti motivi, ideó inquirimus an hic concurſus ſit tantúm in genere cauſæ formalis, aut quaſi formalis determinando potentiam ad talem actum; an etiam in genere effectivæ?

2 Prima ſententia affirmat eſſentiam divinam per modum formæ intelligibilis concurrere effectivè cum intellectu Beati ad viſionem Dei vt eſt in ſe. Eſt communis apud vtriuſque Scholæ Doctores. Eam namque docent Card. Caietanus, P. Suarez, Salmanticenſes, Nazarius, Arriaga, & alij plures. Secunda concurſum tantùm formalem agnoſcit, qui duntaxàt dici poteſt effectivus reductivè, impropriè, & metaphoricè, quatenus cauſam

ſam effectivam determinat. Ita etiam plures ex vtraque Schola Doctores.

(§)

Reſolutio Dubij.

§. II.

3 DICENDUM Eſſentiam divinam vnitam mentibus Beatorum in eſſe formę intelligibilis non habere proprium effectivum concurſum in viſionem beatam, ſed ſolùm formalem, & determinativum potentiæ. Probat hanc concluſionem D. Thomas 1.2. quæſt. 9. art. 1. ad 2. Ex eo, quod obiectum, ſivè ſpecies determinat intellectum, ſicut bonum apprehenſum determinat voluntatem; ſed bonum apprehenſum determinat voluntatem in genere cauſæ formalis, non effectivæ; ergo & obiectum, ſivè ſpeciem reſpectu intellectus; ergo & eſſentia divina per modum formæ intelligibilis ad viſionem.

4 Confirmatur. Species intelligibilis neceſſaria ad actum fidei ſupernaturalis non concurrit effectivè ad illum; ergo nec eſſentia divina per modum formæ intelligibilis ad viſionem. Conſequentia conſtat á ſimili. Si enim ſola determinatio ſine concurſu effectivo ſpeciei ſatis eſt ad actum fidei, non eſt cur ſola determinatio eſſentiæ divinæ ſatis non ſit ad actum viſionis beatæ. Antecedens probatur. Species intelligibilis ad actum fidei concurrens eſt naturalis; ſed nulla ſpecies naturalis poteſt ad actum ſupernaturalem effectivè concurrere; ergo. Maior probatur. Species illa repræſentat directè, & primario obiecta naturalia, & materialia, ex quibus intellectus conſurgit ad ſupernaturalia credenda; ergo talis ſpecies eſt naturalis; cum ergo nulla cauſa naturalis poſsit immediatè effectivè concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem, ſpecies non concurrit effectivè, & conſequenter nec eſſentia divina in eſſe ſpeciei intelligibilis ad viſionem.

5 Reſpondent in aſſenſu ſupernaturali fidei eſſe ſupernaturalitatem, & repręſentationem obiecti, ſpeciemque naturalem effectivè concurrere, non quidem ad ſupernaturalitatem, ſed repræſentationem obiecti. Verùm hæc ſolutio ſupponit viſionem eſſe formalem repræſentationem obiecti, quam dubio antecedenti impugnavimus, & dubio ſequenti operoſius impugnabimus. Ulteriùs reijcitur. Nam dato viſionem eſſe repræſentationem formalem obiecti, ea tamen repræſentatio eſt intrinſecè ſupernaturalis; ergo nequit provenire à cauſa naturali; ergo nec à ſpecie naturali effectivè. Antecedens conſtat. Et conſequentia probatur contra Thomiſtas aſſerentes potentiam naturalem intellectus non poſſe effectivè immediatè concurrere ad vitalitatem viſionis beatæ, quia illa vitalitas eſt ſupernaturalis, quæ propterea contineri non poteſt in potentia naturali intellectus; ſed repræſentatio illa viſionis beatæ eodem titulo eſt ſupernaturalis, eodemque titulo contineri non poteſt in ſpecie naturali; ergo concurrere non poteſt effectivè immediatè ad talem repræſentationem. Sed de hoc argumento operoſius ſermo redibit dum de concurſu luminis agamus Tractat. ſequenti.

6 Reſpondent ſecundò ſpeciem naturalem concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem fidei vt elevatam per qualitatem ſupernaturalem, per quam ſpecies naturalis redditur proportionata ad aſſenſum ſupernaturalem. Sed contra. Uel illa qualitas elevativa eſt repræſentativa obiecti ſupernaturalis, vel non. Si eſt repræſentativa; ergo ea poſita inutilis, & ſuperflua erit ſpecies. Si non eſt; ergo ad aſſenſum obiecti ſupernaturalis inſufficiens eſt, quia nec illud repræſentabit ſpecies naturalis, nec qualitas elevativa ſpeciei, cum tamen talis repræſentatio, aut vnivoca, aut analoga ſit ſimpliciter neceſſaria ad aſſenſum; dicendum eſt ergo ſpeciem naturalem eſſe quandam ſimilitudinem analogam obiecti ſupernaturalis credendi ſufficientem ad concurſum formalem, nec opus eſſe concurſu illius effectivo.

7 Reſpondebis actum fidei non præcontineri in ſpecie, ſed in habitu, á quo phiſicè producit, quod non obſtat ad concurſum effectivum ſpeciei, quæ non cauſat actum fidei phiſicè, ſed repræſentativè. Uerùm hæc ſolutio potius deſtruit, quàm adſtruat concurſum effectivum ſpeciei. Nam implicat concurſus effectivus in cauſa ſine præcontinentia effectus; ſed

tota præcontinentia actus ſupernaturalis iuxtà hanc ſolutionem eſt in habitui; ergo totus concurſus immediatus eſt in habitu, & non in ſpecie.

8 Probatur ſecundò concluſio ex alia communi Thomiſtarum doctrina. Si eſſentia divina efficienter, concurreret ad viſionem beatam, pariter ſubſtantia vnita per modum ſpeciei propriæ potentiæ intellectivæ efficienter concurreret ad cognitionem ſui; ſed hic concurſus immediatus ſubſtantiæ in operationem repugnat in communi Thomiſtarum ſententia; ergo eſſentia divina talem concurſum immediatum in ratione ſpeciei non habet. Patet conſequentia. Nam licèt ſimilis concurſus eſſentiæ divinæ, eo quod divinæ, & infinitæ non repugnet; attamen cùm in ſententia oppoſita ſimilis concurſus tribuatur eſſentiæ divinæ, quatenus communis, & generalis eſt omnibus ſpeciebus impreſſis, pariter conveniret ſubſtantiæ Angeli, omniſque ſubſtantia creata poſſet immediatè concurrere ad operationem.

9 Reſpondent ſubſtantiam Angeli non concurrere ad cognitionem ſui immediatè, ſed mediatè, nimirum, medio intellectu; ſicut in linea naturali concurrit ad operationem mediatè, & remotè medio inſtrumento; quia intellectus Angelicus non ſolùm eſt virtus ſuæ ſubſtantiæ vt radicaliter intellectivæ, ſed etiam eſt virtus illius per modum obiecti cognoſcibilis, ideóque dimanat à ſubſtantia non ſolùm vt radicaliter intellectiva, ſed vt actu intelligibilis.

10 Sed contra. Si intellectus eſſet virtus ſubſtantiæ Angeli non ſolùm vt radicaliter intellectivæ, ſed etiam vt eſt obiectum actu intelligibile, intellectus eſſet ſpecies ſuæ ſubſtantiæ, atque adeò ſubſtantia non gereret munus ſpeciei ad cognitionem ſui; ſed hoc Adverſarij non dicent; ergo probo ſequelam. Quod concurrit ad cognitionem obiecti vt virtus obiecti eſt vera ſpecies illius; ſed ita ſe habet intellectus iuxta datam ſolutionem ad cognitionem ſubſtantiæ Angeli; ergo.

11 Ideò reſpondent ſecundó repugnare ſubſtantiæ creatæ concurſum effectivum immediatum in linea naturali, non tamen in linea intentionali; quia in linea naturali conſideratur ſubſtantia per modum naturæ, quo ſenſu ſolùm eſt radicaliter operativa: attamen in linea intentionali conſideratur per modum ſpeciei, quo ſenſu immediatè operatur. Sed contra. Quoniam pari titulo dici poterit ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam in linea naturali, non quatenus eſt ſubſtantia, & natura, ſed quatenus habet munus qualitatis, & ita de facto aſſerunt illius opinionis Patroni; ergo prædicti Thomiſtæ vtraque manu recipiunt doctrinam, quam in Philoſophia impugnant.

12 Secundó. Concurſus ille in viſionem eſt verus, realis, & phiſicus, ſolúmque dicitur intentionalis, quia eſt de linea intellectiva, ſicut etiam diceretur voluntarius ſi eſſet de linea volitiva; ergo ſi ſubſtantia Angeli per modum ſpeciei concurrit effectivè ad cognitionem ſui, ſubſtantia creata erit immediatè operativa, verò, reali, & phiſico concurſu. Tertiò. Ex hoc concurſu effectivo immediato in linea intentionali eadem ſequuntur incommoda, ac in linea naturali, nimirum, ſubſtantiam ordinari per ſe ad operationem, ab illa ſpecificari, &c. vt facilè expendenti conſtabit.

13 Dices. Species obiecti creati effectivè concurrit ad cognitionem eiuſdem obiecti creati; ergo & eſſentia divina ad viſionē beatam. Antecedens probatur. Nam ſpecies obiecti creati eſt id, medio quo cauſa effectiva operatur; ſed id, medio quo cauſa effectiva operatur, concurrit effectivè ad operationem; ergo. Secundò. Nulla eſt formalitas in effectu, cui aliqua cauſa effectiva non correſpondeat; ſed in effectu nō ſolúm datur eſſe cognitionis, ſed eſſe cognitionē talis obiecti determinati, quæ determinatio correſpondet ſpeciei; ergo ſpecies eſt cauſa effectiva illius.

14 Communiter reſpondent nullam ſpeciem effectivè concurrere ad operationem. Et ad probationem in oppoſitum dicunt ſpeciem eſſe id, medio quo cauſa effectiva cauſat ex parte obiecti, non ex parte potentiæ, atque adeó tantùm concurrere determinativè, qui concurſus poteſt dici effectivus reductivè, & improprie; quatenus determinat cauſam effectivam: ſicut etiam in genere cauſæ materialis materia eſt propria cauſa materialis; formæ verò diſponentes materiam ad receptionem formæ dicūtur cauſa materialis reductivè.

15 Hæc ſolutio optima eſt, ſed in præſenti permitti poteſt antecedens,

nimirum,concurſum effectivum in ſpeciebus creatis;ex quo nullo pacto deducitur concurſus effectivus in eſſentia divina per modũ ſpeciei. Ratio diſparitatis eſt. Quia ſicut in generatione naturali datur forma operans, quæ eſt principium generationis; & operatio,quæ eſt generatio:ac tandem terminus,qui eſt partus naturalis: ita in intellectione, quæ eſt quædam generatio intentionalis, datur ſpecies, quæ eſt forma operativa; intellectio, quæ eſt intentionalis generatio; & verbum,ſivé ſpecies expreſſa, quæ eſt intentionales partus.

16 Rurſus. Intellectio poteſt conſiderari vt dictio, & vt contemplatio obiecti; primo modo eſt vera generatio intellectionalis, ideòque producit verbum: attamen viſio beata eſt vera contemplatio, non dictio, atque adeò nec eſt vera generatio intentionalis,nec producit verbum; ex quo oritur,quod ſpecies concurrit effectivè ad intellectionem, vt dictio eſt,non vt contemplatio eſt; cum ergo viſio beata ſit ſola contemplatio non indiget concurſu effectivo ſpeciei: vnde etſi ſpecies creatæ concurrant effectivé ad generationem, & partum intentionalem, non eſſentia divina in ratione ſpeciei,vt dubio ſequenti clariùs oſtendemus.

Solvuntur argumenta.

§. III.

17 ARGUITUR Primó ex D.Thoma 1.part.quæſt. 56.art.1. vbi ait: *In actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc, quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti; ſicut oportet, quod vniatur ſenſus ad hoc, quod ſentiat actu, & ita ſe habet obiectum vnitum potentiæ ad huiuſmodi actionem, ſicut forma, quæ eſt principium actionis in alijs agentibus*; ergo obiectum, ſivè ſpecies illius vicaria eſt forma agentis, & principium actionis, & conſequenter cauſa effectiva. Reſpondeo ea verba inducta eſſe à Div.Thoma ad exponendum qualiter obiectum actionis immanentis debeat vniri cum agente ad diſtinctionem obiecti, ſivé materiæ actionis tranſeuntis, quæ eſt ſeparata ab agente, vt patet in calefacto reſpectu calefacientis. An autem vniatur vt forma effectiva, aut tantùm determinativa, nec ibi docet S. Doctor, nec neceſſarium erat.

18 Arguitur ſecundó. Omnis ſpecies creata concurrit effectivè ad intellectionem;ergo pariter eſſentia divina per modum ſpeciei ad viſionem. Patet conſequentia. Quia eſſentia divina per modum ſpeciei eum concurſum habet,quem haberet ſpecies creata, ſi poſsibilis eſſet. Antecedens probatur. Species creata cum intellectu producit verbum; ſed in verbo datur formalitas, quæ alteri cauſæ effectivæ correſpondere non poteſt, eſt enim verbum repræſentatio formalis talis obiecti, quæ ab altera cauſa effectiva provenire non poteſt: non quidem ab intellectu in cognitione; nec virtute ſupernaturali in ſupernaturali cognitione, eo quod nec intellectus, nec virtus ſupernaturalis talem repræſentationem prę-continent; ergo ſpecies eſt cauſa effectiva illius.

19 Confirmatur primò. Ea eſt cauſa activa, cui aſsimilatur effectus; ſed verbum productum per intellectionem aſsimilatur ſpeciei impreſſæ, vt patet; ergo hæc eſt cauſa activa. Confirmatur ſecundò. Ea eſt cauſa activa, quæ ſe habet vt forma in agente ad agendum; ſed ita ſe habet ſpecies impreſſa; ergo eſt cauſa activa. Confirmatur tertiô. Ex obiecto, & potentia paritur notitia; ergo notitia eſt partus intentionalis pendens ab obiecto, ſicut à potentia; ſed potentia eſt cauſa activa; ergo,& obiectum: vndê in partu naturali vtrumque principium activè concurrit; ergo pariter in partu intentionali.

20 Hoc argumentum cum ſuis confirmationibus nihil evincit iuxta ſolutionem noſtram ſupra allegatam admittentem concurſum effectivum in ſpecie creata,quoniam ſola actio procedens ab intellectu media ſpecie creata eſt vera generatio intentionalis,ſivè dictio productiva verbi. Sed quia iudicamus nullam ſpeciem, etiam creatam habere concurſum proprium effectivum. Ad argumentum nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Producit verbum determinando cauſam effectivam, concedo maiorem. Concurrendo cum ipſa effectivè, nego maiorem. Formalitas autem repræſentationis formalis, quę eſt in verbo,

aut

aut ſpecie expreſſa correſpondet in naturalibus intellectui, in ſupernaturalibus habitui, aut virtuti eiuſdem ordinis, in qua continetur virtualiter, licet non contineatur formaliter.

21 Ad primam confirmationem diſtinguo maiorem. Ea eſt cauſa activa, cui aſsimilatur effectus ex ſolo titulo aſsimilationis, nego maiorem. Ex alio titulo, concedo maiorem. Nam etiam artefactum aſsimilatur ideæ exiſtenti in mente artificij, & tamen idæa non eſt illius cauſa propriè effectiva. Ad ſecundam diſtinguo maiorem. Quæ ſe habet vt forma in agente ex parte agentis, concedo maiorem. In agente ex parte termini, nego maiorem, quia hæc eſt determinativa agentis, non activa cum agente. Ad tertiam dico notitiam pendere ab obiecta, & potentia, non tamen in eodem genere cauſæ, nec oppoſitum evincitur ex generatione naturali, quia inter generationem naturalem, & intentionalem non eſt ſimilitudo vnivoca, ſed analoga.

DVBIVM IV.

An Beati Deum videant media ſpecie expreſſa creata?

§. I.

1 CUM Ad cognitionem vtraque ſpecies concurrat, impreſſa, & expreſſa, illa per modum formæ determinantis potentiam, eamque fœcundantis ad cognitionem; hæc per modum verbi, & termini, in quo potentia contemplatur obiectum, ideò examinata dubio 2. Impoſsibilitate ſpeciei impreſſæ creatæ ad videndum Deum vt eſt in ſe, ad eandem controverſiam circa expreſſam explorandam deſcendimus, à qua difficultate, quamquam gravi, me breviter expediam, cùm ex prædicto dubio 2. maximá ex parte reſolutio innoteſcat. Nihilominus illius examen omninó omittere non poſſumus: tùm propter inſurgentes difficultates: tùm propter Authores, qui ſpeciē impreſſam creatam negantes, cōcedunt expreſsā, vel de facto, vel de poſsibili.

2 Prima igitur ſententia affirmat Beatos media viſione producere verbum creatum, aut ſpeciem expreſſam, in qua Deum intuentur. Ita P. Suarez lib. 2. de Attributis negativis, cap. 11. Vazquez, Molina, ac frequentius Societatis Doctores. Accedunt ex Thomiſtis Capreolus, Ferrara, Caietanus, & alij. Suffragatur Scotus, Maſtrius, Bartholomæus Durad, & communiter Scotiſtæ ſpeciem expreſſam ab ipſa viſione non diſtinguentes. Adſtipulantur etiam D. Bonaventura, Durandus, Gabriel, Ocham, & alij plures. Inter quos non eſt vnus opinandi modus. Nam aliqui docent ita intervenire ſpeciem expreſſam creatam in viſione beata, vt aliter eſſe non poſsit. Alij eam concedentes non negant eſſentiam divinam vniri poſſe per modum ſpeciei expreſſæ. Alij generaliter non diſtinguentes ſpeciem expreſſam ab intellectione, nihilominus docent non omnem intellectionem eſſe ſpeciem expreſſam ex defectu alicuius conditionis. Alij aliter diſcurrunt.

3 Secunda ſententia ſpeciem expreſſam creatam tàm de facto, quàm de poſsibili in viſione beata, ſed ipſam divinam eſſentiam vniri mentibus Beatorum per modum ſpeciei expreſſæ, ſicut vnitur per modum ſpeciei impreſſæ. Ita frequentius Thomiſtæ, quos longum eſſet recenſere.

Impoſsibilitas ſpeciei expreſſæ productæ media viſione beata oſtenditur.

§. II.

4 DICENDUM Beatos nullo pacto videre poſſe Deum vt eſt in ſe media ſpecie expreſſa creata, ſed eſſentiam divinam vniri mentibus Beatorum, gereregue munus ſpeciei expreſſæ, ſicut & impreſſæ. Conſtat ex Anſelmo, & Angelico Præceptore dubio 2. allegatis, ex quorum teſtimonijs hæc etiam concluſio pari conſequentiæ filo deducitur. Primaque ratio ibi propoſita reintegratur.

5 Sicut obiectum per ſpeciem impreſſam tanquam obiectum motivum ab intelligibilitate remota ad proximam, cōſtituitur proximé intelligibilè, ita per expreſsā cōſtituitur in eſſe obiecti terminati vi actu terminātis intellectionē; ſed eſſētia

divina non potèſt conſtitui in eſſe obiecti motivi proximè intelligibilis per ſpeciem creatam diſtinctam; ergo nec in eſſe obiecti terminativi actu terminantis intellectionem per ſpeciem expreſſam creatam,& diſtinctam. Maior eſt certa. Minor conſtat ex loco citato. Conſequentia autem probatur. Ideò nequit conſtitui proximè intelligibilis per ſpeciem impreſſam diſtinctam, quia eſt actus purus, & ſe ipſa proximè intelligibilis, vtpotè infinita in linea intelligibili; ſed etiam eſt actus purus,& infinita in linea obiecti terminativi actu terminantis intellectionem; ergo nequit terminare intellectionem per ſpeciem expreſſam diſtinctam.

6 Explicatur hæc ratio. Si eſſentia divina conſtitueretur proximè potens movere ad intellectionem per ſpeciem impreſſam diſtinctam, eſſet potentialis in linea intelligibili, quia eſſet in potentia ad intelligibilitatem proximam per aliquid diſtinctum; ergo ſi conſtitueretur proximè potens terminare intellectionem per ſpeciem expreſſam diſtinctam eſſet potentialis in linea terminandi, ſivè in linea intelligibilitatis actualis, quia eſſet in potentia ad intelligibilitatem actualem habendam per aliquid diſtinctum. Secundò. Sicut Deus eſt infinitus, & actus purus in linea intellectiva, ita in linea intelligibili; ſed quia eſt infinitus in linea intellectiva nequit conſtitui actu intelligens per aliquid à ſe diſtinctum; ergo quia eſt infinitus in linea intelligibili nequit conſtitui actu terminans intellectionem per aliquid à ſe diſtinctum.

7 Tertiò. Sicut obiectum per ſpeciem impreſſam diſtinctam conſtituitur præſens potentiæ vt moveat ad intellectionem, ita per expreſſam conſtituitur præſens vt illam terminet; ſed implicat eſſentiam divinam conſtitui præſentem potentiæ intellectivæ vt illam moveat ad intellectionem per ſpeciem impreſſam diſtinctam; ergo implicat conſtitui præſentem vt illam terminet per ſpeciem expreſſam diſtinctam. Patet conſequentia. Ideò namque primum implicat, quia eſſentia divina ſupponeretur diſtans in eſſe obiecti motivi, quod implicat; ſed etiam implicat eſſentiam divinam ſupponi diſtantem potentiæ in eſſe obiecti terminativi propter eandem rationem; ergo. Et ita reintegrari poſſunt omnia argumenta facta dicto dubio 2. quæ pari titulo, pariſque efficacia vrgent in præſenti.

8 Reſpondebis hæc omnia convincere in eſſentia divina reſpectu proprij intellectus, non tamen reſpectu intellectus extranei. Sed hæc ſolutio dicto loco impugnata manet. Et iterùm refellitur. Non minus eſt infinita eſſentia divina in linea terminandi potẽtiam intellectivam, quàm divina ſubſiſtentia in linea terminandi naturam; ſed ratione huius infinitatis ſubſiſtentia divina eſt potens per ſe ipſam terminare naturam, non ſolùm ad intra, ſed ad extra; non ſolùm naturam propriã, ſed extraneam; ergo pariter eſſentia ratione eiuſdem infinitatis potens erit ad terminandam ſe ipſa non tantùm potentiam propriam, ſed extraneam.

10 Rurſus. Quia eſt infinitus in linea intellectiva, non modò eſt potens ad intelligendum ſine forma diſtincta ſe ipſum, ſed obiectum creatum; ergo quia eſt infinitus in linea intelligibili paſsiva, non modò erit potens ſine ſpecie diſtincta ad terminandam ſuam intellectionem, ſed creatam. Ulterius. Sicut eſſentia divina ratione ſuæ intelligibilitatis eſt ſe ipſa intelligibilis ab intellectu extraneo, ita ratione ſuæ intellectualitatis paſsivæ eſt ſe ipſa terminativa intellectionis, quia ſicut primum eſt perfectio eſſentiæ divinæ, ita & ſecundùm; ergo quo pacto primum convenire non poteſt per ſpeciem impreſſam diſtinctam, nec ſecundum per ſpeciem expreſſam diſtinctam.

11 Reſpondebis eſſe proximè intelligibilem convenire eſſentiæ divinę per ſe ipſam, quia eſt perfectio intrinſeca illius: attamen eſſe actu intellectam ab intellectu creato non eſt perfectio intrinſeca, ſed extrinſeca, quia ſita eſt in denominatione extrinſeca ſumpta à noſtra intellectione: vndè eſſentia divina ab æterno eſt ſe ipſa intelligibilis, non tamen actu intellecta; ergo licèt ad intelligibilitatem neceſſaria non ſit ſpecies impreſſa, ad actualem terminationem, ſivè vt conſtituatur actu intellecta neceſſaria eſt ſpecies expreſſa diſtincta.

12 Sed contra primò. Sicut intelligibilitas, vi cuius eſſentia divina eſt potens movere ad intellectionem eſt perfectio intrinſeca Dei, ita intelligibilitas actualis, vi cuius eſt potens terminare intellectionem; ſed quia illa eſt perfectio intrinſeca

non

non poteſt convenire per aliquid diſtinctum, ita nec ſecunda eodem titulo. Antecedens probatur. Ideó prima eſt perfectio intrinſeca, quia convenit Deo ratione ſuæ immaterialitatis; ſed etiam poſſe terminare actu intellectionem convenit eſſentiæ divinæ ratione ſuæ immaterialitatis; ergo.

13 Secundó. Intelligibilitas radicalis, vi cuius eſſentia divina eſt potens terminare intellectionem eſt perfectio intrinſeca; ergo intellectualitas actualis, vi cuius actu terminat intellectionem eſt perfectio intrinſeca. Antecedens conſtat. Et conſequentia probatur. Intellectualitas actualis, vi cuius eſſentia divina actu terminat intellectionem, eſt actus ſecundus intelligibilitatis radicalis, vi cuius potens eſt radicaliter terminare; ſed hoc ipſo eſt perfectio intrinſeca, & indiſtincta, quia Deus in omni linea identificat ſuum actum ſecundum; ergo.

14 Tertió. Quod Deus ab æterno non ſit actu cognitus, vel intellectus, non probatur eſſe actu intellectum convenire Deo ab extrinſeco; ſicut ex eo, quod Deus ab æterno non producat mundum, non probatur mundum producere in tempore per actionem à ſe diſtinctam. Quartó. Quod Deus ab æterno non ſit actu intellectus non provenit ex aliquo defectu ex parte Dei, ſed ex defectu connotati, nempé, intellectus creati; ergo dum eſt actu intellectus ab intellectu creato nihil ſupperadditur ex parte Dei.

15 Denique. Deum eſſe actu intellectum poteſt eſſe denominatio deſumpta ab intellectione creata; vel á propria actualitate: prima eſt denominatio extrinſeca; ſecunda autem eſt perfectio intrinſeca, & de hac noſtra procedit ratio, quæ non procedit de denominatione exercita, ſed ſignata, quatenus eſſentia divina quantum eſt ex ſe eſt proximè potens terminare intellectionem ſeclusa ſpecie diſtincta: ſicut ſubſiſtentia divina non terminat exercitè ab æterno humanitatem, eſt tamen ex ſe potens vltimo terminare independenter ab alio diſtincto.

16 Ideò alij aliter rationi noſtræ reſpondent. Nimirum ſpeciem impreſſam ordinare ad ſupplendam præſentiam obiecti, quod reſpectu eſſentiæ divinæ intimé præſentis repugnat: attamen ſpecies expreſſa non ſe habet ex parte obiecti; ſed ex parte potentiæ; nec eſt vltima actualitas eſſentiæ divinæ, ſed potentiæ, quam conſtituit in actu ſecundo; vnde repugnante ſpecie impreſſa non probatur repugnare expreſſam, ſed potius evincitur de facto dari, ſicut de facto datur intellectio, per quam intellectus conſtituitur actu intelligens.

17 Sed hæc etiam evaſio ex dictis præoccupata manet. Et vlteriùs reijcitur. Nam ſpecies expreſſa non ordinatur ad conſtituendum intellectum intelligentem, cùm hoc ſit effectus intellectionis, ſed ad conſtituendum obiectum intellectum; ergo non ſe habet ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti; ſicut etiam impreſſa non habet conſtituere potentiam intelligentem, ſed obiectum intelligibile, ideòque non ſe habet ex parte potentiæ, ſed obiecti. Secundò. Quia hæc ſolutio confundit ſpeciem expreſſam cum intellectione, quod admitti non poteſt, quia intellectio comparatur ad intellectionem, ſicut via ad terminum; via autem diſtinguitur à termino.

18 Tertiò. Quia in Deo intellectio notionalis Patris diſtinguitur realiter à verbo; ergo potiori titulo intellectio creata, nam quæ diſtinguntur in divinis, potiori titulo diſtinguntur in creatis. Et ita docet D. Thomas 1. part. quæſt. 34. art. 1, ad 2. per hæc verba: *Cùm ergo dicitur, quod verbum eſt notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis, ſed pro eo, quod intellectus concipit cognoſcendo; vndè, & Auguſtinus dicit, quod Verbum eſt ſapientia genita, quod nihil aliud eſt, quàm ipſa conceptio ſapientis, quæ etiam paritò modo notitia genita dici poteſt.* Ergo notitia ſumpta pro verbo generaliter diſtinguitur ab intellectione, ſicut in divinis Verbum, ſivè notitia genita diſtinguitur ab intellectione generativa iuxtà Auguſtinum, & expoſitionem Div. Thomæ.

19 Adhùc reſpondent diſparem eſſe rationem inter ſpeciem impreſſam, & expreſſam. Nam impreſſa, & propria Dei, non habet vndé limitetur; attamen expreſſa limitatur à cognitione, à qua producitur; nec repræſentat obiectum, niſi eo modo, quo à cognitione attingitur; cum ergo per viſionem beatam non attingatur modo infinito, ſed finito, non oportet ſpeciem expreſſam habere repræſentationem infinitam; quarè etſi repugnet

ſpecies expreſſa, non tamen impreſſa.

20 Propter hæc nonnulli negantes ſpeciem impreſſam, concedunt expreſſam, ſed eorum doctrina mihi nullo pacto probatur. Primò. Quia ſicut ſpecies impreſſa non commenſuratur cum potentia, ita nec expreſſa, ſed vtraque commenſuratur cum obiecto, quia vtraque eſt formalis repræſentatio obiecti, illiuſque vicaria. Rurſus. Sicut impreſſa reddit obiectum proximè intelligibile, ita expreſſa actu intellectum; vnde ſicut illa eſt vltima actualitas obiecti in linea intelligibili, ita ſecunda in linea intellecti; ſed nulla forma creata poteſt commenſurari cum Deo, vt eſt in ſe, nec eſſe vltima illius actualitas; ergo quo pacto repugnat impreſſa, eo repugnat expreſſa.

21 Ulteriùs. Sicut ſpecies expreſſa limitatur à cauſa, ita impreſſa limitari poterit à ſubiecto, nam ſicut expreſſa eſſet à cauſa finita, ita impreſſa eſſet in ſubiecto finito; ergo ſi ex eo poni poteſt ſpecies expreſſa creata eſſentiæ divinæ, pari titulo poni poterit impreſſa. Tandem ſicut ſpecies expreſſa creata tendit in Deum modo finito, ita & impreſſa, nam expreſſa repræſentat in actu ſecundo, quod impreſſa in actu primo; ergo vel vtraque eſt poſsibilis, vel vtraque repugnat.

22 Ad rationem factam dico ſpeciem expreſſam conſiderari poſſe in ratione effectus, ſivè termini intellectionis: & in ratione formæ repræſentantis obiectum, ſivè vt eſt ſimilitudo obiecti; & hoc ſecundum eſt proprium, ac intrinſecum ſpeciei; primum verò accidentale, & contingens; cum ergo ſpecies vt eſt formalis ſimilitudo Dei vt eſt in ſe debeat eſſe eiuſdem immaterialitatis cum illo, quod formæ creatæ repugnat, conſequens eſt vt limitari non poſsit à cauſa; vndè ſi ſpecies expreſſa Dei produceretur media intellectione creata, eſſet, & non eſſet limitata: ſicut dici ſolet de creatura eſſentialiter indeſtructibili, quæ eſſet, & non eſſet ſub dominio Dei.

23 Ex dictis clarè deducitur ſecunda pars concluſionis, videlicèt, eſſentiam divinam vniri per modum ſpeciei expreſſæ, in cuius probatione non oportet immorari: idque tantùm ex Angelico Doctore confirmabimus. Nam Epiſt. 1. ad Corinth. 13. lect. 4. ait: *Quidam dicunt, quod in patria ipſa divina eſſentia videbitur per ſimilitudinem creatam; ſed hoc eſt omninò falſum. & impoſsibile, quia nunquam poteſt aliquod per eſſentiam cognoſci per ſimilitudinem, quæ non convenit cum re illa in ſpecie; lapis enim non poteſt cognoſci ſecundùm illud, quod eſt, niſi per ſpeciem lapidis, quæ eſt in anima; nulla enim ſimilitudo ducit in cognitionem eſſentiæ alicuius rei, ſi differat à rei illa ſecundùm ſpeciem, & multò minus ſi differt ſecundùm genus; non enim per ſpeciem equi, vel albedinis poteſt cognoſci eſſentia hominis, & multò minus eſſentia Angeli; multò ergo minus per aliquam ſpeciem creatam, quæcumque ſit illa, poteſt videri divina eſſentia, cùm ab eſſentia divina plus diſtet ſpecies quæcumque creata in anima, quàm ſpecies equi, vel albedinis ab eſſentia Angeli.*

Oppoſitæ ſententiæ argumenta enervantur.

§. III.

24 ARGUITUR Primò ex Parente Anſelmo in Monolog. cap. 33. ibi: *Nulla ratione negari poteſt, cùm mens rationalis ſe ipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione; immò ipſam cogitationem ſui eſſe ſuam imaginem ad eius ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſsione formatam: quamcumque enim rem mens, ſeù per corporis imaginationem, ſeù per rationem cupit veracitèr cogitare, eius vtique ſimilitudinem quantùm valet, in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere, quod quantò verius facit, tantò rem ipſam verius cogitat, & hoc quidem cùm cogitat aliquid aliud, quod ipſa non eſt, & maximè cum aliquod cogitat corpus, clariùs perſpicitur. Cùm enim cogito mihi hominem abſentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi, quæ imago in cogitatione verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cùm ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, ideſt cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem, quaſi ſua impreſsione formatam, quamvis ipſa ſe à ſua imagine, non niſi ratione ſola, ſeparari poſsit, quæ imago eius, verbum eius eſt*; ergo iuxta Anſelmum verbum non diſtinguitur ab intellectione; ſed intellectio eſt creata; ergo,

25 Ex his Eminent. Aguirre t. 2. diſp. 62. num. 11. putat verbum non diſtingui ab intellectione creata, quamquam oppoſitum cum D.Thoma alibi docuiſſe fateatur: ſed immeritò à prima diſceſsit ſententia: ſic enim Anſelmus immediatè proſequitur: *Hoc itaque modo, quis neget ſummam ſapientiam, cum ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſuam ſibi ſimilitudinem ſuam, ideſt, verbum ſuum?* En qualiter Anſelmus probat Patrem æternum intelligendo, & dicendo, gignere ſibi ſimilitudinem ſuam, ideſt, verbum ſuum, ſicut anima rationalis cogitando gignit imaginem obiecti; at fide Catholica certum eſt ſimilitudinem illam, ſivé Verbum Patris eſſe à Patre dicente realiter diſtinctum; ergo & imago formata ab anima rationali intelligenti eſt ab ipſa anima rationali intelligente diſtincta; vndè ſi oppoſita ſententia vera eſſet, conſequentia Anſelmi nullius eſſet momenti: immó ex illis præmiſsis prorſus oppoſita colligenda eſſet: ſi enim anima rationalis intelligendo non producit imaginem, aut verbum à ſua intellectione diſtinctum; quo titulo ex hoc principio probari poſſet Patrem Æternum ſua dictione, & intellectione notionali, producere imaginem, aut Verbum realiter diſtinctum?

26 Undè argumento facto reſpondeo Anſelmum aſſerere *cùm anima rationalis cogitando intelligit, naſci imaginem eius in ſua cogitatione*; at imago nata à cogitatione non eſt cogitatio; ergo ex verbis Anſelmi potius probatur diſtinctio, quàm indiſtinctio. Dum autem addit cogitationem ſui eſſe imaginem ſuam, loquitur de imagine virtuali, & cauſali, non formali. Vel dic ibi vtramque opinionem probare, nec enim dignum erat rem fide Catholica certam opinioni probabili alligare; nam ibi Anſelmus non agit de diſtinctione Uerbi ab intellectione, ſed probat Patrem producere Verbum, quo omnia dicit, ad quod allegat ſimilitudinem animæ rationalis producentis ſimilitudinem obiecti, quod intelligit, ſivé hæc ſimilitudo ſit ab intellectione diſtincta, ſivé indiſtincta.

27 Arguitur ſecundo ex D. Thoma 1.part.quæſt.27.art.1. Omnis intellectio eſt productiva Verbi; ſed viſio beata eſt vera intellectio; ergo eſt productiva Verbi; ergo in viſione beata datur verbum creatum ab ipſa viſione productum. Maiorem tradit D.Thomas his verbis: *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectivæ proveniens, &c.* Et in 1.diſt. 27. quæſt. 2. art.2.ait: *Si inquiratur, quid ſit verbum, quo aliquis ſibi loquitur, non invenitur eſſe aliud, niſi conceptio intellectus.*

28 Circa primam authoritatem latè egimus hoc tomo Tract. de Trinit. Dub. num. & ſequentibus, nec oportet tertio quoque verbo repetere. Ad ſecundam authoritatem patet ſolutio ex eodem S.Doctore ſic proſequente: *Conceptio autem intellectus, vel eſt ipſa operatio, quæ eſt intelligere, vel ſpecies intellecta.* Ubi opinionem aſſerentium Uerbum in divinis ſemper dici perſonaliter impugnat iuxta principia vtriuſque ſententiæ, ſivé diſtinguentis, ſivè non diſtinguentis verbum ab intellectione.

29 Arguitur tertió ratione. Omnis actio vt talis eſt productiva alicuius termini; ſed viſio beata eſt vera actio; ergo alicuius termini productiva; ergo ſpeciem expreſſam, ſivè verbum mentis producit. Maior probatur. Omnis actio vt talis eſt cauſalitas agentis; ſed omne agens per ſuam cauſalitatem producit terminum, quia agens in quantam agit, aliquid agit; ergo omnis actio in quantum talis producit terminum, aliás ageret, & nihil ageret. Confirmatur. Viſio beata eſt vera actio de prædicamento actionis; ſed implicat vera actio de prædicamento actionis ſine termino á ſe producto; ergo. Minor probatur. Actio de prædicamento actionis eſt verum fieri; ſed implicat fieri ſine facto eſſe; ergo & vera actio ſine termino à ſe producto.

30 Ad argumentum, & confirmationem reſpondent Caietan, Ferrara, Ioannes à S.Thoma, & frequentius Thomiſtæ, viſionem beatam, cæteraſque actiones immanentes, non eſſe actiones de prædicamento actionis, ſed qualitatis, ideòque non oportere aſsignare terminum ab ipſis productum. Sed huic ſententiæ præſentem difficultatem alligare non licét. Ueraque ſolutio conſtat ex dicto Tract. de Trinitate. Et clariùs ex dictis dubio antecedenti reſponderi poteſt viſionem non eſſe dictionem, nec actionem practicam; ſed purè ſpeculativam, puramque con-

tem-

templationem obiecti, quarè non mirum ſi terminum non producat, vt patet in diuina intellectione eſſentiali, & in ipſa viſione ſenſibili, quæ terminum non producunt.

31 In forma ad argumentum, diſtinguo maiorem. Omnis actio practica, concedo maiorem. Speculativa, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſenquentiam. Ad probationem ſimilitèr dico ſimiles actiones eſſe cauſalitates agentis ſpeculativa, non practicè productivi, atque adeó non ſunt proprium fieri, nec correſpondet factum eſſe; ideóque nihil agunt producendo, ſed aliquid agunt ſpeculando, quia agentibus purè ſpeculativis ſatis eſt ſi agant terminum *quo*, nempè actionem ſpeculativam, quin correſpondeat terminus *qui* productus. Per quod conſtat ad confirmationem.

32 Dices. Beati media viſione trahunt Deum ad ſe; ſed ad ſe trahere non poſſunt, niſi media viſione producatur verbum; ergo media viſione beata producitur verbum. Maior conſtat, nam intellectus trahit res ad ſe. Minor probatur. Beati trahere non poſſunt Deum ad ſe formaliter ſola viſione, quia hæc non eſt ſimilitudo formalis Dei, ſed ſolũ effectiva; ergo ſolúm trahere poſſunt Deum ad ſe, quatenús media viſione producunt verbum, quod eſt ſimilitudo formalis.

33 Reſpondeo, negando maiorem, quia non eſt de ratione vi ſionis Deum trahere, ſed Deum præſentem contemplari, nec oportet intellectum in omni ſua actione trahere obiectum, cum obiectum ſupponatur tractum per ſpeciem impreſſam, vndé ſolùm trahitur per actus concurrentes ad ſpeciem impreſſam, non per actus contemplantes obiectum in ſpecie expreſſa. Præterquamquod impugnatio locum non habet in Deo, quĩ ex ſua intrinſeca perfectione eſt intimè præſens potentiæ, vt dictum eſt.

34 Arguitur quartô. Ideó Beati non producerent verbum, quia Deus eſt proximè intelligibilis per ſe ipſum, & actu potens terminare intellectionem; ſed hæc ratio non probat; ergo verbum producunt. Minor probatur. Deus non minus eſt volibilis, ac intelligibilis; nec minus eſt actus purus in linea volibili, quám intelligibili; ſed hoc non obſtante voluntas Beati amando Deum producit terminum, nempè impulſum; ergo & intellectus eo non obſtante producet terminum, nempè verbum.

35 Facilè dici poſſet, nec intellectum Beati producere verbum, nec voluntate impulſum, quia ſicut Dens vnitur per modum obiecti intelligibilis, ita vniri poteſt per modum obiecti amabilis. Sed conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, conceſſa maiori, nego paritèr minorem. Ratio diſparitatis eſt, quia cum verbum ſimilitudo obiecti, & pro illo ſuppleat, eſt vltima actualitas illius, non pŏtentiæ: è contra impulſus non eſt vltima actualitas boni amati, ſed voluntatis amantis; vndé repugnante verbo creato ſummi veri non repugnat impulſus ſummi boni. Ortum habet hæc diſparitas ex ipſa natura voluntatis, & intellectus; nam intellectus eſt potentia aſsimilativa, non ita voluntas: vndè terminus intellectus debet aſsimilari perfectè cum obiecto, ipſumque continere, vt in ſuperioribus dictum eſt, quod reſpectu Dei repugnat; quæ tamen præcontinentia non requiritur in impulſu, qui ex ſuo conceptu intrinſeco non eſt, niſi tendentia affectiva in bonum.

(o)

(o)

TRAC-

TRACTATVS III. DE LVMINE GLORIÆ.

CVM Præter ſpeciem intellectus divino lumine indigeat ad videndum Deum vt eſt in ſe iuxta illud Pſalmi: In lumine tuo videbimus lumen. *Examinato concurſu ſpeciei ad explorandam neceſsitatem, concurſumque luminis, gradum facimus. Et quod priùs diſputandum occurrit eſt illius neceſsitas, & conditio.*

DVBIVM I.

An lumen gloriæ ſit neceſſarium ad videndum Deum, & quale illud ſit?

§. I.

1 IN Concilio Generali Vienenſi (vt refertur in Clementina *ad noſtrum* de Hæreticis) damnantur aſſerentes: *Quod quælibet intellectualis natura naturaliter eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Quapropter Theologi plures cenſent neceſsitatem luminis eſſe in prædicto Concilio definitam, ideòque certa fide tenendam: Alij dicunt oppoſitum eſſe temerarium: Alij erroneum: Alij periculoſum in fide. Sed è contra, Alij iudicant nihil eſſe in hac Scholaſtica controverſia definitum, ſed ſolùm damnaſſe Begardos, & Beguinas contendentes poſſe animam viribus naturæ videre Deum vt eſt in ſe.

2 Lumen gloriæ neceſſarium non eſſe ad viſionem beatam ſenſiſſe videtur Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11. litt. H. vbi ait: *Sed quia ſecundùm Scripturam, & fidem habemus ponere charitatem, ſaltim neceſſe eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam, lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſsè poni.* Et in 3. diſt. 31. quæſt. vnica litt. B. inquit: *Non eſt neceſſarium ponere aliquem habitum in patria creatum in ipſa anima, qui ſit principium videndi, vel tendendi in obiectum.* Vnde dicta quæſt. 11. addit: *Minus mihi videtur neceſsè ponere lumen, quàm ſpeciem*; cùm ergo ſpeciem creatam apertè reſpuat, conſequens eſt, & lumen reſpuere.

3 Propter hæc [inquit Maſtrius nobilis Scotiſta tit. 1. diſp. 6. quæſt. 3. art. 1.] communitèr cenſent Recentiores Subtilem Doctorem in ea fuiſſe ſen-

ſententia, qui tamen vel parùm accuratè Scotum legerunt, vel ex aliorum communi locutione locuti ſunt. Undè docet Scotum in aliquibus locis ſuppoſita opinione aſſerente intellectum paſsivè ſe habere ad viſionem, vel illud negare in ſenſu Thomiſtarum veluti totalem, & adæquatam rationem agendi. Uel vt concurrens per modum ſpeciei impreſſæ. Vel ad aliud munus non neceſſarium, nec lumini conveniens; quatè abſolutè lumen gloriæ non negavit. Sed addit num. 101. quod quamquam illud abſolutè negaſſet, nullam adhuc incurriſſet erroris notam, quia Scotus ceſsit é vita anno 1308. cùm tamen Clementinarum opus publicatum fuerit à Ioanne XXII. anno 1318.

4 Hæc vltima excuſatio à nota, vel minima erroris mihi maximè arridet, non ſolùm quia dicta Clementina publicata fuit anno 1318. ſed maximè, quia dictum Vienenſe Concilium celebratum fuit anno 1311. poſt mortem Subtilis Doctoris. Attamen præcedentes interpretationes nec menti, nec litteræ Scoti congruere facilè legenti conſtabit, & in progreſſu oſtendimus.

5 Cæterùm eſtò Concilium neceſsitatem luminis definire videatur, quia tamen in ſpeciali non exponit, quid per lumen gloriæ elevans potentiam intelligendum ſit, Scriptores in variàs diviſi ſunt opiniones, non tam diſputantes an lumen gloriæ neceſſarium ſit, quàm qualiter hoc intelligendum ſit?

6 Pater Vazquez diſp. 43. cap. 3. & 7. docet ſatis eſſe ad viſionem beatam, aut lumen gloriæ; aut eſſentiam divinam per modum ſpeciei intelligibilis; vndè ipſe ponens lumen gloriæ negat eſſentiam divinam vniri per modum ſpeciei, vt ex ſuperioribus conſtat: ſi tamen [inquit] ponatur eſſentia divina per modum ſpeciei ſuperfluit lumen. Maſtrius loco citato probabile iudicat lumen ad viſionem neceſſarium non eſſe, quid habituale, ſed auxilium actuale, ſivè per modum principij elevantis potentiam, ſivè per modum concurſus ſimultanei obiecti concurrentis cum potentia. Durandus in 4. diſt. 49. q. 2. Docere videtur intellectum ad videndum Deum nec elevari per lumen; nec per ſpeciem impreſſam; nec per concurſum ſimultaneum; ſed ex eo duntaxat, quod ipſa divina eſſentia ſe immediatè intellectui manifeſtet.

7 Communis tamen Theologorum ſententia docet lumen ad viſionem beatam neceſſarium eſſe virtutem quendam ſupernaturalem elevantem, confortantem, & proportionantem potentiam; in patriâ quidem per modum habitus permanentis: in viâ per modum diſpoſitionis tranſeuntis, vt conſtat de Moiſe, Paulo, ac Patriarca noſtro Benedicto, vt ſuo loco oſtendemus.

(§)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

8 DICENDUM Primò Intellectum creatum indigere virtute elevante ad videndum Deum vt eſt in ſe, quæ dicitur lumen gloriæ. Conſtat ex dicto Concilio diſſertis verbis improbante, quod *anima non indigeat lumine gloriæ ad videndum Deum.* Nec ſatis occurres, ſi dicas ibi ſolùm damnari errorem dicentium animam rationalem viribus naturæ poſſe eſſe beatam; nam vt optimè notat Pater Suarez ibi vtrumque reprobatur: & quod natura intellectualis ſit naturaliter beata: & quod videre poſsit Deum ſine lumine: immò ex primo deducitur ſecundum. Quoniam intellectus creatus viribus naturæ elicere non poteſt viſionem beatam; ergo indiget viribus gratiæ, quibus elevetur; ſed has vires, & elevationem præſtat virtus ſupernaturalis, quæ dicitur lumen; ergo lumen gloriæ neceſſarium eſt ad videndum Deum, vt infra vberius oſtendemus.

(?)

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

9 DICENDVM Secundò, lumen gloriæ neceſſarium ad viſionem beatam non eſſe divinam eſſentiam ſe ipſa extrinſecè manifeſtatam: nec eamdem eſſentiam per modum ſpeciei intelligibilis vnitam mentibus

tibus Beatorum : nec eamdem viſionem beatam. Prima pars concluſionis procedit contra Durandum,& clarè convincitur ex allegato Concilio ſtatuente neceſsitatem luminis ad videndum Deum ; at lumen neceſſarium ad videndum Deum, non eſt Deus extrinſecè manifeſtatus, ſicut nec lumen ad videndum colorem in potentia viſiva non eſt color extrinſecè attactus;ergo. Secundó. Concilium definit animam indigere lumine ; ergo hoc lumen debet eſſe ex parte animæ ; at eſſentia divina extrinſecè manifeſtata non ſe habet ex parte animæ ; ergo. Tertiò , & maximè quia Concilium definit neceſſarium eſſe illud lumen , quod Hæretici ibi reprobati negabant ; ſed nemo ita inſipuit , vt aſſereret Beatos videre eſſentiam divinam, ſinè eſſentia divina manifeſtata ; ergo hoc lumen exactum á Concilio non eſt eſſentia divina Beatis manifeſtata.

10 Secunda pars concluſionis contrà PatremUazquez ſic oſtenditur. Eſſentia divina vnita per modum ſpeciei nullas tribuit vires potentiæ ad videndum Deum ; ergo lumen neceſſarium ad videndum Deum non eſt eſſentia divina vnitá per modum ſpeciei. Conſequentia conſtat. Et antecedens probatur. Species obiecti viſibilis poſita in potentia viſiva nullam præſtant virtutem ad videndum colorem , vndè ſi potentiæ viſiva ſupponatur debilis , vel læſa , nec ſanatur , nec cofortatur , nec conſtituitur potens videre obiectum per ſpecies. Item. Quantumcumque ponantur in Viatori ſpecies obiecti credibilis, aſſenſum fidei non eliciet ſine fidei lumine , & ſic de alijs ; ergo eſſentia divina vnita per modum ſpeciei, non præſtat vires potentiæ ad videndum Deum.

11 Secundó. Quia ſpecies non eſt id , quo potentia conſtituitur intelligens,ſed quo obiectum conſtituitur intelligibile á potentia ; at obiectum non eſt intelligibile à poteniia , niſi ſupponatur pro portionata ; ergo ita ſupponi debet pro priori ad ſpeciem; ergo pro priori ad ſpeciem requiritur virtus ex parte potentiæ , qua elevetur , & propottionetur. Tertió facilè inſtaurari poſſunt omnia argumenta facta contraDurandum. Quoniam Hæretici negantes neceſsitatem luminis ad videndum Deum , non negabant ſpeciem ipſius Dei , aut eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei , cum lumine naturæ notum ſit obiectum non poſſe videri, ſine obiecto , aut per ſe vnito , aut per ſpeciem ; aut alio modo præſenti potentiæ; ergo negabant virtutem ex parte potentiæ ; ergo lumen,quod Concilium ſtatuit, eſt virtus ex parte potentiæ.

12 Confirmatur. Potentia attingens aliquod obiectum ex viribus proprijs , illud non attingit ſine ſpecie talis obiecti ; etenim potentia noſtra viſiva attingit virtute naturali colorem non tamen ſine ſpecie coloris ; ergo ſi potentiæ intellectivæ nihil ſuperadditur ad videndum Deum , niſi eſſentia divina per modum ſpeciei; verè Deum videt viribus naturæ ; ſed hoc improbat allegatum Concilium ; ergo.

13 Reſpondet Uazquez, quod ſi ponatur lumen gloriæ ſuperfluit eſſentia divina per modum ſpeciei , nam lumen gloriæ eſt ex ſe omninò determinatum ad videndum Deum ; ſed poſito in potentia aliquo principio determinato, erga aliquod obiectum ſuperfluit ſpecies talis obiecti ; ergo vel negandum eſt lumen , vel non eſt ponenda eſſentia divina vnita per modum ſpeciei.Sed hæc ſolutio ex ſuperioribus impugnata , & præoccupata manet. Nam determinatio ex parte principij erga aliquod obiectum non ſufficit, ſi obiectum non conſtituatur præſens potentiæ ; ſed obiectum conſtituatur præſens potentiæ per ſpeciem , aut per ſe ipſum in ratione ſpeciei; ergo quamquam lumen gloriæ ſit determinatum ad videndum Deum , requiritur ſpecies , vel ipſa eſſentia divina vnita per modum ſpeciei.

14 Secundò. Species non tam neceſſaria eſt vt potentia videat , quàm vt obiectum ſit proximè, & actu viſibile, à tali potentia , vt ex ſuperioribus conſtat ; ergo non obſtante determinatione ex parte potentiæ , requiritur determinatio ex parte obiecti , quæ habetur per ſpeciem. Tertiò. Quia ad notitiam , & cognitionem concurrit potentia , & obiectum , cum ſit partus intentionalis , quia *ex obiecto , & potentia paritur notitia* ; ergo vltra determinationem ex parte potentiæ requiritur concurſus obiecti ; aut per ſe ipſum , aut per ſpeciem.

15 Quartó. Quia lumen gloriæ non eſt ita determinatum , vt indifferentiam

rentiam non includat circa obiectum ſecundarium, quod videtur in primario, nimirum, erga creaturas; vndé Beati æquali lumine videre poſſunt has, vel illas creaturas: imò Beati eminentiori lumine perfuſi nõ vident aliquas creaturas, quas videt alius inferiori lumine illuſtratus, eo quod ad proprium ſtatutum pertinent, vt communiter in hoc tractatu docent Theologi; ergo ad illam indifferentiàm determinandam requiritur ſpecies.

16 Tertia pars concluſionis eſt contra Vulpem, & alios Scoti Diſcipulos docentes Beatos ad videndum Deum ſe habere merè paſsivè recipiendo viſionem, atque adeó dicunt lumen exactum á Concilio nihil aliud eſſe quam viſionem ipſam. Et ita docet videtur Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. *ſimiliter* Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. litt. C. Et quod l. 14. art. 2. §. *hinc intelligedum*. Sed hæc ſolutio facilè, & efficacitèr improbatur. Primó. Si nomine luminis neceſſarij ad videndum Deum non intellexiſſet Concilium, niſi viſionem ipſam, re vera definiſſet neceſsitatem viſionis ad videndum; ſed hoc tanto Concilio indignum eſt: nec Begardi ibi damnati, ita ſtupiti erant, vt negarent viſionem ad videndum; non ergo nomine luminis neceſſarij ad videndum intelligi poteſt ipſa viſio.

17 Nec illa doctrina concurſus meri paſsivi ad viſionem beatam admittenda eſt. Nam viſio beata eſt actus vitalis, qua Beati vivunt in actu ſecundo; ergo debet producere à potentia vivente perillam: vndè Ioannes cap. 17. inquit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum*; at cognitio eſt vera operatio cognoſcentis; ergo viſio beata, in qua vita æterna ſita eſt, eſt vera operatio elicita à Beatis. Vlterius. Quia viſio beata eſt vita æterna, qua Beati fœlicitèr vivunt in actu ſecundo; ſed vita in actu ſecundo debet eſſe à principio ſe movente per illam; ergo viſio beata eſt à Beato ſe movente per illam; at ſe movere non poteſt viſione ſupernaturali viribus naturæ; ergo ſuperaddenda eſt virtus ſupernaturalis, quæ eſt lumen gloriæ.

(§)

TERTIA CONCLVSIO.

§. IV.

18 DICENDUM Tertiò lumen neceſſarium ad viſionem beatam non eſſe concurſum Dei cum potentia, ſed virtutem ſupernaturalem elevantem potentiam, Prima pars eſt contra Smiſinch tract. 2. de Deo vno, diſp. 6. & alios Scotiſtas docentes lumen neceſſarium ad viſionem ſitum eſſe in ſolo Deĩ concurſu, quam ſententiam probabilem iudicat Maſtrius loco citato, quamquam noſtram ſententiam, vt probabiliorem tueatur. Verum hæc doctrina ex præallegato Concilio pari efficacia improbatur. Nam Hæretici à Concilio damnati non negabant concurſum ſimultaneum Dei ad viſionem beatam, quia cum hic concurſus communis ſit cæteris actionibus, credendum non eſt eum negaſſe excellentiſsimæ operationi viſionis beatæ. Et ita redeunt omnia argumenta facta.

19 Secundô. Lumen exactum à Concilio eſt ad elevandã potentiam, vt eliciat viſionem, quã viribus naturæ non poteſt; at concurſus ſimultaneus Dei non influit impotentiã, ſed concurrit cum potẽtia ad actum; ergo hic concurſus non eſt lumen exactũ á Concilio. Eo vel maximé. Quia ſi potentia intellectiva eliceret viſionẽ beatã ſolo concurſu ſimultaneo Dei ſecluſa alia virtute elevante, profectó viribus naturæ illam eliceret, vt patet in qualibet potentia eliciente aliquam operationem viribus proprijs, ad quàm etiam Deus ſimultaneè concurrit; ſed hoc probatur à prædicto Concilio; ergo.

20 Si fortaſsè reſpondeant hoc lumen ſitum non eſſe in concurſu ſimultaneo Dei concurrentis cum potentia ad actum, ſed in concurſu prævio ſivè in aliquo auxilio influente in ipſam potentiam, eamque immutante, & corfortante. Contra eſt. Nam hoc auxilium, vel eſt aliqua virtus elevativa potentiæ cõmunicata per manenter, vt in patria, vel tranſeunter vt in via; vel tantùm eſt aliqua prædeterminatio ad actum? Si primum. In noſtram

coin-

coincidit ſententiam. Si ſecundum. Eiſdem laborat difficultatibus, ac concurſus ſimultaneus. Nam concurſus prævius non tribuit virtutem ad ſpeciem actus, ſed ſupponit, ſolúmque determinat potentiam ad elicientiam actus in individuo; nam prædeterminatio phiſica ſolùm ponitur ad tollendam indifferentiam potentiæ ad eliciendum actum, ad quem ſupponitur proportionata; ergo.

21 Denique. Prædeterminatio non eſt cauſa actus, ſed applicativa potentiæ ad actum; ergo ſi ad eliciendam viſionem beatam nulla alia virtus ponitur in intellectu, tota cauſa adæquata viſionis beatæ erit naturalis virtutus eiuſdem intellectus, vndè ſemper ſequitur contra Concilium ad viſionem beatam nullum requiri lumen ad elevandam potentiam, quod dici non poteſt.

22 Probatur igitur ſecunda pars concluſionis. Nam viſio beata eſt ſupernaturalis; ergo virtus ad illam neceſſaria debet eſſe ſupernaturalis. Ulteriùs, cùm intellectus ſit potentia naturalis ex ſua naturali virtute inſufficiens, & improportionata, per virtutem ſuperadditam redditur proportionata, & ſufficiens; ſed hæc eſt virtus ſupernaturalis elevativa potentiæ; ergo lumen ad viſionem neceſſarium eſt virtus ſupernatutalis elevativa potentiæ.

23 Secundò. Quia viſio beata eſt actus vitalis ſupernaturalis; ergo debet procedere à potentia vitali intellectus; at non virtute propria, quæ naturalis eſt, & inſufficiens; ergo media virtute ſupernaturali elevante. Tertiò. Quia improportio intrinſeca potentiæ naturalis ad videndum Deum oritur ex defectu virtutis; ergo ponenda eſt virtus ſupernaturalis ad proportionem præſtandam; ſed hæc eſt lumen gloriæ; ergo.

24 Nec prodeſt ſi reſpondeas hanc improportionem tolli per eandem divinam eſſentiam vnitam per modum ſpeciei. Nam eſſentia divina vt vniatur per modum ſpeciei debet ſupponere ipſam potentiam proportionatam, quare ipſa improportio, quę eſt in potentia naturali ad viſionem, eſt improportio ad eandem aſſentiam divinam vnitam, aut vniendam per modum ſpeciei. Et probatur. Ideò potentia naturalis eſt improportionata ad viſionem beatam, quia eſt naturalis, & inferioris ordinis; ſed longè inferioris ordinis eſt reſpectu eſſentiæ divinæ; ergo ſicut propria virtute eſt improportionata ad viſionem, ita improportionata eſt ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei; ergo ad hanc vnionem ponenda eſt proportio in potentia, quæ fit medio lumine, quo potentia inferioris ordinis diſponitur ad recipiendam formam ordinis ſuperioris.

25 Dices. Porentia naturalis intellectus non indiget diſpoſitione ſuperioris ordinis ad recipiendam formam ordinis ſuperioris. Nam ipſum lumen gloriæ eſt forma ſupernaturalis; ſed ad ipſum lumen gloriæ recipiendum non indiget alia diſpoſitione eiuſdem, ſed ſufficit ipſa obedientialis potentia eiuſdem intellectus; aliás daretur proceſſus in infinitum; ergo ad vnionem eſſentię divinæ non indiget intellectus aliquo lumine diſponente. Confirmatur. Subſiſtentia Uerbi divini, quamquam ſupernaturalis, vnitur ſe ipſa immediatè humanitati ſine aliqua diſpoſitione ſupernaturali; ergo & eſſentia divina vniri poterit intellectui immediatè ſine aliqua diſpoſitione luminis.

26 Reſpondeo alias eſſe formas vltimas, & perfectas: alias non vltimas, ſed viales, & ex natura ſua ad aliud ordinatas: primæ exigunt præparatione, & diſpoſitione eiuſdem ordinis: ſecundæ non ita: quæ diſparitas aperté conſtat in gratia iuſtificante, quæ quia ſupernaturalis exigit præparationes eiuſdem ordinis, quas tamen non exigit ipſa præparatio, quamquam ſupernaturalis ſit. Ex his ad impugnationem, nego antecedens. Ad probationem conceſsis præmiſsis, nego conſequentiã propter dicta. Ad confirmationem dico eſſentiam divinã per modum ſpeciei determinare potentiam ad viſionem beatam, quæ propterea debet ſupponere virturem diſponentem, & proportionantem; attamen ſubſiſtentia divina tribuit eſſe perſonale; eſſe autem perſonale nullam exigit diſpoſitionem, ſed eſt primum eſſe communicatum naturę. Et ratio eſt, quia inter humanitatem, & ſubſiſtentiam Verbi eſt immediata proportio terminabilis, & terminantis; ſed inter potentiam naturalem intellectus non elevati, & eſſentiam divinam nulla eſt pro-

portio, quia nulla eſt proportio potentiæ ad obiectum, quod videre non poteſt, nec virtutem, & facultatem habet ad illud videndum; vndé non eſt ſimile.

(§)

Soluuntur argumenta contraria.

§. V.

27 ARGVITVR Primó ex Durando. Eſſentia divina extrinſecé intellectui manifeſtata, ac ſimultaneè concurrens cum potentia, ſatis eſt ad viſionem beatam; ergo non requiritur aliud lumen. Antecedens probatur. Eſſentia divina eſt lux per eſſentiam intelligibilis, & potens per ſe ipſam illuminare potentiam; ergo ſe ſola manifeſtata potentiæ ſufficit ad viſionem. Secundò. Si aliquid aliud requireretur, eſſet permodum augmenti virtutis intellectus; ſed hoc augmentum reſpectu intellectus repugnat; ergo. Minor probatur. Nulla virtus augeri poteſt, niſi per intenſionem; ſed intellectus capax intenſionis non eſt; ergo tale augmentum virtutis reſpectu intellectus repugnat.

28 Confirmatur. Impedimentum, quod patitur intellectus creatus pro hoc ſtatutu ad videndum Deum vt eſt in ſe, eſt quia cognoſcit per ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt medium inferioris ordinis reſpectu Dei vt eſt in ſe; ergo ſi hoc impedimentum auferatur, & Deus ſe manifeſtet, intellectus omni alio ſecluſo in viſionem prorrumpet.

29 Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Illuminare potentiam proportionatam ad videndum, concedo. Non proportionatam, nego antecedens. Nam lux Solis quantumcumque ſe manifeſtet cæco, ab eo non videbitur. Sic ſimiliter in potentia naturali non elevata reſpectu Dei vt eſt in ſe. Ad ſecundum reſpondet Divus Thomas 3. Contra Gen. cap. 53. num. 4. per hæc verba: „Contingit dupliciter alicuius virtutem fortificari. „Uno modo per ſimplicem ipſius virtutis intenſionem, ſicut virtus activa calidi augetur per intenſionem caloris, vt poſsit efficere vehementiorem actionem in eadem ſpecie. Alio modo per novæ formæ appoſitionem, ſicut diaphani virtus augetur ad hoc vt poſsit illuminare, per hoc quod ſit lucidum actu per formam lucis receptam in ipſo de novo, & hoc virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpeciei operationem conſequendam. Virtus autem intellectus creati naturalis non ſufficit ad divinam ſubſtantiam videndam, vt ex prædictis patet. Ergo oportet, quod augeatur ei virtus ad hoc, quod ad talem viſionem perveniat. Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis, quia talis viſio non eſt eiuſdem rationis cum viſione naturali intellectus creati, quod ex diſtantia viſorum patet. Oportet; ergo quod fiat augmentum virtutis intellectivæ per alicuius novæ diſpoſitionis adeptionem.

30 Ad confirmationem dico illud impedimentum eſſe ſufficiens, ſed non adæquatum. Nam pro hoc ſtatu anima noſtra videre non poteſt Deum vt eſt inſe, quia intelligit per ſpecies ſenſatas; & quia caret virtute elevante, & proportionante potentiam, vndè ſi auferatur primum impedimentum, ſupereſt ſecũdum, & vtrunque eſt ſufficiens. Et hæc doctrina negari non poteſt à Durando, aliòquin nullus homo adæquare poſſet beatitudinem Angelorum, cùm tamen certum ſit adęquare, & excedere, præſertim Chriſtus Dominus, etiam in quantum homo, & Virgo Deipara. Sequela autem probatur. Quoniam ex parte eſſentiæ extrinſecè manifeſtatæ nulla eſt diverſitas, cum ſit eadem: non ex parte luminis, quod ab ipſo non ponitur: vndè ſolùm ſupereſt diverſitas ex parte virtutis naturalis intellectus; ſed in hac homo adæquarè Angelum non poteſt; ergo nullus homo adæquare poterit beatitudinem Angelorum. Quod dici non poteſt.

31 Arguitur ſecundo ex P. Vazquez, lumen neceſſarium ad videndum Deum eſt, quod determinat intellectum ad viſionem; ſed eſſentia divina vnita per modum ſpeciei determinat intellectum ad viſionem; ergo ipſa eſſentia divina ſemel vnita per modum ſpeciei erit lumen neceſſariũ ad videndum Deum. Confirmatur. Semel vnita eſſentia per modum ſpeciei, otioſum eſt aliud lumẽ; nam eſſentia eſſen-

eſſentia divina ſic vnita actuat, perficit, elevat, & determinat potentiam ad viſionem; ergo aliud lumen otioſum eſt; ſed á nobis ponitur eſſentia divina ſic vnita; ergo non eſt ponendum aliud lumen.

32 Sed his ex ſuperioribus ſatis conſtat. Nam lumen neceſſarium ad viſionem eſt, quod determinat potentiam vt virtus potentiæ; non vt virtus obiecti, vt eſt ſpecies. Ad confirmationem pariter dico eſſentiam divinam actuare potentiam iam elevatam, & diſpoſitam, ac proportionatam; immò non poſſet eam actuare, nec illi vniri ſi non ſupponeretur proportionata, & diſpoſita per lumen, vt ex dictis ſatis conſtat. Et vlteriùs oſtenditur ex eo, quod ſalvatur tota virtus, & facultas proxima ex parte potentiæ ſine ſpecie, etenim nulla poſita ſpecie coloris in potentia viſiva adhúc eſt proximè potens ad videndum; ergo ſpecies obiecti non eſt virtus ex parte potentiæ.

33 Arguitur tertiò. Lumen gloriæ neceſſarium ad videndum Deum vt eſt in ſe, eſt quod elevat, & proportionat potentiam; ſed hæc elevatio, & proportio fieri non poteſt per virtutem ſupernaturalem creatam; ergo lumen gloriæ neceſſarium ad videndum Deum non eſt virtus aliqua ſupernaturalis creata. Minor probatur. Quacumque virtute ſupernaturali creata poſita in potentia manet potentia improportionata ad videndum Deum; ergo proportio fieri non poteſt per virtutem ſupernaturalem creatam. Antecedens probatur. Inter intellectum creatum, & Deum eſt infinita diſtantia; ſed hæc ſuperari non poteſt per virtutem creatã, cum omnis virtus creata ſit finita, & limitata, atque adeó infinitè diſtans à Deo; ergo per virtutem creatam proportionari non poteſt ad videndum Deum vt eſt in ſe.

34 Confirmatur. Ideò potentia naturalis indigeret lumine ſuperaddito ad viſionem beatam, quia eſt inferioris ordinis reſpectu viſionis beatæ; ſed etiam lumen gloriæ eſt longè inferioris ordinis reſpectu Dei; ergo quo pacto potentia naturalis eſt improportionata reſpectu viſionis ſupernaturalis, eo lumen ſupernaturale eſt improportionatum reſpectu Dei. Minor probatur. Quia magis diſtat lumen creatum à Deo, quàm potentia naturalis à viſione ſupernaturali, cum hæc ſit diſtantia in linea entis creati, illa autem inter creatum & increatum.

35 Ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem nego antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Eſt infinita diſtantia in eſſe entis, concedo maiorem. In eſſe obiecti finito modo cognoſcibilis, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Nam proportio neceſſaria ad viſionem non eſt in eſſe entitativo, ſed in eſſe cognoſcentis, & cognoſcibilis; ſicut proportio inter humanitatem & ſubſiſtentiam divinam, non eſt in eſſe entis, ſed in eſſe terminantis, & terminabilis: nec item in eſſe cognoſcibilis modo comprehenſivo, & infinito, ſed modo finito, qualiter media viſione cognoſcitur. Eodem modo occurrendum eſt confirmationi. Nam lumen gloriæ licèt ſit longè inferius in eſſe entis, nõ in eſſe cognoſcẽtis erga Deum cognoſcibilem modo finito; vndè illa maior diſtantia eſt entitativa, & materialis. Sicut maior eſt diſtantia inter intellectum creatum, & Deum, ac eſt inter viſum corporeum, & animam ſpiritualem, cùm tamen intellectus creatus poſsit elevari ad videndum, & viſus corporeus elevari non poſsit ad videndam animam.

DVBIVM II.

An intellectus creatus videre poſsit divinam eſſentiam ſine lumine gloriæ creato?

§. I.

1 EX Dubio præcedenti conſtat Beatos de facto videre Deum medio lumine gloriæ creato elevante potentiam, eique facultatem, & proportionem communicante ad viſionem ſupernaturalem Dei vt eſt in ſe, vndè præſens controverſia procedit inſpecta poteſtate abſoluta Dei, & generalis eſt ad omnes actus ſupernaturales, ideóque pari difficultatis nodo examinari ſolet de actu charitatis, & ſimilibus, ac in duplici ſenſu poteſt proponi: Primò. An Deus poſsit intrinſecè vnire in-

intellectui Beati per modum luminis, ſicut vnitur per modum ſpeciei? Quod ſi poſsibile adſtruatur, videbitur quidem Deus ſine lumine creato, non tamen ſine lumine intrinſeco. Secundò. Procedere poteſt controverſia de viſione elicita ab intellectu creato ſupplente Deo per aſsiſtentiam extrinſecam, aut per decretum concurrendi ſpecialiter cum intellectu creato ad viſionem, defectum luminis intrinſecè inhærentis; ideòque relicto primo ſenſu, inquirunt frequentius Authores. An intellectus creatus poſsit videre Deum per auxilium extrinſecum ſecluſo lumine intrinſeco?

2 Prima ſententia docet Deum vniri poſſe mentibus Beatorum per modum luminis, ſicut vnitur per modum ſpeciei, atque adeò viſionem beatam elici poſſe ab intellectu creato ſine lumine creato intrinſecè inhærente. Ita Illuſtr. noſter Silva t. 1. in 1. part. quæſt. 12. art. 13. dub. 11. Illuſtr. noſter Moneda t. 1. quæſt. 12. art. 5. dub. 4. num. 6. vbi allegat pro eadem ſententia Scotum, Durandum, Paludanum, P. Suarez, Molinam, Uazquez, & alios. Sed quo iure hos Authores prædictæ ſuffragari ſententiæ affirmet, facilè non percipio.

3 Secunda ſententia tuetur viſionem beatam elici poſſe ſine aliqua virtute intrinſecè elevante potentiam per ſolam Dei exiſtentiam, concurſumque ſimultaneum ordinis ſupernaturalis, ſivè per ſolam aſsiſtentiam extrinſecam Omnipotentiæ, ac decreti, quo Deus paratus eſt concurrere ad ſimilem viſionem. Ita frequentius Societatis Doctores, quos latiſsimè allegat Illuſtr. Silva loco citato num. 35. Ita etiam Scotus in 4. diſt. 14. q. 2. art. 2. & cum eo omnes Scotiſtæ omnes, inquit Maſtrius diſp. 6. quæſt. 5. num. 154. vbi videri poſſunt, quoniam mihi ſemper moleſtum fuit citationibus paginas onerare. Prædicti tamen Doctores diverſimodè eandem propugnant ſententiam, vt ex progreſſu conſtabit. Tertia tandem, & communis inter Thomiſtas, prorſus impoſsibile cenſet Beatos videre Deum ſine virtute creata intrinſecè inhærente, & elevante.

(§)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

4 DICENDUM Primò, prorſus implicare eſſentiam divinam vniri per modum luminis mentibus Beatorum ad eliciendam viſionem beatam; ſicut & voluntati per modum charitatis ad actum amoris. Docet hanc concluſionem expreſsè Doctor Angel. quæſt. vnic. de Charitate art. 1. vbi ait: *Dicendum, quod quidam poſſuerunt, quod charitas in nobis, qua diligimus Deum, & proximum, non ſit aliud, quàm Spiritus Sanctus.* Quam ſententiam latè impugnat veluti prorſus repugnantem, ac ſæpè repetens à Deo fieri non poſſe, ita concludit: *Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ humanæ, non poteſt eſſe homini voluntarius, niſi ſuperaddatur naturæ humanæ aliquid intrinſecum voluntatem perficiens, vt talis actus à principio intrinſeco proveniat.* Et infrà: *Relinquitur igitur, quod oporteat eſſe quendam habitum charitatis in nobis creatum, qui ſit formale principium actus dilectionis.*

5 Ex his formatur ratio. Spiritus Sanctus vniri non poteſt voluntati creatæ per modum charitatis ad actum dilectionis eliciendum; ergo nec eſſentia divina intellectui per modum luminis ad eliciendum viſionis actum. Antecedens traditur expreſsè à Div. Thoma. Et conſequentia optimè deducitur. Quia ſicut actus charitatis eſt vitalis, & ſupernaturalis, ita & viſio beata; ergo ſicut actus charitatis pendet ab habitu, ita & viſio à lumine; ſed actus charitatis ita pendet ab habitu, vt aliter eſſe non poſsit; ergo viſio à lumine, vt aliter eſſe non poſsit. Rurſus: Voluntas creata iuxta D. Thomam exigit eſſentialiter habitum per modum virtutis intrinſecè elevantis ad actum ſupernaturalem amoris; ergo & intellectus lumine intrinſecè elevantis per modum virtutis ad actum ſupernaturalem viſionis.

6 Dices ex P. Arrubal 1. p. diſp. 20. num. 26. diſparem eſſe rationem, quia primus actus eſt liber; ſecundus autem neceſſarius; nam actus liberi procedere debent ex inclinatione intrinſeca

voluntatis, ideòque exigunt virtutem intrinſecam, vt media illa à libertate intrinſeca voluntatis procedant, quæ ratio non probat in actibus neceſſarijs. Ægidius á Præſentatione, t. 2. de Beatitudine lib. 9. quæſt. 6. §. 5. è contra opinatur cæteros actus elici poſſe ſine virtute intrinſeca; attamen viſionem beatam non ita. Ratio illius eſt, quia habitus ad alios actus concurrunt tantúm effectivè, qui concurſus ſuppleri poteſt à Deo; ſed lumen gloriæ ad viſionem beatam concurrit etiam in genere cauſæ formalis, quia manifeſtat obiectum potentiæ; nam ſicut ad viſionem materialem manifeſtatur obiectú per lumen materiale: ad apprehenſionẽ per phantaſmata: ad iudiciú per apprehẽſionem: ad concluſionem per præmiſſas: ad actum fidei per illuſtrationes infuſas; ita ad viſionem beatam per lumen glorię, quarè lumen gloriæ concurrit in genere cauſæ formalis, quæ à Deo ſuppleri non poteſt.

7 Sed vtraque ſolutio facilè improbatur. Nam D. Thomas probat actum charitatis neceſſariò procedere à virtute intrinſeca creata, quia eſt actus vitalis, & conſequenter à principio intrinſeco ſe movente; ſed hoc etiam habet actus viſionis, & quicumque alius, ſive naturalis, ſive liber: immó ponit exemplum Doctor Angelicus in appetitu naturali; ergo viſio beata, actus dilectionis, & generaliter omnis actus vitalis debet eſſe à virtute intrinſeca creata inhærente in potentia. Secundò. Probat D. Thomas actum charitatis neceſſariò procedere à virtute intrinſeca creata elevante potentiam, quia eſt actus excedens facultatem naturæ; ſed hoc idem contingit in quocumque actu ſupernaturali, ſive neceſſario, ſive libero; ergo quantum ad hoc eadem eſt ratio. Tertiò. Quia ſicut lumen gloriæ concurrit in genere cauſæ formalis, ita charitas, aliæque virtutes ſupernaturales ad ſuos actus, cum omnes debeant præſtare præcontinentiam in actu primo, vt infra oſtendemus; ergo omnium eſt eadem ratio.

8 Probatur igitur concluſio ratione. Implicat eſſentiam divinam vniri per modum luminis; niſi vniatur vt principium *quo* elevans intellectum ad viſionem beatam; ſed implicat eſſentiam divinam hoc modo vniri; ergo implicat vniri per modum luminis mentibus Beatorum. Minor probatur. Omne principium elevans potentiam vt principium *quo* ad actus ſupernaturales neceſſariò debet phiſicè informare potentiam; ſed hæc phiſica informatio eſſentiæ divinæ prorſus repugnat; ergo. Minor conſtat, nam forma phiſicè informans conſtituit aliquam naturam per modum partis formalis; ratio autem partis, & conſtitutiva alicuius naturæ creatæ eſt Deo prorſus implicatoria. Maior ſuadetur. Principium *quo* elevans naturam ad actus ſupernaturales tribuit præcontinentiam in actu primo eorundem actuum; ſed implicat præſtare continentiam in actu primo, & non informare ſubiectum, cui præcontinentiam præſtat, quoniam præſtare continentiam in actu primo eſt conſtituere vnam naturam præcontentivam talis actus, quod eſſe non poteſt ſine informatione phiſica ſubiecti, aliàs vniri poſſet eſſentia divina per modum animæ rationalis conſtitutivæ hominis, quod Adverſarij non dicent; ergo.

9 Confirmatur. Per illud principium, per quod intellectus eſt præcontentivus in actu primo actus vitalis ſupernaturalis, conſtituitur vitale in actu primo vita ſupernaturali; at principium, per quod ſubiectum cõſtituitur vitale, aut vivens, neceſſarió exigit, aut identitatem, aut informationem, vt patet in anima rationali ad actus vitales naturales, & gratia habituali ad ſupernaturales, nam principium vitale debet eſſe potens ab intrinſeco ſe movere; ſed implicat intellectum vivere in actu primo per lumen, ſi non informetur phiſicè, & realitèr à lumine, aut identificetur cum illo, quod vtrumque eſſentiæ divinæ repugnat; ergo.

10 Dices. Eſſentia divina vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei impreſſæ præſtat continentiam in actu primo viſionis beatæ ſub aliqua ratione formali; at non ideó eſſentia divina per modum ſpeciei importat informationem phiſicam, vel ſi aliquam informationem importat, non talem, quæ eſſentiæ divinæ repugnet, aut aliquam imperfectionem probat; ergo pariter in præſenti: ratio eſt eadem, nam ſicut vnio per modum ſpeciei impreſſæ eſt in eſſe intelligibili, ita etiam vnio per modum luminis. Maior autem probatur.

Omne principium concurrente effectivè ad aliquem actum præſtat continentiam talis actus ſub illa ratione, ad quam effectivè concurrit; ſed eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ concurrit effectivè cum intellectu ad viſionem, vt plures docent Thomiſtæ; ergo præſtat intellectui continentiam ſub aliqua ratione.

11 Thomiſtæ concedentes eſſentiæ divinæ concurſum effectivum in viſionem reſpondent eſſentiam divinam nullam præſtare continentiam intellectui, ſed illam ſupponere, ſolùmque determinare virtutem, & complere potentiam, cum qua effectivè, & obiectivè, ſivè ex parte obiecti concurrit ad notitiam, & partum intentionalem, quod informationem non exigit: è contra lumen eſt virtus potentiæ, eique continentiam præſtat.

12 Verùm contra hanc doctrinam impugnatio ſemper vrgere videtur. Primò. Quamquam ſpecies ſit virtus obiecti, ſi tamen activè concurrit ad intellectionem, neceſſariò fœcundat intellectum per modum virtutis activæ; ſed implicat fœcundare intellectum per modum virtutis activæ, & illi non præſtare continentiam eiuſdem intellectionis in illa ratione, ad quam fœcundat, nam ſpecies hanc fœcunditatem, & continentiam non ſupponit, nam ſi ſupponeret, illius activus concurſus eſſet otioſus, & innutilis; ergo ſi lumen exigit informationem phiſicam, eandem exiget eſſentia divina per modum ſpeciei.

13 Secundò. Si ſpecies activè concurrit ad intellectionem, licèt hæc ſupponatur præcontenta in intellectu, vt eſt contemplatio obiecti, non tamen vt eſt generatio intentionalis, & productiva partus intentionalis, nempè verbi; ergo intellectus media ſpecie erit præcontentivus intellectionis, vt dictio eſt; ergo ſpecies aliquam præcontinentiam præſtat intellectui, & conſequenter exigit informationem.

14 Propter hæc Tractatu antecedenti dub. 3. diximus eſſentiam divinam non concurrere activè per modum ſpeciei impreſſæ ad viſionem beatam, etiam dato cæteras ſpecies creatas ad alias actiones activè concurrere, quia eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ eactenus poſſet activè concurrere ad viſionem, quatenus viſio eſſet generatio intentionalis, dictiva, aut productiva verbi, ſed hoc non habet viſio beata, vt ibi oſtenſum eſt; non ergo concurrit effectivè; quo poſito facta impugnatio nihil evincit.

15 Nihilominus, quia noſtra concluſio prædictæ ſententiæ alliganda non eſt, ideò permiſſo concurſu effectivo in ſpecie, ſivè creata, ſive increata, impugnationi ex num. 10. occurri poteſt aſſerendo concurſum effectivum ſpeciei eſſe concurſum proprium formæ intelligibilis, atque adeò non conſtituentis potentiam ad actum, ſed determinantis, vndè non exigit informationem phiſicam. Et licèt præſtet aliquam præcontinentiam, cùm eam præſtet modo dicto, numquam probatur neceſsitas informationis phiſicæ; quod è cõtra contingit in lumine, quod eſt conſtitutivum potentiæ proximæ ad viſionẽ. Et ita docent adſtruentes concurſum effectivum in ſpecie, quorum doctrina ſupponenda eſt in argumento facto ex eorum ſententia à nobis non probata.

16 Sed contra inſurgit doctiſsimus Moneda. Non repugnat eſſentiæ divinæ conceptus formæ actuantis, complentis, & perficientis naturam; ſed hoc tantùm haberet eſſentia divina per modum luminis; ergo vniri poteſt mentibus Beatorum per modum luminis. Maiorem probat. Natura divina vnitur per modum ſanctitatis humanitati Chriſti Domini; ſed hoc eſſe non poteſt, niſi ſit forma actuans, perficiens, & ſanctificans humanitatem; ergo.

17 Reſpondeo ex dictis t. 1. tract. 6. dub. 1. §. 2. & dub. 3. §. 4. in ſanctitate duplicem eſſe conceptum, & conſtituere obiectum congruum divinæ dilectionis, & tribuere poſſe ad redamandum. Primus conceptus non exigit informationem phiſicam, ideóque præſtatur phiſicè humanitati à natura divina: ſecundus exigit phiſicam informationem, ideóque non præſtatur à natura divina humanitati, niſi tantùm moraliter, vt dicto loco latiùs oſtendimus.

18 Ex quibus roboratur noſtra concluſio. Ideó natura divina non poteſt vniri humanitati per modum ſanctitatis in eſſe naturæ, quia hoc modo præſtaret poſſe ad redamandum, ideóque phiſicè informaret humanitatẽ; ſed eſſentia divina vnita per modum luminis tribueret poſſe proximũ ad viſionem beatam intellectui; ergo neceſſariò informaret intellectum. Quod

idem

ſdem argumentum fit de omnipotentia, alijſque attributis, quæ propter eandem rationem vniri non poſſunt humanitati; vt ibidem diximus, & communiter docent Theologi; at vniri poſſent, ſi eſſentia divina vniri poſſet per modum luminis; ergo.

SECUNDA CONCLUSIO.

§. III.

19 DICENDUM Secundò prorſus repugnare intellectum creatum elicere viſionem beatam ſine lumine creato, ſive permanenter, ſive tranſeunter communicato, ideòque non ſufficere auxilium extrinſecum, ſive aſsiſtentiam extrinſecam Dei. Conſtat ex dictis §. antecedenti: tùm authoritate: tùm ratione, quæ pari efficacia propoſitam aſſertionem evincunt. Vlterius oſtenditur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 175. a. 3. ad 2. ita loquente: *Divina eſſentia videri non poteſt, niſi per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalmo: in lumine tuo videbimus lumen, quod tamen dupliciter participari poteſt: vno modo per modum formæ immanentis, & ſic Beatos facit ſanctos in patriâ: alio modo per modum cuiuſdam paſsionis tranſeuntis, ſicut dictum eſt de lumine Prophetiæ. & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus eſt; & ideò ex tali viſione non fuit ſimpliciter beatus, ſed ſolùm ſecundùm quid.* Idem repetit quæſt. 13. & 20. de Verit. a. 2. ac pluribus alijs in locis.

20 Reſpondet Moneda §. 3. n. 25. loqui D. Thomam ſecundùm potentiam ordinariam. Et probat Alderete ex eo, quod aliàs Doctor S. eſſet ſibi contrarius, cum in 4. diſt. 49. quæſt. 2. a. 7. affirmet fieri poſſe per miraculum, quod intellectus creatus non habens, niſi diſpoſitiones viæ elevetur ad videndum Deum per eſſentiam; ex quo antecedenti infert Moneda poſſe Deum vniri per modum luminis, Alderete verò ſatis eſſe auxilium extrinſecum. Quod iterum confirmat ex eodem D. Thoma ibidem docente impoſsibilem eſſe elevationem intellectus per auxilium extrinſecum, non eo ſenſu, vt Deus non poſsit, ſed quia id non eſt ſecundùm naturam, & ita proſequitur: *Quæ fiunt miraculosè non dicuntur poſsibilia ſecundùm naturam, in qua fiunt, ſed ſecundùm naturam facientis tantùm: non enim dicimus propriè loquendo, quod cæcus poteſt fieri videns, ſed quod Deus poteſt eum facere videntem. Et ideò dicendum eſt, quod nulla creatura in ſtatu viæ exiſtens poteſt Deum per eſſentiam videre; ſed Deus poteſt facere, quod videat adhuc in ſtatu viæ manens.*

21 Sed hæc nihil evincunt contra teſtimonia à nobis allegata, in quibus exprofeſſo, apertè, ac diſſertis verbis docet non poſſe intellectum elevari ſine lumine creato intrinſeco. Nec loquitur de potentia ordinaria, ſed abſoluta, cùm loquatur de raptu Pauli, qui miraculoſus fuit: immò nulla elevatio ad videndam eſſentiam divinam in via eſt de potentia ordinaria; at in prædictis caſibus neceſſarium eſt lumen communicatum per modum paſsionis tranſeuntis iuxta D. Thomam; ergo.

22 Secundò. D. Thomas nec verbum habet de viſione luminis increati, nec de ſufficientia auxilij extrinſecè; ergo voluntariè detorquetur verba Doctoris Sancti ad elevationem intellectus creati per lumen increatum, aut per auxilium extrinſecum. Quod enim ait intellectum non habentem niſi diſpoſitiones viæ poſſe elevari ad videndum Deum, veriſsimum eſt, ſed per formam elevantem, quæ eſt lumen intrinſecum per modum diſpoſitionis tranſeuntis, vt loco citato docet. Quod tandem additur de operibus miraculoſis, quæ non ſunt poſsibilia ſecundùm naturam, in qua fiunt, ſed ſecundum naturam facientis, veriſsimum eſt, & totum concedimus; nam quod intellectus pro hoc ſtatu elevetur per lumen intrinſecum ad videndum Deum,

procedit à potentia facientis.

***

Oſtenditur concluſio ratione.

§. IV.

23 RATIONE Communi,& & efficaci ſuadetur concluſio. Implicat intellectum creatum videre Deum ſine facultate intrinſeca ad videndum; ſed ſine lumine gloriæ intrinſeco caret facultate intrinſeca ad videndum ; ergo videre non poteſt Deum ſine lumine gloriæ intrinſeco. Minor,in qua ſola poteſt eſſe difficultas probatur. Intellectus non continens in actu primo viſionem non habet facultatem ad videndum ; ſed ſine lumine gloriæ intrinſeco non continet in actu primo viſionem ; ergo ſine lumine gloriæ intrinſeco non habet facultatem ad videndum. Minor probatur. Intellectus creatus ſine lumine gloriæ intrinſeco manet potentia naturalis non elevata , nec proportionata ad actum ſupernaturalem ; ſed potentia naturalis non elevata , nec proportionata ad actum ſupernaturalem non continet in actu primo viſionem ſupernaturalem; ergo.

24 Hæc ratio non ſolùm efficax eſt iuxtá doctrinam Thomiſtarum aſſerentium lumen gloriæ eſſe totam,& adæquatam rationem proximam viſionis, ſed etiá iuxtá principia oppoſitæ ſententiæ concedentis potentiæ, ſivè intellectivæ, ſivè volitivæ virtutem partialem ; nam etiam in hac ſententia lumen in intellectu , & charitas in voluntate ſunt virtutes ſupernaturales elevantes formaliter , & intrinſecé potentias, eaſque reddentes proportionatas,& expeditas ad actus ſupernaturales; ſed potentiam reddi intrinſecé proportionatam,& expeditam ad actus ſupernaturales , haberi non poteſt per auxilium extrinſecum ; ergo ſuperaddi debet virtus intrinſeca. Minor probatur. Effectus intrinſecus provenire non poteſt à forma extrinſeca ; ſed potentiam intrinſecè improportionatam reddi proportionatam,& expeditam intrinſecé eſt effectus intrinſecus; ergo haberi non poteſt per auxilium extrinſecum.

25 Confirmatur. Prædicta ſententia concedens potentiæ virtutem partialem ad actus ſupernaturales , nihilominus docet,& meritò virtutem ſupernaturalem eſſe totam, & adæquatam rationem proportionandi,& elevandi potentiam ; ergo ſine lumine gloriæ intrinſeco ſuperaddito intellectus eſt intrinſecè improportionatus,& omninò impotens ad viſionem beatam. Probo hanc conſequentiam. Si lumen gloriæ eſſet tota,& adæquata virtus agendi, intellectus ſine lumine intrinſeco eſſet omninò impotens ad eliciendam viſionem beatam, vt præfati Doctores concedunt, ideóque adſtruunt virtutem partialem; ſed lumen gloriæ iuxtà ipſos eſt tota, & adæquata ratio proportionandi , elevandi , & expediendi potentiam ; ergo ſine lumine intrinſeco eſt potentia intrinſecè improportionata ad viſionem beatam ; ſed potentia improportionata ad actum eſt omninó impotens ad actum eliciendum; ergo.

26 Reſpondent frequentius ex P. Suarez potentiam eſſe omninò improportionatam , nec poſſe actum ſupernaturalem elicere Deo extrinſecè non aſsiſtente; poſſe tamen,& reddi ſufficienter proportionatam Deo extrinſecè aſsiſtente, & cõcurrente cum potentia ad ſupernaturalem operationem. Sed hæc ſolutio multipliciter impugnari poteſt. Primò. Quia potentia ex ſua virtute naturali eſt omninò impotens ad operationem ſupernaturalem, aliàs eſſet in natura aliqua virtus ad operationes ſalutares , quod dici non poteſt; ſed per aſsiſtentiam extrinſecam nullus ponitur effectus intrinſecus in potentia ; ergo manet intrinſecé improportionata,& impotens ad operationem ſupernaturalem.

27 Secundò. Potentia per aſsiſtentiam extrinſecam , nec intrinſecé mutatur, nec acquirit aliquam præcontinentiam intrinſecam ; ſed potentia immutata manens non redditur proportionata, nec præcontinet actus ſupernaturales, quos antea non continebat ; ergo manet omninò impotens ad actus ſupernaturales non obſtante aſsiſtentia extrinſeca. Tertió. Per concurſum Dei in viſionem non redditur potentia naturalis proportionata,& potens ad eliciendam viſionem ; ergo non obſtante concurſu divinæ Omnipotentiæ extrinſecé aſsiſtentis manet potentia omninó improportionata, & impotens ad viſionem beatam. Antecedens probatur. Concurſus ille divinæ Omni-

po-

potentiæ nihil eſt in prædicta ſententia, quàm ipſa viſio beata proùt eſt à Deo; ſed ipſa viſio beata proút eſt à Deo non eſt elevativa potentiæ ad eliciendam viſionem beatam, nec vllam præſtat præcontinentiam, aut proportionem in actu primo, aliàs ipſe actus ſecundus præſtaret præcontinentiam in actu primo, idemque actus eſſet cauſa, & effectus ſui ipſius, quod omninò repugnat.

28 Denique. Ex præparatione extrinſeca concurſusDei nihil intrinſecum recipit potentia naturalis intellectus, aut voluntatis; ergo vel dicendum eſt eſſe in natura virtutem aliquam intrinſecam ad viſionem beatam, actuſque ſalutares, vel non obſtante præparatione concurſus Dei eſſe prorſus inſufficientem naturam ad tales actus, de quibus videnda dicta t. 1. tract. 14. de Poteſtate Chriſti ad opera miraculoſa.

29 Reſpondebis hæc omnia convincere in cauſa principali; non verò in inſtrumentali, qualiter ſe habet intellectus ad viſionem beatam. Sed contra. Nam cauſa principalis indiget virtute intrinſeca elevante ad effectus excedentes virtutem naturalem; ſed intellectus creatus reſpectu viſionis beatæ eſt cauſa principalis, non inſtrumentalis; ergo. Probatur minor. De ratione cauſæ inſtrumentalis eſt, quod operetur vt mota ab agente principali, & non ſe moveat ab intrinſeco; vel quod quærat effectum, non ſibi, ſed cauſæ principali; quod effectum, non ſibi, ſed agenti principali aſsimilet; vel quod non agat vitaliter intra ſphæram ſui obiecti ſpecificativi, ſed potiùs concurſu inanimato; at totum ex oppoſito contingit in præſenti, cum intellectus ſe moveat ab intrinſeco, vivatque per viſionem, & operetur intra ſphæram ſui obiecti ſpecificativi, ac viſionem ſibi quærat, & aſsimiler, non Deo; ergo non eſt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis.

30 Secundó. Si intellectus eſſet cauſa inſtrumentalis, de facto ſuperflueret elevatio per lumen gloriæ. Et probatur. Nam intellectus non indiget de facto elevatione vt cauſa principalis, cum cauſa principalis non ſit, vt inquit Doctor eximius; ſed cauſa inſtrumentalis elevatione non indiget in ſua ſententia, ideòque in Sacramentis ad cauſandam gratiam non ponit formam intrinſecè elevantem, quia obedientialiter præcontinent effectus ſupernaturales per modum inſtrumenti; ergo de facto ſuperfluit lumen gloriæ elevans intellectum ad videndum Deum; quod dici non poteſt, & contradicit Concilio Viennenſi ſæpiùs allegato; ergo.

31 Tertiò. Quod intellectus ſubordinetur Deo, eiuſque concurſu indigeat ad eliciendam viſionem beatam, non probat eſſe cauſam inſtrumentalem, id enim commune eſt omnibus cauſis ſecundis, etiam principalibus, quæ licèt lato modo dici poſsint cauſæ miniſteriales, non tamen proprié inſtrumenta propter dicta num. 29. ergo intellectus eſt vera cauſa principalis viſionis beatæ; at nequit eſſe cauſa principalis ſine virtute ſupernaturali intrinſeca; ergo requiritur virtus ſupernaturalis intrinſeca. Probo minorem. Cauſa principalis, aut debet eſſe æqualis perfectionis cum effectu, ſi ſit vnivoca, aut ſuperioris, ſi ſit æquivoca; ſed intellectus ſine virtute ſupernaturali intrinſeca non eſt æqualis perfectionis cum viſione beata etiam ſuperaddito auxilio extrinſeco; nam viſio beata eſt intrinſecè ſupernaturalis; at cauſa intrinſecè naturalis, & ſupernaturalis tantúm extrinſecè, non eſt æqualis perfectionis cum effectu ſupernaturali intrinſecè; ergo.

32 Dices. Intellectus creatus indiget de facto lumine gloriæ vt viſionem beatam eliciat tanquam inſtrumentum connaturale, cum quo cohæret poſſe abſolutè illam elicere ſine lumine gloriæ tanquam inſtrumentum obedientiale. Sed hæc evaſio ex dictis præoccupata manet. Primó. Quia Sacramenta ſolùm obedientialiter continent effectus ſupernaturales; & tamen in prædicta ſententia non ponitur de facto forma intrinſeca elevativa; ergo nec de facto ponenda erit in intellectu ad viſionem beatam. Secundó. Quia continentia obedientialis viſionis beatæ ſatis eſt vt de facto illam eliciat ſine forma intrinſeca elevante; nam intellectus ſolùm habet potentiam paſsivam obedientialem ad lumen gloriæ, cæteraſque formas ſupernaturales recipiendas, ideòque ad eas recipiendas de facto non ponitur, nec neceſſaria eſt forma elevativa; ergo ſi habet potentiam obedientialem actívam præcontentivam viſionis beatæ, ponenda non eſt de facto virtus ſupernaturalis elevativa.

Alia

Aliorum ſolutio examinatur.

§. V.

33 RESPONDENT alij rationi noſtræ intellectum non eſſe cauſam principalem viſionis beatæ, ſed partialem, habereque ſufficientem virtutem activam obedientialem ad viſionem beatam ſub ratione vitalis, vndè poteſt producere vitalitatem concurrente Deo ad ſupernaturalitatem; vndè intellectus creatus poterit ſine lumine intrinſeco producere viſionem beatam, ſi coadiuvetur à Deo concurrente cum ipſo ad eandem viſionem ſub ratione ſupernaturalis. Quod exponunt exẽplo duorum portantium lapidem, vbi ambo partialiter influunt.

34 Cæterùm contrà hanc ſolutionem vrgent argumenta præiacta. Et primò ſequitur ex hac doctrina de facto ſuperfluere lumen gloriæ intrinſecè inhærens in intellectu; idemque dicendum erit de gratia in ordine ad actus ſalutares. Nam ad portandum lapidem non oportet vnum alterum informare. Nec in præſenti potentia informat lumen; ergo neceſſe erit lumen de facto informare potentiam ſi potentia, & lumen partialiter concurrunt.

35 Secundò. Adhùc poſita virtute activa partiali in potentia, adhùc illa virtus omninò inſufficiens eſt, nam virtus illa quæcumque ſit eſt prorſus improportionata reſpectu viſionis, cum illa virtus ſit naturalis, & viſio intrinſecè ſupernaturalis. Tertiò. Intellectus adhùc poſita virtute partiali in potentia, nequit virtute propria, & ſecluſo omni lumine ſupernaturali influere in viſionem adhùc ſub ratione vitalis; ſed medio lumine extrinſeco, aut aſſiſtentia extrinſeca Dei, nihil intrinſecum recipit; ergo manet intrinſecè impotens ad influendum in viſionem. Et ita redeunt argumenta facta, quæ repetere non licèt.

36 Quartò. Implicat intellectum videre Deum per intellectionem à ſe elicitam, quin illam eliciat, non ſolùm, qua vitalis, ſed etiam qua ſupernaturalis; ſed ſecluſo lumine intrinſeco ita elicere non poteſt; ergo nec ſub ratione vitalis. Maior probatur. Dum intellectus videt Deum, vivit vita ſupernaturali à ſe formaliter elicita, quia vivit vita æterna, quæ ſupernaturalis eſt; ergo implicat elicere viſionem, qua vitalis, quin eliciat, qua ſupernaturalis.

37 Quintò. Intellectus virtute naturali non præcontinet viſionem adhùc ſub ratione vitalis; at per auxilium extrinſecum nullam habet continentiam intrinſecam; ergo. Maior probatur. Si intellectus virtute naturali contineret viſionem ſub ratione vitalis, illam contineret vt cauſa ſecunda, atque adeò vt cauſa totalis, & adæquata in ſuo ordine, quamquam dependenter à concurſu Dei; vndè ſicut intellectus eſt cauſa totalis, & adæquata ad intellectionem naturalem, ita & per eandem virtutem eſſet cauſa totalis in ſuo ordine, & non ſolùm partialis ad viſionem ſupernaturalem.

38 Sextò. Intellectus Beati neceſſariò influit in viſionem vt ſupernaturalem; ſed ad viſionem vt ſupernaturalem nullam activitatem proximam habet adhúc partialem; ergo. Probo maiorem. Intellectus Beati neceſſariò influit in viſionem, vt eſt intuitiva Dei; ſed vt eſt intuitiva Dei eſt formaliter ſupernaturalis; ergo neceſſario influit in illam vt ſupernaturalem. Probo minorem. Viſio vt intuitiva Dei eſt viſio excedens vires naturæ, aliàs eſſet in natura virtus proxima ad cognitionem claram, & intuitivam Dei, eſſetque in natura virtus proxima ad videndum Deum, vt Authorem ſupernaturalem; ſed viſio vt excedens vires naturæ eſt ſupernaturalis; ergo.

39 Denique. Etſi Deus per auxilium extrinſecum ſupplere poſſet concurſum activum, quem habet lumen intrinſecum in viſionem, id non ſufficit ad producendam viſionem, nam lumen intrinſecum non ſolùm influit activè in viſionem, ſed elevat formaliter potentiam, vt in ſuperioribus dictum, præſertim ex Conc. Viennenſi; ſed auxilium extrinſecum formaliter potentiam elevare non poteſt; ergo fieri non poteſt per auxilium extrinſecum quidquid faciendum neceſſariò eſt per lumen intrinſecum. Tandem. Quia ſi intellectus concurreret ad vitalitatem concurrente Deo per auxilium extrinſecum ad ſupernaturalitatem, daretur non ſolùm partialitas ex parte cauſæ, ſed

etiam

etiam ex parte effectus; hoc autem dici non poteſt, nec Adverſarij dicunt; ergo.

40 Reſpondent nullam eſſe partialitatem ex parte effectus, ſed intellectum præcontinere vitalitatem actus formaliter, ſupernaturalitatem verò continentia identica, quatenus in effectu identificatur ſupernaturalitas cum vitalitate. Sed contra redeunt impugnationes factæ. Nam intellectus elicit viſionem beatam, vt viſio beata eſt, & intuitiva Dei; ſed hoc modo eſt formaliter ſupernaturalis; ergo eam elicit vt formaliter ſupernaturalem; ergo eam præcontinet vt formaliter ſupernaturalem; ſed ab auxilio extrinſeco nullam habet intrinſecam præcontinentiam; ergo vel dicendum erit intellectum continere viſionem vt ſupernaturalem virtute naturali; vel eam nullo pacto poſſe elicere ſine vi[illegible]e ſupernaturali intrinſeca.

41 Secundò. Hæc doctrina non cohæret principijs eiuſdem ſententiæ. Nam potentia, quam habet intellectus ad viſionem, eſt obedientialis in eadem ſententia; ſed potentia obedientialis eſt ad viſionem vt ſupernaturalem, quia potentia obedientialis eſt ad viſionem vt excedentem exigentiam, & virtutem naturalem; ergo ſi intellectus aliquam continentiam habet independenter à virtute intrinſeca, eſt continentia viſionis vt ſupernaturalis; ergo ea continentia non erit identica, ſed formalis.

42 Tertiò. Certum eſt intellectum media viſione beata vivere vita ſupernatutali; at hoc dici non poteſt, niſi illam producat ſub ratione ſupernaturalis; ergo dicendum illam producere ſub ratione ſupernaturalis; cum ergo hoc non poſsit ſine virtute intrinſeca ſupernaturali, conſequens eſt vt virtus intrinſeca ſupernaturalis neceſſariò ſupperaddenda ſit. Minor probatur. Dici non poteſt intellectum vivere vita ab ipſo non producta; ergo ſi non producit viſionem vt ſupernaturalem, dici non poteſt vivere vita ſupernaturali.

(?)

Contraria argumenta enodantur.

§. V.

43 ARGUITUR Primò. Quidquid poteſt Deus per cauſam efficientem mediam, poteſt etiam immediatè, & ſe ſolo; ſed Deus medio lumine creato cauſat viſionem beatam; ergo eam poteſt cauſare ſe ſolo immediatè. Maior eſt cõmune axioma Theologorum, & evidenter probatur (inquit Maſtrius dicta diſp. 6. art. 1. num. 155.) quia in hoc nulla cernitur imperfectio, nec implicantia, ſed potiùs maxima perfectio, & conſequenter poſsibilitas; cum igitur lumen nullum influxum habeat, niſi effectivum, poterit Deus conſequenter ſupplere defectum eius, & abſque ipſo viſionem cum intellectu producere. En argumentum, quod prædictus Author inclutabile iudicat, & ait deſumptum eſſe ex Scoto in 3. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. Sed vtcumque potuit deſumere ex Ang. Doctore 1. part. quæſt. 105. art. 2. ſic loquente: *Erroneum eſt dicere Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque cauſam creatam.*

44 Cæterùm mihi videtur omninò extra orbitam procedere. Nec enim procedit dubium de eo, quod Deus poteſt, ſed eo, quod poteſt creatura medio auxilio extrinſeco. Et gratis admiſſo poſſe Deum producere viſionem beatam ſe ſolo, non probatur poſſe creaturam ſine virtute elevante producere viſionem excedentem vires naturæ: nec illa viſione producta á ſolo Deo viveret intellectus creatus, cum vivere non poſsit in actu ſecundo vita non procedente ab ipſo.

45 Rurſus. Prima illa propoſitio generaliter accepta nequit eſſe in nulla ſententia vndequaque vera. Sunt enim in creatis aliqua dependentia eſſentialiter ab alijs, quæ ideò produci non poſſunt ſine illis: vt ſunt accidentia modalia, quæ eſſentialiter pendent à propria entitate creata, ſicut etiam relatio á fundamento, & termino. Idemque dicendum de actionibus vitalibus, quæ pendent à principio vitali vivente per illas. Inſuper in eiuſdem Maſtrij ſententia Deus poſitivè concurrit

ad

ad entitatem materialem peccati; immò & prædiſinit prædefinitione ſaltim concomitanti; & tamen non dicet illud poſſe ſe ſolo producere; non ergo poteſt Deus ſe ſolo, quæcumque cum cauſa poteſt. Nec D. Thomas dixit poſſe Deum ſe ſolo producere actiones cauſæ ſecundæ, ſed *effectus*, quod eſt omninò diverſum. Denique. Sicut Deus producit viſionem medio lumine creato, ita medio intellectu creato; ergo ſicut illam poſſet producere ſine lumine, ita ſine intellectu; vnde ſicut Beatus poteſt intelligere & videre Deum ſine lumine intrinſeco, ita ſine intellectu, & amare ſine voluntate, quod nemo affirmare audebit.

46 Argumento igitur reſpondeo lumen gloriæ non ſolùm concurrere activè in viſionem, ſed per modum cauſæ formalis elevare potentiam; & hoc ſecundum ſuppleri non poteſt à Deo, & conſequenter nec primum, quia licèt Deus poſsit ſupplere ſe ſolo influxum cauſæ puré efficientis, nequit ſupplere influxum cauſæ ſimul efficientis, & formalis.

47 Sed contra inſurgit P. Amicus. Quamquam lumen creatum exigat informationem intrinſecam, poteſt ſuppleri à Deo ſine tali informatione; ergo. Probat antecedens. Species impreſſa creata exigit informationem; & tamen Deus illam ſupplet ſine informatione; ergo pariter defectum luminis creati poterit ſupplere ſine informatione. Urget P. Aldrete. Deus etiam ſe ſolo poteſt ſupplere concurſum effectivum in actiones vitales; ergo licèt lumen vitaliter concurrat ad viſionem poterit à Deo ſuppleri. Antecedens probat. Viſio beata, aliæque actiones vitales ſunt de genere qualitatis; at Deus ſe ſolo poteſt producere qualitates in potentia, ipsà meré paſsivè ſe habente; ergo.

48 Hæc omnia confirmantur. Nam ſi intellectus erga viſionem faciat, quod poteſt, & Deus faciat, quod intellectus nó poteſt, verè procedet viſio; ſed Deus ſe ſolo poteſt in viſionem, quod intellectus non poteſt; ergo concurrente Deo ad ſupernaturalitatem, quam intellectus virtute ſua naturali non poteſt, dabitur viſio beata.

49 Ad primum ex P. Amico conſtat ex præcedentibus, vbi diximus ſpeciem creatam exigere formalem inhærentiam, quia eſt accidens, non ex conceptu intrinſeco ſpeciei, quia ſolùm eſt virtus obiecti determinativa potentiæ, cui nullam præcontinentiam præſtat, ſed ſupponit, quod totum ex oppoſito contingit in lumine, vt ſæpiùs dictum eſt.

50 Ad aliam impugnationem ex P. Aldrete reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem dico, aliquos aſſerere viſionem eſſe de prædicamento actionis. Alij docent eſſe de prædicamento qualitatis, ſed nihilominus docent eſſe veras operationes dimanantes à potentia, ideóque potentia non influente eſſe non poſſunt. Alij tandem cum Scoto, P. Suarez, & Vazquez docent eſſe qualitates fluentes ab intellectu media actione modaliter diſtincta, & in hac ſententia actiones vitales ſe habent per modum termini. Adhúc autem in hac ſententia (in qua vrgere poſſet impugnatio) ſuppleri non poſſunt á ſolo Deo, quia non ſunt termini vtcumque, ſed vitales, ac pendentis neceſſariò à potentia.

51 Dices. Etiam verbum, ſivè ſpecies expreſſa, eſt terminus vitalis; & tamen ſuppleri poteſt à Deo; ergo & viſio beata producta à creatura Deo ſe ſolo producente. Reſpondeo ex dictis verbum mentis eſſe terminum vitalem, quatenus comparatur ad principium, á quo procedit; & repræſentationem expreſſam obiecti, quatenus comparatur ad obiectum: hoc ſecundum munus, quod eſt proprium, & intrinſecum verbi, ſivé ſpeciei expreſſæ, ſuppletur à Deo, non primum, quod eſt accidentale, & contingens.

52 Ad confirmationem conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Deus ſe ſolo poteſt, quod intellectus non poteſt, & intellectus aliquid poteſt ſine lumine intrinſeco, nego minorem; & nihil poteſt, concedo minorem. Quia vt dictum eſt intellectus ſine elevatione nullo pacto continet viſionem, ideóque nullo pacto influere poteſt ſine lumine intrinſeco.

53 Arguitur ſecundò. Admiſſo concurſu partiali in intellectu nullo titulo repugnat ſuppleri á Deo influxum luminis; ergo ſuppleri poteſt. Antecedens probatur. Admiſſo concurſu partiali in intellectu lumen nullum habet influxum formalem impotentiam, ſed ſolúm effectivum in actum; at hic ſuppleri poteſt per aſsiſtentiam extrinſecam Dei; ergo. Maior probatur. Poſito concurſu partiali in

in-

in intellectu, intellectus non influit medio lumine, ſed ſua intrinſeca virtute, atque adeò lumen non præſtat virtutem potentiæ, ſed ſupponit, eritque pura concauſa concurrens activè cum potentia; at concauſa concurrens purè activè cum potentia ſuppleri poteſt à Deo ab extrinſeco; ergo.

54 Confirmatur. Ideò neceſſariò ponendum eſſet lumen intrinſecè inhærens in potentia ad viſionem, quia viſio eſt actus vitalis ſupernaturalis; ſed hoc non probat; ergo. Minor probatur. Ex ſolo concurſu potentiæ, & auxilij extrinſeci evadet actus ſufficienter vitalis, & ſupernaturalis, nam ex influxu potentiæ vitalis erit vitalis; at etiam ex influxu auxilij extrinſeci erit ſufficienter ſupernaturalis; ergo. Probatur minor. Auxilium extrinſecum eſt prorſus indebitum potentiæ; ſed actus procedens á comprincipio indebito potentiæ eſt ſupernaturalis; ergo.

55 Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Nam etiam in ſententia adſtruente concurſum partialem, adhuc potentia eſt improportionata vt partialitèr concurrat, ac in eadem ſententia lumen eſt tota, & adæquata ratio elevandi, & proportionandi potentiam, vt ſupra dictum eſt; cum ergo hoc munus ſuppleri non poſsit per extrinſecum, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, ſemper eſt neceſſarium lumen intrinſecum.

56 Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, nego ſuppoſitum, nam potentia nullo pacto poteſt influere in actum ſupernaturalem cum ſola aſsiſtentia extrinſeca Dei, nê quidèm ad vitalitatem, quia cum talis vitalitas non ſit in abſtracto, ſed intrinſecè ſupernaturalis, non continetur in potentia naturali, nec eam præcontinentiam mutuatur ab auxilio extrinſeco. Nec potentia pot eſt concurrere ad vitalitatem concurrente Deo extrinſecè ad ſupernaturalitatem, aliàs daretur etiam partialitas ex parte effectus, quod Adverſarij non dicent. Nec tandèm concurſus ille eſſet omnino indebitus, quia eſt concurſus ſimultaneus cauſæ primæ potentiæ operativæ debitus. Et tandèm dato actum evadere ſupernaturalem, diceretur talis per ordinem ad concurſum Dei, à quo procederet, non per ordinem ad potentiam, à qua non procederet.

57 Arguitur tertiò. Viſio beata procedere poteſt à lumine non informante, ſed intimè aſsiſtenti; ergo & ab omnipotentia extrinſecè auxiliante. Conſequentia conſtat. Nam ſi informatio non requiritur, non eſt cùr non ſufficiat aſsiſtentia extrinſeca. Antecedens probatur primó ex ſententia communi Thomiſtarum docentium actum charitatis vltimò diſponentem ad gratiam procedere ab ipſa gratia in eſſe auxiliantis, in quo ſigno non intelligitur vt informans ſubiectum; ergo actus charitatis non exigit neceſſariò habitum vt informantem ſubiectum.

58 Secundò. Poteſt Deus producere aliquem habitum ſupernaturalem penetratum cum ſubiecto, illi tamen non inhærentem; in hoc enim nulla apparet repugnantia; ſed talis habitus poterit in tali ſubiecto ſuos actus cauſare; ergo paritèr per omnipotentiam intimè aſsiſtentem, & non inhærentem poterunt actus ſupernaturales cauſari. Minor probatur. Calor à Deo productus, & penetratus cum ſubiecto, quamquàm illi non inhæreat, in eo tamen calorem cauſaret; ergo habitus intimè aſsiſtens, & non inhærens, ſatis eſt ad producendos actus.

59 Tertiò. Actus fidei non ſolùm procedit ab habitu, ſed à ſpecie impreſſa elevata per habitum; ſed habitus fidei non informat ſpeciem impreſſam; ergo poteſt ſpecies impreſſa naturalis elevari ab habitu fidei, quin habitus fidei ipſum informet; ergo & potentia naturalis intellectus elevari poterit ab omnipotentia, non intrinſecè informanti, ſed extrinſecè aſsiſtente.

60 Ad argumentum, nego antecedens, quod non evincitur ex paritate actus charitatis procedêtis á gratia in eſſe auxiliantis, quoniam in eadem ſententia gratia, aut in eodem ſigno intelligitur informans, aut ſupponitur, quamquám non ſupponatur recepta: & dato gratis non intelligi in eodem ſigno, nec ſupponi pro priori vt informans, eſt tamen informatio ſimpliciter neceſſaria in eodem inſtanti: vndè non eſt ſimile.

61 Ad ſecundum permiſſa maiori, nego min. quia ſolus habitus non eſt ſufficiens principiú ad producêdos actus, ſive

influxu potentiæ. Nec vrget exemplum caloris, quia calor non producit calorem virtute ſubiecti, in quo eſt, ſed virtute ignis, cuius eſt virtus. Et dato talem habitum poſſe producere ſuos actus; attamen per tales actus non viveret potentia, cum ab illa non procederent; ſicut nec ſubiectum vivit per calorem in ipſo productum, ſed potentia merè paſsive ſe haberet, ſicut ſubiectum ad calorem, quod ad intentum nihil prodeſt.

62 Ad tertium iam conſtat ex tract. antecedenti, dubio 3. Nam ſpecies ad actum fidei ſupernaturalis non concurrit effectivè, ſed determinativè, ideoque elevatione non indiget. Sed dato concurſo effectivo, reſpondeo ſpecies naturales concurrentes ad actum fidei ſupernaturalis elevari ab ipſo habitu fidei, à quo elevatur potentia; vel ab auxilio fluido deficiente habitu; nec ad hoc requiritur habitum fidei informare ſpecies, quaſi in abſtracto, ſed in concreto, ideſt, informare potentiam determinatam per ſpecies.

Cætera argumenta propouuntur, & enervantur.

§. VI.

63 PATER. Oviedo ingenué fatetur nos plenè argumentis propoſitis occurrere. Nihilominús opponit ſuo videri efficacius. Potentia creata, quanquàm ſupponatur completa, ad actus naturales, dependet eſſentialitèr à concurſu cauſæ primæ, non minus, quám potentia viralis á concurſu comprincipij ſupernaturalis ad actum vitalem ſupernaturalem; ſed ad primum ſufficit concurſus cauſæ primæ per aliquid extrinſecum; ergo pariter ad ſecundum.

64 Reſpondeo latum eſſe diſcrimen. Nam concurſus ſimultaneus cauſæ primæ ſupponit totam virtutem in potentia, adæquatam, & proportionatam in ſuo ordine; quam non ſupponit lumen ad actus ſupernaturales: ſecundó, quia concurſus ſimultaneus Dei eſt per ordinem ad actum, non per ordinem ad potentiam, cum é contra lumen non ſolùm influat activè in viſionem, ſed elevet formalitèr potentiam; vndé lumen exigit neceſſariò inhærentiam intrinſecam, quamquàm eam non exigat concurſus ſimultaneus cauſæ primæ.

64 Arguitur vltimò. Ideò neceſſarium eſſet lumen intrinſecum in potentia, quia potentia tranſiret ab intrinſeca inſufficientia, & improportione ad proportionem, & ſufficientiam intrinſecam, atque adeò intrinſecé mutaretur, quod fieri non poteſt ſine forma intrinſeca; ſed potentia poteſt intirinſecé mutari ſine forma intrinſecè inhærente; ergo. Minor probatur. Dúm homo tranſit à ſtatu puræ naturæ ad ſtatum elevationis mutatur intrinſecè; at non per infuſionem alicuius doni intrinſeci; ergo & potentia mutari poteſt intrinſecé ſine lumine intrinſeco. Minor probatur. Si ad ſtatum elevationis neceſſarium eſſet donum ſupernaturale intrieſecum, Hæreticus, aut alius infidelis deſtitutus omni dono ſupernaturali intrinſeco non eſſet in ſtatu elevationis, quod dici non poteſt. Nec licet recurſus ad auxilium fluidum, quia auxilium fluidum eſt medium ad conſequendum finem, ideoque ſupponere debet ordinationem ad finem, & conſequenter elevationis ſtatum.

65 Confirmatur. Quia creatura eſt potens ad rationem particularem entis, non ad rationem communem entis, ſatis eſt ſi creatura concurrat ad effectum ſub ratione particulari, & Deus ſub ratione communi entis; ergo vt producatur viſio beata ſupernaturalis ſatis erit ſi intellectus Beati illam producat ſub ratione vitalis concurrente Deo ad ſupernaturalitatem; ergo non requirit lumen ſupernaturale intrinſecum, vt producatur ſub ratione ſupernaturalitatis. Patet conſequentia, quia ſicut intellectus creatus eſt impotens ad rationem ſupernaturalitatis, ita creatura ad rationem concurrentis.

66 Confirmatur ſecundò. Poteſt Deus concurrere cum creatura ad actū ſupernaturalē medio auxilio extrinſeco, illiq; revelare decretū, in quo evētū

crea-

creatura præberet aſſenſum fidei ſupernaturalis ; ſed hic aſſenſus eſt eſſentialitèr verus, & infalſibicabilis ; ergo ita contingeret ; ergo ſatis eſt auxilium extrinſecum.

67 Denique. Licet viſio ſit intrinſecè ſupernaturalis non requiritur intellectum creatum concurrere ad ſupernaturalitatem; ergo non requiritur neceſſario lumen ſupernaturale intrinſecum. Antecedens probatur. Licet entitas peccati ſit intrinſecè non ideó Deus concurrens ad entitatem concurret ad malitiam; ergo paritèr licet viſio ſit intrinſecè ſupernaturalis non requiritur intellectum concurrentem ad vitalitatem concurrere ad ſupernaturalitatem.

68 Ad argumentum, conceſſa maiori, nego minorem, quæ non evincitur exemplo elevationis ad finem ſupernaturalem ; nam elevatio in finem ſupernaturalem ſita non eſt in ordinatione purè extrinſeca, ſed in ordine intrinſeco naturæ impreſſo à ſuo Conditore. Præterquamquod ſi conſiſteret in ordinatione purè extrinſeca, nulla daretur mutatio intrinſeca.

69 Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem dico, quod creatura aliter eſt impotens ad videndum Deum, & aliter ad producendam rationem communem entis, nam ad hoc ſecundum eſt impotens abſolutè, nec ad id poteſt elevari, ſivè per intrinſecum, ſivè per extrinſecum, cum ratio communis entis ſit extra ſphæram activitatis cauſæ ſecundæ : attamen viſio ſupernaturalis eſt intra ſphæram intellectus creati, licet improportionatam, & ideò poteſt proportionari, & elevari per virtutem intrinſecam.

70 Secunda confirmatio facilè retorquetur. Poſſet Deus revelare creaturæ ſe non poſſe concurrere cum ipſa ad actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum, quo in eventu creatura præſtabit aſſenſum ſupernaturalem fidei infalſibicabilem, & eſſentialiter verum ; ergo verum eſt Deum non poſſe concurrere ad actum ſupernaturalem medio auxilio extrinſeco. Profectò ad hoc reſpondebunt Adverſarij eam revelationem eſſe implicatoriam : ita & nos dicimus de illa revelatione, & decreto. Ultima impugnatio commodius dubio ſequenti enodabitur.

***

DVBIVM III.

An lumen gloriæ concurrat ad viſionem, vt totalis, vel partialis ratio agendi ?

§. I.

1 CENSENT Frequentius Scriptores propoſitam controverſiam eſſe celebrem, ac difficilem, alijs in oppoſitum opinantibus multum de nomine, parum de re ipſa continere. Certum namque eſt apud omnes intellectum non ſe habere merè paſsivè ad viſionem ; ſicut nec voluntas ad amorem, actuſque ſalutares ita Sacro definiente Concilio Trident. Seſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocãti, ſed veluti inanime quoddã nihil omninò agere, merèque paſsivè ſe habere anathema ſit.*

2 Et ratio eſt manifeſta. Quia intellectus per viſionem vivit vita beata; vitalitas autem actus petit eſſe á principio intrinſeco ſe movente per ipſum, quarè dubium non procedit de concurſu, ſed de modo. An nimirum concurrat mediatè, vel immediatè? An partialitèr cum lumine? An potius lumen ſit tota, & adæquata virtus influendi in viſionem? Vbi non inquirimus de principio agente, ſed de ratione agendi.

3 Primaſententia eſt Bachonij, & Aureoli docentiũ lumen gloriæ, & charitatẽ, cæteraſque virtutes ſupernaturales, neceſſarias quidem eſſe ad elevandas potentias, nullum tamen influxum activum habere in operationes. Secunda eſt noſtri Illuſtr. Silvę t. 1. in 1. p. q. 12. a. 13. dub. 8. docentis ex intellectu, & lumine fieri vnam potentiam proportionatam, & ſupernaturalem, ita vt lumen elevans intellectum tranſeat in ipſum intectellectum : & fiat vnus intellectus ſupernaturalis. Accedit ex parte Illuſ. N. Moneda t. 1. q. 12. a. 5. dub. 1. §. 5. qui eſtò non aſſerat lumen tranſire intellectum, docet tamẽ ex coaptatione eſſentiali intellectus tanquam ex virtute intellectiva, & ex lumine tanquam ex augmento virtutis conſurgere vnam potentiam proximam intellectivam, & elicitivam viſionis.

4 Quarta docet intellectum partialitèr concurrere ad viſionem. Ita communitèr Scotiſtæ, ac Societatis Doctores, quibus adſtipulatur Illuſt. N. Fr. Antonius Perez in laurea Salmantina, certamine 6. Scolaſtico cap. 6. 7. & 10. Sed oppoſita, & communis inter Thomiſtas ponit in lumine gloriæ totam, & adæquatam rationem agendi per modum virtutis.

(§)

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

5 DICENDUM Primò lumen gloriæ non ſolùm elevare potentiam, ſed etiam activè in viſionem influere. Conſtat ſatis expreſsè ex illo Sap. 9. *Mitte illam* (nempè gratiam) *de cœlis Sanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Undè Apotulus 1. ad Cor. 15. inquit: *Abundantius omnibus illis laboravi, vt mecum ſit, & mecum laboret*; ergo non ſolùm natura, ſed etiam gratia laborat, ideſt operatur, & agit; ergo non ſolum potentia intellectiva, ſed lumen, & charitas in ſuis potentijs operantur, & agunt. Et ita ea verba Apoſtoli interpretatur noſter Greg. lib. 16. Mor. cap. 12. vbi ait: *Vt verò ſecum gratia operatum eſſe per liberum arbitrium demonſtraret, adiunxit, ſed gratia Dei mecum.*

6 Ratione breviter ſuadetur ex communi ſententia Patrum aſſerentium in ordine ſupernaturali, operationibuſque ſalutaribus primas partes habere gratiam, non naturam, potioriſque vires deferendas eſſe gratiæ, quàm naturæ, ſed ita non eſſet, ſi gratia, virtuteſque ſupernaturales nullum activum influxum habent, ſed ſolum formalem, & elevativum, quia præſtantior eſt influxus effectivus, quàm formalis; ergo lumen concurrit ad viſionem, non tantum in genere cauſæ formalis elevantis potentiam, ſed in genere cauſæ effectivè.

7 Confirmatur. Si gratia, virtuteſque ſupernaturales ſolùm concurrunt, formalitèr elevando naturam, & potentias ad ordinem ſupernaturalem, poterit intellectus elicere viſionem media claritate: voluntas elicere amorem medio lumine, quia charitas, aliudque donum ſupernaturale, quodcumque illud ſit, elevaret intellectum ad ordinem ſupernaturalem, ſicut & lumen elevaret voluntatem: immò ſola fides ſatis eſſe ad viſionem beatam, quia ſatis eſt elevandum intellectum naturalem. Iten, anima informata ſolo charactere baptiſmali, qui in nulla ſententia eſt effectivus, poſſet elicere omnes operationes ſupernaturales, aliaque ſequerentur incommoda, non enim poſſet aſsignari potior ratio, cur ad intelligendum, vel amandum, potius deſideretur hæc virtus, quàm alia, cum in effectu elevandi potentias omnes virtutes ſupernaturalis conveniunt. Sed in hoc immorandum non eſt.

SECVNDA CONCLVSIO.

§. III.

8 DICENDVM Secundò lumen gloriæ eſſe totam, & adæquatam virtutem proximam viſionis beatæ. Quamquam hæc concluſio ex doctrina Angeli Mag. optimo, & efficaci conſequentiæ filo deducatur, in nullo tamen loco, quem viderim, eam expreſsè docet, ideòque ab authoritatibus abſtinendum puto. Ratione ſuadetur. Ea eſt tota ratio, & virtus proxima viſionis, quæ eſt tota ratio continendi ipſam; ſed tota ratio, ac virtus proxima præcontentiva viſionis eſt lumen gloriæ; ergo lumen gloriæ eſt tota ratio, ac virtus proxima illius. Maior conſtat. Et minor probatur. Tota, & adæquata ratio præcontentiva debet eſſe tota ſupernaturalis, non partim naturalis, & partim ſupernaturalis; ſed hoc ſolùm habet lumen gloriæ; ergo ſolùm lumen gloriæ eſt tota virtus præcontentiva viſionis. Maior probatur. Nam viſio beata eſt tota ſupernaturalis, non partim naturalis, & partim ſupernaturalis; ergo.

Con-

9 Confirmatur hæc ratio. Omnis cauſa potens influere in effectum debet præcontinere effectum, vel formaliter, vel eminenter; ſed intellectus creatus vi ſua naturali non continet viſionem, nec formaliter, nec eminenter; ergo vi ſua naturali eſt omninò impotens influere in viſionem; ergo ſolùm ratione luminis præſtantis continentiam eſt potens influere in illam; ergo tota ratio proxima tùm continendi: tùm influendi, eſt lumen gloriæ. Minor probatur. Intellectus creatus vi ſua naturali eſt ordinis inferioris reſpectu viſionis vndequaque ſupernaturalis; ergo continere non poteſt viſionem ſupernaturalem, nec formaliter, nec eminenter.

10 Dices. Accidens in ſententia Thomiſtarum eſt cauſa immediata ſubſtantiæ, cùm ſubſtantia non ſit immediatè operativa; & tamen eſt inferioris ordinis reſpectu ſubſtantiæ; ergo quamquam intellectus creatus vi ſua naturali ſit inferioris ordinis reſpectu viſionis poterit immediatè in illam influere. Sed contra. Primò. Quia vt intellectus inſtrumentaliter concurreret ad viſionem ſupernaturalem, ſicut accidens ad effectum ſubſtantialem, deberet eſſe virtus luminis, ſicut accidens eſt virtus ſubſtantiæ; ſed res è contra ſe habet, nam lumen eſt virtus intellectus, non intellectus luminis; ergo non eſt ſimile.

11 Secundò. Quia in dicta ſententia tota ratio immediata productiva ſubſtantiæ eſt accidens; ergo ſi exemplum aliquid convincit, tota ratio immediata viſionis erit intellectus, quod in nulla ſententia verum eſt. Tertiò. Quia ex dubio antecedenti ſatis conſtat intellectum creatum non eſſe propriè inſtrumentum viſionis, ſed cauſam principalem propter dicta, quæ repetere non oportet. Quintò. Quia etiam cauſa inſtrumentalis indiget virtute elevante, & immediatè concurrente, vt patet in Sacramentis; in humanitate Chriſti ad opera miraculoſa, vt latè diximus t. 1. tract. de *Poteſtate Chriſti ad opera miraculoſa* dub. 2. Quod ſi accidens ea non indiget ad producendam ſubſtantiam ideò eſt, quia dimanat ab ipſa ſubſtantia tanquam inſtrumentum illius ad effectum ſubſtantialem, atque adeò habitualiter elevatum.

12 Reſpondent igitur rationi factæ viſionem beatam, quamquam ſupernaturalem, præcontineri in potentia naturali intellectus creati, non quidem in potentia naturali tanquam in cauſa ſufficienti, ſed indigenti elevatione luminis. Sed contra. Si hac ſolutione ſignificetur potentiam naturalem intellectus indigere elevatione luminis dantis totam præcontinentiam in actu primo, id libenter concedimus, ſed ex eò non probatur aliquis concurſus immediatus potentiæ naturalis in viſionem, quia ea eſt virtus proxima, & adæquata influẽdi, quæ eſt tota ratio continendi Si autem ſignificetur aliqua virtus immediata, & propria ipſius potentiæ naturalis, vrget in oppoſitum ratio facta, quia ratione virtutis naturalis præcontinere non poteſt viſionem ſupernaturalem.

13 Reſpondebis hanc rationem convincere de continentia totali, & adæquata, non tamen de continentia partiali, quoniam ad hoc ſatis eſt continere aliquam formalitatem effectus, vt in præſenti contingit, quoniam intellectus, vtpotè potentia vitalis continet vitalitatem. Sed hæc ſolutio ex dubio antecedenti impugnata manet. Sed contra. Nam hac ratione apertè deducitur non ſolùm partialitas cauſæ, ſed effectus, quod Adverſarij non admittunt. Et probatur. Tunc datur partialitas ex parte effectus, quando effectus partim producitur ab vna cauſa, partim ab alia; ſed ita contingeret ſi intellectus continet, & producit viſionem, & lumen continet, & producit ſupernaturalitatem; ergo.

14 Secundò. Nulla eſt formalitas in viſione, quæ contineri poſsit in virtute naturali intellectus, quia nulla eſt formalitas, quæ non excedat vires naturæ, cum ſit tota ſupernaturalis. Tertiò. Ideò intellectus non eſt cauſa totalis proximæ viſionis, quia intellectus eſt potentia naturalis, & viſio eſt ſupernaturalis; at nulla pars eſt in viſione, quæ ſit naturalis; ergo pari titulo nequit eſſe cauſa partialis. Tertiò. Dum dicitur intellectum concurrere ad vitalitatem viſionis, vel ad viſionem ſub ratione vitalis, vt elevatus à lumine, vel ſignificatur intellectum recipere aliquam continentiam à lumine ad producendam viſionem ſub ratione vitalis, vel non? Si primum,

Ergo intellectus ex ſe nullam habet activitatem proximam in viſionem adhùc ſub ratione vitalis. Si ſecundum ; ergo ex ſe, & independenter á lumine continet viſionem ſupernaturalem ſub ratione vitalis; ſed hoc dici non poteſt. Quia entitas ſupernaturalis quocumque modo concipiatur excedit vires naturæ ; ergo ſub nulla ratione poteſt produci immediatè ab intellectu.

15 Denique. Si intellectus aliquomodo contineret viſionem ſupernaturalem, aut eſſet continentia vnivoca, vel æquivoca; formalis, vel eminentialis. Non primum. Quia cauſa vnivoca exigit æqualitatem cum effectu, quam habere non poteſt natura reſpectu effectus ſupernaturalis. Non ſecundum. Quia cauſa æquivoca eſt perfectior effectu ; quod potiori titulo repugnat.

16 Reſpondent aliqui, nec eſſe vnivocam, nec æquivocam, ſed Logicam inadæquatam, quæ ſita eſt in eo, quod intellectus contineat aliquod prædicatum genericum, vel ſpecificum viſionis identificatum cum ſupernaturalitate. Sed hæc continentia innutilis eſt, aliàs nulla eſſet cauſa tàm inferioris ordinis, quæ producere non poſſet effectum ordinis ſuperioris, ac ita quælibet natura producere poſſet gratiam ſanctificantem, cæteraſque formas ſupernaturales, quoniam ſub aliqua ratione generica continentur in natura; noſtraque potentia viſiva poſſet elevari ad videndum Deum, quoniam ſub aliqua ratione continet viſionem Dei.

17 Reſpondent Ripalda in natura nullam eſſe potentiam, nec continentiam activam abſolutam, ſed conditionatam, nimirum ſub conditione comprincipij ſupernaturalis. Verúm hæc potentia, & continentia conditionata ab eiuſdem familiæ, & opinionis Doctoribus reijcitur. Nam pro priori ad formas ſupernaturales ſupponenda eſt aliqua aptitudo intrinſeca abſoluta in natura ad hanc formam ſupernaturalem, potiùs quàm ad aliam, aliàs nulla poſſet aſsignari ratio, cur potius intellectus poſsit elevari per lumen ad intelligendum, quàm per charitatem ad amandum. Cur potius natura rationalis, quàm irrationalis poſsit elevari ad videndum Deũ: quoniam dici poſſet poſſe naturam irrationalem videre Deum ſub conditione luminis gloriæ.

18 Si reſpondeat eſſe quidem in natura capacitatem paſsivam abſolutam, ſed activam tantúm conditionatè. Contra eſt. Nam capacitas paſsiva abſoluta, & activa tantùm conditionatè, nihil aliud, quàm paſsivè capacitas recipiendi totam activitatem à forma ſupernaturali ; ergo tota activitas, totaque continentia effectus ſupernaturalis provenit à forma ſupernaturali.

Solvuntur argumenta ſententiæ oppoſitæ.

§. IV.

19 ARGUITUR Primò. Supernaturalitas actus non impedit immediatum influxum naturæ ; ergo ſupernaturalitas viſionis non impedit immediatum influxum intellectus, ſicut nec ſupernaturalitas amoris immediatum influxum voluntatis. Antecedens probatur. Quamquam natura influat immediatè in actum, actus poteſt eſſe indebitus; ſed hoc ipſo erit ſupernaturalis ; ergo ſupernaturalitas actus non impedit immediatum influxum naturæ. Maior probatur. Etſi natura influat immediatè in actum, non ideò natura habet aliquam exigentiam ad comprincipium ſupernaturale, nec ad actum ſupernaturalem; ergo actus erit omninò indebitus. Patet conſequentia, quia ratio indebiti deſtruitur per quodcumque debitum, ſicut vniverſim negatio deſtruitur per quamcumque affirmationem; cum ergo in natura nullum ſit debitum ad actum ſupernaturalem, conſequens eſt, vt ſit indebitus, & ſupernaturalis.

20 Confirmatur primó. Datur in natura potentia paſsiva immediata ad formas ſupernaturales ſine exigentia aliqua ad eaſdem formas, nec ad virtutem productivam earumdem formarum; ergo pari titulo dari poterit potentia activa immediata in natura ad actus ſupernaturales ſine exigentia aliqua ad actus ſupernaturales, nec ad virtutem, ſivè comprincipiũ eorumdem actuum ; ſed nulla poſita exigentia, actus eſt ſufficienter ſupernaturalis ; ergo ſupernaturalitas non impedit concurſum immediatum naturæ.

Hoc eſt argumentum, quod

de

demonſtrativum cenſet P. Ripalda t. 1. diſp. 3. ſect. 18. Sed multipliciter retorqueri poteſt. Nam eodem argumento probari poſſet potentiam naturalem intellectus eſſe virtutem adæquatam, & totalem productivam viſionis ſupernaturalis, quia ſi quid obſtaret, maximè ſupernaturalitas actus; ſed hæc non. Et probatur. Nam adhùc indigeret lumine elevante, vt dicebat Bachonius, quod lumen eſſet omninò indebitum. Ulteriùs ſola natura eſt potentia adæquata receptiva formæ ſupernaturalis, nempè luminis; ergo ſola natura erit cauſa activa totalis viſionis, ſi à potentia paſsiva fit argumentum ad activam, vt dicebatur in confirmatione.

22 Prętereà. Eodem argumento convinci poſſet poſſe hominem viribus naturæ ſe diſponere ad gratiam. Nam ſi aliquid obſtaret, maximè ſupernaturalitas gratiæ; ſed hæc non obſtat, quia ſemper indigeret natura concurſu Dei vt Authoris ſupernaturalis, ad quem nullam habet exigentiam, nec debitum; ſed hæc omnia ſunt abſurda; ergo nihil convincit argumentum.

23 Reſpondeo igitur, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Etſi natura influeret immediatè non haberet exigentiam ad actum, & ſimul haberet, concedo maiorem. Non haberet determinatè, nego maiorem: vndè talis actus eſſet, & nó eſſet indebitus: eſſet, quia contineretur in natura immediatè influente: non eſſet, quia eſt ſupernaturalis; qua ſolutione proculdubiò vteretur Ripalda, ſi dicto argumento vteretur Bachonius ad probandam totam, & adæquatam activitatem in intellectu.

24 Ad confirmationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam propter manifeſtam diſparitatem inter cauſam activam, & paſsivam. Nam paſsiva importat meram capacitatem ad recipiendum; ſed activa importat præcontinentiam effectus, cum influere non poſsit in effectum, quem non præcontinet; poteſt tamen recipere, quod non habet. Inſuper. Quia potentia paſsiva dicit indigentiam, & neceſsitatem: activa verò includit neceſsariò virtutem ad effectum, quarè prima eſt de genere imperfectionis; ſecunda de genere perfectionis, ideòque ab vna ad aliam nullum fit argumentum.

25 Arguitur ſecundo ex eodem Ripalda. Poteſt principium non vitale influere in actum vitalem; ergo & principium non ſupernaturale in actum ſupernaturalem. Antecedens probatur. Species impreſſa non eſt vitalis; & tamen influit activè, & proximè in actum vitalem; ergó. Confirmatur primó. Datur aliquod principium naturale influens activè, & immediatè in actum ſupernaturalem, vt patet in ſpecie naturali deſerviente ad actum fidei, & ad actum prophetię; ergo, & potentia naturalis intellectus influere poterit immediatè in actum ſupernaturalem viſionis. Confirmatur ſecundo. Anima peccato infecta vt diſtincta ab intellectu influit in actum fidei; ſed non virtute aliqua ſupernaturali; ergo naturali; ergo & intellectus influere poterit in actum ſupernaturalem viſionis. Minor probatur. Anima influere non poteſt in actum fidei virtute gratiæ iuſtificantis, cum ſupponatur infecta peccato: non virtute ipſius habitus fidei, quæ non reſidet in anima, ſed in intellectu: nó virtute alterius auxilij fluidi, quia nec auxilia fluida reſident in anima, ſed in potentijs; ergo ſolúm ſupereſt vt influat virtute ſua naturali.

26 Ad argumentum nego antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem, conſtat enim ex præcedentibus ſpeciem ſolùm concurrere ad actum in genere cauſa formalis determinando potentiam elevatam per virtutem ſupernaturalem, in qua eſt tota virtus præcontentiva, & productiva actus ſupernaturalis. Quod ſi gratis admittatur concurſus effectivus in ſpecie adhùc reſpondendum eſt concurrere per modum virtutis obiecti, non vt virtus potentiæ, cum ergo actus vitalis non ſit vita obiecti, ſed potentiæ, nec obiectum vivat per talem actum, ſed potentia, ideò non procedit à ſpecie vt vitalis, ſed tantùm vt actualis aſſimilatio obiecti: attamen à potentia procedit vt vitalis vita ſupernaturali, quæ contineri non poteſt in potentia purè naturali, & ideó indiget virtute ſupernaturali præſtante continentiam.

27 Ad confirmationem iam conſtat, qualiter ſpecies ſolùm concurrat purè determinativè, qui concurſus ſpeciei naturali non repugnat actum ſupernaturalem. Nec implicat ſpecies naturales elevari ab eodem fidei habitu, nam habi-

tus

tus non elevat intellectum vtcumque, ſed intellectum informatum ſpeciebus, vndè totum complexum elevatur per habitum. Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem ſimiliter dico, nullo pacto implicare animam elevari, vel ab habitu, vel ab auxilio fluido, quia quamquam habitus, & auxilia reſideant in potentijs, nam virtus informans immediatè potentias, informat mediatè animam; vt patet in actu intellectiones, qui afficit immediatè intellectum, & mediatè animam, quod ſatis eſt vt etiam anima reddatur intelligens. Natura pariter divina vnitur tantum mediatè humanitati, quam reddit ſanctam.

28 Arguitur tertiò. Lumen gloriæ non eſt principium vitale; & tamen in conſortio principij vitalis concurrere poteſt immediatè ad actum vitalem; ergo, & potentia naturalis in conſortio principij ſupernaturalis concurrere poterit immediatè ad actum ſupernaturalem. Maior probatur. Virtus proxima vitalis competere debet principio viventi ab intrinſeco, ideſt, debet eſſe intrinſeca, non tantùm inhæſivè, ſed dimanativè; hac enim ratione potentiæ vitales non ſolùm ſunt inhæſivè in animas, ſed eggreſsivè ab illa; at lumen licèt ſit intrinſecè in intellectu, attamen ei convenit ab extrinſeco; ergo nequit eſſe principium vitale.

29 Confirmatur. Agens per virtutem contingentem, & provenientem ab extrinſeco, poterit quidem denominari agens, hoc eſt dici agens denominativè, non tamen propriè, & effectivè; ergo agens in actum vitalem per formam provenientem ab extrinſeco dici non poterit vivens verè, & propriè, ſed tantùm denominativè; ergo virtus proxima vitalis, qua agens verè, & propriè vivit, debet eſſe ab intrinſeco, quod non habet lumen reſpectu intellectus.

30 Confirmatur ſecundò. Procedere à principio intrinſeco duntaxàt inhæſivè convenit etiam actionibus violentis, vt patet in calore producto ab aqua calida, qui procedit à calore intrinſeco aquæ inhæſivè; ergo actio vitalis exigit procedere à principio vitali non tantùm inhæſivè, ſed dimanativè. Patet conſequentia. Quia aliter procedit actio vitalis à vivente per illam, quàm actio violenta à ſuo principio. Denique. Intellectus ad lumen ſe habet merè paſsivè; ergo ſi tota ratio agendi eſt in lumine, intellectus merè paſsivè ſe habebit ad viſionem, quia taliter ſe habet ad actionem, qualiter ſe habet ad principium totale, & adæquatum; ſed hoc reprobatur in Concilio Tridentino. Et meritò, quia intellectus eſt qui vivit per talem actionem, non lumen; ergo lumen non eſt tota, & adæquata virtus proxima.

31 Ad argumentum diſtinguo maiorem. Non eſt vitale vt *quod*, & per modum potentiæ, concedo maiorem. Ut *quo*, & per modum virtus, nego maiorem, & minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Sed dimanativè á proprio principio radicali eiuſdem ordinis, concedo maiorem. A principio, vel ſubiecto viventi per illam, nego maiorè. Itaque ſicut potentiæ radicantur in anima, & ab illa dimanant; ita virtutes ſupernaturales à gratia, quapropter ſicut potentiæ naturales dicuntur vitales, quia eggrediuntur à prima vita in ordine naturali, nempè ab anima, ita virtutes pari titulo cenſendę ſunt vitales, quia eggrediuntur à prima vita in ordine ſupernaturali, nempè gratia: attamen quemadmodum ad vitalitatem gratiæ per modum radicis ſatis eſt, ſi ſit inhæſivè in anima, nec oportet eggredi ab illa, ita ad vitalitatem proximam luminis per modum virtutis reſpectu intellectus. Similiter anima eſt vita corporis, quamquam non emanet á corpore, ſed ab extrinſeco adveniat; ergo idem dicendum de lumine reſpectu intellectus.

32 Immò ex his retorqueo argumentum. Quia intellectus eggreditur à prima vita in ordine naturali eſt vitalis naturaliter; ergo. Quia lumen, charitas, alięque virtutes oriuntur á prima vita in ordine ſupernaturali ſunt ſupernaturaliter vitales. Denique. Si lumen concurrens ad actum vitalẽ, nec concurrens ad intellectionem erit intellectivũ; ergo nulla erit ratio cur potiùs ſit de linea intellectiva, quàm charitas, atque adeò non aliud munus exercere poterit, quàm elevandi, vt aſſerebat Bachonius.

33 Nec prodeſt, quod Adverſarij reſpondent, nimirùm, lumen eſſe vitale connexivè, quatenus connectitur cum principio vitali, quia eſtò natura connexionem habere non poſsit cum virtute ſu-

per-

pernaturalis connexionem habere poteſt cum principio vitali naturali. Non (inquã) prodeſt. Nam hãc vitalitatẽ luminis, quám vocant connexivam, dicimus eſſe intrinſecam in lumine, alijſque virtutibus ſupernaturalibus; quia ſi intrinſeca non eſt lumine, connexiva eſſe non poteſt; nam ſi ratio intellectivi non eſſet intrinſeca lumini, nulla eſſet ratio cur potius exigeret intellectum, quam voluntatem; nec cur potius deſerviret ad viſionem, quàm ad amorem.

34 Ad primam confirmationem nego antecedens. Nam etiam in oppoſita ſententia intellectus veré agit, & vivit ſupernaturaliter media viſione beata, & non tantùm denominativé, cum in eadem ſententia influat in ſupernaturalitatem media virtute veniente ab extrinſeco. Ad ſecundam conceſſo antecedenti, nego conſequentiam propter apertam diſparitatem, nam licét vtraque actio ſit à virtute intrinſeca inhæſivè, & non egreſsivé, attamen vitalis eſt á virtute conformi ſubiecto viventi, non violenta.

35 Ad vltimam confirmationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Nam etiam in ſententia contraria intellectus merè paſsivé ſe habet ad lumen, quin meré paſsivé ſe habet ad viſionem vt ſupernaturalem. Anima meré paſsivé ſe habet ad gratiam, ſed non ideó meré opera ſalutaria. Nec ſequitur lumen vivere, non verò intellectum, ſed potiùs oppoſitum deducitur, nam denominatio viventis non eſt virtutis, ſed principij *quod*. Sicut in ſententia contraria intellectus eſt, qui vivit vita ſupernaturali, quamquam ratio influendi in ſupernaturalitatem non ſit intellectus, ſed lumen. Et homo eſt qui meretur, non gratia, quamquam gratia ſit ratio merendi.

(?)

Cætera enervantur argumenta.

§. V.

36 ARGUITUR Quartó. Sicut lumen influit in actum vitalem, ita charitas in amorem liberum; ergo ſi lumen eſſet vitale vt *quo*, & per modum virtutis, charitas eſſet libera vt *quo*, & per modum virtutis; ſed charitas nec vt *quo* libera eſſe poteſt; ergo nec lumen hoc modo poteſt eſſe vitale, & conſequenter nec lumẽ, nec charitas eſt tota ratio agendi. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur. Omne principium liberum, ſivè vt *quo*, ſivé vt quod debet eſſe indifferens ad agendum, vel non agendum; ſed charitas ita non eſt; ergo non eſt libera adhùc vt *quo*, & per modum virtutis. Minor probatur. Charitas eſt determinata ad amorem; ergo nequit eſſe elevativa omiſsionis. Quæ ratio clarior appatet vrgente præcepto amoris, quo in eventu omiſsio amoris eſſet peccaminoſa; ergo non poſſet eligere omiſsionem, quia charitas non poteſt eligere, & influere in peccatum.

37 Confirmatur. Omne principium liberum cum poteſtate ad agendũ, & non agendum eſt potens ponere, & impedire operationem; ſed charitas non eſt potens impedire amorem; ergo nullo modo eſt libera. Minor probatur. Amor impediri poteſt, aut *poſitivè* per potentiam nolitionem amoris: aut *omiſsivè* per purã omiſsionem: aut *permiſsivè* permittendo odium, aut omiſsionem amoris; ſed charitas nullo ex his modis poteſt impedire amorem; ergo. Minor probatur. Non per poſsitivam nolitionem amoris, quia omnis actus charitatis eſt tendentia in divinam bonitatem; ſed nolitio amoris eſt receſſus à divina bonitate; ergo. Non per puram omiſsionem, quia omiſsio eſt virtualis nolitio amoris; ſed charitati repugnat poſsitiva nolitio; ergo & virtualis, ſivé interpretativa, quia nullum eſt fundamentum ad interpretationem, vbi repugnat actus.

38 Non denique permiſsivè. Nam charitatem impedire amorem permiſsivè eſt permittere voluntati, vt elicitivè impediat amorem; ſed voluntas nequit impedire amorem, niſi pariter ſit potens influere immediatè in amorem; ergo vel dicendum erit voluntatem habere concurſum immediatum in actum charitatis ſaltim partialem, vel charitatem non poſſe adhùc permiſsivè illum impedire, & conſequenter non eſſe liberam vt *quo*. Minor probatur. Si Deus non haberet concurſum immediatum in omnes effectus creatos, non poſſet illos impedire non deſtructa, vel non impedita cauſa, vt communitér probatur contra Durandum; ergo ſi volun-

luntas non haberet concurſum immediatum in actum charitatis illum impedire non poſſet, ſivè non poſſet ſuum concurſum ſuſpendere.

39 Confirmatur ſecundò. Illud eſt principium liberum, quod ſe, & omnia comprincipia determinat ad agendum; ſed ſi voluntas non habet immediatum concurſum in actum charitatis, non poteſt ſe, & charitatem determinare ad agendum, ſed potiùs voluntas determinabitur á charitate; ergo voluntas non erit libera in ordine ad actum ſupernaturalem charitatis. Maior probatur. Quod determinatur ab alio, cuius determinatio non eſt in ſua poteſtate, non operatur ex pleno dominio; ergo principium liberè operans debet ſe, & omnia comprincipia determinare.

40 Confirmatur tertiò. Principium liberum agit ex electione, ideſt, poteſt eligere vnum præ alio, ſivè hoc, aut illud extremum; ergo principium influens liberè in amorem eſt potens eligere amorem præ odio, ſivè amorem, vel odium; ſed hoc tantùm competit voluntati, non charitati; ergo voluntas, non charitas influit liberè in amorem; ergo voluntas habet concurſum immediatum in amorem; ergo & intellectus in viſionem.

41 Verùm hoc argumentum facilè regeritur in Adverſarios. Primó contra P. Aldrete, qui concedit vitalitatem vt *quo* in lumine; ergo pari titulo concedere debet libertatem vt *quo* in charitate. Secundò vrget contra P. Ripaldam adſtruentem poſsibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis peccatricis peccato etiam commiſſionis; ſed illi ſubſtantiæ connaturalis eſſet habitus charitatis; ergo aſſerere debet poſſe charitatem influere in peccatum, vel argumentum nihil convincere. Prætereá docet idem Author non repugnare actum charitatis prohiberi à Deo, qui propterea in actu ſecundo elicitus, eſſet inhoneſtus; ergo iám charitatis eligere poteſt actum inhoneſtum.

42 Rurſus. Charitas in ſententia contraria influit ſaltim partialiter in amorem; & tamen nec partialiter eſt elevativa omiſsionis, cùm ſit determinata ad amorem, vt inquit argumentum; ergo pari titulo influere poterit vt virtus proxima adæquata, quin propterea ſit elevativa omiſsionis. Denique. Negare non poteſt ſententia oppoſita charitati libertatem ſaltim connexivam, ſicut non negat in lumine vitalitatem connexivam, aliàs charitas nihil aliud haberet, niſi elevare voluntatem, vt docebat Bachonius; ſed libera connexivè eſſe non poteſt, niſi ſit intrinſecè libera, vt ſuprà probatum eſt numer. 33. de vitalitate luminis; ergo charitas eſt principium *quo* immediatum intrinſecè liberum.

43 Ad argumentum igitur conceſsis alijs, nego minorem ſubſumptam. Ad probationem diſtinguo maiorem. Omne principium liberum per modum potentiæ eſt indifferens ad agendum, & non agendum, concedo maiorem. Per modum virtutis, nego maiorem. Vel aliter. Eſt indifferens ad non agendum poſsitivè, nego maiorem. Permiſsivè, concedo maiorem. Et in eodem ſenſu diſtincta minori, nego conſequentiam. Itaque alia eſt libertas actus: alia principij radicalis: alia potentiæ: & alia virtutis. Libertas actus non exigit indifferentiam, quia amor non poteſt eſſe odium, ſed quod actus ſit exercitium potentiæ indifferentis. Libertas principij radicalis ſita eſt in indifferentia ad actus cuiuſcumque potentiæ, ſivè intellectus, ſivè voluntatis. Libertas potentiæ exigit indifferentiam poſsitivam ad actus, & omiſsionem actuum ſuæ lineæ. Libertas tandem virtutis non exigit indifferentiam poſsitivam ad omiſsionem, ſivè ad actum oppoſitum poſsitivè, ſed permiſsivè, ideſt, quod taliter influat in actum, vt permittat indifferentiam in potentia ad oppoſitum, & hoc habet charitas in via, quæ non neceſsitat voluntatem ad amandum.

44 Ad primam confirmationem ex dictis conſtat qualiter charitas ſit libera permiſsivè, quæ libertas non improbatur ex impugnatione facta. Vt enim charitas permittat in voluntate poteſtatem impediendi actum ſatis eſt ſi voluntas per modum potentiæ, & principij *quod* poſsit media charitate non operari. Ad id, quod additur de ſententia Durandi, reſpondeo argumentum commune contra Durandum non procedere ex preciſa natura impedibilitatis, ſed ex impedibilitate propria primæ cauſæ, quæ ſicut exigit neceſſariò virtutem producendi immediatè omnes effectus creatos, ita & poteſtatem eos immediatè impediendi per ſuſpenſionem concurſus non impedita cauſa, quam po-

poteſtatem ponere non oportet, nec in voluntate creata, nec in charitate.

45 Et impugnatio retorquetur in Adverſarios. Etenim ſicut voluntas per odium poteſt impedire amorem, ita charitas per amorem poteſt impedire odium; ergo. Si ex eo, quod voluntas poteſt impedire amorem, probatur voluntatem debere influere immediatè in amorem; ex eo, quod charitas poteſt impedire odium probabitur charitatem debere neceſſariò influere immediatè in odium. Denique ex virtute impeditiva vniverſim loquendo non probatur virtus productiva effectus impedibilis, quoniam natura poteſt impedire gratiam per peccatum, quin poſsit producere gratiam. Et generaliter ex defectu conditionis ad effectum impeditur effectus, quin propterea ſit in conditione virtus ad producendum effectum; quia magis requiritur ad producendum, quàm ad impediendum.

46 Ad ſecundam confirmationem conceſſa maiori, nego minorem. Nam licèt charitas ſit tota virtus proxima influxiva in amorem, non ideò eſt cauſa adæquata amoris, ſed potiùs cauſa adæquata amoris eſt voluntas elevata per charitatem, ſicut intellectus elevatus per lumen eſt cauſa adæquata viſionis, ideóque intellectus eſt, qui propriè vivit, & videt per viſionem, & voluntas eſt quæ propriè amat medio amore: vndè voluntas eſt, quæ determinat charitatem ad amandum, quia habitibus vtimur dum volumus, & poſita charitate poteſt voluntas amare, vel non amare. Ad tertiam confirmationem ſatis conſtat ex dictis qualiter illa poteſtas ſit propria principij liberi per modum potentiæ, non virtutis, niſi tantùm permiſsivè.

47 Arguitur quintò. Quamquam viſio beata ſit intrinſecè ſupernaturalis procedere poteſt ab intellectu creato ſub ratione vitalis; ergo poteſt ad illam immediatè concurrere. Antecedens probatur. Quamquam entitas peccati commiſsionis ſit intrinſecè mala, poteſt eſſe à Deo ſub ratione entis, & non ſub ratione malitiæ; ergo quamquam viſio beata ſit intrinſecè ſupernaturalis poteſt procedere ab intellectu ſub ratione vitalis, & non ſub ratione ſupernaturalis. Patet conſequentia à paritate, quia non eſt minus intrinſeca malitia peccato, quam ſupernalitas viſioni.

48 Hoc etiam argumentum pari conſequentiæ filo vrget in Adverſarios. Nam viſio beata quamquam ſit intrinſecè ſupernaturalis poteſt eſſe ab intellectu creato ſub ratione vitalis, & non in ratione ſupernaturalis; ergo quamquam peccatum commiſsionis ſit intrinſecè malum poteſt Deus eſſe cauſa per ſe entitatis, & non malitiæ; ſed Adverſarij, conceſſo antecedenti, negant conſequentiam; ergo ab omnibus fatendum eſt paritatem non eſſe adæquatam.

49 Rurſus. Omnes affirmant intellectum creatum eſſe abſoluté cauſam viſionis: Nemò aſſerit Deum abſolutè eſſe cauſam peccati; ergo non eſt ſimile. Denique ex hoc argumento probatur non ſolùm partialitas cauſæ in viſionem, ſed partialitas effectus, quam ſententia oppoſita reſpuit. Nam Deus concurrens ad entitatem peccati non concurrit ad totum eſſe peccati, quia non concurrit ad malitiam; nec Deus ita concurrit ad actum peccati, ſicut creatura, quæ concurrit ad actum, & malitiam; ergo Deus dici non poteſt cauſa peccati totalis totalitate effectus; ergo nec intellectus erit cauſa totalis totalitate viſionis, ſi exemplum convincit.

50 Reſpondent igitur frequentius Thomiſtæ latam eſſe diſparitatem. Quia entitas peccati continetur intra ſphæram cauſalitatis cauſæ primæ, quia entitas illa ex ratione entitatis bona eſt, & cauſabilis à cauſa vniverſali totius entis: attamen vitalitas viſionis beatę naturalis non eſt, & ideó non continetur intra ſphæram potentiæ naturalis intellectus: Vndè Deus concurrit ad actum peccati vt cauſa vniverſalis, idcircò ſatis eſt ſi contineat rationem communem entis: attamen intellectus creatus immediatè concurrens ad viſionem, concurreret vt cauſa ſpecialis, ideòque deberet totum continere effectum. Sed facilius, & verius reſpondendum puto malitiam peccati commiſsionis ſitam non eſſe in aliquo poſitivo, quod propterea indigeat concurſu poſitivo Dei, ſed in carentia rectitudinis debitæ, quarè Deus eſſe poteſt cauſa per ſe entitatis, quin ſit cauſa poſitiva malitiæ, vt latè diximus ſupra tract. 4. *de Voluntate Dei*, dub. 2. vbi quæcumque in oppoſitum vrgere poſſunt, ſoluta manent, nec tertio quoque verbo repetere oportet.

VL

(?)

Vltimum argumentum in ſubſidium ſententiæ mediæ refellitur.

§. VI.

51 IN Subſidium ſententiæ aſſerentis ex coaptatione eſſentiali intellectus tanquam ex virtute intellectiva, & ex lumine gloriæ, tanquam ex augmento virtutis conſurgere potentiam adæquatam, & proximam viſionis, arguit doctiſsimus Moneda ex Angel. Præceptore 1. part. quæſt. 12. art. 5. *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam, oportet quod ex divina gratia ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi; & hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus*; ſed augmentum virtutis ſupponit virtutem, ſicut intenſio qualitatis ſupponit qualitatem; ergo ex intellectu, & lumine reſultat adæquata virtus proxima viſionis; nam ſi lumen eſſet tota virtus proxima, non eſſet augmentum virtutis, vt inquit Div. Thomas.

52 Id ipſum ratione ſuadere conatur. Potentia intellectiva non deſtruitur per gratiam, ſed potiùs perficitur, quia generaliter gratia non deſtruit naturam, ſed perficit; ſed intellectus ex ſe eſt potentia proxima intellectionis; ergo hæc potentia proxima non deſtruitur per lumen, ſed in eadem linea perficitur, & roboratur, aliás potentia proxima, quam ex ſe habet tranſiret in remotam.

53 Ulteriùs roborari poteſt hæc ſententia. Ea eſt tota ratio agendi, & virtus proxima viſionis, quæ eſt tota ratio continendi; ſed tota ratio continendi viſionem eſt tertium illud conflatum ex intellectu tanquam ex virtute, & lumine, tanquam ex augmento virtutis; ergo eſt tota ratio agendi, & virtus proxima viſionis. Minor probatur. Viſio beata eſt actus intellectionis ſupernaturalis; ſed hic non continetur in ſolo intellectu, qui eſt potentia naturalis impotens ad ſupernaturalitatem; nec in ſolo lumine, quod non eſt virtus intellectiva, ſed augmentum virtutis; ergo continetur adæquatè in tertio reſultante ex vtroque.

54 Sed hæc ſententia apertè relabitur in alterutram ex relatis. Certum namque eſt apud omnes ex intellectu, & lumine conſurgere cauſam adæquatam viſionis. Certum pariter eſt intellectum eſſe virtutem ad intelligendum, & coaptationem eſſentialem ad obiecta ſupernaturalia, ac lumen eſſe augmentum virtutis, vt inquit Div. Thomas, & infra exponemus. Adhúc tamen dubitatur. An æqualiter immediatè concurrant intellectus, & lumen? An intellectus per modum potentiæ, & principij *quod* intellectivi, & lumen vt virtus proxima illius principij. Quod ſi dicta ſententia affirmet primum, incidit in concurſum partialem. Si ſecundum. Incidit in concurſum totalem luminis. Quod ſi aliud intendat. Explicandum erit. An illud tertium ſit virtus ſimplex, vel compoſita? An diſtincta, vel indiſtincta ab intellectu, & lumine, ſicut ait Scotus de forma totalitatis diſtincta à partibus ſimul ſumptis, & vnitis? Ideòque Illuſtr. Silva affirmat eſſe intellectum ſupernaturalem, & lumen tranſire in intellectum, quæ omnia vix, aut ne vix quidem percipi poſſunt.

55 Ad rationem factam ex Div. Thoma reſpondet idem Doctor Angelicus 3. contra Gentes cap. 53. num. 4. ita exponens illud augmentum virtutis. „Contingit dupliciter alicuius virtutem „fortificari. Uno modo per ſimplicem „ipſius virtutis intenſionem, ſicut virtus activa calidi augetur per intenſionem caloris, vt poſsit efficere vehementiorem actionem in eadem ſpecie. „Alio modo per novæ formæ appoſitionem, ſicut Diaphani virtus augetur ad „hoc, vt poſsit illuminare, per hoc, quod „ſit lucidum actu per formam lucis receptam in ipſo de novo; & hoc quidem „virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpecici operationem conſequendam. Virtus autem intellectus creati „naturalis non ſufficit ad divinam ſubſtantiam videndam; ergo oportet, quod „augeatur in virtus ad hoc, quod ad talem viſionem perveniat. Non ſufficit „autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis, quia talis viſio non eſt „eiuſdem rationis cum viſione naturali „intellectus creati, quod ex diſtantia viſorum patet. Oportet ergo, quod fiat „augmentum virtutis intellectivæ per „alicuius novæ diſpoſitionis adeptionem.

Ex

56 Ex quibus apertè deducitur hoc augmentum virtutis eſſe longè diverſum ab intenſione qualitatis, & augmento virtutis eiuſdem ordinis, vt exponit præallegatus Moneda, ſed per additionem formæ ſuperioris ordinis, quę propterea eſt tota ratio continendi effectum ordinis ſuperioris. Ad rationem ex num. 52. Reſpondeo, gratiam perficere naturam, ideòque eam elevare ad ordinem ſuperiorem, quæ eſt excellentior perfectio, quàm perfectio in eodem ordine naturali.

57 Ad aliam rationem ex numero 53. diſtinguo maiorem. Ea eſt tota ratio agendi, quæ eſt tota ratio continendi per modum virtutis, concedo maiorem. Per modum cauſæ, & principij *quod*, nego maiorem. Nam aliud eſt loqui de cauſa adęquata, & hanc non dubitamus eſſe intellectum perfuſum lumine gloriæ: & aliud de virtute proxima, & hanc dicimus eſſe lumen, vt ſupra dictum eſt.

(§)

TRACTATUS IV.

De æqualitate, & inæqualitate viſionis Beatæ.

DEclaratis principijs omnibus ad viſionem concurrentibus, ad eiuſdem viſionis naturam, beatorumque æqualitatem, & inæqualitatem explicandam deſcendimus. Viſionem beatam eſſe claram, intuitivam, & quidditativam cognitionem Dei vt eſt in ſe nulli dubium eſſe poteſt. Eſt enim clara, quia ibi nulla obſcuritas, intuitiva, quæ eſt viſio Dei intimè præſentis. Quidditativa, quia quidditatem, & eſſentiam Dei cum omnibus ſuis perfectionibus intuetur.

Quanta autem ſit illa æterna fœlicitas, quæ in clara Dei viſione ſita eſt eleganter deſcribit Anſelmus in Proſologio c. 25. & c. 26. ita proſequitur: *Deus meus, & Dominus meus, ſpes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, ſi hoc eſt gaudium, de quo nobis dicis per Filiũ tuum.* Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. *Inveni namque gaudium quoddam plenum, & pluſquam plenum. Pleno quippè corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo, adhùc ſupra modum ſupererit gaudium. Non ergo totũ illud gaudium intrabit in gaudentes, ſed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Dic Domine, dic ſervo tuo intùs in corde ſuo, ſi hoc eſt gaudium, in quod intrabunt ſervi tui, qui intrabunt in gaudium Domini ſui. Sed gaudium illud certè, quo gaudebunt electi tui.* Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. *Nondum ergo dixi, aut cognovi Domine quantum gaudebunt illi Beati tui. Vtique tantum gaudebunt, quantum amabant: tantùm amabunt, quantùm cognoſcent. Quantũ te cognoſcent, Domine, tunc, & quãtũ te amabunt? Certè.* Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit *in hac vita, quantũ te cognoſcent, & amabunt in illa vita.*

Oro, Deus, cognoſcam te, amen te, vt gaudeam de te; & ſi non poſſum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies vſque dum veniat illud ad plenum; proficiat hìc in me notitia tua, & ibi fiat plena, creſcat amor tuus, & ibi ſit plenus, vt hìc gaudium meum ſit in ſpe magnum, & ibi ſit in re plenum, &c.

DVBIVM I.

An omnes Beati sint in visione æquales?

§. I.

1 OMNES Beatos esse in beatitudine pares, & æquales, non solùm æqualitate in conceptu essentiali, erga eandem essentiam divinam (in quo omnes conveniunt) sed in fœlicitate pariter graduali docuit Jovinianus apud Hieronymum lib. 2. contra ipsum. Et Augustinum lib. *de Hæresibus* hæresi 82. qui cùm opinasset Stoicos secutus virtutes esse in omnibus æquales, consequenter asseruit omnes Beatos esse in beatitudine pares. Hunc errorem ab orco revocavit Lutherus, sed alio ductus motivo: ex eo, nimirùm, quia putavit viatores iustificari, non gratia aliqua intrinsecè inhærente, sed iustitia Christi extrinsecus imputata, quæ cùm una sit, omnes constituit æqualiter iustos, atque adeò in patria omnibus correspondet æqualis beatitudo.

Catholica sententia exponitur.

§. II.

2 DICENDUM Visionem beatam, æternamque fœlicitatem esse omninò inæqualem in Beatis. Dixi *inæqualem*, non quia non possit esse æqualis si paria sint merita, sed quia non oportet esse æqualem, sed potiùs necesse est inæqualem esse si merita sint imparia. Constat ex pluribus Sacræ Paginæ testimonijs allegatis ab eodem Hieronimo contra Jovinianum. Et à primò ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, vbi de mansionibus patriæ cœlestis sermonem procedere docet ibidem Hieronymus, noster Beda de sancta virginitate, cap. 6. & communiter Patres, quibus consentit Anselmus, ad ea verba asserens: *Vnusquisque mansionem pro suo accepturus meritò.* Clariùs ex doctrina Anselmi Elucidarij Author: *Quamvis ergo alius alio præstantius, alius alio eminentiùs gloriam pro meritis sortiatur, tamen omnes vnam domum Patris, licèt diversis mansionibus, & vnum denarium de visione Dei, & consortio Angelorum percipient.*

3 Secundò constat ex illo 1. Pauli ad Cor. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum; stella enim à stella differt in claritate: sic enim & resurrectio mortuorum.* Undè Concilium Florent. sub Eug. IV. in litteris vnionis definit: *Beatorum animas intueri clarè ipsum Deum, trinum, & vnum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Quæ omnia corroborari possunt ex varia eruditione Patrum, alijsque pluribus, quæ quia omnibus obvia, ab illis abstinendum puto.

4 Ratione suadetur evertendo fundamentum Joviniani. Visio beata confertur adultis in præmium meritorum; sed merita sunt inæqualia; ergo, & visio beata. Maior constat ex Apost. 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex*: ad quæ Anselmus ait: *Servatur mihi corona iustitiæ, quàm iustè merui, quàm non dabit, sed reddet mihi.* Minor probatur. Etenim nec gratia, nec charitas sunt in omnibus æquales, quoniam procedunt à Deo iuxtá beneplacitum voluntatis suæ, ac iuxtá dispositionem secundùm gratiam, qua præparatur voluntas á Domino, vt inquit August. lib. 1. Retract. cap. 10. Unde iusti magis, & minus, intensiùs, & remissiùs operantur; ergo nec opera, nec virtutes, nec merita sunt paria; ergo nec beatitudo.

5 Confirmatur. Ea est differentia inter adultos, & parvulos baptizatos, quod hi consequuntur salutem per modum hereditatis, ac ideò æqualiter, cùm in illis nulla sit meritorum disparitas. Illi autem per modum præmij; at iustitia distributiva præmiorum exigit, vt iuxta diversa merita diversum conferatur præmium, sicut ex diversitate culparum diversam destinantur ad pœnam; ergo adultis inæquale correspondet præmium.

Propter hæc Eccleſia, & vno ore Sancti Patres ad ſolicitè operandum, ac ſtudioſè noſtram ſalutem ſatagendam exhortant, quæ exhortatio innutilis eſſet, & otioſa ſi virtutes, & merita eſſent paria, & beatitudo conſequenter æqualis; ergo eſt inæqualis iuxta inæqualitatem meritorum.

6 Contra motivum Lutheri non importat impreſentiarùm agere, eum namque errorem improbavimus Tract. de Iuſtificat. Et clariſsimè improbatur à Concilio Trid. Seſſ. 6. de Iuſtific. Can. 11. ita definiente: *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſsione peccatorum excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit.*

7 Sed etiam gratis permiſſo nos iuſtificari gratia Chriſti nobis extrinſecùs imputata, adhùc illatio à Luthero deducta nullius eſt momenti, quia optimè poteſt iuſtitia Chriſti diverſimodè applicari; & ita contingere negare non poteſt Lutherus, alioquin omnis iuſtis æqualis eſſet in iuſtitia, & gloria, cum iuſtitia, & gloria Chriſti Domini. Præterquám quod ea iuſtitia Chriſti iuxtà Lutherum non applicatur, niſi dependenter á fide, qua credimus peccata nobis eſſe remiſſa; ſed fides eſt inæqualis; ergo & applicatio meritorum.

Exponitur Parabola Matth. cap. 20. Et impugnationes enodantur.

§. III.

8 PRÆCIPUA Dubitandi ratio contra prædictam doctrinam ſumitur ex parabola Matth. 20. vbi Chriſtus ait Patrem Familias conduxiſſe, & miſsiſſe in vineam ſuam operarios manè, hora tertia, ſexta, nona, & vndecima; ac poſteá iuſsiſſe Procuratori, vt omnibus redderet mercedem, & ita fecit æqualiter noviſsimis, & primis, &c. In qua parabola nomine *denarij diurni* iuxtà communem expoſitionem Patrum ſignificatur vita æterna, quæ omnibus operantibus confertur; ſed ibi proponitur idem denarius æqualiter datus diverſimodè laborantibus; ergo quia vita æterna eſt in omnibus æqualis, nec penſanda eſt ex inæqualitate laboris.

9 Exponens dictam parabolam Anſelmus ait: *Ita vita æterna pariter erit omnibus æqualis, & vnus denarius omnibus attributis; ibi tamen ſunt multæ diſtinctiones iuxta illud*: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: *Itaque vnus denarius, & ſinguli denarij, &c.* Et hanc eſſe communem Patrum ſententiam fatetur Vazquez t. 1. in 1. part. diſp. 47. cap. 3. Nihilominus eam interpretationem impugnat. Et cap. 4. Eligit expoſitionem Janſenij in Concordia Evangelica cap. 101. docens nomine denarij diurni intelligendam eſſe gratiam electionis, eiuſque diviſionem proùt Deo placet, qua noviſsimi fiunt primi, & ſeveritatem iudicij, qua primi fiunt noviſsimi, ac conſequenter per *primos* intelligit reprobos, per *noviſsimos* prædeſtinatos. Et ait Anſelmum intellexiſſe quidem per denarium vitam æternam, ſed difficultatem parabolæ non examinaſſe. Auguſtinum verò, Nazianzenum, Chriſoſtomum, & alios impugnat.

10 Verùm contra Vazquez vrget Decretum Concilij Trident. Seſſ. 4. „ De „ Canonicis ſcripturis, *vbi ait*: Ad coer„ cenda petulantia ingenia decernit, vt „ nemo ſuæ prudentię innixus, in rebus „ fidei, & morum, ad ædificationem „ Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sa„ cram Scripturam ad ſuos ſenſus con„ torquens, contra eum ſenſum, quem „ tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, „ cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & in„ terpretatione Scripturarum Sanctarum, „ aut etiam contra vnanimen conſenſum „ Patrum, ipſam Scripturam Sacram in„ terpretari arrideat. Cum ergo prædicta parabola ſit de re ad fidem, & mores, ſpectante, ac prædictus Author fateatur ex communi Patrum ſententia nomine denarij diurni beatitudinis præmium ſignificari, immeritó ab eorum recedit ſententia.

11 Igitur expoſitio Anſelmi, ac cæterorum Patrum veriſsima eſt, & conſonat verbis, ac fini parabolæ, quibus altera interpretatio Janſenij, & Vazquez cõtradicit.

&

Et ita ostenditur. Primo, quia denarius datus novissimis significat mercedem, & retributionem gloriæ, vt omnes fatentur; aut electionis gratiam [vt inquit Vazquez] quæ datur prædestinatis ad gloriam; ergo pariter per denarium datum primis, ipsa retributio gloriæ, aut electionis gratia intelligenda, cùm iuxta parabolam sit idem denarius, quo omnes facti sunt æquales.

12 Secundò: quia Paterfamilias iussit Procuratori, vt redderet mercedem primis, & novissimis pro labore; at quæ merces esse potest reprobatio ad pœnam? non ergo pro denario, & mercede collata primis intelligi potest eorum reprobatio. Tertiò; quia Paterfamilias quantum ad retributionem denarij, in quo convenerat, illos fecit æquales; at summa inæqualitas esset, si primi essent reprobi, & novissimi prædestinati, ac denarius datus novissimis esset gloria, & datus primis reprobationem, æternumque supplicium significaret; ergo.

13 Confirmatur hæc ratio. Paterfamilias contulit primis denariũ, in quo cõvenerat, ibi: *Nonne ex denario convenisti mecũ?* At Paterfamilias, sive Christus; non convenit cum laborantibus in vinea sua, sive in Ecclesia, de punitione, & pœna, sed de retributione, & mercede; ergo. Rursús. Si denarius novissimis datus significaret gloriam, & datus primis iudicaret pœnam, falsò diceret: *Volo autem, & huic novissimo dare, sicut & tibi*, non enim conferret novissimis, sicut & primis, si illis gloriam conferret, hos autem pœna puniret. Nec item primi possent ita conqueri: *pares illos nobis fecisti*, non enim pares faceret, si tanta esse diversitas.

14 Denique. Finis parabolæ, vel fuit ostendere excellentiam charitatis, & gratiæ, quia breviori tempore mereri potest, aut æquale, aut maius præmium: vel ad promovendos homines, vt solicitè, studiosè, ac ferventer laborent, quia fervore charitatis suppleri potest præcedens ignavia, ac nullo tempore desperandum; sed hæc omnia iure optimo verificantur iuxta præcedentem, & communem expositionem Patrum, non iuxta expositionem Iansenij, & Uazquez; ergo prima, & non secunda expositio probanda est.

15 Oppones ex Patre Uazquez. Primi de quibus loquitur parabola, murmuraverunt contra Patremfamilias adversùs novissimos; sed in prædestinatis, & Beatis nulla murmuratio esse potest; ergo illi erant reprobi, hi autem prædestinati. Minor ostendi potest ex Anselmo Meditatione 21. vbi docet Beatos tantum gaudere de aliena beatitudine, quantum de sua, ita concludens: *Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Beatorum Angelorum, & hominum, vbi nullus minus diligit alium, quam se ipsum, non aliter gaudebit vnusquisque pro singulis alijs, quàm pro se ipso.*

16 Confimatur. Si primi essent etiam prædestinati; & Beati, ignorare non possent mercedem, & gloriam dari secundùm merita, atque adeò colligere deberent novissimos ferventius laborasse, eosque adæquasse breviori labori; ergo nullum motivum murmurationis haberent; cum ergo murmurassent, signum est illos non esse Beatos, sed reprobos.

17 Respondeo in parabolis non exactam applicationem, sed significationem venandam esse: inquit enim Chrisostomus ad illum locum Matth. Homil. 65. *Parabolam dixit, in parabolis non oportet nimia in singulis verbis curà perangi, sed cum quid per parabolam intendit dicere discimus, inde vtilitate intellecta, nihil vlterius anxio est conatu investigandum.* Itaque non veram murmurationem beatorum significavit, sed figurativè, vt viatoribus significasset non esse secundùm faciem iudicandum, nec divina iudicia detrahenda, sed veneranda, quia divina iudicia humana vota non capiunt.

18 Dices. Ea verba: *Tolle quod tuum est, & vade*, non nisi de peccato exponi possunt, idest tolle peccatum, quod solùm tuum est, & vade in æternum supplicium. Item. Dum Paterfamilias addit: *An non licet mihi, quod volo facere?* Significat, quod Deus sua solá voluntate fecerat, quod novissimi præferrentur primis, ergo ea parabola procedere non potest de distributione præmij, quoniam hæc confertur ex iustitia; ergo de sola collatione gratiæ.

19 Sed vtrumque contradicit meo iudicio sacro textui, inquid enim: *Nonne ex denario convenisti mecum, tolle quod tuum est*, ergo *quod tuum est*, ad denarium

referendum eſt, non ad peccatum, de quo Pater Familias conventionem non fecerat. Secundum pariter de mercede æqualiter omnibus collata expreſsè procedit; ergo reſpectu omnium procedunt ea verba de gloria, quæ etiam ortum habet ex gratuita voluntate Dei, vel in ſe, vel in radice, nempè gratia, quod ad præſens inſtitutum nihil intereſt.

20 Dices iterùm. Parabola ita concluditur: *Sic erunt noviſsimi primi, & primi noviſsimi; multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Hæc enim nihil aliud ſignificare poſſunt, quàm primos eſſe ex multis vocatis, non electis, noviſsimos verò ex paucis electis. Reſpondeo ex dictis iudicia Dei eſſe mirabilia, & à nobis veneranda, non curioſius exploranda: hoc autem prædictis confirmatur verbis: quaſi dicens. Si nobis admirationem ingerit multos eſſe vocatos, & paucos electos, magis mirandum eſt inter ipſos paucos electos, aliquos eſſe primos, qui nobis videbantur noviſsimi: alios eſſe noviſsimos, qui videbantur primi.

21 Oppones ſecundò. Ideò diximus Beatos eſſe inæquales in beatitudine, quia iuſtá Apoſtolũ differunt inter ſe, ſicut ſtella á ſtella in claritate; ſed ex hoc non probatur; nam ſi ex differentia ſtellarum in claritate probaretur differentia beatitudinis, ſicut omnes ſtellæ differunt, ita omnes Beati differrent, & conſequenter nullus eſſet alteri æqualis; ſed hoc etiam in noſtra ſententia eſt falſum; ergo ex ſtellarum exemplo nihil evincitur. Reſpondeo, rationem factam ab exemplo ſtellarnm optimam eſſe, ſed ſuppoſita, vt re ipſa ſupponitur ab Apoſtolo diverſitate meritorum, quod non impedit vt ſtante æqualitate meritorum æqualis ſit beatitudo.

22 Oppones tertiò. Beatitudo eſt ſatiativa appetitus rationalis; ſed ita non eſſet ſi daretur inæqualitas; ergo non datur. Minor probatur. Beatus beatitudine inferiori non eſſet plenè ſatiatus, quia habere poſſet adhùc pleniorem beatitudinem, nimirum illam, quam alter haberet; vndè maneret in Beatis anxietas, & deſiderium conſequendi fœlicitatem, quam in alio videt. Si reſpondeas omnem beatitudinem plenè ſatiare, non abſolutè, ſed proportionaliter, & comparativè ad lumen. Contra eſt. Nam idem argumentum fit de lumine, quoniam beatus inferior adhùc deſideraret perfectius lumen, quo alium illuminatum eſſe cognoſcit; ergo dicendum omnes beatos eſſe in beatitudine pares.

23 Reſpondeo hoc argumentum eadem laborare difficultate, etſi ponatur æqualitas viſionis in omnibus, quandoquidem viſio beata ſemper poterit augeri, cùm infinita non ſit, vndè ſupererit deſiderium conſequendi viſionem clariorem. Reſpondeo igitur optimam eſſe ſolutionem. Et ad impugnationem reſpondet Anſelmus in Proſologio c. 25. Omnes plenè ſatiari, nec ampliùs deſiderare, quia omnium eſt vna voluntas, & in omnibus voluntas Dei, ibi. *Omnibus illis erit vna voluntas, quia nulla illis erit, niſi ſola Dei voluntas.*

DVBIVM II.

An diverſitas viſionis ortum habeat ex ſola diverſitate luminis, vel etiam à diverſitate potentiæ?

§. I.

1 DUBIO Antecedenti dictum eſt Beatos non eſſe in beatitudine pares, in præſenti inquirimus an hęc diſparitas ortum habeat ex ſola inæqualitate luminis, an etiam ex inæqualitate potentiæ, ita vt cum eodem lumine potentia in intelligẽdo perfectior, qualis eſt Angelica, perfectiorem eliciat viſionem quàm humana? Quæ controverſia locum habet, ſivè de facto, ſivè de poſsibili; ſivè facta comparatione inter homines, & Angelos; ſivè inter Angelos, & Angelos; ſivè inter homines, & homines, cum inter omnes ſit, aut poſsit eſſe diverſitas in naturali facultatis acumine.

2 Prima ſententia aſſerit inæqualitatem viſionis non ortum habere ex ſolo lumine, ſed etiam á potentijs. Ita Scotus in 3. diſt. 13. quæſt. 3. & in 4. diſt. 50. quęſt. 6. quem ſequuntur omnes Scotiſtæ, cum ea tamen diverſitate, quod aliqui iudicant id eſſe verum tantùm de poſsibili. Ita Tartaretus, Aretinus, Vulpes, & Sghemma apud

apud Maſtrium t. 1. diſp. 6. quæſt. 7. num. 193. Alij tamen docent ita de facto contingere. Ita Faber. Smiſing. Gallus, Ponçius, Hiquæus, & Luſitanus, quos citat, & ſequitur Maſtrius, loco citato, ac novitèr Bartholomæus Durand de Deo vno, diſp. 4. quæſt. 2. Secunda affirmat totam diverſitatem viſionis refundendam eſſe in diverſitatem luminis. Eſt communis inter Thomiſtas, ac Societatis Doctores.

Inæqualitatem viſionis beatæ deſumendam eſſe ex ſola inæqualitate luminis ſuadetur.

§. II.

DICENDUM Diverſitatem viſionis beatæ ortum habere ex ſola diverſitate luminis, non potentiæ. Conſtat ex S. Anſelmo in Epiſt. 1. ad Cor. 15. ibi: *Etſi alius electorum eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio iuſtior, alius alio ſanctior*: in domo Patris mei (*ait Ioannes*) manſiones multæ ſunt; *vnuſquiſque manſionem pro ſuo accepturus eſt merito. Tanquam ſtellæ enim ſancti diverſas manſiones diverſæ claritatis, tanquam in Cælo ſortiuntur in regno.* Ergo tota diverſitas refunditur in diverſitatem claritatis, ſivè luminis, ortam ex inæqualitate meritorum.

4 Clariùs Ang. Doctor in 3. contra Gentes, cap. 58. vbi ait: *Dicendum, quod videntium Deum per eſſentiam, vnus alio perfectius eum videbit, ſed hoc erit per hoc, quod intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeù facultatem ad videndum Deum, quàm alterius; facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ, quod intellectum per quandam Deiformitatẽ conſtituit: vndè intellectus plus participans de lumine, perfectius Deum videbit.* Et ita repetit pluribus alijs in locis.

5 Ratione convincitur. Omnis perfectio effectus ſupernaturalis deſumẽda eſt ex perfectione ſupernaturalis principij; ſed viſio beata eſt effectus ſupernaturalis; ergo illius perfectio deſumenda eſt ex perfectione ſupernaturalis principij; ſed hoc eſt lumen, non potentia; ergo ex perfectione luminis, non ex naturali perfectione potentiæ, ortum habet perfectio, & inæqualitas viſionis. Maior, in qua ſola poteſt eſſe difficultas probatur. Omnis perfectio effectus deſumenda eſt ex illo principio, cui poteſt commenſurari; ſed maior perfectio vnius viſionis præ alia, ſolùm poteſt commenſurari cum maiori perfectione principij ſupernaturalis, & non potentiæ; ergo ex maiori perfectione principij ſupernaturalis, & non potentiæ deſumenda eſt perfectio ſupernaturalis effectus, nempè viſionis. Minor probatur. Nullus eſt perfectionis gradus in viſione beata, qui non excedat naturalem activitatem potentiæ, cum omnis ſit intrinſecè ſupernaturalis, nec minus ſupernaturalis eſſet gradus ſuperadditus, quàm gradus à lumine deſumptus; ergo nullus eſt perfectionis, qui deſumi poſsit â nativa facultate potentiæ.

6 Confirmatur primò. Si potentia nullo pacto eſſet elevata à lumine, nullo pacto poſſet influere in viſionem; ergo ſi non eſt elevata á lumine perfectiori, nullo pacto poteſt influere in viſionem perfectiorem. Patet conſequentia. Quia ideò potentia non elevata influere non poteſt in viſionem, quia viſio vtpoté ſupernaturalis excedit potentiam naturalem; ſed viſio perfectior excedit potentiam elevatam lumine inferiori; ergo potentia elevata lumine inferiori nullo modo poteſt influere in viſionem perfectiorem; ergo tota perfectio viſionis refundenda eſt in lumen.

7 Confirmatur ſecundó. Lumen gloriæ in intellectu Beati operatur ſecundùm totam ſuam activitatem, & intenſionem, cum nullo retardetur impedimento; ergo hoc lumen poſitum in intellectu præſtantiori, & acutiori, non poteſt ſuam intenſionem excedere; ergo influere non poterit in viſionem magis intenſam; ergo repugnat viſionem magis intenſam procedere à potentia elevata minus intenſa, quantumcumque ſupponatur præſtantior in virtute naturali.

8 Reſpondet Maſtrius, perfectionem effectus refundendam eſſe in cauſam adæquatam, & cum proportione; cùm ergo cauſa adæquata viſionis conſurgat ex potentia, & lumine, poterit potentia elevata à lumine minus intenſo influere in viſionem magis intenſam, quamquam potentia nullo modo elevata nullo modo poſ-

poſsit influere in viſionem ; vt patet in oculo corporeo , qui ſine ſpecie viſibili nullo modo videre poteſt; informatus tamen ſpecie poterit elicere viſionem perfectiorem,& magis intenſam , quàm alius oculus minus acutus eàdem ſpecie informatus.

6 Sed hæc ſolutio non enervat rationem factam, ſed potiús ex eàdem ſolutione confirmatur. Aut ſpecies viſibilis in oculo debiliori operatur ſecundùm totam ſuam virtutem, vel non operatur. Si operatur ſecundúm totam ſuam virtutem, prorſus repugnat concurrere ad viſionem magis intenſam in oculo magis acuto propter dicta, aliòquin oculus detegeret aliquid in obiecto viſibili non repræſentatum in ſpecie , quod prorſus repugnat; ſed lumen in intellectu Beati operatur ſecundúm totam ſuam virtutem ; ergo non eſt ſimile. Si autem ſpecies viſibilis in oculo debiliori non operatur ſecundúm totam ſuam virtutem , non mirum ſi in oculo perſpicatiori eliciat viſionem magis intenſam; ſed hoc locum non habet in lumine gloriæ, vt dictum eſt , quod nullo retardatur impedimento ; ergo.

10 Secundó. Ille gradus intenſionis, in quo viſio excedit lumen , refundi non poteſt in lumen ; ergo refundendus eſt in naturalem activitatem potentiæ; ſed hoc prorſus repugnat, vt dictum eſt , quia gradus ille eſt intrinſecè ſupernaturalis; ergo refundi non poteſt in naturalem activitatem potentiæ. Reſpondet eſſe ſupernaturalem , non quia non ſit à potentia naturali , ſed quia potentia naturalis eſt inſufficiens. Sed contra. Si potentia naturalis eſt inſufficiens ; ergo debet reddi ſufficiens à lumine ; ſed à lumine minus intenſo reddi non poteſt ſufficiens ad viſionem magis intenſam , quia reddi non poteſt ſufficiens à lumine ad aliquem gradum non contentum in lumine ; ergo neceſſariò requiritur lumen æquális intenſionis,& virtutis.

11 Probatur ſecundò concluſio,& ſimul prædicta impugnatur doctrina. Æqualibus meritis æquale correſpondet lumen; ſed hoc ipſo cum æquali lumine non poſſunt inæquales intellectus inæqualem viſionem elicere; ergo ad inæqualem viſionem requiritur neceſſariò inæquale lumen. Maior eſt certa , & conceditur á Maſtrio, eamque tradit Anſelmus loco allegato,& Concilium Florentinum in Decreto Sactæ vnionis, ita decernens : *Beati intuentur clarè ipſum Deum trinum , & vnũ ſicuti eſt , pro meritorum tamen diverſitate alius alio perfectiùs videt.* Minor autem probatur. Si ſtante æqualitate luminis correſpondentis meritis daretur inæqualitas viſionis , vnus eſſet alio beatior ex ſola inæqualitate potentiæ, ſiquidem perfectiorem eliceret viſionem ; ſed hoc dici non poteſt; ergo. Probo minorem. Si ex ſola inæqualitate potentiæ vnus eſſet alio beatior,falsò diceret Concilium, quod *pro diverſitate meritorum alius alio Deum perfectius, videt,* ſi quidem alius alio perfectius videret ſtante æqualitate meritorum, & diverſitate potentiæ. Item falsò dixiſſet Anſelmus quod *vnuſquiſque manſionem proſuo acceptarus eſt merito* ; ergo dicendum eſt ex ſola inæqualitate potentiæ oriri non poſſe inæqualitatem viſionis.

12 Prætereà. Collatio præmij inæqualis ſtante æqualitate meritorum pugnat cum iuſtitia diſtributiva Dei ; ſed ſi ex perfectiori potentia ortum haberet aliqua maior viſionis perfectio, ſtante æqualitate meritorum daretur inæquale præmium; ergo id pugnat cum iuſtitia diſtributiva Dei.Minor probatur. Quia premium beatitudinis ſitum eſt in viſione Dei ; ergo ſi ex ſola inæqualitate potentiæ vnus alio perfectius , & intenſius Deum videret, ſtante æqualitate meritorum daretur inæquale præmium.

13 Reſpondet Maſtrius æqualitatem iuſtitiæ Dei ſitam eſſe in eo , quod Deus omnibus conferat lumen, viſionem, & præmium ſuis meritis correſpondens, quod non impedit, vt perfectior potentia non poſsit perfectiorem viſionem elicere. Sed contra. Nam dicta propoſitio Concilij : *Pro diverſitate meritorum alius alio Deum perfectius videt*,eſt excluſiva , ita vt nemo Deum perfectiùs; videat, niſi iuxtà diverſitatem meritorum ; ergo nulla eſt viſio, nec viſionis gradus , niſi iuxtá conditionem meritorum ; ergo Deus non ſolùm ſervat æqualitatem iuſtitiæ vnicuique retribuendo gloriam ſecundùm conditionem meritorum, ſed nec retribuendo vltrá exigentiam meritorum. Et ita exponunt communitèr Patres.

14 Secundó. Quamquam Deus abſolutè poſsit conferrè gloriam, & viſionem iuxtà beneplacitum voluntatis ſuæ; attamen in præſenti providentia adultis non confertur, niſi per modum præmij,&

coronæ ; ergo in præſenti providentia nullus eſſe poteſt viſionis gradus, niſi correſpondens meritis ; ergo nullus viſionis gradus eſſe poteſt, niſi correſpondens lumini dato ſecundùm exigentiam meritorum ; ergo nullus correſpondens potentiæ. Prima conſequentia probatur. Nam cætera conſtant. Gradus non correſpondens meritis nequit habere rationem præmij, idcircò gloria confertur parvulis per modum hæreditatis propter defectum meritorum ; ergo ſi daretur aliquis gradus gloriæ correſpodens potentiæ, non haberet rationem præmij.

15 Eò vel maximè. Quia implicat aliqua viſio, aut viſionis intenſio, vel perfectio, quæ non ſit ex meritis Chriſti Domini ; at illa viſio, intenſio, aut perfectio correſpondens perfectioni naturali intellectus eſſe non poteſt ex meritis Chriſti Domini iuxtà principia Maſtrij ; ergo eſt impoſsibilis. Minor probatur. Merita Chriſti Domini ſupponunt Chriſtum in carne paſsibili, illiuſque paſsionem, & mortem ; at Chriſtus in carne paſsibili in ſententia præfati Doctoris ſupponit naturam, nam decretum Chriſti in carne paſsibili ſupponit peccatum, atque adeó exiſtentiam creaturarum ; ergo ſi daretur aliquis gradus gloriæ correſpondēs naturæ, talis gloria non eſſet ex meritis Chriſti Domini.

(?)

Altera concluſionis ratio.

§. III.

16 PROBATVR Tertió concluſio. Lumen vt quatuor v.g. non continet, niſi viſionem vt quatuor ; ergo etſi coniungatur perfectiſsimæ potentiæ nequit elicere viſionem vt quinque. Antecedens conſtat. Et conſequentia probatur. Licèt intellectus ex coniūctione luminis elevetur ad producendum effectum perfectiorem, attamen non elevatur à potentia, quia etſi lumen informet potentiam, potentia non informet lumen. Rursus. Etſi lumen, vtpotè ſupernaturale, poſsit elevare potentiam naturalem, attamen potentia naturalis, vtpotè inferior, elevare non poteſt lumen ſupernaturale, nec ex coniunctione ad potentiam quantumvis acutam redditur magis intenſum ; ergo lumen vt quatuor coniunctum potentiæ etiam perfectiſsimæ nequit elicere viſionem vt quinque.

17 Confirmatur. Maior perſpicacia potentię ſupra intenſionem luminis de materiali ſe habet ad eliciendum viſionē ſupernaturalē magis intenſam ; ergo ex coniunctione luminis cum tali potentia non reſultat cauſa ſufficiens ad producendā viſionem magis intenſam. Antecedens probatur. Maior illa perſpicacia potentiæ eſt in ordine naturali ; & ad effectus naturales, & proportionatos ; ergo ad effectus excedentes facultatem naturæ de marteriali ſe habet. Antecedens probatur. Ad effectus ſupernaturales non concurrit potentia ſecundùm facultatem naturalem, ſed ſecundùm potentiam obedientialem ; ergo perſpicacia illa in ordine naturali eſt tantùm ad effectus naturales, ac ideò ad ſupernaturales tantùm poteſt, quantùm elevatur à lumine ſupernaturali.

18 Reſpondet Maſtrius, habitu cum potentia producere actus ipſo intensiores, nec abſurdum cenſet habitus elevari à potentijs, quatenus mutuo ſed coadiuvant, & confortant in ordine ad effectum, vt patet in cauſis partialibus mutuó ſe coadiuvantibus ad portandam pondus : quod à nobis etiam (inquit) fatendum eſt in ipſo lumine concurrente ad vitalitatem viſionis ex coniunctione ad potentiam vitalem, cum ipſum vitale non ſit.

19 Sed contra hanc ſolutionem facilè reintegrari poſſunt impugnationes factæ. Et vlterius reijcitur. Vel habitus ex coniunctione ad potentiam redditur præcontentivus intenſioris effectus, vel non ? Si non redditur præcontentivus, ergo non poteſt producere, quia nulla cauſa poteſt producere effectum, quem non continet, ideóque potentia naturalis ex coniunctione luminis poteſt producere effectum ſupernaturalem, quia ex tali coniunctione redditur præcontentiva illius. Si redditur præcontentivus, ergo habitus ſupernaturalis ex coniūctione ad potentiam naturalem fit intenſior. Patet conſequentia, quia habitus manens in minori intenſione continere non poteſt actum intenſiorem.

Se-

20 Secundó. Exemplum cauſæ partialis retorquetur in ipſum. Quoniam cauſa partialis, nec auget vires alterius, nec elevat, nec elevatur ab altera, ſed portat partem ponderis, quam ſua naturali virtute poterat, ideòque eſt partialis non ſolùm partialitate cauſæ, ſed effectus, quam doctrinam non admittunt reſpectu viſionis, nec Authores concurſus partialis potentiæ; ergo ſi exemplum aliquid convincit dicendum erit potentiam independenter á lumine ex propria nativa virtute habere aliquam activitatem ad partem viſionis, atque adeó viſionem partim eſſe naturalem, partim ſupernaturalem, & conſequenter concurrere partialiter partialitate effectus.

21 Tertiò. Tota illa coadiuvatio cauſę partialis eſt ad effectum proportionatum ſecundùm virtutem, quam vna prę-continet independenter ab altera; at potentia naturalis in viſionem ſupernaturalem nihil poteſt independenter á lumine elevante, & proportionante; ergo non eſt ſimile. Quartò. Falsó ſupponit lumen non eſſe vitale, ideóque elevari à potentia vitali, ſi enim non eſſet vitale vt *quo* nullo pacto poſſet concurrere ad actum vitalem, vt ſatis, ſuperque in ſuperioribus dictum eſt.

Solvuntur argumenta contraria.

§. IV.

22 ARGUITUR Primò ex Maſtrio. Quò perfectior eſt cauſa partialis, eó perfectior eſt effectus totalis; ſed intellectus eſt cauſa partialis per ſuam naturalem virtutem; ergo ex perfectiori intellectu ſecundùm ſuam naturalem virtutem perfectior prodit viſio. Maiorem probat. Quia deficiente cauſa partiali deficit effectus, etſi reliqua eſſent æqualia; ergo excedente altera concauſa poteſt prodire perfectior effectus.

23 Confirmatur. Non minus propria virtute concurrit potentia naturalis elevata comprincipio ſupernaturali ad actus ſupernaturales, quàm adiuta principio naturali ad actus naturales; ſed perfectior potentia cum æquali principio naturali producit expreſsiores, & vivaciores effectus naturales; nam nobilior intellectus cum æquali ſpecie intelligibili perfectiùs intelligit; & viſus corporalis acutior perfectiùs videt, quàm debilior cum æquali lumine; ergo eadem potentia perfectior cum æquali lumine, & comprincipio ſupernaturali clariores, vivacioreſque actus ſupernaturales producere poterit.

24 Ad argumentum diſtinguo maiorem. Quò perfectior eſt perfectione formali, concedo maiorem. Perfectione materiali, nego maiorem: dictum eſt enim præſtantiam illam naturalem potentiæ de materiali ſe habere ad actus ſupernaturales, ideòque intellectum concurrere ad viſionem ſecundùm potentiam obedientialem: vndé etſi demus intellectum eſſe cauſam partialem, adhùc tamen non poteſt vt cauſa partialis concurrere ad viſionem, niſi vt elevatus á lumine, ideòque lumen licèt non ſit tota ratio agendi, eſt tamen tota ratio elevandi, quare intellectus agere non poteſt, niſi iuxtà quantitatem elevationis.

25 Ad confirmationem, reſpondeo intellectum elevatum non minus concurrere ad actus ſupernaturales, quàm adiutum principio naturali ad actus naturales, ſed non eodem modo. Nam ad actus naturales concurrit virtute naturali, & proportionata; ad ſupernaturales potentia obedientiali, & indigente virtute, quæ vel ſit tota ratio agendi, vel tota ratio elevandi. Inſuper nego etiam in naturalibus perfectiorem potentiam cum æquali principio producere vivaciores effectus, niſi comprincipium non agat ſecundùm totam intenſionem propter aliquod impedimentum, quod in præſenti locum non haber, vt ſupradictum eſt.

26 Contra inſurgit prædictus Author. Si intellectus agere non poſſet, niſi iuxtà quantitatem luminis, lumen determinaret, coarctaret, & limitaret intellectum, nè prodire poſsit in actum, ad quem habet facultatem naturalem ſaltim inchoatam; ſed lumen tám longè abeſt, vt limitet, & coarctet potentiam, quin potius adiuvat & corroborat; ergo licèt lumen ſit intenſum vt quatuor non impedit vt á potentia perfectiori prodire poſsit cum tali lumine viſio vt quinque.

27 Reſpondeo lumen, & habitus omnes determinare potentias ad talem ſpe-

ſpeciem actus negari non poteſt, vt etiam contingit in ſpeciebus determinantibus potentiam circa tale obiectum, nam intellectus medio lumine elicere non poteſt actum fidei, nec voluntas media charitate actum odij; ſi ergo habitus limitant potentias ad actus ſuæ ſpeciei, cúr non limitabunt ad actus ſuæ intenſionis? Nec ideò limitant abſolutè potentias, quia non impediunt vt potẽtiæ alijs habitibus alios actus eliciant, nec lumen remiſſum impedit, vt intellectus medio lumine intenſiori viſionem eliciat intenſiorem.

28 Dices. Gratia non deſtruit, ſed perficit naturam; ſed natura Angelica eſt perfectior humana; ergo illuſtrata eodem lumine perfectiorem viſionem eliciet, aliàs lumen non perficeret naturam intellectivam Angeli, ſed potiùs impediret nè prodiret in actum illum perfectiorem, quem ſecundum ſuam facultatem poſſet. Sed iam conſtat, qualiter præſtantia illa intellectus Angelici ſit duntaxàt in ordine ad obiecta proportionata, & naturalia, non per ordinem ad ſupernaturalia propter dicta.

29 Arguitur ſecundó ex Bartholomęo Durand nobili Scotiſta. Inæqualitas viſionis provenit ab his, quæ efficienter concurrunt; ſed intellectus lumine gloriæ perfuſus efficienter concurrit ad viſionem beatificam; ergo inæqualitas viſionis non provenit à ſolo lumine. Patet conſequentia. Quia non eſt maior ratio, cúr inæqualitas proveniat à lumine, quàm ab intellectu, cum omnes efficienter concurrant. Confirmatur. Intellectus creatus habet ex natura ſua aliquam virtutem ad videndum Deum; ergo cùm hæc virtus concurrat, ſicut lumen, oportet quòd ex ipſa ſicut ex lumine derivetur inæqualitas viſionis.

30 Iuxtà dicta dubio antecedenti facilè occurri poteſt argumento aſſerendo inæqualitatem viſionis ſumendam eſſe ex his, quæ efficienter concurrunt per modum virtutis proximæ, quę eſt tota ratio agendi, continendi, & influendi in viſionem, quod ſolúm convenit lumini. Ad confirmationem ſimiliter dicendum intellectum creatum habere aliquam virtutem ad videndum Deum remotam, & mediatam, non proximam per modum virtutis. Sed quia non oportet noſtram concluſionem noſtris alligare principijs. Ad argumentum conceſsis premiſsis, nego conſequentiam. Nam ex illis præmiſsis non illa, ſed hæc deducitur concluſio; ergo inæqualitas viſionis provenit ab intellectu lumine gloriæ perfuſo, quam libenter concedimus; ex eo tamen non ſequitur inæqualitatem aliquam refundendam eſſe in naturalem virtutem potentiæ, quia hæc nec concurrit, nec concurrere poteſt vt purè naturalis. Per quod conſtat ad confirmationem.

31 Arguitur tertiò ex eodem Authore. Lumen gloriæ concurrit ad viſionem diſponendo intellectum; ſed omnis diſpoſitio diſponit ſubiectum ſecundùm propriam, & intrinſecam capacitatem; ergo idem lumen nobiliorem intellectum nobilius diſponit; & ita calor magis diſponit materiam ſiccam, quàm humidam. Si dicatur lumen non diſponere intellectum ſecundùm virtutem naturalem, in qua vnus excedit alium, ſed ſecundùm obedientialem, in qua vnus alium non excedit. Contra inſurgit. Quia intellectus concurrit activè ad viſionem; ſed potentia obedientialis eſt tantùm paſsiva, & receptiva; ergo non concurrit ad viſionem intellectus creatus ſecundùm potentiam obedientialem, ni dicas intellectum meré paſsivé ſe habere ad viſionem.

32 Reſpondeo ſolutionem datam optimam eſſe. Nec ex eo ſequitur intellectum merè paſsivé ad viſionem, ſed ſolúm ſequitur paſsivé ſe habere ad receptionem luminis, ſemel tamen elevatum concurrere activè veluti cauſa activa, principalis, non proxima, ſed remota, & per modum principij. Vel dato concurſu partiali proximo, negandum erit cum P. Suarez potentiam obedientialem non eſſe activam.

33 Arguitur quartó. Perfectior cauſa principalis cum æquali inſtrumento perfectius operatur, nam cum à Pictore, & Scribente perfectiori eodem penicillo, vel calamo, meliùs pingitur, vel ſcribitur; ergo perſpicacior potentia cum æquali lumine perſpicacius videbit. Confirmatur Quoties potentia vehementius applicatur ad actum fortiùs operatur; ſed intellectus Angelicus poteſt cũ æquali lumine vehementiùs, & efficaciùs applicari ad viſionem; ergo, & efficaciùs operari, & conſequenter intenſiorem elicere viſionem. Maior conſtat. Et minor probatur:

In-

Intellectus Angelicus eſt nobilior, & perſpicacior humano ex ſe aliundè non applicatur ad videndum Deum à lumine, quia habitus non applicant potentias ad operandum, ſed è contra potentiæ applicant habitus; quia habitibus vtimur dum volumus; ergo.

34 Ad argumentum, conceſſo antecedenti, concedo paritèr conſequentiam, ſi procedat de viſione proportionata potentiæ, nego tamen ſi de improportionata procedat propter apertam diſparitatem, quoniam Artifex magis peritus perfectius eodem inſtrumento operatur, quia opus non excedit virtutem artis: attamen viſio ſupernaturalis excedit virtutem naturalis potentiæ; vndè non eſt ſimile.

35 Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, nego antecedens, quoad ſecundam partem, quia intellectus in viſione beata non operatur liberè, ſed determinatur, & neceſsitatur à lumine: vndè illud axioma: *Habitibus vtimur dum volumus*, duntaxát locum habet in operationibus liberis; ſed nec in iſtis operationibus aliquid evincit argumentum, quia eſtó voluntas inſtructa charitate non operetur, niſi ipſa volente, attamen numquam applicari poteſt ad opus vltra intenſionem habitus niſi ſuperaddatur auxilium, quamquam poſsit ſe applicati ad operationem minus intenſam, vndè nunquam probatur ex virtute naturali potentiæ eggredi actum intenſiorem habitu.

36 Dices. Quod intellectus prædictus perſpicacia vt octo non influat in viſionem ſupernaturalem, vt octo provenit ex defectu elevationis ad ordinem ſupernaturalem; ſed á quocumque lumine gloriæ elevatur ad ordinem ſupernaturalem; ergo intellectus præditus perſpicacia naturali intellegendi vt octo elevatus per lumen vt vnum poterit eliceret viſionem vt octo; ergo ex vi naturalis perſpicaciæ eggreditur viſio intenſior lumine. Confirmatur. Intellectus lumine gloriæ elevatus agit neceſsarió, vt dictum eſt; ergo agit ſecundùm vltimum potentiæ; ſed potentia eſt apta ad intelligendum vt octo; ergo talis potentia elevata à lumine quantumvis remiſſo prodire poterit in viſionem intenſam vt octo.

37 His & alijs ſimilibus ſatis conſtat ex ſupradictis. Et ſi quid probant, ſanè evincunt lumen duntaxat concurrere ad viſionem beatam elevativè, vt dicebat Bachonius, quod oppoſita ſententia non admittet. Quaré ad impugnationem, diſtinguo maiorem. Ex defectu elevationis vtcumque, nego maiorem. Ex defectu elevationis vt octo, concedo maiorem. Vt enim potentia intellectiva influat in viſionem beatam vt octo ſatis non eſt lumen vt quatuor, quia ab illo non habet præcontinentiam viſionis vt octo. Ad confirmationem pariter dico intellectum elevatum agere neceſsariò, ſed ſecundúm intenſionem luminis, & hoc modo agere ſecundùm vltimum potentiæ, quia potentiam non habet ad agendum vltra luminis intenſionem.

38 Arguitur vltimò. Sicut intellectus elevatur à lumine ad videndum, ita à fide Theologica ad credendum, ſed intellectus inæquales æquali fide elicere poſſunt actum præſtantiorem, & inæqualem; ergo & actum viſionis inæqualem æquali lumine. Minor probatur. Nam homo præditus ingenio, & doctrina præſtantiori efficacius penetrat miſteria fidei, quàm Ruſtici, & ingenij obtuſiores; ergo illi eàdem fide producere poterunt actum fidei intenſiorem, & præſtantiorem. Confirmatur. Ponamus hominem, & Angelum viatorem eàdem fide inſtructos, proculdubio actus fidei intellectus Angelici erit præſtantior, & nobilior actu fidei intellectus humani, nam ille eſt omninò ſimplex, hic autem compoſitus, cum homo intelligat componendo, & dividendo; Angelus è contra.

39 Ad argumentum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Poſſunt elicere actum præſtantiorem, ſi vterque operetur ſecundúm totam intenſionem habitus, nego minorem. Si aliquis non operetur ſecundùm totam intenſionem habitus fidei, concedo minorem. Nam cum actus fidei ſit liber, poteſt aliquis inſtructus fide vt octo operari duntaxat vt quatuor, & alius vt octo, non tamen vltra intenſionem habitus, niſi fortaſsè ſuperaddatur præſtantius auxilium. Ad probationem dico, præſtantiam illam hominis docti præ rudo ſitam eſſe in apprehenſione obiecti credibilis, quæ eſt actus naturalis, non in actu fidei, qui ſupernaturalis,

ſalis , & commenſuratur cum habitu, non cum potentia : attamen intellectus beati cum lumine non operatur liberè, ſed neceſſariò, ac ſecundùm totam intenſionem luminis , nec elevatur præſtantiori auxilio , vndè non eſt ſimile.

40 Ad confirmationem , concedo diverſitatem illam actus ſimplicis, & compoſiti inter actum Angelicum , & humanum, quia gratia elevat potentiam ad operandum ſecundùm modum potentiæ , cum ergo intellectus Angelicus intelligat ſimpliciter , & humanus modò compoſitorio , actus fidei in Angelo erit ſimplex, in homine componendo , aut dividendo , quæ diverſitas oritur ex diverſitate ſpecierum , quæ concurrunt ad actum fidei in homine , & Angelo ; nego tamen diverſitatem in perfectione, & intenſione actus ex ſola diverſitate naturali potentiæ, quia hæc de materiali ſe habet, vt ex ſuperioribus conſtat.

41 Inſuper. Si doctrina argumenti vera eſſet , voluntas naturali virtute perfectior æquali auxilio præventa eliceret actum meritorium perfectiorem, quàm alia naturali virtute minus perfecta; ſed hoc dici non poteſt , aliás diſcretio in actu meritorio , & ſalutari non eſſet à gratia, ſed à natura , ſiquidem ille exceſſus in actu meritorio non eſſet ab auxilio, ſed à præſtantia naturali voluntatis, quod dici non poteſt.

42 Inſurgit Maſtrius. Si nobilior voluntas æquali charitate inſtructa non poſſet elicere actum intenſiorem habitu , fruſtrà invitarentur homines ad diligendum Deum ex toto corde , ex tota anima , ſiquidem non eſſet in ſua poteſtate, & libertate influere in actum intenſiorem. Si dicatur. Homines invitari , & exhortari ad diligendum Deum ex toto corde , quia ſæpè operantur remisè , & non ſecundùm totam intenſionem habitus. Contra inſurgit prædictus Author. Non invitantur homines ad diligendum ſecundùm intenſionem habitus , ſed ad diligendum ex toto corde , & ex tota anima ; ergo exhortantur ad diligendum quantùm fert activitas potentię.

43 Sed contra. Certum eſt etiam apud Maſtrium hominem ſine charitate non poſſe Deum ſuper omnia diligere, eiuſque activitatem naturalem eſſe prorſus inſufficientem ; & tamen etiam peccatores charitate deſtituti invitantur ad dilectionem Dei ex toto corde , ex tota anima; ergo licèt media charitate vt quatuor diligere non poſsint dilectione intenſiori exhortari poſſunt ad intenſiorem dilectionem. Et hoc ideò eſt , quia non exhortantur ad talem dilectionem eliciendam ex viribus naturæ , ſed ex viribus gratiæ, quę præſtò eſt , eamque Deus nemini negat, vt tract. ant ecedenti *de Voluntate Dei* operoſiùs dictum eſt. Quapropter nulla eſt dilectio ſupernaturalis, nec dilectionis augmentum , quod à charitate , vel ab auxilio ſupernaturali ſupplente ; charitatem non proveniat.

***

TRACTATVS V.

DE OBIECTO VISIONIS BEATÆ.

QVÆ, & quanta ſint bona fruentibus Deo ſolita pietate, & elegantia deſcribit S. Anſelmus in Proſol. cap. 25. *Certè quidquid* Beatus *volet, erit, & quid nolet, non erit. Illic quippè erunt omnia bona corporis, & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt. Quid enim amas caro mea, quid deſideras anima mea? Ibi eſt, ibi eſt, quidquid amatis, quidquid deſideratis. Si delectat pulchritudo:* Fulgebunt iuſti ſicut Sol, Matth. 13. *Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obſiſtere poſſit:* Erunt ſimiles Angelis Dei 1. Cor. 15. *quia* ſeminatur corpus animale, & ſurget corpus ſpirituale; *poteſtate vtique, non natura. Si longa, & ſalubris vita, ibi ſana eſt æternitas, & æterna ſanitas: quia* iuſti in perpetuum vivent, & ſalus iuſtorum à Domino, Pſalm. 36. *Si ſacietas, ſaciabuntur,* cum apparuerit gloria Dei. Pſalm. 16. *Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt ſine fine Deo. Si quælibet non immunda, ſed munda voluptas,* torrente voluptatis ſuæ potabit eos. Pſalm. 35. *Si ebrietas,* inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Pſalm. 16.

Si ſapientia, ipſa Dei ſapientia oſtendet eis ſe ipſam. Si amicitia, diligent Deum pluſquam ſe ipſos, & invicem, tanquam ſe ipſos; & Deus illos pluſquam illi ſe ipſos; quia illi illum, & ſe, & invicem per illum; & ille ſe, & illos per ſe ipſum. Si concordia: omnibus illis erit vna voluntas, quia nulla illis erit, niſi ſola Dei voluntas. Si poteſtas, omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, vt Deus ſuæ. Nam ſicut poterit Deus, quod volet, per ſe ipſum; ita poterunt illi, quod volent, & quod ille volet, non poterit non eſſe.

eſſe. Si honor, & diuitiæ: Deus ſervos ſuos bonos, & fideles ſupra multa conſtituet: immò filij Dei, & Dij vocabuntur; & vbi erit filius eius, ibi erunt & illi hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

Si vera ſecuritas; certè ita certi erunt nunquàm, & nullatenùs iſta, vel potiùs iſtud bonum ſibi defuturum; ſicut certi erunt ſe non ſua ſponte illud amiſſuros, nec dilectorem Deũ illud dilectoribus ſuis invitis ablaturũ, nec aliquid Deo potentius invitos Deum, & illos ſeparaturum. Gaudium verò quale, aut quantum eſt, vbi tale, ac tantum bonum eſt? Cor humanum, cor indigens, cor expertum erumnas immò obrutum ærumnis, quantum gauderes, ſi his omnibus abundares? interroga intima tua, ſi capere poſsint gaudium ſuum de tanta beatitudine ſua. Sed certò, ſi quis alius, quem omninò ſicut te ipſum diligeres, eandem beatitudinem haberet; duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes, pro eo, quàm pro te ipſo. Si verò duo, vel tres, vel multo plures id ipſum haberent; tantundem pro ſingulis, quantum pro te ipſo gauderes. Si ſingulos, ſicut te ipſum, amares.

Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum, beatorum, & hominum, vbi nullus minus diliget alium, quàm ſe ipſum; non alitèr gaudebit quiſque pro ſingulis alijs, quàm pro ſe ipſo. Si ergo cor hominis de tanto ſuo bono vix capiet gaudium ſuum, quo modo capax erit tot, & tantorum gaudiorum? Et vtique, quoniam quantum quiſque diligit aliquem, tantùm de bono eius gaudet: ſicut in illa perfecta fœlicitate vnuſquiſque plus amabit ſine comparatione Deum, quàm ſe, & omnes alios ſecum; ita plus gaudebit abſque æſtimatione de fœlicitate Dei, quàm de ſua, & omnium aliorum ſecum. Sed ſi Deum ſic diligent toto corde, tota mente, tota anima, vt tamen totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiat dignitati dilectionis; profectò ſi gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima; vt totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiat plenitudini gaudij. Eadem repetit alijs, quæ ſolà relatione animum accendunt, vt aſcendamus cum Moiſe in montem Horeb, & videamus viſionem hanc magnam, ſed *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5. Hic tamen controverſias de ſcholaſtico more ſubiungimus.

DVBIVM I.

An videri poſsit à Beatis eſſentia divina ſine attributis, & relationibus.

§. I.

1 QUAMQUAM Maſtrius t. 1. diſp. 6. q. 8. Supponat tanquam veritatem fidei indubitatam omnes Beatos in patria videre Deum ſicut eſt in tribus perſonis ſubſiſtentem; necnon attributa, & omnia, quæ ſunt formaliter in ipſo. Nihilominus pro ſententia negante refert Moneda t. 1. q. 12. art. 9. dub. 1. Ocham in 4. q. 13. art. 1. Henricum, Quodlib. 7. q. 4. Godfredum, & alios.

2 De poſsibili affirmat Scotus, quem ſequuntur communiter ſuæ Scholæ Doctores, quos ſequitur, & allegat Maſtrius loco citato, docentes viſionem eſſe præciſivam, ideòque videre poſſe eſſentiam non viſis attributis, nec perſonis. Ita etiam noviter ex eadem Schola Bartholomæus Durand de *Deo vno*, diſp. 5. quæſt. 1. Accedit Moneda loco citato dub. 2. Negativam tamen, & oppoſitam ſentiam tuentur communiter ex vtraque Schola Doctores aſſerentes viſione beata videri non poſſe eſſentiam ſine attributis, & relationibus.

Sententia negativa eligitur, & probatur.

§. II.

3 DICENDUM Prorſus repugnare Beatos videre divinam eſſentiam non viſis attributis, & relationibus. Clariſsimè deducitur ex S. Anſelmo ſæpè docente in Deo, ſivè in ratione veri cognoſcibilis, ſivè in ratione boni amabilis, nullam eſſe diſtinctionem, ſed ſummam ſimplicitatem. Etenim in Proſol. cap. 22. Sic Deum alloquitur: *Vita es, & lux, & ſapientia, & beatitudo, & æternitas, & multa huiuſmodi bona: & tamen non es, niſi vnum, & ſummum bonum.* Et cap. ſequenti ita proſequitur: *Hoc bonum es tu Deus Pater; hoc eſt Verbum tuum, ideſt, Filius tuus. Etenim non poteſt aliud, quàm quod es, aut aliquid maius, vel minus te, eſſe in Verbo, quo te ipſum dicis: quoniam Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu es verax; & ideircò eſt ipſa veritas, ſicut tu; non alia, quàm tu, & ſic es tu ſimplex, vt de te non poſsit naſci aliud, quàm quod tu es. Hoc ipſum eſt amor vnus, & communis tibi, & Filio tuo, ideſt Sanctus Spiritus ab vtroque procedens... Quod autem eſt ſingulus quiſque, hoſt eſt, tota Trinitas ſimul, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quàm ſummè ſimplex vnitas, & ſummè vna ſimplicitas, quæ nec multiplicari poteſt, nec aliud, & aliud eſſe poteſt.*

4 Idem repetit pluribus alijs in locis, ex quibus conſtat nullam eſſe diſtinctionē ex natura rei inter eſſentiam, & attributa, nec inter divinas perfectiones; immò nec eſſe aliam, & aliam perfectionem, ſed vnam perfectionem ſummè ſimplicem; ergo videri non poteſt à Beatis eſſentia divina ſine attributis. Quod argumentum efficaciùs vrget contra Maſtrium, & alios aſſerentes tueri non poſſe viſionem beatam eſſe præciſivam, poſſeque videri eſſentia ſine attributis niſi beneficio diſtinctionis ex natura rei; at nullam eſſe diſtinctionem ex natura rei ex dicta authoritate clariſsimè conſtat; ergo.

5 Eadem vtitur ratione Ang. Doctor 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. Et 3. p. q. 3. a. 3. vbi ait: *Intellectus dupliciter ſe habet ad divina: vno modo vt cognoſcat Deum ſicuti eſt; & ſic impoſsibile eſt, quod circumſcribatur per intellectum aliquid à Deo, & quod aliud remaneat, quia totum, quod eſt in Deo, eſt vnum, ſalva diſtinctione perſonarum.* Et art. præcedenti ad 2. dixerat Deum eſſe omninò indiviſibilem, ideóque non poſſe videri eſſentia, quin videatur totus, taliter vt nihil lateat videntem; ergo videri non poteſt eſſentia non viſis attributis, & relationibus.

6 Reſpondet Moneda loqui D. Thomam de lege ordinaria. Sed loqui vtrumque S. Doctorem abſolutè manifeſtiſsimū eſt. Procedit enim ea ratio ex eo, quod Beatus videt Deum vt eſt in ſe, & quod totum, quod eſt in Deo eſt vnum, vel vt loquitur Anſelmus ſummè ſimplex; at fieri non poteſt, vt beatus in quantum talis non videat Deum vt eſt in ſe; nec quod Deus

vt

vt eſt in ſe non ſit ſummè vnum, & ſimplex; ergo.

7 Secundò. Si abſolutè videri poteſt eſſentia divina ſine attributis, certò affirmari non poteſt oppoſitum contingere de lege ordinaria, niſi ex revelatione conſtet: etenim, quia Deus videri poteſt ſine his, vel illis creaturis; pluribus, vel pauciori-bus, certò affirmari non poteſt beatum videre has, vel illas creaturas, plures, vel pauciores, niſi ex doctrina revelata; at nulla eſt revelatio, præſertim iuxta doctrinam oppoſitæ ſententiæ, ex qua conſtet beatum videre de facto totum, quod eſt in Deo, nam teſtimonia affirmantia Deum videri ſicut eſt, interpretatur ſententia oppoſita de viſione eſſentię vt re vera eſſentia eſt, quamquam non videantur perfectiones aliæ; ergo. Si ex natura viſionis non repugnat, nec ex dictis teſtimonijs probatur, immeritò dicitur de lege ordinaria oppoſitum contingere.

8 Ex his deducitur ratio. Viſio beata ex ſuo conceptu eſſentiali eſt intuitiva Dei vt eſt in ſe; ſed implicat videre Deum vt eſt in ſe, quin totum, quod eſt formaliter in Deo videatur; ergo implicat quod viſione beata videatur eſſentia non viſis attributis. Probo minorem. Deus vt in ſe eſt ens infinitum in omni linea perfectionis; ſed implicat videri ens infinitum in omni linea perfectionis vt eſt in ſe, quin totum videatur; ergo implicat beatũ videre Deũ vt eſt in ſe, quin totum, quod eſt formaliter in Deo videatur. Probo minorem. Implicat ens infinitum in omni linea perfectionis ſine aliqua perfectione; ergo implicat videri ens infinitum in omni linea perfectionis, & quod aliqua perfectio formalis non videatur, & conſequenter quin videatur totum, quod eſt formaliter in Deo, alias videretur ens infinitum in omni linea perfectionis, & ſimul videretur ſine aliqua perfectione, quod ex terminis implicat.

9 Confirmatur. Implicat videri clarè, & intuitivè eſſentia divina, quin videatur vt infinitè fœcunda; at implicat videri vt infinitè fœcunda quin videantur relationes, & perſonæ, nam fœcunditas in eo ſita eſt, vt eſſentia per intellectum ſit generativa Filij, & per voluntatem ſpirativa Spiritus Sancti; ergo. Secundò. Implicat, quod à beato videatur Deus vt eſt in ſe. & quod non videatur vt actus puriſsimus, omninò ſimplex, omnemque excludens potentialitatem; quoniam Deus ita eſt, vt ſupponit idem Maſtrius num. 218. at implicat videri Deus vt actus omnem excludens potẽtialitatem aliqua perfectione non viſa; ergo implicat ita videri non viſis omnibus perfectionibus, quæ ſunt formaliter in ipſo. Probo minorem. Deus viſus non viſa aliqua perfectione videtur, vt non includens actu talem perfectionem, ſed potius vt in potentia ad illam; ergo.

10 Occurrit Maſtrius, & ait non obſtante ſumma ſimplicitate Dei poſſe videri eſſentia ſine attributis, & vnum attributum ſine alio, quia ſumma ſimplicitas non impedit diſtinctionem ex natura rei, atque adeò ſicut vna formalitas vt eſt in ſe ex natura rei non eſt alia, ita poteſt videri vt eſt in ſe, quin videatur alia. Hanc diſtinctionem ex natura rei, quam expreſsè improbat Anſelmus loco allegato, & alijs pluribus, impreſentiarũm impugnare non oportet. Sed ea gratis permiſſa adhúc pari efficacia vrget argumentum. Nam ea diſtinctio ex natura rei nullam facit diſtinctionem realem, actualem, entitativam; ergo implicat entitatem divinam videri á beato vt eſt in ſe, quin videatur quidquid entitativè eſt illa entitas divina; ſed illa entitas divina eſt entitativè omnis perfectio divina; ergo implicat videri vt eſt in ſe, quin videantur omnes perfectiones divinæ.

11 Secundò. Non obſtante diſtinctione ex natura rei divinitas eſt quædam entitas ſibi realiter identificans omnem perfectionem, aliàs non eſſet actus purus; ſed implicat beatum videre clarè, & quidditativè entitatem ſibi realiter identificantem omnem perfectionem, & omnem perfectionem clarè, & quidditativè non videre, aliàs videretur vt eſt in ſe, & ſimul non videretur, vt dictum eſt. Videretur quidem, vt ſupponitur, & vt exigit natura viſionis beatæ: non videretur, quia in ſe eſt entitas ambiens omnem perfectionem per eſſentialem inclusionem, & intimam tranſcendentiam; ergo.

12 Tertiò. Ideò diſtinctio virtualis non ſufficit (vt ait Maſtrius num. 220.) vt videatur eſſentia divina ſine attributis, quia diſtinctio virtualis non multiplicat formalitates à parte rei, ſed ſolúm eſt fundamentum, vt intellectus multiplicet, & divinitas non multi-

plicatur realiter, nec diſtinctio ex natura rei multiplicat realiter entitates; ergo pari titulo inſufficiens eſt, vt videatur entitas eſſentiæ diuinę prout eſt in ſe ſine attributis.

13 Quartò. Ideó diſtinctio virtualis non ſufficit ad videndam vnam perfectionem ſine alia, quia talis diſtinctio non eſt per ordinem ad viſionem claram, & quidditativam, ſed per ordinem ad ſua munera, & exercitia, quatenus eadem entitas cúm ſit, per munera exercetur diverſa; at hoc idem dicendum eſt de diſtinctione ex natura rei; ergo ſicut illa non ſufficit, ita nec iſta. Probo minorem. Ideò diſtinctio virtualis non ſe habet per ordinem ad viſionem, ſed potius per ordinem ad illam omninò de materiali ſe habet, quia omnes diuinæ perfectiones conſtituuntur viſibiles ratione eiuſdem viſibilitatis, quoniam in ratione viſibilis omnes conveniunt, ſunt enim viſibiles ratione eiuſdem eſſentiæ divinæ, & ratione eiuſdem puriſsimæ actualitatis; at diſtinctio ex natura rei non impedit, vt omnes perfectiones divinæ ſint viſibiles ratione eiuſdem viſibilitatis, & ratione eiuſdem puriſsimæ actualitatis; ergo quemadmodum diſtinctio virtualis de materiali ſe habet, & nihil prodeſt, vt vna perfectio videatur ſine alia; ita diſtinctio ex natura rei.

14 Reſpondet prædictus Author, quod licèt eſſentia divina videatur vt eſt in ſe, non ideò neceſſariò videndæ ſunt perfectiones aliæ. Quod probat ex paritate eſſentiæ divinæ, quæ communicatur vt eſt in ſe, & paternitas non communicatur; ergo potiori titulo poterit eſſentia divina videri à beato vt eſt in ſe, quin paternitas videatur. Secundó. Probat ex myſterio Incarnationis, vbi humanitati communicatur perſonalitas, & non natura. Denique. Communicatur humanitati exiſtentia divina, & non communicatur perſonalitas Patris, & Spiritus Sancti, quæ ſunt idem realiter cùm ipſa exiſtentia, quod totum fit in noſtra ſententia beneficio diſtinctionis virtualis; & in ſua opinione beneficio diſtinctionis ex natura rei; ergo pari ratione communicari poterit intelligibiliter beatis eſſentia divina non communicatis relationibus, alijſque divinis perfectionibus.

15 Hoc eſt præcipuum Maſtrij, & Scotiſtarum aſylum, quod multipliciter labefactari poteſt, immò facilè in Adverſarios retorqueri. Primò. Si ſolo beneficio diſtinctionis ex natura rei communicatur eſſentia, & non paternitas; ergo beneficio eiuſdem diſtinctionis communicabitur, vel ſaltim communicari poterit eſſentia, & non iuſtitiá, bonitas, ſapientia, & alia abſoluta, cúm inter omnia datur eadem diſtinctio ex natura rei; hoc autem eſt hæreticum, nec id Scotus, nec Maſtrius affirmat; ergo ad aliud principium recurrendum eſt; ſed hoc aliud eſſe non poteſt, niſi quia eſſentia eſt communicabilis, & paternitas non eſt communicabilis; at hoc locum non habet inter eſſentiam, & attributa relatè ad viſionem, cum omnia ſint viſibilia; ergo hoc exemplum tàm longè abeſt, vt noſtram ſententiam impugnet, quin potiùs oppoſitam evertit.

16 Secundó. Communicata eſſentia neceſſariò comunicantur quæcumque in ratione communicabilitatis conveniunt non obſtante diſtinctione ex natura rei, ideòque communicata eſſentia communicantur omnia abſoluta; at omnes perfectiones divinæ conveniunt cum eſſentia in ratione viſibilis á beato; ergo viſa eſſentia neceſſariò videndæ ſunt perfectiones aliæ. Tertió. Ita communicatur eſſentia Filio, & non paternitas, vt illa neceſſarió communicetur, & hæc nullo pacto communicari poſsit; ergo ſi exemplum convincit, ita videbitur á beato eſſentia vt paternitas nullo pacto videri poſsit, vel ab ipſis aſsignandum erit diſcrimen, atque adeó argumentum ab ipſis ſolvendum. Quartó. Ideó communicatur Filio eſſentia, & non paternitas, quia paternitas opponitur relativè Filio; at nulla eſt oppoſitio relativa inter eſſentiam, & paternitatem, nec in ſe, nec in ordine ad intellectum beati; ergo non eſt ſimile.

17 Aliud exemplum deſumptum ex Incarnatione eiſdem ſubiacet impugnationibus. Et vlterius retorquetur ex doctrina Subtilis Doctoris in 3. diſt. 1. q. 5. vbi expreſsé docet, quod ſi eſſentia divina terminaret immediatè humanitatem, neceſſariò omnes divinæ perſonę eſſent incarnatæ, quia terminarent ratione prædicati communis omnibus perſonis. Et probat ex eo, quia ratio creandi, nimirum omnipotentia eſt communis tribus perſonis, implicat aliquam perſonam creare, & non omnes; & ita concludit: *Suppoſitum*

non

non terminat, niſi quia habet rationem formalem terminandi: ſicut non creat, niſi quia conuenit ei formaliter ratio creandi; & propter hoc in quocumque eſt ratio formalis creandi proxima creat; vndè neceſſe eſt tres perſonas ſimul creare.

18 Ex qua doctrina efficaciſsimum (quantum capio formatur argumentum) ſi eſſentia divina terminaret immediatè humanitatem, neceſſariò omnes divinæ perſonę eam terminarent, omneſque eſſent incarnatæ, quia terminarent ratione prædicati communis; at eſſentia divina, omniaque divina attributa terminant viſionem ratione prædicati communis; ergo omnia neceſſariò terminant. Prætereá. Non minus conveniunt divinæ perfectiones in terminando viſionem, quàm divinæ perſonæ in creando; ſed quia conveniunt in creando, omnes neceſſariò creant; ergo quia conveniunt in terminando, omnes neceſſariò terminant; ergo vtrumque exemplum allegatum potiús vrget in ſententiam oppoſitam, quám in noſtram.

19 Reſpondeo, igitur eſſentiam divinam communicari Filio vt eſt in ſe communicabilis, non vt eſt in ſe incommunicabilis; eſt autem in ſe communicabilis non communicata paternitate, non verò eá communicata: eaque propter vt exemplum convinceret, opus erat, quod eſſentia divina proút eſt in ſe eſſet viſibilis, & paternitas non eſſet viſibilis, cùm tamen res omninó aliter ſe habeat. Rurſùs. Communicatio non verificatur dè eſſentia divina proút eſt in ſe abſolutè, ſed de eſſentia divina vt eſt in ſe per ordinem ad Filium, & Spiritum Sanctum, quia cómunicatio eſt per ordinem ad aliud, cui communicatur: attamen eſſentiam divinam eſſe viſibilem á beato verificatur de eadem eſſentia divina vt eſt in ſe abſolutè, nam Deus vt eſt in ſe abſolutè eſt obiectum viſionis beatæ, & ita de facto beatificat adhùc in ſententia oppoſita; ergo quamquam eſſentia divina communicari poſsit non communicata paternitate, non ideó videri poteſt á beato non viſa paternitate.

20 Ad aliud exemplum Incarnationis dico, quod perſonalitas Verbi terminat immediatè humanitatem, & natura terminat mediatè ratione perſonalitatis; ergo ſi eſſentia divina terminat immediatè viſionem beatam, non eſt cúr cæteræ perfectiones terminare non debeant viſionem ratione eſſentię; vndè hoc exemplum potiùs allegari poſſet in ſubſidium noſtræ ſententiæ, quàm oppoſitæ. Ad id, quod additur de exiſtentia divina ſimiliter dico, quod ſi hæc terminaret immediatè humanitatem, neceſſariò omnes divinæ perſonæ terminarent, vt ex prædicta Scoti doctrina aperté concluditur. Denique. Licèt vna perſona non ſit communicabilis; & communicata vna perſona non ſit altera communicabilis humanitati, vel abſolutè vt ex Anſelmo diximus t. 1. tract. 5. dub. 2. vel ſaltim ex natura rei, vt alij docent: attamen in ratione viſibilis è contra ſe habent, nam viſa vna neceſſariò videnda eſt altera, quia relativè ſe habent, & relativa ſunt ſimul natura, & cognitione; quą ratione dixit Chriſtus Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.*

21 Reſpondet Bartholomæus Durand neceſſariò videnda eſſe attributa viſa eſſentia, non tamen intuitivé, & clarè, ſed abſtractivê, & confusè. Sed contra hanc ſolutionem vrgent omnia argumentá facta. Nam omnes perfectiones ſunt æquè viſibiles, omneſque videntur ratione eiuſdem eſſentiæ divinæ vnitæ mentibus beatorum per modum ſpeciei, quæ neceſſariò omnes clariſsimè repræſentat, & intellectus beati ratione luminis eſt ſufficienter diſpoſitus ad omnes clariſsimê cognoſcendas, & videndas; ergo viſa intuitivè eſſentia cæteræ perfectiones neceſſariò intuitivè videntur.

22 Denique. Omnes divinæ perfectiones ſunt Deo intimè præſentes ratione eſſentiæ divinæ mentibus beatorum vnitæ; ergo earum viſio nequit eſſe abſtractivá. Quapropter licèt á nobis in via poſsit cognoſci vna perfectio alia explicité non cognita, quia cognoſcimus per effectus, in quibus reſplendet vna perfectio, & non alia; hoc tamen locum non habet in beato cognoſcente Deum vt eſt in ſe, & per eandem eſſentiam divinam vnitam, aliàs eadem eſſentia divina ſe ipſam repræſentaret clarè vt eſt in ſe, & ſimul non ſe repræſentaret clarè vt eſt in ſe, vt ſupradictum eſt.

23 Conſtat hæc doctrina ex Aug. Doct. 2. 2. q. 1. a. 8. ad 3. ſic loquente: *Dicèndum, quod ſumma bonitas Dei ſecundum modum, quo nunc intelligitur per effectus poteſt in-*

intelligi abſque trinitate perſonarum: ſed ſecundùm quod intelligitur in ſe ipſa, prout videtur à beatis, non poteſt intelligi ſine trinitate perſonarum; in quibus loqui de poteſtate abſoluta manifeſtum eſt, quia id, quod intelligi non poteſt, contradictionem importat, ideóque loco ſupra citato ex 1.p. affirmat eſſe impoſsibile.

24 Dices. Si videnti Deum vt eſt in ſe, neceſſario videndum eſt quidquid eſt in Deo, ergo neceſſarium erit videre ſecundùm omnia prædicata formalia, & virtualia, quoniam omnia ſunt in Deo, ac Deus vt eſt in ſe omnia neceſſariò includit; at videns Deum ſecundùm omnia prædicata tàm formalia, quàm virtualia comprehendit Deum; ergo quilibet beatus neceſſariò Deum comprehendet. Reſpondeo, negando ſequelam: tùm quia de facto beatus videt Deum vt eſt in ſe, atque adeò omnia prædicata formalia Dei; ſed non ideò videt virtualia; nec Deum comprehendit; ergo quamquam videns Deum vt eſt in ſe, neceſſariò videat omnia prædicata formalia, non ideò videt neceſſariò omnia virtualia, nec Deum comprehendet: tum quia viſio eſt iuxta diſpoſitionem luminis, lumen autem quantumvis intenſum eſt inſufficiens ad comprehenſionem Dei: è contra, quodlibet lumen quantumvis remiſſum eſt ſufficiens ad clarè detegenda omnia prædicata formalia, ſicut ſufficiens eſt ad claram viſionem eſſentiæ divinæ; & ſicut quælibet gratia quantumvis remiſſa ſufficiens eſt ad expellenda omnia peccata læthalia.

25 Ratio omnium eſt, quia Deus media viſione beata attingitur vt eſt in ſe viſibilis ab intellectu creato; & hoc modo eſt viſibilis modo finito, non infinito, & comprehenſivo. Nec prædicata eminentialia, & virtualia pertinent abſolutè ad viſionem, ſed ad viſionis intenſionem quæ menſuratur intenſione luminis, quarè non ſunt viſibilia abſolutè, ſed reſpectivè, ideſt relatè ad intenſionem gradualem luminis.

(o)

Oppoſitæ ſententiæ fudamenta enervantur.

§. III.

26 CÆTERVM Contra prædictam doctrinam opponit Maſtrius. Non obſtante ſumma identitate eſſentiæ cum attributis, aut vnius perfectionis cum alia, de facto aliquid realiter convenit eſſentiæ, quod non convenit relationibus; ergo non implicat eſſentiam terminare realitèr viſionem, & alias perfectiones nõ terminare realitèr viſionem. Antecedens probat in eſſentia divina, quæ communicatur, & paternitate, quæ non communicatur. Inſuper. Pàter generat per intellectum, & non per voluntatem: ſpirat Spiritum Sanctum per voluntatem, & non per intellectum. Unio hypoſtatica terminatur ad ſolam perſonam verbi, & non ad eſſentiam, neque ad alias perſonas; quæ omnia ſalvantur per diſtinctionem formalem ex natura rei; ergo eadem diſtinctio ſufficiens erit vt eſſentia divina poſsit terminare viſionem intellectus creati, quin eandem viſionem terminent perfectiones aliæ. Patet conſequentia; quia maior difficultas eſt in antecedentibus, quàm in conſequenti, quia illa præ ſe ferre videntur aliquam diverſitatem intrinſecam, cum viſio ſolùm extrinſecè Deum attingat.

27 Hoc eſt vnicum fundamentum Maſtrij, quod vlteriùs confirmari poteſt. Eſſentia divina vt eſt in ſe communicatur Filio non communicata paternitate; ergo ſi quis videret eſſentiam divinam eo modo, quo communicatur, videret quidèm eſſentiam divinam vt eſt in ſe, non tamen videret paternitatem; ergo ex eo, quod viſio beata attingat eſſentiam divinam vt eſt in ſe, non ideó videre debet paternitatem.

28 Ad argumentum latè conſtat ex dictis, quibus addendum eſſentiam divinam communicari, & paternitatem non communicari. Patrem generare per intellectum, & non per voluntatem, &c. tàm longè abeſſe vt impediant rationem actus puri, eiuſque infinitatem, quin potiùs id eſt illius expreſsio. Nam productio perſonarum exprimit ſummam fæcun-

fœcunditatem: eſſentiam identificare relationes inter ſe inſociabiles, & incommunicabiles exprimit virtutem infinitam: verutamen videri eſſentiam ſine attributis exprimeret potentialitatem eſſentiæ ad attributa, & everteret rationem actus puri, & infiniti.

29 Ad confirmationem, conceſſo antecedenti in ſenſu dicto, diſtinguo conſequens. Et non videret paternitatem ex parte eſſentiæ cõmunicatæ, concedo conſequentiam. Ex parte principij communicantis, nego conſequẽtiam. Etenim eſſentia divina conſiderari poteſt ex parte termini, & ex parte principij; ſi videtur ex parte principij neceſſariò includit paternitatem, & ſine illa videri non poteſt. Ex parte termini non includit paternitatem; attamen repugnat beatum videre eandem eſſentiam duntaxat ex parte termini, cui communicatur, quin eam videat ex parte principij communicantis, quia vtroque modo eſt eadem viſibilitate viſibilis.

30 Arguitur ſecundò. Videri ab intellectu beati eſſentiam non viſis attributis non includit contradictionem; ergo à Deo fieri poteſt. Antecedens probatur. Non eſſet affirmatio eiuſdem de eodem ſecundum idem ſed ſolùm affirmaretur viſio de eſſentia, & negaretur de attributis, quarè ſicut non eſt contradictio, quod eſſentia communicetur, & paternitas non communicetur propter dicta, ita non eſt contradictio, quod eſſentia videatur, & paternitas non videatur.

31 Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Non eſſet affirmatio eiuſdem de eodem ſecundum idem formaliter, concedo antecedens. Virtualiter, & illativè, nego antecedens. Nam licèt in his propoſitionibus: *eſſentia videtur*: *paternitas non videtur*: non ſit contradictio formalis, & immediata, attamen inferrur, quod ſi paternitas non videtur, nec eſſentia videatur, vndè ſequeretur eſſentiam videri, & eſſentiam non videri. Sicut etiam quod eſſentia ad intra communicetur, & iuſtitia non communicetur, non eſt contradictio formalis, & immediata, eſt tamen virtualis, & illativa, & ideó fieri non poteſt. Quod autem eſſentia communicetur, & non paternitas, oritur ex ſumma fœcunditate eſſentiæ, & oppoſitione relativa paternitatis.

32 Arguitur tertió. Optimè cohæret Deum videri à beato vt eſt in ſe, & non adæquatè; ergo optimè cohæret Deum videri ſecundùm vnam perfectionem, & non ſecundum aliam. Antecedens probatur. Eſſentia divina vnitur mentibus beatorum vt ex in ſe; & tamen non vnitur adæquatè ſecundum totum, quod habet, quia non vnitur per modum intellectionis, cùm tamen ſit ſua intellectio. Subſiſtentia de divina non diſtinguitur realiter ab eſſentia divina in ratione ſpeciei; & tamen vnita humanitati ſubſiſtentia potuit non vniri eſſentia per modum ſpeciei, quia potuit abſolutè Deus ei negare viſionem beatam. Humanitati communicatur eſſentia divina per modum Sanctitatis; & tamen non communicantur relationes Patris, & Spiritus Sancti, cum quibus identificatur. In probabili ſententia poteſt vnire humanitati Chriſti Domini eſſentia divina ſub conceptu Omnipotentiæ; & tamen de facto non cõmunicatur; quæ omnia contingunt beneficio diſtinctionis ex natura rei, vel diſtinctionis virtualijs; ergo pari titulo videri poterit eſſentia non viſis attributis.

33 Reſpondeo, negando antecedens. Ad primum exemplum dico eſſentiam divinam vniri mentibus beatorum vt eſt inſe vnibilis; eſt autem vnibilis per modũ ſpeciei, non per modũ intellectionis, quia intellectus creatus intelligere non poteſt intellectione divina. Et dato hoc eſſe poſsibile adhúc reſpondeo ex vnione eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei non probari vnionem per modum intellectionis, non quidem beneficio diſtinctionis, aut virtualis, aut ex natura rei, ſed quia illæ vniones ſunt prorsús inconnexæ, & diverſi generis, nam vnio eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei eſt vnio in eſſe intentionali, & ex parte obiecti: vnio verò per modum intellectionis eſt de genere phiſico, & eſt parte potentiæ: attamen omnes perfectiones divinæ ſunt eádem viſibilitate viſibiles; vndè non eſt ſimile.

34 Ad ſecundum exemplùm. Paritèr dico id ortum non habere ex diſtinctione virtuali, aut ex natura rei, aliás vniri poſſet humanitati ſubſiſtentia

tia Uerbi Divini, & non divinitas, vndè eſſet ille homo Uerbum Divinum, & non Deus; ſed oritur ex eo, quod ſubſtitentia, & eſſentia per modum ſpeciei vniuntur diverſi vnionibus prorsùs inconnexis, & diverſi generis, cum vnio ſubſiſtentiæ ſit de genere entis: & vnio per modum ſpeciei ſit de genere intentionali: prima de genere ſubſiſtentiæ: ſecunda de genere accidentis: ſubiectum primæ eſt natura ſubſtantialis: ſubiectum ſecundæ eſt intellectus, quæ omnia in noſtro caſu ſunt prorsùs diverſa, cum omnes perfectiones divinæ ſint eàdem viſibilitate viſibiles, & per ordinem ad eundem intellectum.

35 Ad tertium conſtat ex dictis. Nam eſſentia divina in eſſe ſanctitatis non vnitur immediatè humanitati, ſed ratione perſonalitatis Uerbi Divini, qua vnita non poſſunt vlterius vniri perſonalitates Patris, & Spiritus Sancti, quia vnus homo eſſet tres perſonæ, quod repugnat, vt ex Sanct. Anſelmo loco citato diximus. Sed dato id fieri poſſe, adhùc non probatur talis vnio de facto, non ratione diſtinctionis virtualis, vel ex natura rei, ſed quia ſaltim ex natura rei repugnat; & quia tales vniones ſunt prorsùs inconnexæ; ſed videri attributa viſa eſſentia, nec repugnat ex natura rei; nec viſiones ſunt inconnexæ, vt conſtat ex dictis.

36 Ad vltimum, data ea opinione, quæ mihi nullo pacto probatur, reſpondeo nec id contigere ſolo beneficio diſtinctionis ex natura rei, aut virtualis, quoniam in numera ſunt ſimili modo diſtincta, quæ à ſimultanea vnione ſeparari non poſſunt, vt ex dictis ſatis conſtat; ſed quia ſubſiſtentia, & Omnipotentia vniuntur vnionibus diverſis, & prorsùs inconnexis, atque ad diverſam lineam ſpectantibus, cum vna ſit de linea potentiæ, & altera de linea termini, quæ omnia alitèr ſe habent in perfectionibus divinis per ordinem ad cognitionem.

37 Arguitur quartó. Videri poteſt claré, & quidditativè aliquod obiectivum non viſis alijs ad illius eſſentiam non pertinentibus; ſed relationes non pertinent ad conceptum eſſentialem divinæ eſſentiæ; ergo videri poteſt eſſentia divina ſine relationibus. Minor conſtat, quia eſſentia divina communicatur, & relatio non communicatur, quod eſſe non poſſet, ſi relatio eſſet de conceptu eſſentiæ. Maior probatur, quælibet res definiri poteſt ſine eo, quod non eſt de illius eſſentia; ergo & videri ſine eo, quod ad illius eſſentiam non pertinet.

38 Confirmatur primó, Obiectum primarium videri poteſt ſine ſecundariò; ſed eſſentia eſt obiectum primarium viſionis beatæ, relationes verò ſecundarium; ergo videri poteſt ſine relationibus, Maior probatur. Obiectum primarium prout eſt in ſe movet potentiam non movente ſecundariò; ergo videri poteſt prout eſt in ſe non viſo ſecundario. Confirmatur ſecundó. Viſio beatifica Patris æterni ſalvatur ſine viſione Filij, & Spiritus Sancti; ergo potiori titulo viſio beatifica intellectus creati. Antecedens probatur. Pater pro priori originis ad Filium, & Spiritum Sactum eſt perfectè beatus, immò Filius ex cognitione beatifica procedit; at pro illo priori originis non videt Filium, nec Spiritum Sanctum, cum non dum exiſtant; ergo ſalvatur e a viſio beata in cognitione ſolius eſſentiæin ipſo Patre, non in Filio, & Spiritu Sancto.

39 Ad argumentum permiſſa maiori, diſtinguo minorem. Relationes non ſunt de conceptu eſſentiæ logicè, concedo minorem. Connexivè, & in eſſe viſibilis, nego minorem. Nam licet relationes non ſint de conceptu logico, aut methaphiſico eſſentiæ; eſſentia tamen connectitur eſſentialiter cum illis in eſſe viſibilis, cum relationes videantur ratione eſſentiæ, & conſtituantur eadem viſibilitate viſibiles. Uel alitèr, diſtinguo minorem. Relationes non ſunt de conceptu eſſentiæ mutuo, concedo minorem. Non mutuo, nego minorem. Nam eſtò relationes non ſint de conceptu eſſentiæ, eſt tamen de conceptu eſſentiæ divinæ terminari tribus relationibus, & eſſe in tribus perſonis.

40 Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem. Si primarium non connectatur eſſentialitèr cum ſecundariò, nec illud tranſcendat, concedo maiorem. Si connectatur, & tranſcendat, vt in præſenti contingit, nego minorem, & conſequentiam. Ad ſecundam confirmationem ſatis conſtat ex tract. 6. de Trini. dub. 1. & ex ibi dictis, nego antecedens

dens, Ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Pro illo priori originis non videt Filium, & Spiritum Sanctum exiſtentes pro illo priori, concedo minorem. Pro illo priori non videt exiſtentes pro poſteriori, nego minorem. Nam illa prioritas non importat aliquam præcedentiam realem, nec naturæ, ſed proceſsionem vnius perſonæ ab alia. De quo videnda dicta loco citato.

41 Arguitur quintô. Lumen gloriæ indiget divino concurſu, vt influat in viſionem; at Deus concurrere poteſt cum lumine ad viſionem ſolius eſſentiæ; ergo poſsibilis eſt viſio ſolius eſſentiæ. Maior conſtat. Et minor probatur. Tùm quia concurſus ille Dei eſt liber, cum ſit ad operationes ad extra: tùm quia Angelus lumine naturali videre poteſt omnia entia naturalia, eorumque carentias; & tamen ex defectu divini concurſus videt humanitatem Chriſti Domini non viſa carentia ſubſiſtentiæ; ergo & beatus ex defectu concurſus videre poterit eſſentiam viſis attributis.

42 Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem dico Deum liberè concurrere ad viſionem abſolutè ſumptam, non tamen liberè concurrere ad viſionem attributorum, ſi ſemel concurrat ad viſionem claram eſſentiæ vt eſt in ſe propter dicta. Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem. Eorumque carentias abſolutè ſumptas, concedo maiorem. Relatè ad humanitatem, nego maiorem. Quia hoc modo carentia propriæ ſubſiſtentiæ importat aliquid ſupernaturale, ad quod non ſufficit lumen naturale. Sed de hoc argumento vberiùs actum eſt tract. 1. de Incarn.

***

DVBIVM II.

An quilibet beatus videat in verbo, quæ ad ipſum ſpectant.

§. I.

1 DISPVTARE hic ſolent Authores. An beati cognoſcant libera decreta? An futura, & poſsibilia? An ex cognitione omnium ſequatur comprehenſio? De quibus ſatis actum eſt t. 1. tract. de ſcientia animę Chriſti, ex quibus facilè dirimi poteſt præſens controverſia, quarè non oportet reciprocare ferram, & tundere incudem eandem. Circa propoſitam controverſiam notandum, quod inquirentes. An aliquid videatur in *Verbo* non loquimur de *Verbo* perſonaliter, ſive de ſecunda Trinitatis perſona, ſicut ſupra tract. de Trinitate: ſed de *Verbo* eſſentialiter, ſive de ipſa divina eſſentia, quatenùs habet, & gerit munùs ſpeciei expreſſæ reſpectu intellectus beati; vnde quæ videntur in ipſa eſſentia divina dicuntur videri in verbo; attamen quæ videntur per proprias ſpecies creatas dicuntur videri extra Verbum.

2 Beatos non omnia videre futura certiſsimum eſt, & conſtat ex illo Marci 13. *De die illo, & hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo.* Vnde Doctor Ang. 1. p. quæſt. 57. art. 5. inquit: *In viſione beata Angeli cognuſcunt myſteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, ſed ſecundùm quod Deus voluerit eis revelare.* Aliqua tamen videri eſt conſtans Theologorum ſententia; ad hæc autem in particulari deſignanda inquirimus. An omnes beati videant, quæ ad proprium ſtatum, & conditionem ſpectant, ſive præſentia, preſentia, aut futura.

PRIMA CONCLVSIO.

§. II.

3 DICENDUM Primò. Beatos cognoſcere in Verbo genera, ſpecies, quidditates rerum, & quæcumque ex intentione naturæ pertinent ad pulchritudinem vniverſi. Colligitur ex S. Anſelm. Hom. 2. in Matth. ſic loquente: *Omnes beati dicuntur, qui habent, quidquid deſiderant; beatitudo enim eſt ſtatus congregatione omnium bonorum perfectiſsimus.* Ex quibus ſic formatur ratio. Viſio beata eſt ſatiativa appetitus rationalis; ſed beati rationali deſiderio ſcire deſiderant omnia genera, ſpecies, & quæcumque ſunt de primaria intentione naturæ; ergo omnia ſciunt, & vident. Maior conſtat, aliàs beitudo non eſſet *ſtatus congregatione omnium bonorum perfectiſsimus.* Conſequentia patet ex eodem Anſelmo docente beatos habere, quidquid deſiderant; ſi ergo omnia dicta ſcire deſiderant omnia ſciunt. Minor autem probatur. Beati rationali deſiderio ſcire deſiderant, quæcumque ſpectant ad naturalem perfectionem intellectus; at prædictorum omnium ſcientia ad naturalem ſpectat perfectionem intellectus; ergo ea omnia ſcire deſiderant.

4 Utitur hac ratione Doctor Angelicus, 1. par. quæſt. 12. art. 8. ad 4. per hæc verba: *Naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns divinam eſſentiam: cognoſcere autem alia ſingularia, & cogitata, & facta eorum, non eſt de perfectione intellectus creati; nec ad hoc eius naturale deſiderium tendit: nec iterum cognoſcere illa, quæ non dum ſunt, ſed fieri à Deo poſſunt*; ergo licèt individuæ, cogitata, facta, poſsibilia, & alia, non ſint generalitèr loquendo de perfectione naturali intellectus, cætera tamen ſupra relata ad illius perfectionem naturalem ſpectant, ideòque beati naturalitèr ea ſcire deſiderant, & re ipſa ſciunt.

5 Confirmatur. Omnium prædictorum cognitio data fuit primo Parenti in ſtatu innocentiæ; ergo neganda non eſt beatis, quorum ſtatus longè perfectior eſt. Secundò confirmatur ex Sancto Anſelmo, lib. 1. cur Deus homo, cap. 19. vbi ait: *Tales oportet eſſe homines in illa Civitate ſuperna, quales nunc ſunt boni Angeli*; at Angeli omnium prædictorum cognitione prædiți ſunt; ergo & beati homines. Undè Magn. N. Gregorius in Iob. ſait: *Nullatenus dubitandum animas, quæ in ipſa Dei claritate vident, quin omnia exteriora mundi diſcernant.*

SECUNDA CONCLVSIO.

§. III.

6 DICENDUM Secundò. Beatos in verbo cognoſcere quæcumque ad eorum ſtatum pertinent. Conſtat ex dictis §. antecedenti. Nam licèt ea, quæ ſpecialitèr ad ſtatum alicuius beati in particulari ſpectant, non generent naturale deſiderium ea cognoſcendi generalitèr in alijs, nec ad eorum intellectus perfectionem ſpectant, in eo tamen, ab quem pertinent inſurgit deſiderium rationi maximè conſentaneum ea cognoſcendi; at beati re ipſa poſsident quidquid deſiderant, vt ex Anſelmo dictum eſt; ergo ea omnia cognoſcunt.

7 Et docet Magn. N. Gregorius lib. 12. Mor. & cap. 21. inquit: *Beatis in Verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis: maximè autem excellentiam eorum ſtatus decet, vt cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde; & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante cognoſcunt.* Qua ratione tit. 1. tract. 12. dub. impugnamus Calvinum, alioſque reformatæ Religionis profeſſores vti ſe iactant, qui zelum divini honoris mentientes, invocationem Sanctorum, immane putant ſacrilegium, eo quod orationes noſtras non audiant, nec preces noſtras videant.

8 Confirmatur. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus, vt ex Anſelm dictum eſt; ſed repugnantes in Cœlo in tali ſtatu non eſſe

eſſent, ſi quæ pertinent ad eorum ſtatum non cernerent; ergo ea omnia cernunt, & cognoſcunt. Minorem tradit D. Thomas in 4. diſt. 45. q. 3. a. 1. ita loquens: vnuſquiſque tantùm de alijs rebus in diuina eſſentia videt, quantum perfectio beatitudinis requirit, vt ſcilicet homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinatè velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, vt ea, quæ ad ipſum pertinent, cognoſcat. Undè cũ nulla rectitudo ſanctis deſit, volunt cognoſcere ea, quæ ad ipſos pertinent, & ideò oportet, quod illa in verbo cognoſcant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus prębeant ad ſalutem, ſic enim Dei cooperatores efficiuntur. Vndè patet, quod Sancti cognitionem habent eorum, quæ ad hoc requiruntur, & ſic manifeſtum eſt, quod cognoſcunt in verbo, vota, & orationes, & devotiones hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt. Hucuſque Sanctus Doctor; vident ergo Beati in verbo, ſive in eſſentia divina omnia, quæ ad eorum ſtatum, & dignitatem ſpectant.

9 Confirmatur ſecundò. Ad perfectionem cuiuslibet agentis ſpectat perfecta notitia eorum, quę ad munus ſibi invitum ritè obeundum neceſſaria ſunt; ergo ad ſtatum beatorum ſpectat perfecta notitia eorum, quæ ad eorum dignitatem, & munus neceſſaria ſunt. Vnde Angeli cuſtodes perfectiſimè agnoſcunt quæcumque ad hominũ cuſtodiam ſpectant. Sanctiſsimi Religionũ Patriarchæ cernunt, quę ad eorundem Religionem attinent, & ſic de alijs.

10 Dices. Quæ cognoſcuntur in Uerbo, cognoſcuntur neceſſariò; ſed beati nullam creaturam neceſſariò cognoſcunt; ergo nullam creaturam vident in Verbo. Maior patet, quia cognitio beata eſt neceſſaria. Minor probatur. Primò ex Auguſtino, lib. 5. Confeſſ. c. 4. dicente: *Beatus, qui te nouit, & ſi alia neſciat.* Secundò. Quia ſi Deus nullam aliam creaturam, niſi ſolũm Angelum producere decreviſſet, talis Angelus eſſet, aut eſſe poſſet beatus; & tamen nullam creaturã videret; ergo. Tertiò. Quia non repugnat aliquod lumen gloriæ eſſe ita remiſſum, vt nullam creaturam detegere valeat in Deo; ergo ad perfectam beatitudinem neceſſarium non eſt videre creaturas in Verbo.

11 Reſpondeo hæc omnia ita ſe habere, ac ſimpliciter, & abſolutè neceſſariam non eſſe viſionem creaturarum ad beatitudinem, vel quia Deus potuit nullam producere; vel quia noluit manifeſtare, quo caſu nullum inſurgeret deſiderium eas videndi, eo quod ſumma cõcordia cum voluntate divina præoccuparet deſiderium inſurgendum. Inquit enim Anſelmus in Proſol. c. 25. *Si delectat concordia: omnibus illis erit vna voluntas, quia nulla illis erit, niſi ſola Dei voluntas.* Nec videntes divinam eſſentiam vident neceſſariò creaturas exiſtentes, vel futurus, quia ad hoc requiritur manifeſtatio decreti, divinæque voluntatis, quę fit per ordinationem eiuſdem divinæ voluntatis ad intellectum beati; aliter enim ſicut ſecreta cordis in homine nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, ita & vrgentius cogitationes Dei, eiuſque libera decreta nemo agnoſcit, niſi Spiritus Dei.

Aliquæ impugnationes enervantur.

§. III.

12 OPPONES primò. Angeli Dei multa ignorãt etiam ex his, quę ad ipſos ſpectant; ergo beati non vident in Uerbo, quæ ad ipſos ſpectant. Antecedens probatur. Angelus tutelaris populi Dei, & Angelus Perſarum ignorabant futurum eventum circa exitum populi de Egipto; ſed talis eventus erat quoddam futurum ad ipſos ſpectans; ergo Angeli beati ignorant futura pendentia ex ſola voluntate Dei.

13 Confirmatur. Si beati cognoſcerent futura contingentia, quę ad eorum ſtatum, & dignitatem ſpectant ex vi viſionis beatæ, ea cognoſcerent à primo viſionis momento; ſed ita non cognoſcunt; ergo abſolutè ex vi viſionis beatæ, ſive in Uerbo ea non cognoſcunt. Maior conſtat, quia viſio beata non manifeſtat obiecta ſucceſsivè, ſed ſimultaneé, eſt enim invariabilis, & incorruptibilis: vndè Auguſtinus, vlt. de Trinit. dixit: *Non erunt volubiles cognitiones noſtræ, ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus.* Minor autem probatur. Nam Deus quotidiè

illuminat beatos, ac plura illis noviter manifeſtat, ac prædicti Angeli tutelares Perſarum, & Populi Dei non cognoverunt voluntatem Dei, ac futurum eventum, vſque dúm á Deo illuminati fuerunt.

14 Hoc argumentum probat non cognoſcere in Verbo ea, quæ à ſola voluntate Dei pendent, nec ad eorum pertinent dignitatem, & ſtatum, ſed ſolo Deo volente, & revelante agnoſcuntur; hęc enim cognoſcũt beati extra Verbum, ſive per ſpecies à Deo infuſas. Inſuper probat argumentum, nec omnia abſolutè, quæ ſpectant ad beatorum dignitatem, vt ſtatum, manifeſtati in Verbo, ſed aliqua occulto Dei iudicio occultari, & ſucceſſivè extra Verbum manifeſtari. Undè concluſio noſtra procedit de eo, quod per ſe, & regulariter contingit attenta natura viſionis beatæ, quod non impedit vt quandoque aliter contingat ita Deo arbitrariè, & rectiſsimè diſponente.

15 In forma ad argumentum diſtinguo antecedens. Multa ignorant, &c. Per ſe, & regulariter, nego antecedens. Per accidens, & ſpeciali providentia, concedo antecedens. Ad confirmationem, cõcedo maiorem, & diſtinguo minorem diſtinctione data: quapropter Parentem noſtrum, ac Patriarcham Benedictum vidiſſe, quæ ad propriam ſpectant familiam à primo ſuæ fœlicitatis momento, non impedit aliqua occulto Dei iudicio non vidiſſe, nec illius viſionem eſſe variabilẽ, ſed invariabiliter videt quęcumque ab initio vidit, & non amplius in Verbo, alia verò variabiliter, & ſucceſsivè extra Verbum.

16 Oppones ſecundò. Si beati viderent in Verbo ea, quæ ad proprium ſtatum, & dignitatem ſpectant, beatus inferior; videret longe plures creaturas, quã ſuperior; ſed hoc dici non poteſt; ergo nec quod videant in Verbo ea omnia. quæ ad eorum ſtatum pertinent. Maior conſtat, quoniam plura ſpectare poſſunt ad ſtatum minus beati, quàm alterius magis beati; plura namque ſpectant ad ſtatum primi Parentis, quàm Ioannis Baptiſtæ, cum hic illum in beatitudine ſuperare credendum ſit. Minor probatur. Nam ex viſione plurium creaturarum in Verbo magis penetratur divina eſſentia, & creſcit beatitudo; ergo implicat minus beatum plures videre creaturas in Verbo.

17 Huic argumento diverſimodé occurrunt Theologi. Plures cum Caietano reſpondent beatos videre quidem in Verbo ad eorum ſtatum pertinentia, nõ tamen formaliter, ſed cauſaliter, quatenùs ipſa viſio beata exigit vt extra Verbũ plura revelantur, & manifeſtantur à Deo ſucceſsivè & oportunitate, ac neceſsitate exigente. Verùm hæc ſolutio inſolutum relinquit argumentum. Quia contingere poteſt vt ab ipſo primo viſionis momento plura pertineant ad ſtatum minus beati, quàm alterius magis beati, & ita contigiſſe in Adamo credendum eſt. Secudo. Quia eadem difficultas eſt in viſione cauſali, ac formali; ſi enim viſio vnius exigit manifeſtationem plurium creaturarum, ideó eſt, quia ſuperioris ordinis eſt.

Reſpondeo igitur alijs relictis ſolutionibus viſionem beatam non creſcere ex viſione futurorum, aut exiſtentium, ſed poſsibilium; nam ſola viſio plurium poſsibilium exigit lumen intenſius, ideòque ex viſione plurium poſsibilium magis penetratur cauſa. Ad viſionem autem plurium exiſtentium ſufficit æquale lumen, aut etiam minus intenſum ſuperaddita ſola manifeſtatione, aut ordinatione futurorum ad intellectum minus beati; cum ergo eadem obiecta, quę videt minus beatus vt futurá, vel exiſtentia, videat magis beatus vt poſsibilia, & longê plura per lumen intenſius, hic ſemper excedit illum in beatitudine, quamquàm ille plura futura Deo revelante cognoſcat.

***

TRAC-

TRACTATVS VI.

DE VISIONE DIVINÆ essentię in hac mortali vita.

OCULOS Nostros tenebrari infirmitate sua, ac reverberari fulgore divino; observari brevitate, & obrui divina immensitate solita pietate, & elegantia ostendit S. Anselmus in Prosol. c. 14. & ita prosequitur cap. 16. *Verè Domine, hęc est lux inacceſsibilis, in qua habitas: verè enim non est aliud, quod hanc lucem penetret, vt vbi te pervideat. Verè ideò hanc non video, quia nimia mihi est; & tamen quidquid video per illam video: sicut infirmus oculus, quod videt, per lucem Solis videt, quam in ipso Sole nequit aspicere. Non potest intellectus meus ad illam, nimis fulget, non capit illam, nec se offert oculus animæ meæ diù intendere in illam. Reverbatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immensitate, confunditur capacitate. O summa, & inacceſsibilis lux! O tota, & beata veritas, quàm longè es à me, qui tàm propè tibi sum! Quàm remota es è conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Vbique es tota præsens, & non te video. In te moveor, & in te sum, & ad te non possum accedere. Intra me, & circa me, & nõ te sentio.*

2 *Adhuc lates, Domine, animam meam in luce, & beatitudine tua. & idcircò versatur illa adhuc in tenebris, & miseria sua. Circunspicit enim, & non videt pulchritudinem tuam. Auscultat, & non audit harmoniam tuam. Olfacit, & non percipit odorem tuum. Gustat, & non cognoscit saporem tuum. Palpat, & non sentit levitatem tuam. Habes enim hæc, Domine Deus, in te tuo ineffabili modo, qui ea dedisti rebus à te creatis suo sensibili modo: sed obriguerunt, & obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animæ meæ vetusto languore peccati.* Hucusque Sanctissimus Doctor.

3 Igitur ſi divina eſſentia eſt ab humanis mentibus omninò elevata, potiori titulo erit corporis oculis prorsùs inacceſsibilis, quarè de viſu corporeo præſens diſputatio non procedit, oculis namque corporeis, nè quidem Deus, ſed nec alia creatura ſpiritualis videri poteſt. Ratio eſt manifeſta, quia nulla creatura excedere poteſt ſphæram ſui obiecti adæquati, & extenſivi; cum ergo Deus ſit omninò extra ſphęram obiecti adæquati, & extenſivi oculi corporei, cõſequens eſt, vt viſu corporeo cerni non poſsit. Idque probat Auguſtinus variis Sacræ Paginæ locis, epiſt. 111. & 112. Sanctorũque Hieronymi, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni, & Ambroſij authoritates confirmant. Eo, vel maximè, quia ſi viſio Dei prout eſt in ſe poſsibilis eſſet viſui corporeo, multò magis poſsibilis eſſet ſenſibus internis, atque adeò brutis animantibus, quę ſenſibus internis non carent, viſio beata poſsibilis eſſet; quod quàm abſurdum ſit oſtendere non oportet.

4 Nec obſtat, ſi fortasè opponas illud Job 19. *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Quoniam facilè dici poteſt, vel id referri ad humanitatem. Vel de mentis oculis ſermonem procedere. Vel cum Auguſtino, lib. de Civit. Dei, cap. 19. ibi non dixiſſe Job ſe viſurum Deum oculis carnis, ſed in carne, nimirùm poſt reſurrectionem corporis: quarè ad oculis mentis in hac mortali vita tota controverſia devolvitur.

DVBIVM I.

An purus homo in hac mortali vita poſsit videre Deum per eſſentiam?

§ I.

RATIO præcipua dubitandi pro parte affirmativa ſumitur ex variis Sacræ Paginæ locis. Dicitur enim Exodi 33. *Nemo videbit me homo, & vivet.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquàm, ſed vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Vbi Gloſſa. *Nullus in hac mortali vita, vel carne vivens, Dei eſſentiam videre poteſt.* Et Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. inquit: *Lucem habitat inacceſsibilem, quam nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt:* quem locum exponens Evariſtus Papa, epiſtola ad Epiſcopos Affricanos aît: *Eam lucem inacceſsibilem, quam Pater, & Filius inhabitant, nullus in hoc mortali corpore conſtitutus poteſt aliquatenùs contueri, ſed cum apparuerit, tunc verè eum videbit, & non ſicut Moiſes, cæterique Prophetæ per enigmata, & figuras.*

2 Ex quibus formatur ratio. Quod Sacra Pagina generaliter affirmat de omnibus non eſt limitandum ſine revelatione probata authoritate Eccleſiæ, aut graviſsimo fundamento, at Sacra Pagina generalitèr affirmat, quod *Deum nemo vidit vnquam*; nullaque in oppoſitum eſt authoritas Eccleſiæ, ſed potius in oppoſitum eſſe videtur communis Patrum conſenſus, præſertim prędictus Evariſtus Papa, D. Hieronymus, in epiſt. ad Damaſum. Et lib. 3. contra Pelagium, propè finem: vndè exponens illud Iſaię 6. *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum*; eandem ex Propheta probat doctrinã his verbis:

bis: *Apertiſsimè docet nullum Prophetam, aut hominem vidiſſe Deum, niſi in figuris, & ænigmatibus.* Ita etiam Chriſoſtomus, hom. 14. ſuper Ioannem, Gregorius Nazianzenus, lib. 2. Theologiæ in principio, D. Cyrillus, lib. 1. ſuper Ioannem, c. 22. & ita alij Patres frequentiùs, quanquàm non abſolutè, ſed ſpecialitèr de Moiſe procedere videantur; ergo ea generalis Scripturæ aſſertio, ſive excluſio á clara viſione Dei, limitanda non eſt.

3 Sed in oppoſitum vrget non ſolúm exemplum Chriſti Domini, qui fuit ſimul viator, & comprehenſor, ſed etiam exemplum Virginis Deiparæ; cui Doctores omnes (vno excepto Theodoro Smiſing. tract. 2. de Deo vno, diſp. 6. q. 9. n. 300.) hoc privilegium concedunt, de quo videndus Felix eiuſdem Scholæ, & familiæ de viſione, cap. 9. difficult. 2. n. 5. vbi ait: *Pudet referre Theodorum noſtrum negantem hoc privilegium Beatæ Deiparæ Mariæ.* Immò addit Doctiſsimus Moneda cum alijs pluribus ab ipſo allegatis t. 1. quæſt. 12. a. 11. dub. vnico. Hoc privilegium fuiſſe interruptum per totum vitæ decurſum.

4 Vrget ſecundó exemplum Moiſis, quem in hac mortali vita diuinam vidiſſe eſſentiam expreſsè tuetur Auguſtinus lib. 12. ſuper Gen. ad litteram, c. 27. & 28. & epiſt. 112. ad Paulinum, Et ſerm. 46. ad fratres in eremo. D. Ambroſius, lib. 1. in Hexameron. c. 20. Angelicus Doctor 1. p. q. 12. a. 11. ad 2. Et 2. 2. q. 175. a. 3. & quodlib. 1. a. 1. quem ſequuntur frequentius Thomiſtæ, & alij plures idipſum affirmantes.

5 Vrget tertió exemplum Apoſtoli, quem etiam in hac mortali vita diuinam vidiſſe eſſentiam teſtantur Auguſt. & D. Thom. locis ſupra relatis; nec non D. Bonaventura opuſc. ſuper Geneſim. ſerm. 9. S. Antoninus 3. p. tit. 30. c. 4. S. Vincentius Ferrerius in ſerm. Commemorationis B. Pauli, Durandus in 3. diſt. 31. q. 3. Cartuſianus, in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Abulenſis, in cap. 12. Num. q. 34. Henricus, in Summa, art. 24. q. 2. & alij plures, tám ex Patribus, quàm ex Scholaſticis.

6 Urget quartò exemplum Patriarchæ, ac Parentis Benedicti, quem pariter diuinam vidiſſe eſſentiam docet Magnus noſter Gregorius 2. Dialogorum, cap. 39. Meliſluus Bernardus in expoſitione Pſalmi 84. ad illa verba: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Clariſsimè Rupertus ad cap. 9. Matth. D. Bonaventura, ſerm. 20. conſideratione 4. Dioniſius Cartuſianus, ſerm. de Sancto Benedicto. Illuſtriſ. Silva, t. 1. in 1. p. q. 12. f. 772. S, Victores in ſuo Sole occidentis. P. Salas 1. 2. q. 45. tract. 2. diſp. 10. Illuſtriſ. Moneda loco citato, §. 8. Soſa, t. 1. diſt. 1. q. 2. a. 5. diffic. 36. & plures alij. Negari ergo non poteſt plures in hac mortali vita.

7 Accedit quod alij affirmant etiam de Adamo prædictum concedentes privilegium, quod inſinuare videtur Auguſtinus 9. ſuper Geneſim ad litteram, c. vlt. & Bernardus, ſerm. 2. Septuageſimę, idque tuetur Faſolis, in præſenti dubio 3. Denique de Seraphico Franciſco idem docere videtur D. Bonaventura 2. parte opuſculorum in Prologo itinerarij mentis in Deum, dúm ſacra ſtigmata à Chriſto Domino in monte Albernę recepit. D. Bernardinus, ſerm. de Dominica infraoctavam Reſurrectionis a. 2. c. 3. vbi ait: *Penetralia divini Palatij ingrediuntur, inter quos fuerunt Paulus, & Franciſcus, ibique audiunt arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ubi eandem viſionem concedit S. Franciſco, ac Paulo. Idemque docent ex eadē Seraphica Familia graviſsimi Scriptores; ergo ex communi, tū Patrum, tùm Theologorum penu illa generalis regula ſupra relata plures patitur exceptiones.

8 Ex his etiam confirmatur ratio. Poſſe Deum hoc privilegium homini mortali, & viatori concedere, dubitari non poteſt. Si enim abſolutè non pugnant inter ſe ſtatus viatoris, & comprehenſoris, vt patet in Chriſto, multò minus cum ſtatu viatoris viſio beata in tranſitu, non permanens, ſed fluida, quæ propterea beatum ſimpliciter non conſtituit; at ſi ſemel id eſt poſsibile, quantùm ad factum credendum eſt tot Sanctis Patribus, Doctoribus, & Theologis graviſsimis, ac de Moiſe, & Paulo aperta Scripturæ teſtimonia infra producemus; ergo ita affirmandum eſt. Propoſita ergo pro vtraque parte dubitandi ratione.

(§)

Verior ſententia eligitur, & ſuadetur.

§. II.

9 DICENDVM purum hominem non poſſe in hac mortali vita videre Deum per eſſentiam potentia ordinaria, poſſe tamen potentia abſoluta. Primâ partẽ apertè evincunt teſtimonia Sacræ Paginæ num. 1. allegata, quæ non oportet repetere. Et ita docet S. Anſelmus loco ſupra citato in Proœmio. Et clariùs oratione 19. ad Chriſtum, vbi poſt alia inquit: *Quando videbo te Deum meum, quem ſitit anima mea? Quandò videbo eum in terra viventium? In iſta enim terra morientium videri non poteſt mortalibus oculis.*

10 Rationem tradit Ang. Doct. 1. p. q. 12. a. 11. ex eo quod modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi naturæ cognoſcentis; ſed modus eſſendi naturæ mortalis eſt per immerſionem in materia; ergo ſolùm cognoſcere poteſt per ſpecies rerum materialium, ſive miniſterio ſenſuũ acquiſitas; hic enim eſt connaturalis modus cognoſcẽdi pro hoc ſtatu; ſed per ſpecies rerum materialium, ſive miniſterio, Deus vt eſt in ſe cognoſci non poteſt; ergo ſecundùm potentiam ordinariam, & attento connaturali operandi modo in hac vita mortali Deus vt eſt in ſe cognoſci non poteſt. Quę ratio in ſequentibus operoſiùs elucidabitur.

11 Secunda pars concluſionis facilé oſtenditur. Nam viſio clara Dei non pugnat eſſentialiter cum ſtatu viatoris, vt patet in Chriſto, & Beata Virgine. Nec cũ informatione corporis, quoniã omnes animę beatæ poſt Reſurrectionem eſſentiam Dei clariſsimè videbũt, ſicut vident ſeparatæ à corpore: nec item cum mortalitate ipſa, quoniam etſi mortalitas aggravet animam, non tamen impedit operationes intellectuales; nec quod Deus poſsit lumen gloriæ infundere; ergo ex nullo capite repugnat viſio clara Dei in hac mortali vita.

12 Dices contra primam partem concluſionis. Quamquám anima pro hoc ſtatu ſit alligata corpori, poteſt nihilominùs intelligere ſecluſo omni miraculo independenter à phantaſmatibus, & miniſterio ſenſuum; ergo ex hoc titulo non implicat vt ſecundùm potentiam ordinariam poſsit illuſtrari á Deo, ac videre Deum per eſſentiam. Antecedens probatur. Anima primi Parentis in ſtatu innocentiæ erat alligata corpori; & tamen intelligebat independenter à phantaſmatibus, quia vt docet D. Thom. 3. p. q. 61. a. 2. rectitudo illius ſtatus exigebat, vt ſuperiora dominarentur inferioribus; vndé ſicut pars ſuperior erat ſubdita Deo, ita inferior ſuperiori, omneſque potentiæ inferiores animæ, atque adeò in eo fœliciſsimo ſtatu illuminabatur immediatè á Deo quantum ad ſcientiam, ſicut etiam perficiebatur immediatè à Deo quantùm ad gratiam; ergo ſecluſo omni miraculo anima vnita corpori intelligere poteſt independenter á corporeo ſenſu.

13 Reſpondeo repugnantiam allegatam ad videndũ Deum de lege ordinaria ſitam non eſſe in ſola vnione animæ ad corpus, nam etiam anima beata poſt Reſurrectionem erit vnita corpori; & tamen ſecluſo miraculo claré videbit, ſed ſita eſt in vnione ad corpus mortale, nam *corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sap. 9. ℣. 15. Quapropter pro hoc ſtatu vitę mortalis non habet animã alium naturalem cognoſcendi modũ, niſi miniſterio ſenſuum. Vndè non eſt ſimilis ratio de primo Parente in ſtatu innocentię, ſicut nec de anima beatorum poſt Reſurrectionem.

14 Replicabis ergo iam Adamus in ſtatu innocentiæ potuit videre Deum vt eſt in ſe ſecluſo omni miraculo, ſiquidèm ſecluſo miraculo potuit illuminari immediatè à Deo indepẽdenter à ſenſibus; ergo iam purus homo viator poteſt videre Deũ vt eſt in ſe ſecundũ potẽtiam ordinariam. Reſpondeo negando ſequelam. Nam licèt id neceſſarium ſit ad videndum Deum vt eſt in ſe, id tamen non ſufficit; vndè Adamus in ſtatu innocẽtiæ illuminabatur quidem à Deo immediatè independenter à ſenſibus, ſed ad obiecta proportionata, & congrua ſtatui viatoris; eſſentia autem divina vnita per modum ſpeciei, & conſequenter viſio, non eſt viatoris, ſed exiſtentis in termino, quarè ſine miraculo viatori communicari non poteſt.

15 Reſpondeo ſecundò ad viſionem claram Dei in ſtatu viæ ſatis non eſſe, vt poſ-

poſsit intelligere independenter á ſenſibus, ſed vlterius requiritur vt nullo modo intelligat dependenter ab illis, requiritur enim, quod totis viribus feratur in Deum; ſed hoc in anima aggravata corpore mortali eſt novum miraculum; quarè nunquam viſio Dei vt eſt in ſe contigere poteſt ſine miraculo.

16 Oppones contra ſecundam partem concluſionis. Si in Uiatore poſsibilis eſſet viſio beata, poſsibilis non eſſet fides, quia fides, & ſcientia ſimul eſſe non poſſunt, præſertim ſcientia beata, quæ eſt omnium perfectiſsima, & clariſsima quæ propterea pugnat cum obſcuritate fidei, qua ratione dixit Magnus Gregorius Hom. 26. in Evangelia: *Quem apparent, iam non fidem habent, ſed agnitionem*; ſed in viatore repugnare fidem dici non poteſt, cum ſit in Uiatore gravis obligatio credendi; ergo dicendum repugnare viſionem.

17 Reſpondeo nullo pacto repugnare Uiatorem elevatum ad claram viſionem Dei non habere pro tempore viſionis actum fidei, remanere tamen in illo habitum fidei, quo poſteá viſione tranſacta credere poteſt, & debet: quam doctrinam tradit Ang. Doctor de Paulo 2. 2. quæſt. 175. art. 3. ad 3. ita loquens: *Dicendum, quod quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualitèr, ſed ſolùm habuit actum beatorum, conſequens eſt, vt ſimul tunc in eo non fuerit actus fidei, ſed tamen ſimul in eo fuit fidei habitus.*

18 Sed contra inſurges. Si quis ſemèl videret clarè eſſentiam divinam, nec poſteà ceſſante viſione actum fidei elicere poſſet nám etiam ceſſante viſione recordaretur de obiecto viſo; ſed cum tali recordatione locum non habet fides, quarè qui ſemèl Romam videt, credere non poteſt exiſtentiam Romæ; ergo ſi aliquis Uiator videret clarè Deum poſteà in Deum credere non poſſet, atque adeó nec in habitu maneret fides.

19 Propter hæc argumento facto reſpondet Caietanus Paulum vidiſſe in raptu aliqua miſteria, ſed non omnia; vndè poſt raptum ea, quæ non vidit, credere potuit, quæ autem videt, credere non potuit niſi in præparatione animæ. Sed à prima ſolutione recedendum non eſt, quoniam divina patientes, & illuſtrationes in raptu accipientes, eo ceſſante recordantur quidem de viſis, non tamen clarè, ſed in generali, & in confuſo, ideó non licèt alijs loqui, ſed nec poſſunt. Quod optimè exponit Theodidacta Thereſia, Manſione 6. c. 4. & in vita c. 20. & 21. exemplo ingredientis interiorem Regis aulam tabulis, ſtatuis, aliiſque pluribus, ac mira arte diſpoſitis. Refertam, eaque omnia ſimul intueatur, fieri poſteà non poteſt, vt de ſingulis in tanta rerum copia, & varietate, expreſſam, & claram memoriam habeat.

Fit ſatis impugnationibus factis.

§. III.

20 AD Teſtimonia numero 1. allegata ex ſacris litteris, ac Sacræ Scripturæ Oraculis dicendum ea convincere de lege ordinaria, non inſpecta abſoluta poteſtate Dei. Nec amplius ſignificat Evariſtus Papa, ac cæteri Patres allegati; dum autem Pontifex, negat claram Dei viſionem Moiſi reſpondeo ibi tradere doctrinam quidèm probabilem, ſed non fidei, cum ex Cathedra non loquatur. Cæteri etiam Patres loquuntur ſpecialiter de Moiſe, quorum aliquos in ea fuiſſe opinione non dubito, ſed & alios quam plurimos oppoſitum aſſerere certiſsimum eſt; de quo vberius infra, dum in particulari de prædictis viſionibus loquamur.

21 Ad rationem deductam ex numero ſecundo, reſpondeo propoſitiones Sacræ Paginæ non eſſe temerè limitandas; at nos graviſsimis ducti motivis exceptionem addimus, Sanctorum, Patrum, ac primæ notæ Doctorum athoritate firmatam; & quantùm ad Moiſem, & Paulum ex ipſa Sacra Scriptura validiſsimè munitam, vt infra oſtendemus. Quapropter ſolùm ſuper eſt exponere modum, quo à Uiatoribus intueri poteſt eſſentia divina, vt facilius ad prædictas viſiones in particulari expendendas deſcendere valeamus.

DU-

DVBIVM II.

An ad videndum Deum per eſſentiam in via neceſſaria ſit alienatio à ſenſibus?

§. I.

1 PRIMA ſententia docet ſimplicitèr neceſſariam non eſſe alienationem â ſenſibus, vt homo viator elevetur ad videndum Deum. Ita Eximius Suarez, lib. 2. de attributis, cap. 30. Molina, in præſenti diſp. 2. concl. 2. quos ſequuntur alij. Sed Auguſtinus, Angelicus Doctor, & alij frequentiùs locis infra referendis, omnimodam alienationem exigunt. Uerùm (vt opinor) ſi vtriuſque ſententiæ ſenſus examinetur, nulla apparebit contradictio. Inquit enim prima ſententia non eſſe ſimplicitér neceſſariam alienationem, quoniam ita factum eſt in Chriſto Domino, & fiet in animabus Beatorum poſt Reſurrectionem; ſi autem ſimpliciter impoſsibile, nullo pacto, & in nullo ſtatu fieri poſſet.

2 Sed quia ad elevandam animam viatoris, vt Deum claré videat retento vſu, & exercitio ſenſuum, non ſatis eſt eam lumine gloriæ illuſtrare, ſed vlterius aliud requiritur miraculum contra naturam luminis, né exercitium potentiarum impediat, ideò Auguſtinus, D. Thomas, & alij communiter negant id fieri poſſe ſine tali alienatione, quoniam miracula voluntariè multiplicanda non ſunt. Quæ omnia infra vberius expendemus. Connaturalior ergo modus, quo Deus animabus viatorum ſpecialitèr dilectis ſe ſpecialiter manifeſtat, eſt medio raptu, qui ſenſuum exercitium non permittit, ideò neceſſe eſt eiuſdem raptus aliquam notitiam præmittere.

***

Raptus, ſive ecſtaſis natura expenditur.

§. II.

3 ECSTASIS ſolùm differt à raptu in eo, quod Ecſtaſis ſuavius mentem à ſenſibus abſtrahit: Raptus veró fortiús, ac vehementius, ideò quandam violentiam importat, quoniam celerrimé, ac potentiſſimé avellit á ſenſibus, & ad notitiam, ac amorem inviſibilium elevat: vndé in præſenti non oportet ecſtaſim à raptu diſtinguere.

4 Itaque ecſtaſis (vt inquit Auguſtinus, lib. 2. ad Simplicium, q. 1.) *eſt mentis alienatio à ſenſibus corporis.* Vel vt inquit D. Bonaventura de gradibus humilitatis. *Eſt deſerto exteriori homine ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam elevatio ad ſuperintellectualem divini amoris fontem.* Ex quibus deducunt Myſticæ Theologiæ Magiſtri, quod *Ecſtaſis* eſt elevatio mentis in Deum cum abſtractione á ſenſibus exterioribus ex magnitudine ipſius elevationis procedentem.

5 Ratiò omnium eſt, quia anima noſtra eſt virtutis finitæ, & limitatæ, quarè quantò intenſius, ac vehementiùs in actum alicuius potentiæ influit, tantó magis ad actus aliarum potentiarum remiſsior, & debilior evadit; ac ita experientia teſte ſæpè tali conatu ad vnum attendit, vt præſentia non videat, nec loquentes percipiat.

6 Sola potentia vegetativa (inquit D. Thomas 2. 2. q. 175. a. 5. Et q. 15. de verit. art. 4.) à propria operatione non deſiſtit; operatur enim per modum naturæ, non ex intentione animæ, quod etiam colligitur ab effectu, nam ceſſante potentia vegetativa ceſſat nutritio; ceſſante autém nutritione ceſſat vita, & anima ſeparatur à corpore, quæ ſeparatio ad ecſtaſim non requiritur, ſed ſatis eſt ne intelligat per converſionem ad phantaſmata, & obiecta materialia.

7 An autem re ipſa quandoque ſeparetur anima à corpore? Haud facilè ſolvi poteſt. Profectó Apoſtolus raptus ad tertium Cœlum ſe neſcire profeſſus eſt

an

an in corpore, vel extra corpus id contigerit; non ergo definire poſſumus, quod Doctor Gentium ignoravit: vndè Auguſtinus, lib. 18. de Gent. ad litteram de hoc raptu Apoſtoli loquens ait: *Audeat dicere ſe ſcire, quod ſe neſcire Apoſtolus dicit?* Sed nec Thereſia Uirgo ſæpè diuina patiens, & ad iteriorem Regis aulam ſæpiſsimè ingreſſa, id potuit definire: inquit enim, Manſione 6. cap. 5. *An in corpore, vel extra corpus hæc gerantur dicere nequeo: certè iure iurando aſſeverare non auſim animam in corpore tunc eſſe, vti nec corpus interea ſine anima vivere.*

8 Catharina Senenſis eodem afflita ſpiritu certiſsimè affirmat, Epiſt. 12. ad Raymundum animam ſuam quandoque ab aula corporis eggreſſam, vt guſtaret diuina; quæ omnia diuinæ non repugnare virtuti certiſsimũ eſt: attamen aliud eſt quod in facto contingat, & aliud quid ad ſimiles raptus, & præſertim ad videndam diuinam eſſentiam, neceſſarium ſit. De quibus non omittendus Parens Bernardus, quem experimentali ſcientia loqui dubitari non poterit.

9 Inquit enim Meliſſuus Doctor, Serm. 52. in Cantica. Ego non abſurdè Sponſæ ecſtaſim vocaverim mortẽ, quæ tamen non vita, ſed vitæ eripiat laqueis; ſi tamen eiuſque mente ſe cedat, & avolet, & hunc communem traſcendat vſum, & confuetudinem cogitandi. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita ſentitur? Excedente quippe anima, ſi non vita, certè vitæ ſenſu, neceſſe eſt etiam, vt nec vitæ tentatio ſentiatur. Vtinam hac morte ego frequenter cadem, vt evadam laqueos mortis, vt non ſentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta. Bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius: bona, quà non corpus cadit, ſed anima ſublevatur; verũm hæc hominum eſt. Sed moriatur anima mea, morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, vt præſertium memoria excedens, rerum ſe inferiorum, corporearumque non modó cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque eis pura cum illis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo. Hucuſque Doctor Meliſſuus.

10 Abbas Ioannes Caſianus de ſe ipſo in ecſtaſim ractum ſic fatur. Collat. 19. cap. 4. Memini me in huiuſmodi raptum frequenter exceſſum, vt obliviſcerer me ſarcinâ corporeæ fragilitatis indutum, mentemque meam ita omnes exteriores ſenſus ſubitó reſpuiſſe, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulaſſe, vt neque oculi, neque aures meę proprió fungerentur officio, & ita diuinis meditationibus, ac ſpiritualibus theorijs animus replebatur, vt ſæpè ad veſperam cibum me percipiſſe neſcirem, ac ſequente die de heſterna abſolutione ieiunij penitus dubitarem.

RESOLVTIO DVBIJ.

§. III.

11 DICENDVM Abſtractionem ab operationibus ſenſuum eſſe omninò neceſſariam ad videndam divinam eſſentiam in raptu. Hæc concluſio iuxta dicta duplicem ſenſum habere poteſt; procedere enim poteſt: tum de poteſtate abſoluta: tum ordinata. Poteſt enim Uiator conſiderari ita ſenſibus alligatus, vt quidquid intelligit, intelligat miniſterio ſenſuum, & dependenter à phantaſmatibus, quo ſenſu concluſio eſt vera etiam inſpecta poteſtate abſoluta. Ac ita probat Div. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. Anima noſtra quandiú in hac vita vivimus, habet eſſe in materia corporali, vndè naturaliter non cognoſcit aliqua, niſi quæ habent formam in materia, vel quæ per huiuſmodi cognoſci poſſunt. Manifeſtum eſt autem, quod per naturas rerum materialium divina eſſentia cognoſci non poteſt; oſtenſum eſt enim ſupra, quod cognitio Dei per quacumque ſimilitudinem creatam non eſt viſio eſſentiæ ipſius. Undè impoſsibile eſt animæ hominis ſecundúm hanc vitam vivenris eſſentiam Dei videre. Hæc Divus Thomas, ex quibus manifeſtè appareat loqui de homine cognoſcente per ſenſus, & per ſpecies rerum ſenſibilium, quo ſenſu eſt prorſus impoſsibile eſſentiam Dei videre.

12 Secundus ſenſus eſt, quod ita neceſſaria ſit abſtractio ab operatione ſenſuũ, vt aliter divina virtute eſſe poſsit, quanquam regulariter, & ſecundùm potentiam eſſe non poſsit. Et in hoc ſenſu iudico etiam veriſsimam, ac de mente Doc-

Doctorum vtriuſque ſententiæ. Nam quod aliter divina virtute eſſe poſsit conſtat ex dictis. Et ſuadetur. Nam operatio ſenſuum impedire poſſet viſionem divinæ eſſentiæ, vel propter limitationem virtutis animæ, vt ſupra dictum eſt; vel propter rebellionem partis ſenſitivæ; ſed limitatio virtutis ſuppleri poteſt á Deo, à quo robuſtior reddi poteſt: rebellio ſimiliter ita ſe dari poſſet à Deo, vt nullo pacto impediret operationem animæ, poteſt enim Deus homini in hoc ſtatu naturæ lapſæ reddere donum integritatis, vel aliud ſimile, vt ita expedite poſſet operari, ſicut Adamus in ſtatu innocentiæ, in quo operatio ſenſuum non impediebat operationem: vel illi concedere donum aliud ſupplente dotes corporis glorioſi, ſicut re ipſa dedit Petro, vt ambularet ſuper aquas, quæ omnia præſertim tranſeunter, & tranſitu nullam implicationem præ ſe ferre videntur,

13 Sed quia hæc pendent á novo miraculo, quod nec neceſſarium eſt, nec vrgenti fundamento probari poteſt. Ideò abſolutè dicimus neceſſariam eſſe ad ſimilem viſionem abſtractiorem à ſenſibus. Et ita docet Auguſtinus, lib. 12. ſuper Gen. ad litteram, cap. 27. per hæc verba: *Neminem videntem Deum vivere vita iſta, qua mortaliter vivitur in iſtis ſenſibus coporeis, ſed niſi ab hac vita quiſque quodammodò moriatur, ſivè omninò exieus de corpore, ſiuè ita averſus, & alienatus à carnalibus ſenſibus, ſicut Apoſtulus ait ſecundæ ad Corinth. 12. Vtrum in corpore, aut extra corpus ſit, cum in illam rapitur, aut ſubvehitur viſionem.*

14 Ita etiam Doctor Angelicus, q. 10. de veritate, art. 11. vbi ait: „Cum contigit aliquem in ſtatu viæ vi„dere Deum per eſſentiam, oportet, „quod mens ab illo modo cognitionis „deſiſtat, quo á phantaſmatibus abſtra„hit, ſicut etiam corpus corruptibile, „cum ei miraculosè datur agilitatis ac„tus non eſt ſimul in actu gravitatis, & „ideó illi, quibus hoc modo Deum per „eſſentiam videre datur, omninò ab ac„tibus ſenſuum abſtrahunt, vt tota ani„ma colligatur ad divinam eſſentiam vi„dendam; vndè, & rapi dicuntur, quaſi „vi ſuperioris naturæ abſtracti ab eo, „quod eis ſecundum naturam com„petebat.

15 Ex his conſtat concluſionis ratio. Et vlterius ſuadetur. Operatio partis ſenſitivæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ pugnat cum operatione partis rationalis, cum detur continua pugna inter partem inferiorem, & ſuperiorem; ſed talis operatio pugnat cum viſione clara Dei; ergo in conſortio viſionis Dei nequit pars ſenſitiva in ſuos prorrumpere motus, præſentim cum obiectum viſum, vtpotè ſummum intelligibile, attrahat vehementiſſimè animam.

16 Nec prodeſt, ſi reſpondeas non ſemper operationes partis ſenſitivæ eſſe rebelles, & contrarias rationali. Non (inquam) prodeſt. Nam ſatis eſt rebellio habitualis, vt in ſuos non poſsit prorrumpere motus, ſicut ſatis eſt oppoſitio habitualis habitus fidei cum viſione clara Dei, vt durante viſione non poſsit habitus fidei ſuos elicere actus; ergo non ſe data prius perfectè rebellione, vt fiet in patria, cohærere non poteſt viſio beata cum exercitio ſenſuum.

17 Confimatur. Viſio clara Dei conceſſa Viatori fit medio raptu, at raptus eſt alienatio à ſenſibus corporeis, vt dictum eſt ex Auguſtino, & alijs Patribus; ergo neceſſaria eſt alienatio á ſenſibus; qua ratione diximus raptum quandam violentiam includere quatenús fit celerrimè, & non ex inclinatione naturæ. Notandum tamen hanc violentiam non eſſe in re, ſed in modo: eſt enim violentia in re, quādoquis rapitur in contrarium naturæ, vt ſi homo rapiatur ad pœnas iuxta illud Pſalmi 49. *Ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat*; vel dum lapis proijcitur ſurſum. Aut in modo. Ut cum lapis proijcitur deorſum, ſed velociori motu, quam exigat ſua gravitate; & hanc violentiam patitur homo in raptu ad viſionem Dei.

OPPO-

Oppoſitæ impugnationes diluuntur.

§. IV.

18 OPPONES Primò. Viſio beata ſit medio lumine á Deo infuſo, non viribus naturalibus animæ; ergo manet anima expedita ad ſuos motus naturales; ergo vti poterit ſuis ſenſibus. Patet conſequentia, quia vbi ſunt plures vires motivæ, plures motus eſſe poſſunt; ſed in præſenti ſunt plures vires motivæ, nimirum lumen gloriæ ad viſionem, præſertim in noſtra ſententia, in qua eſt tota ratio, & virtus proxima viſionis beati; & virtus naturalis animæ ad motus naturalis; ergo non repugnat vterque motus.

19 Reſpondeo lumen gloriæ eſſe virtutem adæquatam influendi proximè, in viſionem, non tamen eſſe id, quod intelligit, & vivit, quarè etiam anima mediatè concurrit. Informa, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo maiorem. Eſſe poſſunt plures motus ſubordinatos, concedo maiorem. Non ſubordinatos, nego maiorem, cum ergo vſus ſenſuum non ſit motus pro hoc ſtatu ſubordinatus viſioni, ſed potius contrarius, & rebellis, ideò in conſortio viſionis nequit anima influere in exercitium ſenſuum.

20 Oppones ſecundò. Multiplicata ratione formali exiſtendi in loco corpus exiſtit in duplici loco, vt patet in corpore Chriſti Domino exiſtenti in Cœlo, & in Sacramento; ac medio Sacramento in pluribus in locis; ergo multiplicata virtute activa multiplicari poterit operatio; ſed in præſenti virtus activa multiplicatur, quoniam ponitur lumen ad viſionem, & datur in anima virtus naturalis ad ſuos motus; ergo.

21 Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens. Multiplicata virtute activa, adæquata, concedo conſequentiam. Inadæquata, nego conſequentiam. Nam licèt lumen gloriæ ſit cauſa adæquata viſionis, non eſt tamen cauſa adæquata ad eliciendam ipſam viſionem ſimul cum exercitio ſenſuum, ſed vlterius requiritur novum miraculum, nimirum ſe dare perfectè luctam, & rebellionem partis inferioris ad ſuperiorem, & alia ſupra relata, quæ in raptu non contingit: ſicut nec contingit medio illa viſione in raptu expulſio habitus fidei.

DVBIVM III.

An Moiſes in hac mortali vita re ipſa divinam videris eſſentiam?

§. I.

1 PARTEM Affirmant tuentur Patres, & Doctores allegati, *dubio 1. num.* 4. & plures Alij. Negativam autem patrocinare videntur. Chriſoſtomus, *Homil.* 14. *in cap.* 1. *Ioannis.* Gregorius Niſſenus, *de vita Moiſis*, propè medium. Dioniſius, 4. *Cæleſtis Hierarchiæ* Cyrillus Alexandrinus, *lib.* 1. *in Ioannem, cap.* 22. Theophilatus, *in illud Ioann.* 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Melifluus Bernardus, *ſerm.* 2. *in Ramis Palmarum.* Quos omnes ſequuntur Scriptores Scholaſtici, quam plurimi, vt Pater Suarez, Molina, Henriquus, Amicus, Granados, & Vazquez, præſertim ex Evariſto Papa, ſupra allegato.

(?)

Sententia affirmativa eligitur.

§. II.

2 NIHILOMINUS Dicendum Moiſem in hac mortali vita Deum clarè vidiſſe. Probatur primò ex c. 33. Exodi, vbi Moiſes eam viſionem Domino poſtulat dicens: *Oſtende mihi faciem tuam*, vbi poſtulare claram Dei viſionem conſtat ex ſubſequentibus, vbi eandem petitionem in fine eiuſdem capitis inquit: *Oſtende mihi gloriã tuã.* Ex quibus ita argumẽtatur Auguſt. Moiſes poſtulabat videre, quod non dum viderat, quod viderat; ſed iam

iam viderat Deum in ſpecie corporea, & viſione enigmatica, non ſecundùm eſſentiam; ergo videre deſiderabat, & poſtulabat Deum ſecundùm eſſentiam, non viſione in ſpecie corporea, aut enigmatica. Hanc autem petitionem fuiſſe adimpletam poſteá monſtrabimus.

3 Sed contra inſurgit Vazquez. Si poſterioribus verbis viſionem divinæ eſſentiæ flagitavit, vt autumant Philo, Tertulianus, Iteneus, Hilarius, & Athanaſius. Potiùs ſequitur Moiſem nunquam eſſentiam Dei vidiſſe, quàm probetur. Quoniam Dominus reſpondit dicens: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*; ergo Deus Moiſi, quod poſtulabat, negavit; videt ergo *poſteriora*, ideſt Deum in ſpecie corporea, aut viſione enigmatica; non tamen ſecundùm eſſentiam.

4 Sed contra. Quoniam ſi Deus negavit viſionem ſuæ eſſentiæ, & conceſſit videre *poſteriora*, hoc eſt, Deum in ſpecie corporea, aut viſione enigmatica; ergo Moiſes prædictis verbis eam viſionem poſtulabant, quod Patri Uazquez omninò diſplicet. Secundó. Si Moiſes prædictis verbis tantúm videre flagitabat Deum in ſpecie corporea; & hanc Deus conceſsit, dùm dixit: *Poſteriora mea videbis*; quid ergo negavit. Tertiò. Urget argumentum Auguſtini. Quoniam Moiſes poſtulabat videre, quod non viderat; viderat autem Deum in ſpecie corporea; non ergo hoc poſtulabat. Denique. Id conceſsit illis verbis: *Poſteriora mea videbis*, quod negavit ſubſequentibus: *Faciem meam videre non poteris*; ergo tunc negavit Moiſi viſionem ſuæ eſſentiæ; hanc ergo poſtulabat.

5 Dicendum igitur Moiſem deſideraſſe, & poſtulaſſe viſionem Dei ſecundùm eſſentiam, quæ tunc denegata fuit, vt probat Vazquez: ſed poſteá adimpleta fuit poſtulatio, & adimplere promittit ipſe Dominus Numer. 12. vbi ait: *Audite ſermones meos, ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad ipſum; at non talis ſervus meus Moiſes, qui in domo mea fideliſsimus eſt: ore enim ad os loquar ei, & palàm, & non per enigmata, & figuras Dominum videt.*

6 Quæ verba expendens Auguſtinus in lib. De videndo Deum, c. 13. inquit: quod autem dicere inſtitueram deſiderio eius etiam illud, quod petierat fuiſſe conceſſum, in libro Numerorum, poſteà demonſtratum eſt, vbi Dominus arguit contumaciam ſororis ipſius. & dicit alijs Prophetis in viſione ſe apparere, & in ſomno: Moiſi autem per ſpeciem, non per enigmata, vbi etiam addidit dicens, & gloriam Domini vidit. Quid ergo eſt, quod eum fecit exceptum, niſi fortè, quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi ſui talem Rectorem, & Miniſtrum, in tota domo ſua fidelem, vt quemadmodum concupierat, videret Deum ſicuti eſt, quæ contemplatio cunctis filijs in fine promittitur. Hucuſque Auguſtinus.

7 Idemque dixerat epiſt. 112. cap. 10. Sed quomodò videatur in illo regno, vbi eum videbunt filij eius ſicuti eſt; tunc quippè ſatiabitur in bonis deſiderium eorum, quo deſiderio flagrabat Moiſes, cui loqui ad Deum facie ad faciem non ſufficiebat, & dicebat: oſtende mihi temetipſum, vt videam te, tanquam diceret, quod in Pſalmo ex eodem deſiderio canitur, ſaciabor cum apparuerit gloria tua. Hæc omnia Auguſtinus reperit pluribus alijs in locis, ex quibus non ſolùm authoritatem, ſed rationem habemus.

8 Suffragatur Doctor Angelicus 1. p. quæſt. 12. a. 11. ad 2. ibi. Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Deus miraculosè aliquid ſupernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam & ſupernaturaliter, & propter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, ſed non ſenſibus carnis viventium, vſque ad viſionem ſuæ eſſentiæ elevavit, vt dicit Auguſtinus duodecimo ſuper Geneſim ad litteram, & in libro De videndo Deum, de Moiſe, qui fuit Magiſter Iudæorum, & Paulo, qui fuit Magiſter Gentium.

9 Eidem ſententiæ ſuffragatur Ambroſius lib. primo Exameron, cap. 2. ſic de Moiſe loquens: Qui ſcivit Dominum facie ad faciem, non in viſione, neque in ſomno, ſed ore ad os cum Deo ſummè loquutus, neque in ſpecie, neque per enigmata, ſed clara, atque perſpicua præſentiæ divinæ dignatione donatus. Eadem claritate loquitur Magnus Baſilius hom. 1. in Exameron. vbi ait Moiſem

vi-

vidisse faciem Dei æqualiter cum Angelis.

10 Ratione probatur. Visio Dei secundùm essentiam in hac mortali vita possibilis est, vt ex superioribus satis constat, & Vazquez fatetur; sed ita contigisse de facto respectu non obscurè colligitur ex Sacra Pagina, & apertè tradunt prima Ecclesiæ lumina; ergo ita affirmandum in facti contingentia. Nec incongruè suadetur ratione allegata ab Augustino, & D. Thoma, ex eo quod Moises constitutus fuerat Universalis Magister Iudæorum; sicut Paulus Doctor Gentium; ergo sicut congruum fuit Paulum videre in Deo, quæ docturus erat gentibus, ita congruum fuit Moisem videre in Deo ipso, quæ docturus erat Iudæis. Sed de hoc infra.

DVBIVM IV.

Vtrùm Paulus Apostolus in via Deum secundùm essentiam viderit?

§. I.

1 AUthores ferè omnes supra allegati dub. 1. n. 5. & dub. 3. n. 1. tàm pro parte affirmativa, quàm pro parte negativa de Moise, eodem modo loquuntur de Paulo: Nonnulli tamen eam visionem negantes Moisi, expresè Apostolo concedunt: aliqui de Paulo sermonem non habent.

2 Dicendum igitur Paulum in raptu ad tertium Cœlum divinam essentiam vidisse. Ita docet S. Anselmus, sive Author comment. 2. ad Corinth. 11. Apostolus itaque raptus *in tertium Cœlum* intelligitur supremis Angelorum choris interfuisse, ideſt, inter agmina Cherubim, sive Seraphim, secreta Dei vidisse, qui & in Paradysum raptus est, sive terrenum, sive Cœleste, & *audivit ibi arcana verba*, ideſt, intimationem de secreta Dei essentia, &c. & infra. *Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo Doctori Gentium rapto vsque ad istam excellentissimam visionem, voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam videndus est in æternum?*

3 Id ipsum antea dixerat Augustinus *lib. 12. in Genesim ad litteram cap. 27.* vbi ait: Neminem videntem Deum, vivere vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporeis, sed nisi ab hac vita quisque quodammodò moriatur, sive omninò exiens de corpore, sive ita aversus, & alienatus á carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus ait, an in corpore, vel extra corpus sit, cum in illam rapitur, & subvehitur visionem.

4 Confirmat D. Thomas 1. p. q. 12. a. 11. ita loquens. Sicut Deus miraculosè aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur: ita etiam & supernaturaliter, & præter communem ordinem, mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis viventium, vsque ad visionem suę essentiæ elevavit, vt dicit Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram, & in libro de videndo Deum de Moise, qui fuit Magister Iudæorum, & Paulo, qui fuit Magister Gentium; & de hoc plenius tractabimus, cum de raptu eius agemus. Videlicet 2. 2. q. 175. a. 3. vbi ait: Quidam dixerunt Paulum in raptu non vidisse ipsam Dei essentiam, sed quandam refulgentiam claritatis ipsius. Sed contrarium manifestè Augustinus determinat non solùm in libro de videndo Deum, sed & duodecimo super Genesim ad litteram, & habetur in Glossa 2. ad Corinth. 12. & hoc etiam ipsa verba Apostoli designant; dicit enim se audivisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; huiusmodi autem videntur ea; quæ pertinent ad visionem beatorum, quæ excedit statum viæ secundùm illud Isaiæ 64. Oculus non videt Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Et ideò convenientius dicitur, quod Deum per essentiam vidit. Hucusque Doctor Angelicus, ex quibus habemus authoritatem Scripturæ Glossæ Augustini, & rationem, quam suo calculo firmat.

5 Oppones. Dato Apostolum divinam essentiam vidisse, affirmari non potest. An eius anima fuisset à corpore penitùs separata, nam quod Apostolus ignoravit nos definire non possumus, vt ex Augustino, & alijs diximus supra dub. 2. à n. 7. & confirmari potest ex Anselmo

loco proximè citato, vbi ait: Ignoravit autem, quando ſic raptus eſt, vtrùm in corpore fuerit, quomodò eſt anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, ſive vigilantis, ſive dormientis, ſive in ecſtaſi à ſenſibus corporeis alienata. An omninò á corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret, donec peracta illa demonſtratione membris mortuis anima redderetur, & non quaſi dormiens vigilaret, aut ecſtaſi alienatus denuò rediret in ſenſus, ſed mortuus omninò reviviſceret. Igitur affirmari non poteſt animam Pauli informaſſe corpus in raptu, quod ſi corpus non informabat, non probatur in hac mortali vita Deum vidiſſe.

6 Sed his latè conſtat ex loco citato. Et quidquid ſit de particulari evẽtu, dubitari non poteſt vtroque modo poſſe Deum ſecundùm eſſentiam videri, vt apertè docet Anſelmus loco proximè allegato. An autem re ipſa anima Pauli fuerit ſeparata á corpore, an tantúm à ſenſibus alienata, noſtrum non eſt definire; nec id neceſſarium eſt, cum vtroque modo eſſe poſsit ipſis adverſarijs conſentientibus.

7 Oppones ſecundó. Ioannes cap. 1. dixit: *Deum nemo vidit vnquam*; ſed hanc ſententiam pronunciavit Ioannes poſt raptum Apoſtoli, vt docet Hieronymus, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vbi ait de Ioanne: *Vltimus omnium Evangeliſtarum ſcripſit Evangelium, & ſic ſcripſit poſt raptum Pauli.* Reſpondeo hoc argumentum evincere, ſi quid evincit, nec Beatiſsimam Virginem Deum vidiſſe ante Evangelium Ioannis, quod nec Adverſarijs placet. Ad propoſitionem autem Ioannis iam conſtat, qualitèr veriſsima ſit, ſed legẽ ordinaria, & ſecluſo privilegio, ac miraculo.

8 Oppones tertió. Ipſe Apoſtolus epiſt. ad Timoth. ſcribit de Deo: *Quem nullus hominum vidit*; ergo nec ipſe vidit, non enim dicere potuiſſet neminem vidiſſe, ſi ipſe vidiſſet. Ulteriùs. Idem Paulus fatetur in raptu audiviſſe arcana verba; at audire potius eſt credentis, quàm videntis; non ergo vidit. Ad primum eodem modo occurrendum, ac ad propoſitionem Ioannis, quæ veriſsima eſt de lege ordinaria. Ad ſecundum conſtat ex Anſelmo ſupra citato num. 2. vbi ait: *Audivit arcana verba: ideſt, intimationem de ſecreta Dei eſſentia.*

DVBIVM. V.

An Parens, & Patriarcha noſter Benedictus in hac mortali vita Deum ſecundùm eſſentiam viderit?

§. I.

1 DE poſsibilitate, quam nemo negavit; dubitare non licet; vndè tota controverſia devolvitur ad factum. Partem negativam tuetur frequentius Thomiſtæ, quibus accedit P. Suarez, *lib. 2. de attributis, cap. 30. n. 18.* Uazquez, *1. p. diſp. 55.* Amicus *t. 1. diſp. 10. ſect. 26.* Allegatur etiam Doctor Angelicus *2. 2. quæſt. 180. art. 5. ad 3.* & præſertim *in qq. quodlibeticis, quodlib. 1.* cuius mentem infra explorabimus.

2 Partem affirmativam tenent Magnus Gregorius *2. Dialog. cap. 33.* Melifluus Bernardus in expoſitione Pſalmi 84. ad illa verba: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* S. Bonaventura, *ſerm. 20. conſideratione 4.* Rupertus ad cap. 4. Math. Illuſtriſ. Sanvictores in ſuo *Sole occidentis, t. 1. Prælud. 1. c. 14.* Illuſtr. Silva, *t. 1. in 1. p. q. 12. a. 13. dub. 12. §. 9.* Moneda, *t. 1. in 1. p. q. 12. a. 11. §. 8.* Dioniſius Carthuſianus, *ſerm. de Sancto Benedicto.* Soſſa *lib. 1. diſt. 1. p. 2. diffic. 36.* Accedit P. Salas *1. 2. q. 45 tract. 2. diſp. 10.* cum alijs pluribus (quos allegat Molina, diſp. 2. f. 481.) aſſerentibus ad viſionem Dei vt eſt in ſe neceſſariam non eſſe alienationem à ſenſibus.

3 Sed quia præcipuum ſententiæ affirmativæ fundamentum deſumptũ eſt ex Magno Gregorio Pontifice Maximo, Eccleſiæ Doctore, & circa factum ferè ſui temporis ab ipſo diligentiſsimè examinatum, atque adeó maximi ponderis, & irrefragabilis authoritatis tanti Doctoris, & Pontificis ſententia eſſe debeat, ideò operæ pretiũ duxi præmittere eiuſdẽ Gregorij verba, quibus factum narravit. Sic enim loquitur cap. 33. Dialog. circa medium.

4 Cumq; vir Dei Benedictus quieſcẽtibus adhuc fratribus inſtãs vigilijs, noctur nę orationis tẽpora prævenirẽt ad feneſtrã ſtans,

ſtans, & Omnipotentem Deum deprecans ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valdè in hac ſpeculatione ſequuta eſt, quia (ſicut poſt ipſe narravit) omnis etiam mundus, velut ſub vno Solis radio collectus ante oculos eius adductus eſt. Qui venerabilis Pater dùm intentam oculorum aciem in hoc ſplendore coruſcæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Epiſcopi animam in ſphæra ignea ab Angelis in Cœlum deferri.

5 Tunc tanti ſibi teſtem volens adhibere miraculi, Servrndum Diaconum iterato, bis, terque eius nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cũque ille fuiſſet inſolito tanti viri clamore turbatus, aſcendit, reſpexit, partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obſtupeſcenti miraculum vir Dei per ordinem, quæ fuerant geſta, narravit. Statimque in Caſsinum caſtrum Religioſo viro Theoprobo mandavit, vt ad Capuanam Vrbem ſub eadem nocte tranſmitteret, & quid de Germano Epiſcopo ageretur, agnoſceret, & indicaret. Factumque eſt, & Reverendiſsimum virũ Germanum Epiſcopum, is qui miſſus fuerat iam defunctum regerit, & requirens ſubtiliter agnovit, eodem momento fuiſſe illius obitum, quo vir Dominini eius agnovit aſcenſum. Hæc eſt viſio, de qua ſequens format iudicium Magnus Gregorius.

6 Fixum tene (Petre) quod loquor, quia animæ videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aſpexerit, breve ei fit omne, quod creatum eſt, quia ipſa luce viſionis intimæ mentis laxantur ſinus, tantumque expanditur in Deo, vt ſuperior exiſtat mundo; ſit verò ipſa videntis anima etiam ſuper ſemetipſam. Cumque in Dei lumine rapitur, ſuper ſe in interioribus ampliatur; & dum ſub ſe conſpicit, exaltata comprehendit, quàm breve ſit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum ,,Angelos quoque ad Cœlos redeuntes videbat, hæc procul dubio cernere, non niſi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum ſi mundum ante ſe collectum vidit, qui ſublevatus in mentis lumine extra mundum fuit?

7 Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur: non Cœlum, & terra contracta eſt, ſed videntis animus eſt dilatatus, quoniam in Deo raptus, videre ſine difficultate potuit omne, quod infra Deum eſt. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulſit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum, cum ad ſuperiora rapuit, ei quàm anguſta eſſent omnia inferiora monſtravit. Hucuſque Pontifex Maximus. Ex quibus controverſia facilè dirimi poteſt.

Sanctiſsimum Patriarcham Benedictum vidiſſe divinam eſſentiam oſtenditur.

§. II.

8 DIcendum Parentem Benedictum vidiſſe in raptu Deũ ſecundùm eſſentiam. Probatur primò authoritate Magni Gregorij. Omnis namque anima in Dei lumine rapta divinam intuetur eſſentiam, nihil enim amplius requiritur ad videndum Deum vt eſt in ſe, quàm vt lumine gloriæ perfundatur; ſed iuxta Gregorium in dicta viſione rapta fuit in lumine Dei: ibi. *Cumque in Dei lumine rapitur ſuper ſe in interioribus ampliatur*: Item. *Hæc procul dubio cernere non niſi in Dei lumine poterat.* Item. *Qui ſublevatus in mentis lumine extra mundum fuit.* Et rationem reddit omnium Gregorius: *Quia videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura.*

9 Verba Gregorij ferè ad litteram mutuatur Rupertus, Tuycienſis Abbas ad cap. 4. Matth. ſic de Sancto Benedicto loquens: Mira autem res valdè in hac ſpeculatione ſequuta eſt, quia ſicut poſt ipſe narravit, omnis etiam mundus velut ſub vno Solis radio collectus, ante oculos eius adductus eſt. Verùm illa res admirationem habet aliam, quia (ſicut iam dictum eſt) animæ videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura; & quod ante illius Sancti oculos collectus fuiſſe mundus dicitur, hoc egit cum homine omnipotens Deus; & non Cœlum, & terra contracta eſt, ſed videntis animus dilatatus eſt, qui in Deo raptus videre ſine difficultate potuit omne, quod infra Deum eſt. En qualiter ratio videndi mundum, & alia

plura non alia fuit, niſi *quia in Deo raptus*: & quia *videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura.*

10 Idem Rupertus Abbas, lib. 2. de Gloria, & honore Filij hic verba Gregorij exponit: in illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulſit lux interior in mente fuit: cum, inquam, hoc dicit palàm adſtruit, quia proſpectus ille, mentis magis, quàm oculorum fuit. Ergo lux, qua mundum, & alia vidit, non aliud fuit, quam quædam refulgentia luminis gloriæ, quod fulſerat in mente.

11 Adſtipulatur Bernardus Parens ad illa verba Pſalmi 84 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; ibi enim exponit, qualiter viatores ſolùm habent notitiam Dei in enigmate, & per ſpeculum, cum in Patria videant facie ad faciem, & poſteà ſubdit tanquam ſpeciale Benedicti privilegium viſionem relatam á Gregorio Papa, de qua viſione ita loquitur: *Ad quam nimirùm excellentiam, licet ad modicum rapta fuiſſe videtur beata illa anima, quæ collectum ſub vno Solis radio mundum vniverſum conſpexit, de quo Beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum ſcribens, videnti, inquit, Creatorem anguſta eſt omnis creatura.*

12 Non omittamus Seraphicum Doctorem S. Bonaventuram, qui lib. de Luminaribus Eccleſiæ, ſerm. 20. ſic de Sancto Benedicto loquitur: *Mundus non fuit coanguſtatus in vno radio Solis, ſed eius animus dilatatus, qui vidit omnia in illo, cuius magnitudine omnis creatura anguſta eſt, & parva, & modica.* Quid ergo eſt videre omnia in Deo, cuius magnitudine omnis creatura anguſta eſt, niſi videre Deum, in quo omnia videri poſſunt? Vidit ergo S. Benedictus divinam eſſentiam, & in divina eſſentia vidit à Gregorio Papa relata.

13 Eodem modo loquitur ſanctitate, & doctrina conſpicuus Dionyſius Cartuſianus, ſerm. de S. Benedicto; vbi inter alia inquit: *Sed in divitijs gloriæ Dei fuit vberrimè raptus, & in lumine Creatoris ita expanſus, quod faciliter in eius luce conſpicere quivit, quidquid ſub illo fuit.* Hæc omnia, & alia plura præ oculis habens Urbanus VIII. ſuo calculo eandem viſionem firmavit in Bulla expedita anno 1632. quæ videri poteſt apud Tamburinum, t. 3. de iure Abbatum, diſp. 24. p. 5. vbi inter alia hæc leguntur: *Eo quod divina interius luce ſplendens, ſublatus in mentis lumine, ſuperior mundo, & expanſus in Deo, mentis laxato ſinu, beatifico lumine humani imbecilitatem intellectus elevante, Deum ipſum adhuc mortalis videre meruit.*

14 Ex his omnibus formatur ratio. D. Benedictus divinam eſſentiam in raptu videre potuit; ſed re ipſa vidiſſe docet Gregorius Magnus, & Pontifex Maximus. Probat S. Bernardus, ita ſenſit Rupertus, firmat D. Bonaventura, confirmat Vrbanus Papa. Adſtipulantur quàplurimi primæ notæ Scholaſtici; nullo ergo iure negandum.

15 Accedit ea congruentiæ ratio, qua Auguſtinus, & Angelicus Doctor moventur ad eam viſionem affirmandam in Moiſe, & Paulo: nimirùm ex eo, quod *ſicut Moiſes fuit primus Doctor Judæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium*, vt inquit D. Thomas 2. 2. q. 175. art. 3. Sed de Sancto Benedicto ſic loquitur Zacharias Papa (vt tradit Leo Oſtienſis in append. Et Mag. Yepes, t. 1. hiſt.) *Ipſe quippe Deus dignationis ſuæ potentia Beatum Benedictum Patrem omnium conſtituit Monachorum; ipſe eum monaſticæ legis latorem.* Ac de Monaſterio Caſinenſi, in quo iacet, ſic fatur: *Ibi vſque ad diem iudicij quærant Doctorem, vbi Monachorum vniverſalis Magiſter, & Doctor Benedictus Pater almiſicus corporaliter, vnà cum ſorore ſua quieſcens, glorioſæ Reſurrectionis diem ſpectat.* Si ergo docuit Moiſem in ipſo primo fonte bibere doctrinam, quam traditurus erat Judæis, & Paulum Gentilibus, non diſſimiliter decuit in ipſo primo fonte bibere doctrinam, quam Sanctus Benedictus tanquam vniverſalis Doctor, & Magiſter traditurus erat monaſticæ diſciplinæ.

16 Roboratur hæc doctrina. Ideò potiſſimum negatur prædicta viſio divinæ eſſentiæ, quia Sanctiſſimus Parens non erat alienatus á ſenſibus; ſed alienatus erat; ergo nullo iure neganda. Minor probatur. De ratione raptus, eſt alienatio á ſenſibus, vt ex communi Sanctorum Patrum doctrina, dubio 2. dixmus: ſed D. Benedictus paſſus eſt prædictam viſionem in raptu, vt ſæpè reperit Gregorius. ibi: *In Dei lumine rapitur.* Item. *In Deo raptus, &c.* Quarè ſive viderit, ſive non vide-

viderit eſſentiam divinam, ſed ſolum mundum in Solis radio, aliaq; ſupra relata; negari raptus non poteſt; at poſito raptu negari non poteſt alienatio ab exercitio ſenſuum, niſi ad novum, ac diſtinctum miraculum fiat recurſus; quod ſi hoc licet, pariter licebit aſſerere Beatum Benedictum vidiſſe eſſentiam divinam retento exercitio ſenſuum ex novo, & diſtincto miraculo, cum id abſolutè non repugnet, vt ex dubio 2. conſtat; ergo ſecluſo hoc recurſu negari non poteſt in prædicto eventu alienatio á ſenſibus; ergo ex defectu huius alienationis neganda non eſt Parenti Benedicto viſio divinæ eſſentiæ.

17 Denique. Alienatio ab exercitio ſenſuum conſtat ex tota ſerie diſcurſus Magni Gregorij, quoniam docet, quod Beatiſsima illa Anima ſuperior extitit mundo: quod facta eſt ſuper ſemetipſam: quod ſublevata in Dei lumine extra mundum fuit; ſed hæc apertè probant abſtractionem á ſenſibus; ergo hæc abſtractio nullo iure neganda eſt. Quod enim additur de vocatione ſervandi hanc doctrinam non enervat, vt §. ſequenti oſtendemus.

Mens Angelici Doctoris expenditur.

§. III.

18 CÆterùm in oppoſitum eſſe videtur Theologiæ lumen Doctor Angelicus, cuius duntaxat deficiebat ſuffragium, vt prædicta doctrina inoffenſo pede decurreret. Etenim quodlibeto 1. inquirit: *Vtrùm D. Benedictus divinam eſſentiam viderit?* & negativè reſpondet ita procedens. *Corpus corruptibile aggravat animam, vt dicitur Sap. 9. Summa autem elevatio mentis humanæ eſt, vt ad divinam eſſentiam videndam pertingat. Vndè impoſsibile eſt, vt mens humana corpori vnita Dei eſſentiam videat, vt Auguſtinus dicit duodecimo ſuper Geneſim ad litteram, niſi huic vitæ mortali funditus homo intereat, vel ſi alienetur à ſenſibus, vt neſciat vtrùm ſit in corpore, an extra corpus, ſicut de Paulo legitur 2. ad Corinth. 11.*

19 *Beatus autem Benedictus quando illam viſionem vidit, nec huic vitæ funditus mortuus erat, nec à corporis ſenſibus alienatus, quod patet per hoc, quod dùm adhuc in eadem viſione perſiſteret, alium ad idem videndum advocavit, vt idem Gregorius refert. Vnde manifeſtum eſt, quod Dei eſſentiam non vidit.*

20 Eandem tradit doctrinam 2. 2. quæſt. 80. a. 5. ac tandem argumento facto ex prædicta doctrina Gregorij ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod ex verbis illis Gregorij non datur intelligi, quod Beatus Benedictus Deum in illa viſione per eſſentiam viderit, ſed vult oſtendere, quod quia videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura, conſequens eſt, quod per illuſtrationem divini luminis, de facilè poſsint quæcumque videri. Vndè ſubdit. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aſpexerit, breve ei fit omne quod creatum eſt.*

21 Reſpondent aliqui neceſſariam non eſſe alienationem à ſenſibus, vt viator perfuſus lumine gloriæ divinam eſſentiam videat, quod probant exemplo Chriſti Domini; & Beatorum poſt Reſurrectionem, in quibus ſenſuum vſus fœderatur cum viſione beata. Et ita docent Doctores dubio 2. allegati, ac ſpecialiter de Beato Benedicto Pater Salas, 1. 2. q. 45. tract. 2. diſp. 10.

22 Hæc ſolutio duplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt, quod alienatio à ſenſibus neceſſaria non ſit ex conditione viſionis beatæ, nec ex natura raptus ad divina, & arcana penetranda. Et hoc modo contradicit Angelico Doctori, ac doctrinæ à nobis in ſuperioribus traditæ. Secundus ſenſus eſt, quod viſio divinæ eſſentiæ haberi poſsit cum exercitio ſenſuum ex novo miraculo ſupra miraculum elevationis ad eandem divinam eſſentiam videndam. Et hoc modo mihi certum eſt id potuiſſe contingere; nec puto id contradicere Doctori Angelico. Verumtamen in hac ſolutione fit recurſus ad novum miraculum ſine neceſsitate; miracula autem ſine expreſſa neceſsitate multiplicanda non ſunt.

23 Reſpondent alij in prædicto eventu duas interceſsiſſe viſiones: vna eſſentiæ divinæ: altera totius mundi in Solis radio: in prima docent D. Benedictum fuiſſe alienatum á ſenſibus: non ita in ſecunda. Deus autem ibi concurriſſe viſio-

viſiones colligi videtur ex ipſo Gregorio Magno relata prima viſione ſic proſequitur: *Mira autem valdè res in hac ſpeculatione ſequuta eſt, quia ſicut poſt ipſe narravit, omnis etiam mundus velut ſub uno Solis radio collectus, ante oculos eius adductus eſt.* At viſio, quæ ad aliam *ſequuta eſt*, alia eſt à prima diſtincta; duplex ergo viſio ex mente Gregorij diſtinguenda eſt.

24 Ex his deducunt Angelicum Doctorem negare Sancto Benedicto viſionem eſſentiæ divinæ in ſecunda viſione, in qua alium vocavit, cum tunc non eſſet alienatus à ſenſibus, non tamen negare in viſione prima. Quod autem D. Thomas ſolùm de ſecunda viſione, in qua viſus eſt totus mundus ſub Solis radio, non de prima loquatur, clariſsimè colligitur ex eodem quodlibeto, & art. ſic procedente: *Quantũ ad divinam naturã quæſitum eſt. Vtrũ Beatus Benedictus in viſione, qua vidit totum mundum, divinam eſſentiam viderit?* Vnde incorpore in eodem ſenſu controverſiam dirimit, dicens: *Beatus Benedictus quandò illam viſionem vidit, &c.* Illam (inquam) in qua vidit totum mundum. Ac ita facilè doctrina D. Thomæ cum ſententia Gregorij conciliatur.

25 Sed hæc ſolutio quanquam ſufficienter exponat mentem Angelici Præceptoris, attamen litteræ Gregorij non congruit, niſi amplius expendatur. Nam iuxta Gregorium eadem viſione, eodemque lumine, quo divinam vidit eſſentiam, vidit totum mundum collectum in Solis radio: ibi. Vidit totum mundum *raptus in Deo*, & hac ratione, ſive hoc lumine *videre potuit ſine difficultate quidquid infra Deum eſt.* Item. *Illa ergo lux, quæ exterioribus oculis fulſit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad ſuperiora rapuit, ei quàm anguſta eſſent omnia inferiora monſtravit*: ex quibus clariſsimè conſtat vidiſſe totum mundum luce, & lumine interno, quoad ſuperiora raptus divinam vidit eſſentiam, ideoque ait: quod *videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura*; viſio ergo creaturarum facta eſt in viſione Creatoris, ex qua etiam facta eſt quædam redundantia ad oculos corporis.

26 Reſpondeo igitur argumento ex D. Thoma facto Beatum Benedictum vidiſſe totum mundum collectum in Solis radio in eadem viſione, qua divinam vidit eſſentiam, Angelos quoque ad Cœlos redeuntes, & animam Epiſcopi in ſphæra ignea ab Angelos in Cœlos deferri, in quibus omnibus alienationem ſenſuum patiebatur, vt §. antecedenti probatum eſt: nec ad id vocare potuit Servandum alterius Monaſterij Abbatem, quia oculis corporeis, quibus videre poterat Servandus, videri non poteſt, nec eſſentia divina, nec Angelorum chorus, nec anima Epiſcopi, nec mundus vniverſus, quia lux illa, qua D. Benedictus hæc omnia vidit, *lux interior in mente fuit, qua videntis anima eſt dilatata*; non ergo ad hoc vocare poterat Servandum.

27 Sed quia præter lucem mentis internam, qua omnia ſupra dicta Benenedictus vidit, affuit etiam per redundantiam lux externa, quæ Solem ſuperabat, quæ cunctas noctis tenebras effugabat, oculos etiam corporis paſcebat, ac ſummopere delectabat, ideò ceſſante viſione interna D. Benedictus in ſe ipſum redactus vocare potuit Servandum, vt lucem illam longe ſplendorem Solis ſuperantem videret. Et ita factum eſt: ibi. *Aſcendit, reſpexit, partemque iam lucis exiguam vidit:* Non (inquam) divinam eſſentiam, non Angelos, non animam Epiſcopi, non mundum vniverſum, ſed *partem lucis*, quæ oculis corporeis videri poterat. Divus ergo Benedictus ad hanc lucem externam videndam vocavit Servandum, quo in eventu à ſenſuum exercitio alienatus non erat; optimè deducit Angelicus Doctor D. Benedictum in hac viſione externa, qua teſtem vocavit, non fuiſſe alienatum à ſenſibus, atque adeó divinam eſſentiam non vidiſſe, quod nos etiam fatemur.

28 Et ita loquutus fuiſſe videtur P. Hieronymus Faſolius 1. p. q. 12. a. 11. dub. 10. num. 49. ſic de prædicta viſione, & argumento loquens: *Poteſt autem ſolvi deſignando, aut diſtinguendo duo viſionum genera; alterum corporale; alterum ſpirituale, & negando ambas viſiones fuiſſe ſimul.* Cuius ſententia mihi ſummopere placet, ſi nomine viſionis corporalis intelligat redundantiam illam ex viſione divinæ eſſentiæ, & aliorum, ad oculos corporis.

29 Dices D. Thomas expreſsè loquitur de viſione, qua Beatus Benedictus vidit totum mundum; ſed in hac viſione

sione (inquit) non fuit alienatus á sensibus, ideoque divinam non vidit essentiam; ergo nostra sententia asserens, quod [illegible] alienatus á sensibus, divinamque essenti[illegible] vidit sententiæ D. Thomæ non cohæret. Respondeo loqui quidem D. Thomam de visione, qua D. Benedictus vidit totum mundum, non tamen dùm totum mundum vidit, sed dúm vidit lucem redundantem ex visione essentiæ divinæ, & totius mundi, quæ [illegible] cum sit illius visionis terminus, & c[illegible] [illegible]entiam, optimè eadem visio nominat[illegible]

30 Adhuc opp[illegible] essent falsò D. Thomas di[illegible] Si [illegible]æc ita dictum essentiam divinam [illegible] Bene[illegible] sed potius debebat quæstion[illegible] vidisse, tam dirimere, distinguendo [illegible] assumptionis genus, internæ, & exte[illegible] duplex visionis genus, internæ, & exte[illegible]næ; ac ita affirmando in prima, & neg[illegible]ando in secunda. Respondeo hanc obi[illegible]em locum habere in tota Theolog[illegible]ctio[illegible] in qua Lector inveniet quamplurim[illegible] controversias á D. Thoma solutas duntaxat in eo sensu, in quo eas examinandas aggreditur, relictis alijs, quæ vel ad assumptum, vel ad eum locum non pertinent; cum ergo scopus D. Thomæ sit ostendere neminem posse in hac mortali vita divinam essentiam videre sine alienatione á sensibus, ideo dirimendam assumit præsentem controversiam de visione, in qua D. Benedictus alienatus non erat á sensibus, & respondet in ea visione essentiam divinam non vidisse: vnum ergo dixit, & aliud non negavit.

31 Opponit secundo [illegible]mel, credi non potest Gregorium Magn[illegible] concessisse Beato Benedicto, quod negavit Paulo, & Moisi; sed Paulo, & Moisi negavit visionem essentiæ divinæ, lib. 13. cap. 37. & 38. ergo eam D. Benedicto concedere non potuit. Respondeo Gregorium Magnum viginti tribus duntaxat capitibus librum illum 13. Moralium absolvere, vndè in cap. 37. & 38. negare non potuit prædictam visionem Paulo, & Moisi. Breviter de Paulo agit lib. 10. ca. 12. ex quo potius oppositum deduci videtur, ibi enim inquit: *Certè iam Paulus tertij Cœli culmen ascenderat, iam Paradysi secreta cognoverat.* Et infra. *Iam cœlestis Patriæ lux irradiaverat.*

32 De Moise agit lib. 4. in 1. Reg. cap. 4. & ibi solùm negat visionem essentiæ divinæ in monte Bethel, simul tamen fatetur Moisem postulasse visionem claram Dei, quam posteá fuisse adimpletam supra ostensum est. Sed dato Gregorium absolutè negasse Moisi visionem divinæ essentiæ, nihil evincitur, quoniam à ritis illis, quamquám præstantissimis, & maxima sanctitate præditis, nullum quantum ad hoc fieri potest argumentum ad Sanctos legis gratiæ, quos de divinis plenius illuminatos agnoscimus: Præter quam de Sancto Benedicto canit Ecclesia: *Ipse virtutum cumulis onustus, celsior nostri Patriarcha cœtus, Isaac, Moisem, Abraham sub vno pectore clausit.*

33 Rursus Quidquid sit de maiori, vel minori sanctitate, quod nostrum non est definire, nihil impedit vt [illegible] hæc, vel illa beneficia largiatur [illegible]cendúm [illegible] [illegible]eplacitum voluntatis [illegible]æ, quia *spiritus vbi vult spirat.* Denique supposita sententia negante Moisi visionem beatam in via, addi potest alia disparitatis ratio, quia nimirûm congruum non erat, vt fruerentur beatitudine in hac vita mortali Sancti illi legis veteris propriori ad Christum, quorum beatitudo etiam post mortem pendebat à Resurrectione eiusdem Christi Domini, quod in Beato Benedicto nihil evincit, vndé non est similis ratio.

LAUS DEO.



REGISTRO DE LA PROPIEDAD

Es adusy del P.e fr. Bernardo Gayttero carmelitta calzado pasante theologo en el conuento de Valladolid

fr. Bernardo Gaittero Vega

Por auer tenido nottiaa

El P.e M.o Santta Maria

BIBLIOTECA NACIONAL REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

1.477